CAPVT QCTAVVM.

Euangelici, vt doctrinæ suę fidem stabiliant, Orthodoxorum Patrum, & Oecumenicorum Conciliorum fidem, & authoritatem, eleuare non dubitant.

Deuter. 32.

Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.

Deuter. 17.

Si difficile, & ambiguum iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & non sanguinem; inter lepram, & non lepram; ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, & ipsi tibi iudicabunt iudicij veritatem.

Actorum. 15.

Surrexerunt autem quidam de hæresi Phariseorum, qui crediderunt, dicentes. Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruari legem Moysis: conueneruntque Apostoli, & Seniores videre, de verbo hoc.

SI VERITATEM amarent Euangelicorum Prædicantes, veritatis Doctores non reprobarent, charum haberent omne quocunq; veritas propagatur. Veritas enim adhæret veriti; falsitas, & ab inuicem dissidet: Veritas omnibus communis est; omnes amatores suos sine inuida recipit, omnibus proxima est, omnibus sempiterna, copiam sui facit, & tamen plena est, non fit minor in tempore, non euacuatur à multitudine, non excludit venientes, non deserit abeuntes, vna vis est eius, vnaq; facies: non sic est a primis occupata, vt ad posteros non perueniat, multũ ex illa, nostris quoq; relictum est temporibus: nullæ in ea angustiæ, nullus defectus: nemo dicit alteri, recede vt accedam, & ego: remoue manus, vt & ego amplectar; omnes illi inhærent, omnes illam tangũt; cibus eius nulla ex parte discerpitur: nil de ipsa bibit vnus, quod alter non possit, si modo perseuerans adsit fruendi voluntas. Pulchrè sanè Auguſt. Deum appellans. Veritas nec tua, nec mea est, nec illius, aut illius: sed omnium nostrum, quos ad eius communionem publicè vocas, terribilitr admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Solos superbos ad intuitum sui non admittit veritas, ait Cyprian. Venenũ quippe veritatis superbia, vita veritatis humilitas. Vis peruenire ad regnũ, veritatis? tene viã humilitatis. Huic se tota pietate subdat, oportet, castæ veritatis amator, nec aliam sibi ad eam capessendam, & obtinendam viam

Cõfess. lib.

viam munire quærat, quam quæ munita est ab illo, qui gressum nostrorũ, tanquã Deus videt infirmitatem. Ea est autem, vt testatur Auguſt. prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem, non quod alia non sint præcepta, quæ dicantur. Sed nisi humilitas omnia quæcunque benefacimus, & præcesserit, & comitetur, & consequuta fuerit, & propositа, quam inrueamur; & appositа, cui adhæreamus, & impositа, qua reprimamur: iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu Superbia. Vitia quippe cætera in peccatis: Superbia vero etiam in rectè factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Hanc porrò, si non haberent Euangelici, Patres Orthodoxos castæ veritatis defensores, non sic odissent, vt oderunt: non sic vt lacerant, lacerarent. Equidem prius ex oculis lachrimæ, quam atramentum efluxit, è calamo, cum istorum Ministrorum, in Ecclesiæ Dei Doctores odium quoddam implacabile, tam apertè diuinis Scripturis, & vniuersæ repugnans, atque contradicens rationi, describere conaremur. Si difficile, ait Scriptura, & ambiguum Iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & non sanguinem, inter Lepram, & non Lepram, ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdoces Leuitici generis, & ad Iudicum, qui fuerit illo tempore, quæresque abeis, & ipsi tibi iudicabunt iudicij veritatem. Et rursum. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; Maiores tuos, & dicent tibi. Et iterum. Interroga de diebus antiquis. Et iterum. Sapientiam omnium Antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit.

At boni Ministri, nec ad locum ascendunt, quem elegit Dominus, nec ad Sacerdotes veniunt, nec Iudicem quærunt, nec Patres, nec Antiquos interrogant, nec Maiores appellant. Quid appellant? reprobant, damnant, calcant, soleas fortè calceorum suorum pluris faciũt: quam tantorum, Patrum eminentissimam auctoritatem: erga quos tamen tanto maior esse deberet verecundia, quanto verior addiscitur sapientia. Si Scholam Xenocratis, ait Auguſt. sicut Polemo ex Antelucano conuiuio temulentus intrasses; non tanta, quanta in isto cœtu tot Sanctorum deberes verecundia coerceri. Tanto enim amplius reuerendi sunt tot memorabilium Episcoporum: quàm vnius Xenocratis vultus quanto Platone Xenocratis Doctore, Doctor istorum maior est Christus. Quid nos docuerunt, quod optimum sciuerunt, veritatem: Beatos nos fecerunt: Beatus autem nemo dici potest extra veritatem proiectus. Rem videre admirandam. Nondum de Ministrorum erroribus cognouerant, & iam eos damnauerant. Nullas nobiscum amicitias, nullas cum illis inimicitias exercuerunt, neque nobis, neque illis ratifuerunt; neque nos, neque illos miserati sunt: & tamen quod docemus nos, docuerunt, quod docent, ipsi damnauerunt. Nõdum cum illis apud istos Iudices agebamus, & iã apud eos acta est causa nostra; nec nos, nec illi noti eis fueramus, & eorum pro nobis latas contra illos sentẽtias recitamus. Nondum cum illis certabamus, & eis pronunciãtibus vicimus. Quęso vos, quomodo valere tantum potuerũt hoc sæculo Lutherus, & Caluinus, vt à solis ortu vsque ad occasum tot, ac tantos Catholicæ Fidei Doctores, & defensores antiquos, non solum deferere; verũ etiam cæcos, indoctos, obstinatos, Sathanæ spiritu plenos, audeatis appellare? quos Deꝰ Omnipotens piarum amator animarum per diuersas ætates, temporumque locorumque distantias, propterea, ita disposuit, atque dispensauit, vt quia corporalibus oculis in hac mundi senecta videri in loco non poterant, in quem ire, discereq; possint homines: veritatem tamen vbique prædicantes audirẽtur in Codicibus, qui ire, nauigare, peregrinarique possent ad homines.

Discenda veritas est, ò Ministri. Nemo casu in veritatem incidit. Fatuo similior est, quam sapienti, qui vt calceũ sunt Magistrum quærit, vt veritatem discat Præceptorem non quærit, nec vt vitæ viam pernoscat, vllius Magistri Scholam ingrediendam putat.

Estr. t. 26 str. 254 = Stanisław Zenka i 266

brak str. 601 – 609 + 3 nieliczb.

na 12 bibl. tek.

(brak sygnatur, nie było)

sygnatura str. często pomylona

Z. XXVI, 266.

DE ATHEISMIS ET PHALARISMIS EVANGELICORVM.

Libri Duo,

QVORVM PRIOR DE FIDE, posterior tractat de operibus eorum.

AVCTORE

Stanislao Reſcio Presbytero.

NEAPOLI,

Apud Io. Iacobum Carlinum, & Antonium Pacem. 1596.

Matt. 12.

Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

Lucæ 19.

Ex ore tuo te iudico, ſerue nequam.

Tertullianus lib. de Trinitate.

Firmum probationis genus, quod etiam ab aduerſario ſumitur, vt veritas etiam ab ipſis veritatis inimicis probetur.

Idem in Apolog. contra gentes.

Multum eſt, ſi eos adhibeã; vt credatis Chriſtianis: propter quos non creditis Chriſtianis.

Ireneus contra Hæreſes.

Aduerſus eos victoria eſt, ſententiæ eorum manifeſtatio.

Auguſtinus contra Manichæos.

Tanto magis debemus commemorare vanitatem hæreticorum, quanto magis quærimus ſalutem eorum.

Wol. Biblioteka Publ. w Bydgoszczy
XVI, 8°-93
2192, 1946
4

SIGISMVNDO III.

POLONIAE, SVETIAE, GOTTHIAE, VANDALIAE,

REGI POTENTISSIMO:

MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIAE, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Principi, & Domino Domino Clementissimo.

STANISLAVS RESCIVS PRESBYTER

Seruitutem, & orationes suas commendat.

DIVINITVS *accidisse arbitror, SIGISMVNDE Rex potẽtissime, vt hæ lucubrationes nostræ ab aliquot annis meditatæ, extremã manum isto tuo felicissimo tẽpore acceperint; quo Rex Regum, et Dominus dominantiũ Suetiæ quoq. Gothiæ,*

thiæ, & Vandaliæ Regna, morte Serenissimi Ioannis Regis, parentis tui charissimi, tibi debita, ad tuũ Imperium adiunxit. Cum enim illa quoq; Sathanas per emissarios suos, Magistros, et ministros mẽdaces, Lutherani Cacangelij propugnatores, iam inde à Gostaui Regis temporibus, ab ea quã in Symbolo quotidie profitemur, vna, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia auulserit, falsisq; doctrinis, spetioso Euangelij titulo cerussatis conseminauerit, faciendum proculdubiò putabis, vt illa tua de repræsentãda subditorum salute, pijs desiderijs plena consilia, ad rem hoc tempore conferas: et in auitas suas sedes Orthodoxã fidem vicissim reponas: ita vt subditi imperio tuo populi, tanquàm tu esses, ita sint, eundemq; tecum, sicut in cœlis patrem, sic in terris matrem recognoscãt Ecclesiam: in cuius gremio sanctissimi illi, beatissimiq; maiores, & antecessores, Aui, Proaui, Abauiq; tui in vtroq; Regno tuo vixerũt. In Polonia glorioſissimus ille Rex Iagello, & post eum sex alij fortissimi, potentissimiq; Reges, & eorũ frater Beatus Casimirus, castissimus, miraculisq; clarissimus adolescens, & Confessor; & frater eius Sigismundus Primus, multis, et memorabilibus victorijs orbi notissimus vniuerso: quo solo in Europa regnante, illam tantùm eius partẽ armis suis imperuiã expertus est, acerrimus ille Solimanus, quã Sigismundus tenebat. In Suetia porrò, quam Iornan-

des

des officinam gentium, ac veluti vaginam nationum appellat, Sancta Brigida, & eius filia Sancta Catherina, ex quorum glorioſa ſtirpe paternum tibi genus ducitur Sanctus Ericus Rex, & martyr, Finlandiæ tuæ Apoſtolus. Sanctus Canutus, & alij plerique fortiſſimi Orthodoxæ fidei propugnatores. Qui cum ſe quoq; nutricios Eccleſiæ meminiſſent, imperijq; ſui maieſtatem omnem, in cultu Chriſtianæ religionis ſtatuerent; eamq; ante omnia, vt fulcrum, & crepidinem ſubſternerent, cui firmiter inſiſterent Regni terreni ſimulacra; cum pietatem vnam, & ſolam ſui firmiſſimam cuſtodiam ducerent; cum Regiam poteſtatem non ſolum ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium ſibi collatam arbitrarentur; vt ſicut ſibi milites, ſic illi Deo omnipotenti, & ſacræ fidei militarent; cum Regni ſui pacem, pacem non putarent, niſi cum pace Sanctæ Eccleſiæ periclitantis: cum ſua maximè intereſſe ducerent, pacatã habere ſuis temporibus matrem ſuam Eccleſiam; cum ſe tùm demùm fœlices arbitrarentur, ſi ſicut dignitate, ita Dei timore cæteris eminerent; ſi maiorum inſtituta tueri, ſacris cærimonijsq; retinendis non deſinerent: ſi ſceptra, coronas, faſces, gladios, poteſtatis magis inſignia, quàm crudelitatis inſtrùmenta ducerent? ſi mori potiùs eligerent, quàm vim fidei, vim Eccleſiæ, vim fieri Sacramentis, paterentur: impletum vicißim in illis videmus

quod Dominus promiſit, Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Et iterum, Qui me cõfeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt: fecit eos vicisſim Dominus, vt ſcriptura loquitur, ſpectabiles ſuper oẽs homines: gloria, & honore impleuit: & omne deſideriũ cordis eorũ tribuit eis; tòt præterea ad illorũ imperium Regna, & imperia adiunxit, vt ſi prima cum extremis conferamus, ferè ſoli viſi ſunt, vna manu meridiem, altera tenere Septentrionẽ; nec vllus contra eos hoſtis arma vnquam ſumere auſus eſt, qui non eorum laudibus, & triumphis adderetur.

Equidem exiſtimo hoc eſſe tẽpus illud, quo tibi quoque dictum à Propheta putabis. Et nunc Reges intelligite. Erudimini qui iudicatis terram; Seruite Domino in timore, & exultate ei, cum tremore.

Tunc enim Reges verè intelligũt ſe eſſe Reges, cum pro gloria Domini, & audent, & faciunt omnia, quæ nõ poſſunt facere, niſi Reges. Leges ſcilicet pro fide Chriſti ſaluberrimas ſanciendo, & contraria facientes, vt loquitur Auguſtinus, conuenienti rigore caſtigando. Ita fecit Ezechias; cùm eadem qua tu nunc es ætate, regnare cœpiſſet in Iuda: ita fecit Iozias, diſſipauit excelſa, contriuit ſtatuas, deſtruxit adiculas, efferri fecit lucum de domo Domini foras Hieruſalem: libros legis promulgauit: præcepta eius, & teſtimonia, & cæremonias

nias in omni corde, & in tota anima obseruari voluit: Phase celebrauit, Pontifici, & sacerdotibus obtemperauit. Ita fecit, & Dauid, ne somnum quidem oculis suis cõcedendum putauit, nisi inueniret locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, in quo nomen sanctum eius ordinatissimè, magnificentissimèque coleretur.

Habes, & tu, ò Rex, in quo istos Reges imiteris. Magnum tenes præ manibus domus Domini ædificandæ occasionem, non ex lignis cedrinis, aut abigenis tabulis, sed ex tabulis cordis carnalibus: vt eam hoc tempore domum Domino reficias, quam per electa vasa sua ante annos quinquaginta Sathanas in Suetia dissipauit; non manufactam, sed æternam in cœlis, in qua omnium credentium, sit cor vnũ, & anima vna; quod te non velle solùm, sed iam etiam conari laborarèque videmus, & gaudemus. Sit Dominus tecum, prosperare, confortare, viriliter age, & fac ne timeas, Dominus Deus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus domus Domini. Erit ille tibi in patrem, & tu eris illi in filium (malo enim Prophetæ quàm meis verbis vota pro te facere,) suscitabitq; semen tuum post te, quod erit de filijs tuis; & thronus eorum firmissimus erit in perpetuum, nec filij iniquitatis atterent eos.

Cæterùm sicut ad ædificandam domũ Domini, tàm Principes, et proceres, quàm opifices, viduæq; pauperes,

prout quisque poterat, vota donariaq; sua sponte, vt scriptura loquitur, promittebant, & offerebant: illi quidem aurum, & argentum, & lapides prætiosos, isti verò lanam, linum, oleum, æra minuta, & pilos caprinos: ita me quoque subditum tuum, & sacerdotem operepretium facturum existimaui, si ad hoc ædificiũ, spirituale quoque donarium, è tenui penu nostro conferrem.

Mitto itaque ad te, ò Rex, hos Atheismorum, & Phalarismorum libros, quos in reliqua huius domus suppellectili, velut speculi vicem sustinere patieris? in quo verbi Lutherani Ministri, aut quicunque tandem alij animarum pyratæ, funestißimos suæ ab Ecclesia discessionis fructus intueantur; quemadmodum à minimis initijs ad tantam peruenerint audaciam, nil vt intactum reliquerint, tam in cœlo, quàm in terra, tam in triumphanti, quàm in militanti Ecclesia, quod non vel gladijs, vel blasphemijs oppugnandum, expugnandumq; susceperint: Sanctos honore, Christum diuinitate, Trinitatem sanctißimam debita dispoliare veneratione contenderunt; scripturas corruperunt; Symbola reiecerunt; Sacramentis, & vim, & numerum ademerunt; Patres, & Concilia contempserunt, & vt semel dicam, Deum religione, regna quiete, Reges regnis orbare, priuareq; contenderunt; ipsa si potuissent mun-

di

di subruissent fundamenta. In Papistas quidem dirigere tela videntur, sed reuera contra Deitatem, vt loquitur Athanasius, hostilia faciunt; Sic enim non potest gloriam Dei amare, qui Lutheri, Caluini, Bouellani, & his similium verba, tanquam Dei verba colit, & Ecclesiæ cui datus est Spiritus intelligentiæ reijcit: sicut non potest fame carere, qui panem pictum lingit, & ab homine qui verum habet non petit: Audebo dicere; Veritas nil aliud timet quàm taceri, Magis excusabiles illi Gotti fuerunt, qui Frigam, Thor, Othen, vt maiores deos coluerunt, aut Rostphicum, Phinonicum, & Vagnostum, & Holerum, velut minores Deos, aut eorum Prophetas putauerunt, quàm qui Lutheri Cacangelium, pro Christi Euangelio receperunt. Illis enim nondum fuit reuelata veritas; isti post agnitam veritatem, priuatorum capitum sequi maluerunt vanitatem. Etniśsant, ò Rex, omnes Ecclesiæ desertores; Par est error omnium à vero recedentium: Ioci tantùm causa de Deo, deque religione philosophantur; aut, vt sitim contrahant; idq; nos ex proprijs eorum dictis, scriptis, factis, propterea conati sumus ostendere, vt qui nostris noluerunt, vel suis incipiant scriptoribus credere. Est hoc quoque ex Omnipotentia D E I; vt hostes veritatis, ipsi fiant testes veritatis. Firmum quippe, ait, magnus

ille

ille Doctor, probationis genus, quod etiam ab aduersario sumitur, vt veritas etiam ab ipsis inimicis probetur. Nulla, crede mihi, nouatoribus istis fides, nulla lex, nullus placet, & Rex, nisi qui nondum natus est. Te ipsum testem appello; Quoties illi animam tuã Lutherana perfidiæ spiculis trãsuerberare mactareq; in Suetia cõtenderunt? Quoties ad illas suas canas Thyestias, atque ad inuisas Deo conciones pertrahere voluerunt? quoties amittendi regni pericula ni dicto audientem te præstares, denuntiauerunt? quoties in odium adducere tentauerunt eorum, quos prætereo? quoties conuitijs, maledictis, calumnijs appetiuerunt? quoties diem illum infælicem vocauerunt, quo tu natus es? Scripta sunt in cœlis Angelorum manibus illa tua diuina respõsa, quæ Regni Suetiæ proceribus, regni amissionem denũtiantibus; si pergeres esse Catholicus, reddidisti; Satius esse terrena, quam cælestia regna deperdere. Fidem te Deo, & Ecclesiæ, etiam si mundus rueret, præstaturum. O Rex, O inter Cõfessores numerande Princeps. Non poterit ista Deus irrenumerata relinquere. Semper eius experieris protectionem, cuius colis veritatem. Ego verò non dubitarem te, & martyrem dicere, nisi apud te verba facerem, nisi, & pudori tuo, & persecutorum tuorum parcerem existimationi. Nam quod in te fuit toleraſti, quicquid tolerare, paratus fuisti; Qui se tormentis, & morti sub oculis Dei obtulit, passus est, ait

Cy-

Cyprianus, quicquid pati voluit. Potes et tu cum Propheta cantare. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi, supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. Sit Dominus benedictus, quia non potuerunt tibi; Placeat in conspectu eius, vt non possint, & tuis. Sed liberius apud alios, olim ista de te cantabuntur. Interim tu capto operi insiste. In causa Christi nō decet arma proïjcere. Victus quoque velis vincere. Pacem nō pacem putes, nisi cum pace Sanctæ Ecclesiæ periclitātis. Homo, ait ille, quoties suorum toties & sui curam habet. Agricolæ quoque, non tam diligēter rectas procerasq; arbores colunt; quàm quas aliqua deprauauit causa, ijs adminicula quibus regantur applicant. Vis videre subditos tuos quàm beatissimos? fac illos veritatem tenere. Beatus enim dici nemo potest, extra veritatem proiectus; vis in regnis tuis pacem videre: fac subditos tuos pacem cum Christo, & eius sponsa Ecclesia tenere. Pax extra pacis authorem quæri potest, inueniri nō potest. Iube quod pientissimus olim iussit Imperator; cunctos populos, quos clementia tua regit imperium in tali religione versari, quam Diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat; quamq; Pontificem Damasum (tu diceres Clementem non ita pridem apud te legatum Apostolicum) sequi claret. Hæc tu tantùm ò Rex, subiectis tibi populis præcipe, reliqua

Deo

Deo permitte. Tu fidem eius vna: ipse te, crede mihi, regnaq; tua vtraq; manu defendet. Sunt & Reges quodam suo modo pastores; Pastor meus es, ait Dominus ad Cyrum, & omnem voluntatem meam complebis. Antecessores in Suetia tui per terrorem induxerunt errorem; tu per lenitatem introduces veritatem. Habes in terris quos imiteris; habes, & in cœlis generis & sanguinis tui Principes à quibus adiuueris. Iuuabunt te Prophetæ, in quibus, & Sancta Brigida, iuuabunt te Apostoli in quibus, & Sanctus Ericus. Iuuabunt te Martyres, in quibus & Sanctus Olaus. Iuuabunt te & Confessores in quibus & Beatus Asquarus, iuuabunt te et Virgines in quibus Beatus Casimirus Aui tui materni, frater germanus. Iuuabunt & viduæ, in quibus, & Sancta Helena. Iuuabunt viduæ simul, & virgines in quibus & Sancta Catherina. Nihil est quod istis authoribus, ducibus, monitoribus, intercessoribus non debeas, pro Christi fide audere, nil quod non possis sperare, nil quod non valeas efficere.

Ego verò, quamuis indignus, tamen Sacerdos, Deum, & ipse rogare non desinam, quod olim rogasse pro suis Imperatoribus Christiani legũtur: vt tibi det Dominus Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, Regnum quietum, vitam prolixam, vt q; sis sapiens, sicut

habet

habet sapientiam Angelus Domini, & intelligas omnia super terram.

Tu vicißim, ò Rex, hos conatus nostros, Regnorum tuorum causa præcipuè susceptos, & sub tui nominis maiestate in lucem hominum prodeuntes, illa quam à Domino accepisti, quamq; iam sæpè pro gloria Domini, & pro Ecclesiastico seruorum Domini cœtu, contra omnes inferorum portas vsurpasti, authoritate potestateq; defendes: non quia in arce quod aiunt, poni debeant; sed quia clementia tua hoc quoque laude dignum arbitratur. Velle prodesse: Quia rerum maximarum, vel solum desiderium honestum: Quia alti munus animi etiam perituru dare beneficium, Quia non verba, sed verum in verbis amare, probareq; consueuisti. Bonum est autem à veritate vinci: cum à quocunque dicatur, à Spiritu Sancto sit. Benedictus Deus veritatis, qui Maiestatem tuam cum veritate regnantem, & pro veritate laborantem, sua sancta protectione, & benedictione prosequatur; vt tecum sit, & cum tibi charissimo filio Principe Vladislao, quem diuina gratia, & protectionis, super te Regnaq; tua, quasi obsidem his mensibus tibi datum gratulamur, omnibusq; tuis liberis, posteris, successoribus, maneat, & fortitudo, & Regnum, & potestas, & maiestas omnium suorum. Amen.

Dat. Neapoli Kal. Ianuarij 1596.

Præfatio ad Lectorem :-

ANNI pene quindecim abierũt, cum à fortiſsimo, omniumq; conſenſione laudatiſsimo Rege Poloniæ Stephano, ad Aulam ex Vrbe Roma vocatus, Reip. vacare cæperam, vbi ſæpè mihi cum iis, qui diſceſſerunt à nobis, Euangelicos vulgus vocat imperitum, de cõtrouerſis hoc ſæculo Chriſtianæ religionis capitibus, vt in libera Repub. ſolet accidere, contendendum erat. Incideram fortè in defuncti cuiuſdam Hæretici, non Bibliothecam; ſed ſentinam & colluuiem quandam peſtilentiſsimorum librorum: quos cum per ociũ inſpicerem, caſu ne, an ita Deo diſponente factum eſt, vt quemcunq; librum in manus acciperem, nil præter conuitia, & maledicta legerem: nil quod ſibi conſtaret, nil quod cohæreret inuenirem. Dixi tum quibuſdam amicis, ita nouos iſtos nouorum dogmatum authores, & ſcriptores ſcribere: vt ſi in accuratum lectorẽ incurrant, longè facilius poſsint ex Lutheriſta Papiſtam, quam ex Papiſta facere Lutheriſtã. Nil videri nobis facilius, quam quod poſsint ex ore proprio, nõ dico Arianiſmi, Ebioniſmi, ſed ipſius etiam Atheiſmi condemnari, quòd quicquid tandẽ in lingua de Deo, deq. religione

gione promptum haberent, corde tamen nil omninò crederent, atq; ad illum scopulum etiã nescientes perferrentur, vt dicant corde suo. Non est Deus. Produxi etiam, quæ tum occurrebant exẽpla. Illi verò monere me cæperunt, vt vel ex vno istorum Rabbino pugnantes inuicem, disidentesq. de eadem re opiniones, & sententias, tum & conuitia, quibus Catholicos onerant, tũ & maledicta, quibus se inuicem lacerãt, colligerem: fore vt istiusmodi omnia in compendium redacta, tanquam in speculo repræsentent, Ministros omnes nil aliud esse, quam Christianæ fidei interfectores: & pudorem simul affeclis eorum incutiant, quòd sese Præceptoribus omni Chamaleonte mutabilioribus, & quauis plumula leuioribus, nunc quidem illud, alia dudum, aliud statim sentientibus, omnium, vt semel dicamus sanctitatũ euersoribus, docendos & erudiendos obtulerint. Habent quippe omnia, falsum quid in mutatione, ait Trismegistus, Nil enim quod non manet in seipso, verum est. Omne quippe quod alteratur falsitas est, non manens in quo est.

Ita factum est, vt in quodã Hosiano propè Cracouiam rure, decem immania, nõ cuiusuis de triuio Ministelli, sed primi, & præcipui Ministrorum Protoplasti Lutheri, quem rectè cum Propheta dixeris virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra: partim Latina, partim Germanica volumina euoluenda susciperemus: è quibus intra dies non ita multos, ita multa collegimus, Deo, Naturæ, Scripturæ, Conciliis, Patribus, Legibus, Moribus, Rationi, Pudori, Grauitati, Pietati, Honestati, sibi inuicem, ita valdè aduersa, ita contraria, ita sine mente, & sine oculis dicta, vt si vanitatem vanitati, blasphemiam blasphemiæ compares, ve-

teres

teres illi Ebiones, Martiones, Valentini, fungi, & copreæ: isti noui Doctores, vt Varro loquitur, belli, festiui, saperdæ videbuntur.

Ea porrò cum amicis quoque ostendissem, magis etiam authores esse cæperunt, vt in hoc genere laborarē: vt si qui adhuc scripturis non potuerunt, vel suo ipsius vincantur testimonio. Maius dari munus nemini posse dicebant, quam cui datur, vt noscat seipsum, non enim amabit vitia, qui cognoscit. Primum esse Sapientiæ gradum, falsa intelligere: secundum, vera cognoscere. Collyrium quæret, qui se cæcum sentiet: surgere contendet, qui se cecidisse videt: redibit in viam, qui se aberrasse cognoscet: quæret quod sequatur, qui scit quod fugiat: persuadebit sectionem, qui ægroto ostenderit morbi grauitatem. Ferrum quoque ferro formari. Ictum Scorpionis, Scorpione sanari, Theriacam ex vipera, & ex boue lora, bobus stringendis parari.

Eo iam istorum ascendisse superbiam, eo processisse, vt Tertullianus loquitur, discrepātias, leuitates, blasphemias indeterminatas, vt eas solūmodo demonstrare, sit destruere; vel vt Augustinus habet, ostendere quid istorum sint ficulæ, simul sit ostendere, quid non sint: prorsus nullum, vt hucusque tempus fuerit, quo securius, non tam ex diuinarum ore scripturarum, aut ex Patrum, & Conciliorum testimoniis, quam ex ore suo proprio, ex propriis eorū dictis, scriptis, factis, damnari infidelitatis, damnari Paganismi, damnari possint, & Atheismi. Multum est, si eos testes adhibeam, vt credatis Christianis, propter quos non creditis Christianis. Certè, & Rhetorum pueris, quæ ducuntur ab euentu argumenta, vim habere persuadendi existimantur. Ex fructibus eorum, ait Dominus, cognoscetis

eos

eos. Et ex ore tuo te iudico ſerue nequam. Eſto, Hoſij, Cromeri, Socolouij, Pouodouij, Scargij, Vvieci, Nouicampiani, Orichouij, Melchiores, & alij noſtræ gentis ſcriptores, Goliatem in fronte percuſſerunt. Tu vel extremum Philiſteorum agmen infeſta. Cogat te iam docere neceſsitas charitatis, quem inuitauit diſcere ſuauitas veritatis. Malè ſibi conſcij, vel voce vulnerantur. Conſurgentes, inquit, viri Iſrael, & Iuda vociferati ſunt, & perſecuti ſunt Philiſteos, vſque dum venirent in vallem, Alta, ait Cyprianus, & erecta eſt hæreticorum ceruix, nec, quia cecidit, inflexa eſt. Tumens animus, & ſuperbus, nec quia victus eſt, fractus eſt. Iacens ſtantibus, & integris vulneratus minatur; & ſacerdotem ſacrilegus, etſi iam moribũdis, tamen adhuc minacibus oculis intuetur. Non eodem quippe prelio, ait Alexander apud Curtium, domantur populi, quo vincuntur. Nõ omnibus datum erat Arcam portare fœderis: erant & Leuitæ Cortinas ferentes, alij velum, alij funes, alij reliqua Tabernaculi vtenſilia. Qui cõferre non poterant Topazios, & onychinos lapides, telam, pilos caprinos, æra minuta, ad Dei tabernaculum conferebant. Æquè fuit neceſſaria Regi Salomoni Regis Tyri amicitia, ligna cedrina, & abiegna ſuppeditantis, quã Hyræ de Tyro filij mulieris viduæ, & ærarij artificis opera, omne opus in domo Domini ex ære parantis. Non intereſt, qua quiſque prudentia, quibuſq. veſtigijs verum inquirat. Vno itinere non poteſt peruenìri ad tam grande ſecretum. Magna eſt pietas, ait Leo, prodere latebras impiorum, (hæreticorum) & ipſum in eis, cui ſeruiunt Diabolum, debellare, Parum quippe prodeſt vnicuique, quod protegente Spiritu Sancto, ab iſtis ipſe non capitur, ſi cum alios capi intelligit non mouetur. Sit omninò, vt

est, isto fertilissimo ingeniorum sæculo, maxima Doctorum, scriptorumq; multitudo. Multi etiã in lege Prophetæ & Sacerdotes fuerunt, in quorum scriptis, si nil aliud quæramus, nisi veritatẽ, quam per diuersos homines dicit Spiritus Sanctus, ita intelligamus necesse est, quòd quicquid reperitur, in istorum libris quod in aliorum non reperitur codicibus, noluit hoc per istos, sed per illos scriptores Spiritus Sanctus dicere. Quicquid verò apud istos est, & non apud alios, maluit hoc per istos, quam per alios idem Spiritus dicere, sic ostendens vtrosq. esse veraces, & non suo, sed Dei Spiritu vtrosq. scribere. Sic alia per Esaiam, & alia per Hieremiam, alia per Zachariam, & alia per Sophoniã, alia per alios, atque alios, vel eadem aliter, atque aliter per hunc, aut per illum, dixit vt voluit, vnus atque idem spiritus, ait Augustinus. Quid quòd & asinam loqui fecit, quando voluit, & cui voluit, & cum id populo suo expedire putauit, idem ille Spiritus? Quid quòd & tubæ sonitu muri Hyerichuntis, & asini mandibula Philistei, & hydriarũ crepitu strati fugatiq. leguntur Madianitæ? Vtile est, ait idem libros plures à pluribus fieri, diuerso stylo, non diuersa fide, etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem sic, Magis quippe veritas elucet, quo sæpiùs ad manum venit.

Admiramur Eliam, quòd igne de cælo misso, sed & Danielem suspicimus, quòd leui in templo sparso cinere Pseudoprophetas prodidit. Aequè potens Christus, cum Lazarum verbo suscitauit, quam cum leui luto oculos cæci nati sanauit. Quid vili amarius fele? Fel tamen, ait scriptura, valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabũtur. Licet & nutu, licet & protenso digito prodesse erranti.

Error

Error enim fucos quærit, ſine fuco autẽ veritas: & propterea à Domino piſcatoribus, & pueris credita eſt. Simplicitas enim veritatis, ſemper in tuto eſt. Virtus illi ſua aſsiſtit. Qui mari merguntur, vel per pedes extrahendi ſunt è periculo. Animo quoq; relictos ſtupentesque, vili ſæpè frigida ſpargimus, & ad ſenſum ſui reuocamus. Fuerint alij Duces, fuerint Tribuni, fuerint primæ notæ legionarij. Tu in hoc ſacro bello, dũmodo milites, vel è calonibus vnus eſſe non dubites. In reos Maieſtatis, & publicos hoſtes, oĩs homo miles eſt. Militat & qui foſſas parat, & qui vigilias ſeruat, & qui portas tuetur, & qui Armamẽtario præeſt: quæ etſi incruenta miniſteria videantur, in numerũ tamen ſtipendiariorum veniunt. Et poſt meſſores ſpicæ, & acini poſt vindemiatores colliguntur. Quis autẽ ſcit, an magni illi meſſores, iſtam ariſtã tibi ad ſpicilegium nõ reliquerint? Confide, ipſa te cauſæ bonitas faciet eloquentẽ. Nam ad cauſam bonã defendendã, ipſa ſibi Veritas ſufficit. Si non alia tibi, ad ſcribendum, quam Chriſti cauſa eſt, viciſti, Sacerdos, & cũ tacet, Chriſto ſilentiũ debet, & ne taceat Chriſto debet. Aduerſus audaciã, & vafriciem iſtorũ, nemo fottaſſe ſatis vnquam dixerit. Aduerſus inſcitiã, quilibet Catholicus Orator eſt, Supplicia quippe reus omnis ſua ſecum ipſe portat, & vbiq; pæna parata nocenti. Facilis eſt, ait Hylarius aduerſum ſtultitiã reſponſio, quamuis difficillima ſit ſtultorum emendatio. Nõ eſt difficile, de ſuo curru detrahere, cui nullum ſui regnũ eſt. Labor non labor, cũ his pugnare, qui ſuo ſe gladio perimunt, quos ſua ipſorum deſtruit, atq; affligit oratio. Glorioſum victoriæ genus, ait ille, ab eo cũ quo decertes, arma capere, quæſitumq; aduerſario teſtẽ, illinc ſtare, & iſthinc dicere. Quinque lympidiſsimos lapides de

torrente elegit sibi Dauid, sed vno solo Goliatem strauit. Non multis armis opus habet veritas. Non possum sic incedere, ait ille, cum esset galea ærea, loricaq. indutus. Non multis ictibus deijcitur falsitas. Tulit, inquit, lapidē vnum, & funda iecit, & percussit in fronte. Timida est malitia. Hostis illi, quicunque occurrit, telum illi, quodcunque offertur, videtur. Nam quæ à veritate non veniunt, plerumq; & nullo impellente seipsa subuertunt, ait Augustinus. Nil est enim facilius redarguere, quam mendacium. Quibus lingua in falsitate teritur, atteritur. Ioci quippè causa Ministri omnes, de Deo, deq. religione philosophantur. Timendum non est, ne quicquam cuiquam persuadeant, qui nihil adhuc sibi persuadere potuerūt. Superba est, altumq. petit hæresis, facilè præcipitatur. Arrogantia inflati, ait Tragicus, in summis gradiuntur vnguibus. Iam istius quoque sæculi Philistæi, quasi quinque iactis prostrati sunt lapidibus. Scriptura, Traditione, Patribus, Conciliis, & Pontificum Decretis. Reliquum est, vt caput præcidatur, idq; ipsorū gladio, fiet sanè commodissime. Tulit, inquit Scriptura, gladium Philistæi, & eduxit eum è vagina sua, & interfecit eum, præciditq. caput eius. Sic Iuditha vino, & somno sepultum Olofernem proprio eius pugione, qui in columna ligatus pendebat, percussit bis in ceruicem, & abscidit caput eius. Firmum, ait Tertullianus, probationis genus, quod etiam ab aduersario sumitur, vt veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur. Nec ideò est negligenda medicina, quia nonnullorum insanabilis est pestilentia. Nam & Æthiopem, quicunque inuitat ad balneum, & si nigredinem non auferat illi, pecuniam tamen acquirit sibi: & cantatio suam quandam habet hilaritatem etiamsi is

mem-

membra ſua ad ſaltum non moueat, cui pleno gaudio cantatur. Magnis viribus, diuerſis artibus, exquiſita cura, aſsidua opus eſt opera, vt perſuadeatur ſuperbis, quanta ſit virtus humilitatis, vt perſuadeatur cæcis, quanta ſit gratia lucis: vt perſuadeatur ebrioſis, quanta ſit virtus ſobrietatis, vt perſuadeatur luxurioſis, quanta ſit gratia caſtitatis. Ita iam tenui filo fides Auangelicorũ pendet, vt ſperare debeamus Babylonem hanc citò poſitum iri in tumulum; vrbem fortem in ruinam: domum alienorum, vt non ſit ciuitas, & in ſempiternum, vt diuinus pollicetur Eſaias non ædificetur.

Hos tum igniculos, vt nos incenderent, admouebant amici. Sed maiores adhuc ſtimulos, exempla maiorum addiderunt. Meminit Auguſtinus Celſi cuiuſdam, qui centum opiniones centum Philoſophorum, ſex non paruis voluminibus abſoluit: nec redarguit aliquem, ſed tantum quid ſentirent, aperuit. Meminit & Epiphanij de octoaginta hæreſibus, hiſtorica tantum narratione commemorantis omnia; nulla porrò diſputatione aduerſus falſitatẽ pro veritate diſſertantis.

Sed, & Auguſtinus ipſe, nonaginta enumeratis, nec refutatis hæreſibus. Multum, ait, adiuuari cor fidele, noſſe quid credendum non ſit, ſi diſputandi facultate id refutare non poſsit. Et alio loco: Tanto magis debemus commemorare vanitatem hæreticorum, quanto magis quærimus ſalutem eorum. Eſt tempus recta docendi, eſt tempus dedocendi praua. Pium eſt de errore admonere, etiamſi non potes errantem in viam deducere. Tertullianus quoque, ſatis habuit Valentini vanitates valentiſsimas monſtrare, ſolam earum profeſſus narrationem, diſ-

ferens cõgreſsionem. Sicubi tamen, ait, indignitas meruerit ſuggillari, non erit deliberatione transfunctoria expugnatio. Congreſsionem luſionis, deputa lector, ante pugnam. Oſtendam, ſed non imprimam vulnera. Si, & ridebitur alicubi, materiis ipſis ſatisfiet. Multa ſunt, ſic digna reuinci, ne grauitate adorẽtur. Congruit & veritati ridere, quia lætans. De ęmulis ſuis ludere, quia ſecuta eſt. Et Irenæus. Aduerſus eos victoria eſt, ſententiæ eorũ manifeſtatio. Victoriæ quippè pars eſt, arma & ingenium hoſtis explorata habere. Non poteſt enim, ait Lactantius, veris armis inſtrui, qui hoſtẽ contra quem fuerit armandus, ignorat, nec aduerſariũ vincere, qui in dimicando non hoſtem verum, ſed vmbrã petit. Vlcera hæc omnia puta, quæ niſi tacta tractataq. ſanari non poſſunt. Ita factum eſt, vt nos quoque accurratius inueſtigandum per iſtorum immenſa volumina putaremus, quid de ſingulis Chriſtianæ fidei articulis, vel crederent, vel ſcriberent Auangelicorum Rabbini, ſi quam certam credendi regulam, certam normam, formam, ſcopum, finem, methodum, quam ſequerentur haberent, an ſummis tantũ labris dicerent, Domine, Domine: intimis medullis, quo nomine iam accuſabantur, clauſum Atheiſmum tenerent. Ex qua quidem lectione id videmur aſſecuti, quòd inter eos, vt habet Tertullianus, tot venena, quot ingenia: tot pernicies, quot & ſpecies: tot dolores, quot & colores. Tantis quippè ſcatent blaſphemiis, calumniis, maledictis, conuitiis, vt iis abſcondendis, nulla ſatis alta nox videatur. Da mihi Paganum, da infidelem, Scripturas fabulas putabit, Sacramenta excrementa, ſymbolum idolum, Trinitatem vanitatem. Quid iſtorum non putant, quid non affirmant Euangelici? idq. niſi ex illorum

codicibus ostenderimus, causam nō dicemus, quo minus pro falsitate contra veritatē stare existimemur. Dictis non stetis Euangelici, si oculi & aures vestræ permiserint vobis.

Alterum librum de Phalarismis inscripsimus, in quo conati sumus Euangelicorum ostendere charitatem: iis planè fidibus congruentem, quas primo libro persecuti sumus, prorsus vt similes habeant labra lactucas. Qualis Fides, talis Charitas. Nulla in Deum fides, nulla in proximum charitas. Nulla religio, nulla dilectio: qua Deum, eadem audacia oppugnarunt, & proximum: qua templa, eadem & Palatia, qua Pontifices, eādem & Reges: qua Ecclesiasticas, eadem & politicas leges: nil vt non ab illis suo loco motum, nil non labefactatum, nil non fractum, quassatumq; videatur. Flammas vndis, cœlum terræ miscuissent, ipsa si potuissent mundi cōmouissent fundamenta. Ipse crudelissimorum fabricator tormentorum Phalaris, victum ab ipsis artificium suum fateretur, si viueret. Quid dicā? Tanta visa est in Euangelicis hoc sæculo, Christiani sanguinis sitis, vt & areæ crucibus, & cruces Catholicorum corporibus defuisse viderentur, Mactabantur homines non tam crudelitatis, quam quod crudelissimū est, voluptatis causa, non vt homo moreretur, sed vt ex moriente carnificis oculus, tanquam grato spectaculo oblectaretur: vel saltem vt pictoris manus pallentem, palpitantem, anhelantem, morientem effingendo imitaretur. Quid quod iam & in cineres, & in ipsa sepulturæ loca desæuiūt? ipsis fortè Mamalucis inuidentes immanibus, quòd in locum sepulturæ Dominicæ primi manus iniecerunt violentas, ne ipsi quidem parcituri ter adorando Christi Dei nostri corpori, nisi illud è sepulchro sublatum ad Dei viuen-

tis dexteram ab istorum furoribus subduxisset. Quid ais? Corpus non possunt, diuinitatem lacerant. Misericordiæ Domini, quia consumpti non sumus. Ducenta septuaginta fidicularum genera, quibus Christianorum animæ mactatæ sunt, vna amissa fide, numerauimus: ducenta puto septuaginta tormentorum genera numerari possunt, Christiana amissa Charitate, quibus Christianorum corpora sunt excarnificata. Ad vnum corpus hominis, plura supplicia, quam membra: nisi quod consequens erat, vt vera fide mortua, moreretur & Charitas: mortua Charitate, succederet crudelitas, ne coalescceret vnitas. Sic futurum Dauid olim prædixit, cum ait: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum Sanctum tuũ: posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam: posuerũt morticinia seruorum tuorum, escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum, bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat, qui sepeliret. Qui hæreditatem Christi inuaserunt, templum polluerunt: iidem sanguinem effuderunt, iidem carnes sanctorum, bestiis terræ proiecerunt, iidem omnia, quæ gentibus tribuit Propheta, ausi in Orthodoxos fuerũt: ita vt siue fidem, siue Charitatem Euangelicorum respicias, nil nisi gentes, nil nisi Paganos, nil nisi infideles, Christiano nomine tinctos videas. Narro tibi Lector. Iactent fidem, vt volunt: sic aliam habere fidem poterunt, sicut alium Solem, aut aliam Lunam: nisi fortè cum Xenophane credant, intra concauum Lunæ sinum, esse aliam terram, & aliud genus hominum, eo modo credere quo omnes credunt Nouatores. Eant ergo in illam terram, & nostram hanc nefario suo schismate, suaque crudelitate

non

non perturbent; Quamuis dubito vt ire velint, Ministri præsertim: si cognouerint, ibi eos esse oportere Magnæ matris Sacerdotes, vbi tales castrantur.

De spe nil dicimus. Scimus scriptum esse. Est spes nouissimis tuis, nec profectò in hoc opere nostro laboraremus, si sicut fidē & Charitatem, sic & spem, & facultatem omnē conuersionis illos amisisse putaremus. Agnoscimus tenuitatē nostram. Longè nos ab eorum numero abesse profitemur, à quibus nil velis discere, qđ docere nō possint: quiq; docendi tempore, nil discendum habeant. Sed quicunque sumus, ab Augustino docti dicimus. Bonum est à veritate vinci, cum à quocunque dicatur, à Spiritu Sancto sit. Sæpè fit, ait idem, vt quid sim cras cænaturus, nesciā: & in quo signo Luna cras futura sit, sciam. Quò diligentius oramus, & obsecramus Dominum, quem isti ad iram tam audacter, tam libenter prouocare, & exacerbare non desinunt, vt eorum corda mitescant, vt furore deposito, ad sanitatem mentis redeant, & magis petant fundi pro se preces Antistitis, quam ipsi fundant sanguinem sacerdotis. Si autem (quod absit) in suo furore permanere maluerint, atque in istis insidiis, & minis suis parricidalibus, crudeliter perseuerauerint: nullus Dei Sacerdos, sic infirmus sit: sic iacens, & abiectus, sic imbecillitate humanæ mediocritatis inualidus, qui non contra hostes, & impugnatores Dei diuinitus erigatur: cuius non humilitas, & infirmitas, vigore, & robore Domini, vt loquitur Cyprianus, animetur. Sciant, vel post tot annos Euangelici, se à Dei Sacerdotibus non timeri. Sciant Dei seruos Euangelium tenentes, & præcepta Dei custodientes occidi posse, vinci non posse.

Sed

Sed
iam ad rẽ
accedamus. Ad-
sit nobis Deus verita-
tis; vt in tanto blasphemia-
rum, & crudelitatum Euangeli-
carum pelago recensendo,
& seruari breuitas,
& pandi possit
veritas:-

LIBRI

LIBRI PRIMI
DE ATHEISMIS
CAPITA.

CAPVT PRIMVM.

EVangelici Sacræ Scripturæ libros, tam veteris, quàm noui Testamenti, per mille sexcentos annos, toto orbe Christiano, pro Canonicis receptos, nefariè violarunt, multa reprobarunt, pleraq; addiderunt, verterunt, peruerterunt, corruperunt, eiq; suas Confessiones, Apologias, & Cathechismos ita exæquarunt; vt pro norma, forma, regula, methodoq; credendi, recipienda putarent.

CAPVT SECVNDVM.

EVangelici singulos XII. articulos, recepti omnibus sæculis ab omni Ecclesia Symboli Apostolici, violarunt.

CAPVT TERTIVM.

EVangelici numerum septem Sacramentorum minuerunt: virtutem ademerunt: maledictis confixerũt: omnia

nia audaciſsimè contempſerunt: vel indigniſsimè polluerunt.

CAPVT QVARTVM.

EVangelici per Sácræ Scripturæ ruinas, per Symboli parietinas, per Sacramentorum reliquias ad impietatis faſtigium aſcenderunt, & ſanctiſsimam Trinitatem negauerunt.

CAPVT QVINTVM.

EVangelici amiſſa veteri Patrum, & Maiorum Orthoxa fide, de Scriptura, de Symbolo, de Sacramentis, de Trinitate, nolentes videri infideles, Pagani, Athei, nouam fidem in mille Pſeudoſynodis, Comitiis, Colloquiis, Conuenticulis, cudere formareq; contenderunt: ſed vbiq; tam à Catholicis, quàm à ſeipſis inuicem diſſidentes, confuſi, damnati, reprobati, anathematizati, orbi Chriſtiano oſtenderunt, fidem extra Eccleſiam quæri poſſe, inueniri non poſſe.

CAPVT SEXTVM.

DE Miniſtromachia Euangelicorum Rabinorum, in qua Miniſtrorum de Miniſtris mutua iudicia, reciproca conuitia, maledicta, iræ, diræ, minæ, furiæ, proſcriptiones, condemnationes, execrationes, & obſtupendi ipſorum inter ipſos Anathematiſmi recenſentur.

CAPVT SEPTIMVM.

EVangelici cùm ſint omnium errorum amici, nõ poſſunt eſſe niſi ſolis non errantibus inimici. Vnde fit, vt tam Iuris Cæſarei, quam Eccleſiaſticorum Decretorum, ſint

hoſtes

hostes teterrimi. Regum perduelles, legum pestes, subsellio-rum euersores, legitimæ potestatis contemptores, seditionum fiabella, bellorum in orbe Christiano authores, fautores, in-centores, Bonarum quoque artium, & Academiarum euer-sores.

CAPVT OCTAVVM.

EVangelici, vt doctrinæ suæ fidem stabiliant, Ortho-doxorum Patrum, & Oecumenicorum Conciliorum fi-dem, & authoritatem eleuare non dubitant.

CAPVT NONVM.

EVangelicorvm sectæ, inter se dissectæ à Lutheri temporibus, ad hunc præsentem annum 1596. ducentæ septuaginta circiter numerantur; & quantum quæq. au-dendo, fingendo, mentiendo, blasphemando, Christum, & Ecclesiam persequendo valuerint, describuntur.

CAPVT DECIMVM.

EVangelicorvm multæ fides, ad hunc finem esse cæperunt, ne vlla sit fides. Itaque à Lutheranismo ad Atheismum, & Epicureismum, vt sphæra ad centrum, vel eunt, vel peruenerunt.

LIBER SECVNDVS.

CONTINET in se Phalarismos seu crudelitates Auan gelicorum, in templa, bona, Donaria, Monaste-ria, & corpora Catholicorum. In Germania, An-glia,

glia, Scotia, Polonia, Vngaria, Flandria, Suetia, Dania, & alijs Prouincijs hæresi infectis.

CAPVT PRIMVM.

Euangelici, Sacræ Scripturæ libros, tàm veteris, quàm noui Testamenti, nefarie violarunt, multa reprobarunt, pleraq; addiderunt, verterunt, peruerterunt, corruperunt, eiq; suas confessiones, Apologias, & Cathechismos ita exæquarunt, vt pro norma, forma, regula, methodoq; credendi, recipienda putarent.

Deutero. 4.

Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.

Deutero. 12.

Quæ præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquã, nec minuas.

Prouerb. 30.

Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se, ne addas, quidquam verbis illius, & arguaris, inueniarisq; mendax.

2. Petri. 1.

Hoc primum intelligentes, quòd omnis Prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritum Sanctum inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.

Apocal. 22.

Contestor omni audienti verba Prophetię libri huius, si quis apposuerit ad hęc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetię huius, auferet Deus partem eius de libro vitę.

CHRISTI, & Ecclesiæ Catholicæ perduelles, Euãgelici, (hoc enim sibi nomẽ ob Euãgeliũ, in lucẽ, e tenebris, vt aiunt, reuocatũ, magno supercilio arrogant) nõ ferè aliã sue ab Ecclesia discessionis causã, in ore promptã habuerũt vnquã, & habẽt, quã quod pro amore Euãgelij, totiusq; scripturę dignitate, & auctoritate, cõtra Catholicos, quos illis Papistas vocare visum est, in aciẽ descenderũt; armaq; iustissima sumpserũt: vt eã à comẽtis, & traditionibus hominũ vindicatam, antiquæ, Apostolicę, propriæ, puritati redderẽt. Quãobrẽ etiã, in omni de religione suscitata cõtrouersia, solã, & vnicam Scripturã, normã, formã, regulã, methodum, Canonẽ, κριτήριον, iudicemq;, inter ipsos, & orthodoxos, esse, dissentientiũ opinionũ voluerũt: Patrũ, Cõciliorũ, Pontificum, & totius antiquitatis interpretatione reprobata: idq; neminẽm ex illis iturũ inficias puto, & adsunt ad manum infinita in hoc genere Lutheri, Philippi, Caluini, Bulingeri, Martyris, Osiandri, & aliorũ his similiũ testimonia: quæ cõpendij causa, in re præsertim notissima, isto loco ptermitto.

Sed nõ diu latere, passa est, diuina bonitas, hãc pietatis & offitij simulationẽ; paulo post enim, re ipsa ostenderũt, quod non pamore verbi Dei, & Euãgelij puritate, sed pro amore sentẽtiæ, & opinionis propriæ, quã verbo Dei affingere cõtendebãt, in certamẽ descederũt: illis nõ absimiles, quos Apostolus Petrus, indoctos, & instabiles, appellat, Pauli scripta & Epistolas, eadem, qua & cæteras scripturas audacia depraua ntes, ad suam ipsorum perditionem. Libet rerum testimonia producere, quibus ostendamus, illos ipsos Euangelicos esse, qui scripturæ diuinæ Maiestatem verbis defendunt, re oppugnant, ore laudant, corde lacerant: qui grauitatem, puritatem, soliditatem, integritatem, Euangelij, contemnunt: qui illi commenta viliſſimorum hominũ, & dormientium visiones exæquant: qui sui capitis somnia admiscent: qui fædis suis factis, dictis, scriptis, & interpretationibus, indignissimè polluunt, fabulis similem faciunt: quidam & in vniuersum reprobant, exploduntquè.

2. Petr. 3.

Aiũt, igitur Euãgelici, Scripturas Canonicas, & satis claras, & satis plenas, sufficiẽtes, atq; instructas esse (verba sunt quasi omniũ ore loquentis Bullingeri) quæ iustã possint suppeditare, nõ solum fidei, sed & reformationis rationem: ad docendum, arguendum, corrigendum, erudiendum, vt Paulus, ait, in iusticia. Hanc solam & vnicam normam, formam, regulam, methodum, Canonem κριτήριον prima & indubitata principia omnium fidei controuersiarum, esse debere censent: sine vllo prorsus additamento: nulla prorsus hominum, vt idem loquitur, adhibita aut expectata authoritate vel interpræ tationem.

Euangelici sucrum Ministrorũ commẽta. S. scripturæ paria faciunt.

Quid autem? An non illi ipsi, primi fuerunt, qui quos fixerunt terminos transilierunt? qui pedem extra cancellos posuerunt? re & veritate ostendentes; quod cõmentis, & additamentis hominum, aut plus, aut certe tantundem, fidei tribuant, atque ipsi Sacræ Scripturæ: quam Spiritu Dei inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Idquè ante omnia ex illorum dictis, & factis ostendemus. Firmum probationis genus, ait Tertullianus, quòd etiam ab aduersario sumitur: vt veritas, etiam ab ipsis veritatis inimicis, probetur. Aduersus enim eos, victoria est, sententiæ eorum manifestatio, ait Ireneus. Quippe Lactantio teste. Veris armis instrui non potest, qui hostem, contra quem fuerit armandus ignorat: nec aduersarium vincere, qui in dimicando, non hostem verũ: sed vmbram petit.

In Comitijs Augustanis, anno 1530. celebratis, cum sese pro verbi Dei Maiestate, proquè totius scripturæ dignitate & authoritate, & stare & cadere velle profiterentur, Euangelici quidam Protestantes; & ab optimo Cæsare Carolo V. Imperijquè ordinibus vrgerentur, vt verbum hoc, quod esse Dei profitebantur, legittimæ potestati, legendum & examinãdum offerrent. Non Biblia, non Prophetica, & Apostolica scripta, nõ aliquam eorum partem, homines Dei & sui obliti; sed

Prima norma Euang. doctrinæ Cõfess. Augustana

sed duorum hominum Commenta, Confessionem scilicet fidei à Luthero meditatam, & Philippi digitis exaratam, obtulerunt. eamquè verbum Dei, atque succum Propheticorum & Apostolicorum scriptorum vocauerunt. Hanc normam, hanc formam, hunc Canonem, hanc regulam, hanc esse debere totius Crotrouersiæ κριτήριον, decreuerunt, Augustanamquè Confessionem, Christiana enim non erat, appellauerunt.

Nec satis hoc: sed quod ferè motis de statu suo rebus, veritate & vetustate corroboratis accidit, audatiam audatia, impietatem impietate, cumulauerũt, Ad Cõfessionem enim Augustanam Apologiam quoque Melanchtonis adiunxerunt: paulo post, & Cathechismum Lutheri, paulo post, & Articulos Smalcaldicos, verũ verbum Dei pronunciauerunt, & Euangelij loco censeri voluerunt. His in Concione, his inscriptione, his in disputatione, his in omni sermone tanquam Herculis clava, contra omnem antiquitatem, vniuersitatem, consensionem, coñ omnem Orthodoxorum doctrinam, & opinionẽ vsi sunt: his seruire scripturam, his ancillari Propheticos & Apostolicos libros iusserũt, vt nõ qđ scriptura diceret, id diceret & Apologia: sed quod Apologia diceret, id ipsa quoq; scriptura, dicere, sentireq; videreẽ.

Extant duo Tomi Colloquiorum, Narrationum, & Facetiarum Lutheri, Collectarum in mensa, prandij & cœnæ tempore, & in peregrinationibus, per Henricum Petrum Rebenstolc Esserzmensis Ecclesiæ Ministrum. Lutheri non solum amatorem: sed etiam adoratorem, narrat in primo Tomo, Lutherum, non semel dixisse, quod textus Bibliæ, & Psalterium Germanicum, sunt vera methodus credendi: itemquè Cathechismus, deinde & Loci Philippi, & Commentaria in Epistolam ad Romanos. Sed & Aurifaber in Colloquijs eundem aliquando Lutherum hæc verba dixisse testatur, Non est, melior liber, post Sacram Scripturam, quam Philippi Melanchtonis Loci communes: habent enim in se summam religionis & totius Theologiæ Legite Patres & Sententiarios, nihil sunt in istius comparatione.

2. Norma Loci communes Philippi. Titu. de scriptura.

Deinde vero, extant Acta colloquij Altemburgensis, inter Maioristas, & Flacionistas instituti, quæ nos olim Hosio Cardinali cum Pij IIII. Legatum Apostolicum, apud Ferdinandum Cæsarem ageret prælegimus. In his non solum oculis vsurpare, sed manibus etiam suis palpare quisq; potest, quod isti si dijs placet, scripturæ, & veritatis vindices, præter ipsam scripturam, aliàs atq; aliàs habent fides formulas, vel vt ibidem loquuntur alias κριτήρια, & principia, Augustanam scilicet Confessionem, vna cum Apologia, Smalcaldicos articulos, & vtrumq; Cathechismum, reliquaq; scripta Lutheri. Maioristæ verum etiam. Corpus doctrinę Philippi, ad illum Canonem addiunxerunt.

3. Norma. corpus Doctrinæ. In Synodo Vittemb. 1538.

Vidimus etiam, non ita pridem editũ, Senatus Ratisbonensis libellum, de Oppicij & aliorum Ministrorum expulsione, in qua multis accessionibus Canonem Aldeburgensem auxerunt, profitentes normam esse doctrinæ suæ, non tantum scripturam, sed tria quoque Symbola: veram prærereã, sanam, & in corruptam Augustanam Confessionem, eiusdemque Apologiam Smalcaldicos articulos, vtrumquè Lutheri Cathechismum, Quasdam confutaciones Ducum Saxoniæ: & breuẽ quandam confessionem Ministrorum, & Concionatorum Ratisboneñ. secundum Galli interprætationem.

4. Norma Arti. Smalcaldici.

Addemus, & quartum testem, impurissimum illum animarum in Ciuitate Regiomontana, Archypiratam, Osiandrum, Remis indignissam, in suis ad Vittembergeñ. Theologos scriptis statuit, & omnino grauissimas, in reliquis omnibus libris suis, ciet quærimonias, quod Vittembergæ Doctoribus, & verbi Ministris, non sola scriptura, pro norma regulaquè credendi, & docendi proponitur, sed Augustana quoque Confessio, Apologia Philippi. & Loci eiusdẽ Communes pro libris Canonicis obtrudantur: Nec aliter vel Doctores vel Magistri creari permittuntur, nisi prius cõceptis verbis iureiurando sese obstringãt, se ea omnia quæ in his libris cõtinerẽtur, sine vlla exceptione ad vnguem seruaturos. Ex quo fit, ait, vt miseri cogã-

5 Norma Luth. Cathechismus.

6 Norma confessio Ratisbonẽsis.

tur, deserere mandata Dei, & adhærere mandatis Philippi, derelinquere verbũ Christi, & adherere verbo Philippi, reprobare verba scripturę, & adorare verba Apologiæ, Multa huius generis passim in eius libris leguntur, quo lectorem remittimus: hoc enim loco rem totam in compendium contrahere decreuimus.

Ab his porro doctus Lasicius quoq; Polonus, in Epistola ad Volanum, Scripturã S. non esse sufficientem iudicem putat, cõtrouersiarum fidei, Ego, inquit, vt fatear ingenuè, prorsus nescio, quis sit huius nostræ litis, cum Pontificijs finis: quam nec sola per se mea opinione dirimunt, Biblia, propterea, quod de locis quibusdam sanè intelligendis, sit magna nostri certaminis pars; nec ipsi Patres, quorum aliqui nobiscum, aliqui autem præsertim posteriores cum aduersarijs faciunt. Non tamen se aperit quonam præsidio defectus scripturæ supplendos existimet.

Mille confessiones singulorum Principum, imò singularum pœne Euangelicarũ Ciuitatum prætereo, quas pro norma regulaque credendi. Ministri suis asseclis. & Principes suis perponunt subditis, mulcta pecuniaria, mulcta carceris, multã exilij propositã, nisi pareant, sine contradictione: proq; expresso Dei verbo recipiãt, qualecunque illud sit, quod scripto Principis continetur.

Mille aliæ normæ mele Confessiões.

Inde profecto constat, Euangelicos omnes de authoritate Sacræ scripturæ, quid quid tandem de eius cultu, & obseruãtia blaterent, delicias sibi facere; eamq; non aliter ac mollem cerã, in alias atq; alias formas figurasque fingere, & refingere: nisi quod mirum videri non debet, quod eandem esse velint scripturæ, & Apologiæ authoritatem. Horrendum dictu, Fabulis modò non exæquant, testis Aurifaber, Ait, is Lutherũ dixisse. Quantum ego possum iudicare, & intelligere, post Biblia nullus habetur in orbe liber elegantior, quam scripta Cathonis, & Aesopi Fabulæ. Causam porro addit Mattheſius. Quod scilicet perfectissima sapientia in Fabulis contineatur.

Tit. de scriptura.

Aesopi fabulæ liber optimus.

Profert etiam Petrus Scarga Societatis Iesu Theologus verbo, & opere potẽs, auditam esse cuiusdam AnaBaptistæ vocem ad Ecclesiam Dei redeuntis. Quod nisi Romana Ecclesia tanta cum veneratione, & constantia pro Sacræ Scripturæ authoritate staret, iampridem illam Euãgelici cum Aesopi Fabulis exæquassent.

Quid? quod Muntzerus ex ipso quoq; Bibliorum nomine ludos sibi deliciasque solitus est facere? vt vniuersam simul scripturam in contemptum apud suos auditores adduceret, Ait enim, Quid? Bibel, Bubel, Babel, Cnebel, Bebel: nõ Biblia mihi sed Dei Spiritus loquatur. Citat Alberus Lutheranus, libro contra Carolstadianos.

Biblia det Mõcerus.

Ex his paucis, ò Lector, nosce omnes, certoque tibi statuas, Euangelicos istos, quidquid summis labris blaterent nõ pro Dei, sed pro sui verbi gloria, & authoritate contendere; non pro Christi Ecclesiæque sententia, sed pro interprætatione propria, quam Paulus prohibet, laborare, Optimus minister tuus est, ait Augustinus, qui non magis intuetur, hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod à te audierit: non sic enim amari debet veritas, vt quicunque aliud amant hoc etiã amant velint esse veritatem Sed ad reliqua progrediamur.

Lib. 10. Cõfess. c. 23.

Euangelici reprobata scripturarum lectione, somnijs, & visionibus, fidendũ docent.

SED verba quæ vomuit insanus Muncerus, in rem contulit impurissimus Suencfeldius, (hunc Philippus, & reliqui Luthericolæ, ob doctrinæ fœditatẽ Stencfeldium, id est fetẽtem campum, appellant) Cum enim à Luthero præceptore suo didicisset, difficilem, & inuolutam esse, sacrarum scripturarum intelligẽtiã, cum Aesopi fabulis similem audiuisset; cum à Munzero ludibrijs appetitam intellexisset: nec in vanum laboraret, in re tantorum Rabinorum iudicio reprobata, aut in ea lectione, & studio desudaret, cuius abstrusa vis, & omnibus sepulta inuolucris lateret, talem maluit, de vniuersa scriptura sententiam pronunciare. Non opor-

oportet, ait, legis & scripturarum esse peritum, sed à Deo doctum: etiamsi millies percurreris scripturarum, & Bibliorum lectionem, tamen nonnisi scripturæ peritus euades, & nunquam à Deo doctus, vanus est labor, qui scripturæ, impenditur, scriptura enim creatura est, non conuenit Christiano nimium creaturæ addictũ esse, Deum audire oportet: huius voces de cœlo expectandæ sunt: vt erudiant. Beatus vir (inquit Dauid) quem tu erudieris Domine Aeque nos docet hodie, atq; olim Patriarchas, visionibus, & somnijs, nunc quoque attendendũ, illis enim loquitur nobis Deus: vox Dei rectè docet, scriptura non est verbum Dei, sed mortua tantum littera, & inter aliàs tantum creaturas reputanda. Ne putes te è scripturis doctum, E cœlis expectandum erit, nõ è libris; Spiritus sanctus è supernis delabitur, citra omne medium non per externum auditum, & vocalem prædicationem seu scripturarum lectionem. Citat in AntiBrentio Hosius, è libro Suencfeldij.

Lectionẽ scriptu. reprobat Stenchfeldius.

Cochleꝰ in vita Lutheri

Anabaptistæ quoque Nicelsburgeñ. in Morauia, docent, non esse legendas scripturas, nec prædicandum Euangelium, in Ecclesijs, sed solum priuatim in domibus, & aulis.

Ministri Trãsyluanici in duobus libris coñ. Sanctissimam Trinitatem editis, valde commendant quosdam suos Synagonistas, tanquam fideles, & egregios in reprobanda Trinitate cooperatores, & tãquam Apostolos cælitus demissos: horum vnus Italus Lublinum in Poloniam veniens cætum quendam malignantium Samosa tenorum inuenit, eique plures adhuc, & prioribus longe pestilentiores errores afflauit, inter eos erat hic quoque. Scripturam omnem haud esse credenti necessariã Spiritus cuiq; sui, sequenda esse consilia, à quo solo vera religio, & Spiritualis perfectio dependet.

Posevinus in Atheismis.

Muntzero quoque ttibuit Philippus, quod author auditoribus suis fuerit, vt se creta loca peterent, deq; Deo semper cogitarent, quid sit, num nostri curam gerit, num vera sit fides nostra, signa simul à Deo postularent, quibus ostenderet, quod sumus illi curæ, quodq; recta sit fides nostra, scripturis non fiderent, sed somnia accepti Spiritus sancti certissima esse signa, persuasum haberent.

Sartor ille Monasterienſis Battauus, & qui ex illius Schola prodierunt, non scripturis, id enim superuacaneum putãt, sed blandulo somnulo, magna vitæ suæ parte, dãt operã: & quæcũq; in sõno somnia obrepserint, Dei voces, & ipsissimas Prophetias arbitrantur, vitæque rationes ad earum normã ferè omnes dirigunt, ita Sartor plerisq; Monasterij persuasit, Dei Spiritum in somnis sibi mandasse, vt Rex fieret Israel, & Iusticiæ Dauidis instar, vt in totum orbem suæ dominationis iura proferret, perderetque omnes, qui ipsius fidem amplecti, & iustitiæ subditi esse detrectarent. Quamobrem Patris esse volũtatem in somnijs reuelatam clamitabat, vt in quatuor orbis partes dimittantur, quasi quidam Apostoli, qui reuelatam à Domino doctrinam seminarent.

cochleꝰ in vita Luth.

In somno sensum Sacræ scripturæ discunt Euang.

Euangelici Sacram scripturam, ad intelligendum facilem, iam aiunt, iam negant.

LVtherus, omniũ horarum Euangelista, nullus est liber sub sole, ait, & super terram clarior, manifestior, dilucidior, ad intelligendum facilior, quã Sacra scriptura, quæ sic se habet, ad alios libros, siue scripturas, sicut sol ad alia luminaria. In Psalm. 37. Tom. Germ. 4.

Et alio loco Si quis autem illorum vos aggreditur, & ait, opus esse Patrum interpretatione, scripturam difficilem, & obscuram esse. Respondere debebitis, id non esse verum, non est in mũdo liber clarior scriptus, quàm Biblia. To. 1. Germ. f. 537.

In eandem sententiam scribit contra Erasmum, in libro de seruo arbitrio. Cõtra te, inquit, de tota scriptura dico, nullam eius partem volo obscuram dici. Tomo 2. Latino fol. 474.

Philip. quoq; ita clarum esse vult, & apertum scripturę sensum, vt ausus sit dicere, in locis communibus, quos anno 24. edidit. Non aliter atq; pestem fugiendos hominum commẽtarios, in rebus Sacris.

Inde porrò nata sũt reliqua illa Luth. decreta, de libertate iudicandi & decernendi, in scripturis, & de scripturis, Ait enim, Auditores non modo ius & potestatem habent, iudicandi omnia, quæ docentur, verum ex officio iudicare debent, nisi diuinæ Maiestatis offensam incurrere velint. Tom. 2. Ger. fol. 255.

Et alibi. In primis necessarium est, vt hoc bene apprehendamus: ne nobis hoc, quod omnes habent Christiani, puta ius & auctoritatem iudicandi de omni doctrina eripi patiamur; ne res eo nimirum redeat, vt expectandum nobis sit, donec Cõcilia definiant, quid credere atque sequi debeamus, Et iterum. Debent igitur necessario Doctores omnes, cum sua doctrina iudicio auditorum subiecti esse. Tom. 2. fol. 404.

Et iterum. Ego doctrinæ meæ causas & fundamenta coram toto mundo demonstrabo: eamque à nullo hominum, imò ne ab omnibus quidem Angelis patiar iudicari. Tom. 2. Ger. fol. 119.

Tom. 1. sermonũ ser. 3

Bullingerus quoque, Ego, inquit, Domini bonitate fretus confido me demonstrare posse, Scripturam non esse obscurã pijs: dominumquè omnino velle vt eam intelligamus: loquens enim seruis suis, genere loquendi vsus est maxime vulgari, ipsis etiã idiotis consueto, oboritur fateor in scripturis aliqua caligo, ex idiomate, Schematismis, & insolentia linguarum: verum ei difficultati facile mederi poterit studium, diligentia, fides, & peritia, interpretum. Nam & Petrus Apostolus dicit in Paulinis Epistolis, quædam esse difficilia intellectu: sed mox addit. Quæ in docti parũquè integri aut firmi detorquent sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perniciem. Vnde colligimus, indoctis, imperitis, parum exercitatis, & malignis, aut corruptis ingenijs nõ studiosis & pijs lectoribus, aut auscultatoribus difficilem esse scripturam & obscuram.

Tomo Germ. 3 in epist.

Sed quia verum esse debuit quod scriptura testatur. Impius facit opus instabile Lutherum quoquè, vt scriptura impleretur, esse in hac parte instabilem oportuit.

Contrarium itaque vicissim asserit, cũ ait, Longè & supra omnem modum, excedit humanum intellectum, Sacra scriptura, nec potest à quoquam dilucide enucleari, etiam ab acutissimo, diligẽtissimo, doctissimo, sanctissimoquè homine. quadã missili.

In Postilla verò sua Ecclesiastica ob sensus profunditatem hanc ipsam scripturam Canonicam, hoc esse nomen ad extremum consecutam asserit, vt vocetur liber Hæreticorum: propterea, quod turpissimæ quæquè sectæ, & Hæreses scripturarum authoritate sese defendant.

Aurifaber in Colloquijs mensalibus, in quibus impurissimi sui Magistri fætidissima sputa congessit, Testatur Lutherum quodam tempore dixisse: quod Dei verbum in exhaustum & inscrutabile esset, vnicum, ait, in diuinis literis verbũ perscrutari & profunde indagare, impossibile est, qua in re ausim prouocare omnes doctos & Theologos. Titu. de scriptura.

Et iterum. Ego quanquè senio iam cõfectus Sacrarum literarum Doctor sum, nondum tamen ex doctrina puerorũ euasi, & decem præcepta, Symbolum Apostolorum, atque Dominicam orationem, nõdum bene intelligo. Ibidem.

Iterũ post pauca, idẽ Aurifaber sub eodẽ scribit titulo: Quod scriptura difficilis sit ad intelligẽdũ, ea de re D. Martinus Lutherus anno 1546. cũ Islebij esset, biduo ante mortẽ hęc verba Latine in charta scripsit, quã in mensa sua reliquit. I. Virgiliũ in Bucolicis, nemo põt intelligere nisi fuerit quinquè annis pastor, Vergilium in Georgicis, nemo potest intelligere nisi fuerit quinquè annis agricola. I I. Ciceronem in Epistolis (sic percipio) nemo integrè intelligit, nisi viginti Annis sit versatus in Repub. aliqua insigni I I I. Scripturas sanctas sciat se nemo degustasse satis, nisi centum annis cum Prophetis, vt Elia, Eliseo, Ioanne Baptista, Christo & Apostolis Ecclesias gubernarit. Hãc tam diuinã Aeneida tẽta: sed vestigia pronus adora (vir sind. Bettler:) id est, Nos sumus mendici, hoc est verum, 16. Februarij anno 1546. Hactenus ad verbum Lutherus.

Et iterũ, Ach bone Deus, Scriptura sacra nõ intelligitur tam facile etiam si diligẽter & attẽte legatur: ne Virgilius, Cicero, Terẽtius quidẽ intelligi possũt. Quo modo sit igitur, quod in Scriptura sacra tã sumus insolẽtes, & tãtũ nobis arrogamus? Ibidem

Euan-

Euangelici, in versione Sacrę scripturæ, malam fidem præstiterunt.

POrro, vt suam illam doctrinam Lutherus constabiliret, qua cuiuis ex fecè vulgi iudicandi de scripturis potestatem permisit, Latina Biblia in Germanicam linguam transtulit, deque hac sua versione, hoc quod sequitur Io Pæana, Aurifabro teste cecinit, omnesq; sibi hoc nomine Laureas, & coronas debitas putauit. Dum Ecclesia gentium stetit: nunquam adhuc Biblia sic translata habuerunt Christiani, vt ita promptè, intelligenter secure, & sine offensione, legi potuerint, quam nos ea hic Vittembergæ adornauimus, & in Germanicam linguā Deo sit gratia transtulimus. In colloquijs fol. 1.

Mathesius autem. insignis Luthericola inter miracula numerat, quod tam commodè verba latina, verbis Germanicis expresserit. Hoc, inquit, inter maxima miracula vnum est: quod Deus noster per Doctorē Martinū Lutherū, ante mundi finē in translatione Bibliorum patrauit, concione. 13. de Luthero.

Heshusius quoq; ille Sexies exul, Lutherum, ait, versionis suę elegātia, proprietate, significatione, pondere verborū, & sententiarum, propius accessisse ad mentem Prophetarum, & Apostolorum: quam vel septuaginta interpretes, vel vllus alius. In præfatione libri, de Ecclesia.

Et paulò post, ac verissimū est, facilius mentē Spiritus sancti perspici si Germanica Luth. versio Bibliorum conferatur, cū fontibus Israel, quam si immensam molem librorum, quos interpretes, in Biblia scripserunt, perlegas, & totam ætatem in illis consumas. Ibidem.

Inde porrò factū est vt Io. Pomeranus Pastor Vittembergen. festum annuum instituerit, translationis Bibliorū per Lutherum factæ. Cochleus in vita Luth.

Lypsenses autē Ministri in quadā sua Synodo 1538. huius generis decretum de Luth. versione ædiderunt. Quod verus trā slatio Bibliæ, & Græca interprætatio 72. interprætum prauæ sunt, & corruptæ versiones. Proinde nulla alia translatio legēda in Ecclesia, nisi viri Dei Lutheri. Cui etiam decreto subscripsit Melanchton, Eberus, Pfenfinger, Georgius Maior, Alesius, & alij quidam Achates Vittēbergici.

Porrò, quā verus ac syncerus fuerit interpres scripturæ Lutherus, ex eorundem Euangelicorum testimonijs ostendemus.

Bucerus non in elegantis ingenij Minister, Lutheri lapsus in vertēdis scripturis ait, esse plane manifestos, eosq; minimè paucos. In Dialog. contra Melancht.

Stoltzius in defensione Luteri grauiter sanè deplorat, quod Sacramentarij quib⁹ possunt sānis, & ludibrijs versionē Lutheranæ Bibliæ, & commentarios, eiusdem carpant, & proscindant.

Osiander cum suis, Lutheranæ Bibliæ interprætationem non dubitat de magna, vt ait, infammare falsitate, & dolo. In confessione. Mansfeldensi.

Flacciani Lutherani rigidi, Eberianis Lutheranis mollioribus obiecerunt aliquando, quod in Lutheri versione nō pauci bene crassi errores depræhenderētur, idq; cum negare non possent rigidiores scholæ, scilicet, Vittēbergēsis Didascali, vt verenda patris sui, eo quo possent modo velarent, hac vti coacti sunt excusatione, etiamsi pleraq; vir Dei Lutherus in sua versione omisisset vel mutasset, vel eiecisset, vel addidisset; multa tamen alia loca in Biblijs reliquit, quæ satis ad salutem sufficerent. O argutum, ex imma Torgensis cereuisiæ fece, haustum responsum. cochleus in vita Luth.

Lepidū itaq; consiliū Doctor ille Euāgelicus suscepit, qui cū multos errores in Lutherana versione bene crassos obseruasset, & multa pro concione in præceptorem suū bachatus esset, volumen Bibliorū in publica Cathedra productū acutis virgis, & ferratis cingulis inspectante populo egregie castigauit, dicens, (Du solst beser studirt haben,) Tu melius debuisti discere, Mathesius 12. concione de Luthero.

Alius quidam Minister in fumo Biblia suspendit, vt versionis Lutheranæ, cruditas & asperitas, vel coqueretur vel exsiccaretur. Idem Mathesius.

Ipse quoq; Philip. Luth. Achates fidelissimus, nō solū eā de qua agimus Biblio

rum versionem nævis plenam iudicauit: sed & reliquos eius Tomos perpurgauit, & qua Lutherus abundabat ferociam, & insolentiam maledicendiq; cursum perpetuũ moderatus est, quo nomine à Flacco cęteriq; rigidioribus Lutheranis ęgregie verborum flagellis castigatus est, tanquam verbi Dei corruptor. Citat Hosius ex libro Flacci ad Vittembergen.

Hyero. Emserus vir acuratissim⁹, mille quingenta loca obseruauit, & notauit in Germanica Lutheri versione, quib⁹ benè crassi errores continentur, & verbi Dei integritas violatur. Vide Cochleum.

De Anglica porrò Bibliorũ versione, quã duo quidã Apostatæ ediderũt, testatur Surius in Cõmentarijs, quod in ea vir doctissimus Tonstallus supra 2000. locorũ deprauatissimorũ obseruauit, & ad sẽpiternã interpretũ ignominiã euulgauit.

Extat quoq; in patria nſa versio Polonica Bibliorũ, in oppido Lituaniæ Brzesczie ædita, Saxonicæ potius Germanicæ quã latine vulgatæ versioni similior: de cuius fide & veritate, nõ cõmemorabo, qd sentiant, Orthodoxi scriptores, quamq; in ea multas fraudes & maculas in expiabiles deprehendãt. Sed Euangelicũ testẽ adducã Czechouiciũ, Archiflamen illud Anabaptisticæ ꝑfidiæ, in oppido Lublineñ. Is tñ abest vt Brzesteñ. versionẽ rece perit, vt ẽt maledictis confixerit, & ẽ cætu piorũ explodendã docuerit. Eam autem in qua ipse sudasset, & edidisset versionẽ æterno verbo Dei, & Euangelicæ veritati consentientem, Sacrosanctam esse voluit: in qua tamen quãtam fidem præstitisset, quoq; cõsilio vsus esset: aut quo in honore verba Dei viuẽtis habuisset, testatur ipse.

In præfatione versionis Polonicæ.

Ait. n. quod coactus sit recedere à proprietate linguæ Græcę, & quod in multis proprietatẽ Hæbraicorũ verborum relinquere debuerit: idq; ꝓpter multos in enarrabiles iudices, & iniquos æstimatores (szaczun Karze vocat) licet eadem verba Hæbraica alijs verbis Polonicis cũ melio re, & aptiore sensu potuisset vertere. Sed qa ita quidã habere maluerũt, nescio qua religione ducti, coactũ, ait, se fuisse illis cõ descẽdere, ne quis dicat, nõ bene esse cõuersa Biblia, qđ tñ deinceps poterit mutari. Nulla. n. res simul ꝑfecta esse põt. Et ꝓptereà vocat scripturã, hallã stramineam, & se aprum syluaticũ, O fideles interꝑtes.

Lib. 2. Dialog cap. 3.

Idem alio loco, Doctrina Apostolica est in omnibus ꝑfecta, absoluta, integra, cui nihil opus est addere, in qua nõ licet verbũ, sed ne syllabã quidem mutare, cui omnino nil licet adimere. Est præterea in se ipsa doctrina veritatis, ita clara, & aperta, vt ipsa ratione ad maiorem sui lucem opus non habeat.

In Pref. fol. 79.

Et iterum, Opus est facere defensionẽ veritati Diuinæ, interprætatione Sacræ scripturæ, opus est addere.

fol. 113.

Et alio loco. Dubia loca debent declarari, enodari, cũ alijs scripturis coaptari.

Et paulò inferius. Non ad sonantia verba debet interpres respicere, sed magis, & primo loco ad rem ipsam, qui non vult à veritate ad falsitatem aberrare.

Fol. 122

Sed, & Budneus teterrim⁹ ille ĩ Lithuania Christo mastijges, reprobata, & dãnata, tã Brzesteñ quã czechouiciana versione, quã impiã erroneã, falsam, omnibus cauendã, & fugiendã ostendit. Nouam ipse quoq; è suo capite, noui testamenti versionẽ, eadẽ, quam in suis Synergistis reprobat, fide & impudentia, adornauit, & edidit. Reliquas aũt oẽs quotquot sunt versiones corruptellas noui Testamẽti appellauit. Hæbraicas præsertim Syras, Græcas Sclauonicas, sola tamen excepta Latina, in qua nõ nihil adhuc antiquæ puritatis remansisse confitetur. Vnam itaq; & solã suam versionẽ, cum æterno verbo Dei congruentem, tenendã omnibus Christianis, sequendãquè pronunciat, in qua receptũ in Ecclesia Euangeliorum ordinẽ commutauit, Lucæ enim Euãgelium post Euang. Ioannis posuit, causa addita, vt Euangelium & Acta eiusdem auctoris inuicem se consequantur. Sic autem de hac sua versione loquitur in Præfatione. Nescio, ait, in tanta per orbem Christi librorum multitudine, Vtrum possit aliquis inuenire librum omnino verum ac legittimum, præcipue autem libros noui Testamenti, qui ita sunt corrupti, falsificati, vt non credam reperiri quicquam posse, quod sit magis corruptum, Hoc autem posito quasi fundamento, promittit se deinceps in sua versione quatuor ostensurum. I. Quod in libris noui Testamenti mul-

ti multi inueniantur non solum errores, sed etiam falsitates II. Vnde isti errores, & falsitates irrepserunt III. In qua lingua habeantur puriora scripta Apostolica & minus plena falsitatis IIII. Vndè possit scriptura corrigi & reparari, & ad pristinã synceritatem reuocari, Ibidem etiam testatur quod omniũ maximè scripturam Sacram corruperunt Marcionistæ, & Homousiani; nam de Arianis non legimus, quod vnquàm scripturam vllam corruperint.

Illud. Et verbum caro factum est, ait, malam fuisse versionem, diciq; debuisse, & sermo ille caro fuit: Bezam reprehendit quod in illa versione acquiescat, Omnis Spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse ex Deo est: & ait, illam existimari debere verissimam versionem, in carnẽ venisse: non quod Beza non intellexerit errorem, sed quod suo errori de Trinitate inde præsidium fieri putauit, apprime dilaudat.

Munsterus porrò & Latinam, & Græcam versionem reprobauit: Sed Hæbreã nescio quo sub scamno inuentam, in lucẽ hominum emisit, cui soli fidem indubitatã haberi voluit. Cochleus in vita Luth.

Caluinus quoq;, adeò nullam esse in vulgata editione integram paginam asserit, vt vix tres continui sint versus, nõ insigni aliquo errore fœdati. In Antidoto Concil:

Kemnitius, in examine Concilij Tridẽtin. & Georgius Maior in Psalm: interpretatione, vulgatam editionem omnino corruptam, vitiatam, versam, peruersam, affirmant.

Georg. Maior in Psal.

Alij itaque Græcam alij Hæbraicam, alij Syriacam versionem, alij Sclauonicã interpretationem sequendam putant, Audiuimus non defuisse: qui ad Hyerogliphicas notas in fidei cõtrouersijs appellaret.

Tremelius quidam Emanuel, ex indocto Iudeo, indoctior euasit Sacramẽtarius Is nouũ Testamentum charactere Syriaco à Patriarcha Antiocheno missum, & impensis Ferdinandi pientissimi Cæsaris Viennæ 1555. editum Hæbraicis iterum characteribus Geneuæ recudẽdum curauit, incredibili vt testatur Genebrardus lib. 4. Chronolog. peruersitate: primo enim sustulit titulos Epist. & Euangeliorum per totum contextum consperso: ex quibus apparebat incredibilis omniũ Orientis Ecclesiarum, cum Rom. Ecclesia consensio de Missa, de adoratione S. Crucis, de Ieiunijs, de Quadragesima de cultu Diuorum, deque festis eorundem, & ordinationibus Ecclesiasticis, Tabulam præterea Euangeliearum, & Apostolicarum lectionũ suppressit, è qua ritus, cæremoniæ, cultus, & cæteri ipsorum sancti religionis actus discebantur. Multas ad extremũ literas præ imperitia subduxit, immutatis pro libidine punctis cõtra Analogiam vsum, & phrasim Syrorum: litteras etiam protractionis, sed & consonantes sustulit, præsertim litteram, Nun, esse Symbolum tertiarum personarum futuri æquè ac primarum pluralium.

Vt itaque dictis suis apud rudem plebeculam fidem facerent: optimi isti Prothomagistri, plenis buccis vociferabantur, illos ipsos esse veros fontes: quos Papistæ nunquam attigerunt, nunquam illas linguas ab vllo Papasso fuisse intellectas, nunquam degustatas. Noua itaque verba inusitato Sybillo, insueta oris flexione, è suis Cathedris detonabant.

Pro vsitato verbo Sabbaoth, Hæbraicũ stridorem imitati proferebant Thsabaat. Pro Ezechiel, Echeslelcel. Pro Nabucho donosor, Nabucdanisar. Pro Samson Simpson. Pro Dalita, Delita, Gedeon, Gideõ, Othoniel Ethniel, Balaam Bileã, Abdias Obadia Zophonias Icphonia, Malachias Maleachi, & multa his similia, quæ Vicelius in suis notationibus in Luth. Biblia recitauit, Budneus quoq; in sua noui testamẽti Polonica versione p Euãgeliũ Euãgelionẽ dici vult: pro Iesus Iesua, pro Aegypto Micraim, pro Gehẽna Ge: Hinnon.

Euãgelici in suis versionibus pleraq; addiderunt verbo, Dei, multa clepserũt, mutarunt, corruperunt.

LVtherus in versione salutationis Angelicæ, pro illis Angeli verbis, Aue

Aue gratia plena (quibus commodissimè Græcam illam vocē κεχαριτομένη reddi-

Tom. 5. operum fol. 142.

tā & expressam oēs semper Orthodoxi crediderunt) vertit & reddidit (holdselige) hoc est, grata seu gratiosa, seu amabilis: idquè fecit vt gratia quidem dignā ostenderet: sed gratia plenam negaret. De hoc porrò suo facto hanc quæ sequitur rationē reddit. Dic mihi, inquit, an hoc in lingua Germanica benedicatur, Aue gratia plena: vbi vero in Germ. quisquā in lingua vernacula ita loquitur, Gratia plena, & quis Germanorum intelligit, quid sit gratia plena: cogitabit potius de vasæ cereuisiæ repleto, vel de loculis refertis pecunia.

Castellio hanc ipsam vocem, Gratia plena, vertit, accepta.

Tigurini in latina Euangeliorum editione reddiderunt, Gratiosa: in Germanica vero Gratia donata: Beza vicissim, Gratis dilecta.

In Cantico Mariæ, quod incipit, Magnificat, pro beatam me dicent omnes generationes vertit Lutherus Beatam me glorificabunt omnes filij filiorum.

In Cantico Zachariæ, cuius initium, Benedictus, pro in sanctitate & iusticia coram ipso, omnibus diebus nostris, sic mutauit. Quoad viuimus in Sanctitate & iustitia, quæ ipsi placita est.

Ad illum locum Pauli Rom. 3. vbi ait per legem cognitio peccati addidit verbum, Germanicum (nur) hoc est, tantum, vel solum, id autem fecit vt legem Dei, nō ad aliam rem esse necessariam doceret, quam vt eius indicio peccatū agnoscatur.

Ad illum quoquè eiusdem capitis locum, Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis: addit de suo vocem illam Germanicā, (Allein,) hoc est, solam: dequè ea cum admoneretur & reprehenderetur, quòd Pauli sententiā inficeret, eius generis responsum siue decretum edidit, quod insano est mentequè moto homini, quam ei quem profitebatur Ecclesiastæ verbiquè Dei præconi similius. Ait enim. Dico ego D. Martinus Lutherus Domini nostri Iesu Christi indignus Euāgelista, quod hunc Articulum, fides sola absquè omni opere iustificat, coram Deo? firmum atque inconcussum permittere debet, Romanus Imperator, Turcicus, Imperator, Tartaricus, Imperator, Persarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales Reges, Principes, Domini, totus mundus, simul cum suis dæmonibus, atque insuper habebunt ignem Tartareum in capita sua neque grates vllas. Hic esto meus D. Lutheri instinctus à Spiritu sancto, verūquè ac Sāctum Euangelium, Citat Cochleus. in vita Luth.

Idem interrogatus ab amico circa annum 1530. Cur vertisset Germanicè, Hominem sola fide iustificari, cū verba Pauli id non haberent? Respondit, Si Papista tuus multa vult garrire de hac voce, Sola, ei confestim respōdebo, Doctor Martinus Lutherus vult sic habere: aitque Papistam & Asinum esse vnum, sic volo, sic iubeo sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Pōtificiorum esse discipuli, sed Magistri ac Iudices, Cochleus vbi supra.

Narrat vir doctissimus Schererus in suo Germ. (Gelinde Antwortt) qđ Lutherus in sua Germanica trium Euangelistarum versione, nouem verba, è textu sustulerit, & tria noua textui assuerit, eaquè ibidem recenset: quæ cum Impressor Francofordien, Fauerabent: in editione Lutheranæ versionis omisisset, etiamsi multorū Principum arma, primis Bibliæ foliis appinxisset, vt authenticam versionem comprobaret, & quasi hædera suspensa faceret vendibiliorem. Vittembergenses tamen editionem illam Francofordensem, tanquàm erroneam reiecerunt, tantumquè effecerunt, vt in tota Saxonia prohiberetur, quare irritati Francofordiēses, Apologiā ediderunt in defensionem eius translationis quam è sua officina emiserant.

Quoniam autem & bonorum operum & totius pietatis hostis erat infestissimus, vt benefaciendi necessitatem excluderet locum ilium. 2. Petr. 1. corrupit. Et vbi habetur, Qua propter magi, fratres, satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Ille, verba illa per bona opera in sua versione, prorsus eiecit.

Porrò vt illam suam castissimam, scilicet, legem stabiliret. Si vxor nolit, ancill-

venito, quæ habetur Tomo operũ eius. 6. in concione ad populum habita: & quasi signum quoddam ad omnem turpitudinẽ erigerer. Illud, quod Paulus habet Thesal. 4. vt abstineatis vos, à fornicatione, prorsus omisit.

Vt receptum in Ecclesia Dei laudum & orationum nomen & vsum, quæ Tertia, Sexta, Nona, &c. vocantur exploderet illud Actorum. 3. Petrus & Ioannes ascẽdebant ad horam orationis, Nonam, ita vertit', vt diceret, eos ascendisse sub horam Nonam ad orandum.

Vt ordinis Sacramentum euerteret, & tam laicos quam ipsas mulierculas Sacerdotes faceret, illud Pauli Thimoth. 4. cum impositione manuum Præsbyterij, deprauauit: & pro Præsbyterij seniores nescio quos introduxit.

Vt leges Ciuiles & omnem legitimæ potestatis authoritatem euerteret, & nescio quam libertatem Euangelicam statueret, illud Colos. 2. Secundum elementa mundi, vertit, secundum leges mundi, quasi Paulus id vellet dicere, Videte ne quis vos decipiat per Philosophiã & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, & secundum leges mundi.

Verba illa Ioannis Epistola. 1. cap. 5. & hi tres, vnum sunt, in sua versione Germanica sustulit: quo nomine nostri temporis Ariomanitæ vitam se Luthero debere confitentur.

Locum illum Esaiæ cap. 9. Deus admirabilis fortis Princeps, futuri sæculi &c. sublato verbo; Deus, & in eius locum substituto (Krafft) hoc est, virtus deprauauit.

Illum Pauli locum. 1. Corinth. 9. Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi: ita vertit, & peruertit. Nũquid potestatẽ nõ habemus sororem in vxorem, vel quæ vxor est circũducendi: idquè facit vt existimentur, Apostoli in prædicatione Euangelij non solum habuisse: sed etiam proprias circumduxisse vxores.

Illa Psalm. verba, Redde altissimo vota tua, quia expungere ausus non est marginali appositæ notæ, deprauauit, fit enim ad verbum, vota, quod illi promisisti, futurum, vt sit Deus tuus, iuxta primum præceptum. In Psalmum. 49.

Idem facit in illis verbis Psal. 75. Vouete & reddite Domino Deo vestro, vouete, ait, quod pro Deo vestro eum habere velitis.

Illum Matthæi locum vbi Christus ait, sedere ad dexteram meam & sinistram. Nõ est meum dare vobis, Lutherus in vna editione sic corrupit. Non est in mea potestate dare. In alia æditione omisit, vobis, in tertia, sic vertit. Non conuenit mihi dare.

Ad illa Christi verba, Matth. 18. Si nõ remiseritis vnusquisquè fratri suo de cordibus vestris, addit in sua versione Luth. eorum peccata.

Ad illum locum Matt. 23. Quæcumquè dixerint vobis, facite addidit Luth. quæ facere tenemini.

Ad illa verba Lucæ. 1. vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia, addit Luth. Quę ipsi est placita.

Illud Rom. 13. Carnis curam ne feceritis, in sua versione sic transtulit.

(Vartet des leybes &c.) hoc est, Carnis curã feceritis; ita tamen, ne recalcitret. In glossa porrò Marginali ad hoc verbũ (vartet,) hoc adscripsit; ne marterizetis carnẽ vestram supra modum, cum in supportabili sanctitate, Vigiliarum, ieiuniorum, frigoris & æstus tolerantia, sicut hypocritæ faciunt.

Tygurini locum illum scripturæ 1. Ioann. 5. Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, &c. In ipso quidem Bybliorum corpore tam Latinæ quam Germanicæ trãslationis penitus sustulerunt: in nouo tamen Testamento seperatim excusso reliquerunt. In editione porro anni 1538. Et hi tres vnum sunt ita Germanicæ reddiderunt, (vnd dise drey dienen in eyns) hoc est & hi tres seruiunt in vnum. Quam translationem Anabaptistæ in Conuentu Franketalensi ad erroris sui confirmationem, in suæ causæ defensione attulerunt.

Locum illum Prouerbiorum cap. 31. in quo Salomon industriæ atque perfectæ Matris familias imaginem describit, atq; dilaudat, amatorio quodam dicterio Rithmico in margine appositio contaminauit, quod à vidua quadam Isenacensi vsurpatum habetur in colloquijs didicerat. Nil, inquit, amabilius vel suauius est in terra

quam

quam amor mulierum, si cui is potest contingere.

Ad illum Pauli locum. 1. Corinth. 3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei, hanc in margine notaciunculam appinxit, Propterea, inquit, nullus homo potestatem habet leges condendi in Christianos, ad ligandas conscientias.

Ad illum locum: Psalm. 23. Domini est terra & plenitudo eius, Luth. addidit in margine, Christus autem Dominus est & liber: Christiani itaque omnes in rebus omnibus & domini sunt, & liberi.

Extant Biblia Gallica impressa Lugduni, à Ioan: de Tournes anno 1561. Extat nouum Testam. Gallicum, ex vltima recognitione Caluini & Bezæ, impressum Geneuæ 1566. Extant Flandrica Biblia Dordraci impressa 1580. Infinita in his omnibus loca Sanctes, multa Henricus Vitus obseruauit, & notauit: pessima prorsus fide versa, & interpretata, Matth. 12. pro. Erit filius hominis in corde terræ, verterunt. Erit filius hominis in terra; Ezechielis Cap. 31. facit aliquoties inferni mentionem. Descendit ad inferos. Deducerem eũ ad infernum, & id genus. Hoc porrò verbum omissum est in editione Bibliæ Dordracensi. Cap. quoque 32. illud. Dederunt terrorem suum in terra viuentium, adulterauerunt. Reddunt enim per verbum (de Hands shuerelt.) Illud Gene. 37. Descendam ad filium meum lugens in infernum. Pro inferno in Biblijs Gallicis posuerunt fossam. Caluinus verò in comment. in Genesim, reddidit sepulchrum, & Biblia Sebastiani Honorati Abysſũ. Plura huius generis Vitus recẽset Nos quoque ex vniuersa Biblia longe adhuc plures huiusmodi corruptellas collegimus, & in Hæresi Elimasitarum cap. 9. recensemus.

Euangelici tam legem, quam Mosen, vel reprobant, vel subsannant.

MOSEN (inquit Lutherus) neque audire, neq; videre volumus Nam Moses Iudaico populo tantum datus est, neque quicquã ad nos pertinet, qui ex gentibus facti sumus Christiani: sit igitur Iudæis quasi speculum Saxonum, neque nos gẽtes inquietet aut perturbet, Quem admodum Gallia, speculum Saxonum, nõ curat, quanquã cum illo quod ad naturæ legem attinet, benè conuenit. Ad Iudæos pertinet Lex Mosis: neque nos deinceps ligat, cum quispiam Mosem tibi proponit cum suis præceptis tequè cogere vult, vt ea obserues, Tum dic: Abi ad Iudæos cum tuo Mose, ego Iudæus non sum, ne me cum Mose inuoluas, Magister est omnium carnificum, neque quisquam eum, terrendo, angustiando, tyrannidem exercendo, minando, increpando, & fulminando, vel superat vel æquat: Moses, cum sua lege, non volo ego habere, Est enim Christi Domini hostis. Tom. 3. Ger. fol. 40.

Antinomi quoque legem expressis verbis omnino reijciunt, Aiunt enim, in Confessione Mansfeldensi, Lex digna non est, vt Dei verbum appelletur. Qui cum Mose rem habent, eos damnari oportet, ad patibulum cum Mose: Titulo de Antinomis fol. 89. & 92.

Idẽ Lutherus in colloquijs Rebenstochij, dixisse legitur, aliquando: Lex extra fidem est verus Labyryntus, & iusticia legis Minotaurus, figmentum non deducẽs ad iusticiam: sed trahens ad inferos: Idem paulò inferius, Lex truncus est, etiam si de loco in locum voluitur, tamen manet truncus, neminem iustificat. Cap. de lege, & Euãgelio.

Et iterum. Difficilè est discernere inter legem & Euangelium: & ego, qui plus annis 20. in hoc studio sum versatus publice docui, & tamẽ non possum explicare: imò nullus est homo qui possit discernere: neque id mirum est, cum & Christus id nescierit in horto, ab Angelo Euangelium edoctus: In cuius tamen vertice columba, id est, Spiritus sanctus accubuerat, Itaque varie gloriantur Suermeri, qui putant se omnia deuorasse ex vnius libelli Pagina. Ibidẽ.

Et alio loco, Is certe honorifice ac splẽdide aureis vestimentis indui: imò in toto mũdo præclarissime tractari deberet, qui posset efficere, vt Moses per Christum omnino abrogaretur, tum demum lætitia afficeremur.

Et

Et in Serm: de Mose: Non mihi sed Iudæis Mosen tuum prędica. Ego enim Iudæus non sum. Noli mihi molestus esse cũ Mose, si Mosen in vno articulo acceptarẽ. Gal. v. Paulus, air, debitor fierem vniuersæ legis obseruandæ. At nullus apex aut punctum in Mose ad nos pertinet. Tomo Vittemb. Anno 1529.

Otto Bransfelius docebat: Quod liber legis non habet præcepta doctrinæ Christi, aut præceptiones Christi, sed manduductiones tantũ, neq; inter scripturas Sacras censeri debet, cum sit mera relatio Cabalistica, & surda sine spiritu narratio. Cochleus, cap. 3. & 4. de scriptura.

Caluinus, Patres & Patriarchas, in veteri lege laudatos, & probatos impudentissime accusat, libidinis, fraudis, superstitionis, & cupiditatis lib. 3. capit. 2. Institutionum. Sara, inquit, multis modis peccauit, cũ ancillam viro suo supposuit Rebecca varijs fraudibus, & impostoris Dei veritatem corrupit, cum malo artificio filij benedictionem procurat, maritũ decipit, filium mentiri cogit, capit. 5. Superstitione, & præpostero Zelo non caruit factum Iudæ Machabæi, qui oblationem misit pro mortuis in Hyerusalem: capit. 14. Dicit Abraam fuisse Idololatrã: cap. 20. In Samsone, inquit, cum ait Robora me Domine &c. Vitiosa cupiditas vindictæ dominata est, & lib. 4. cap. 15. Nec in exemplum trahi debet, quod Zephora stulta mulier, filium circumcidit, in quo multis modis grauiter peccauit: Ex quibus verbis liquet, quam contemptos habeat Caluinus, & scripta, & facta veteris testamenti, quæ tamẽ omnia, & vera fuisse, & Mysterijs inuoluta, & Paulus, & passim omnes Sacri doctores toto orbe Christiano crediderunt.

Euangelici Genesim Aenigma vocant.

REBENSTOKIVS in colloquijs, & sententijs Lutheri testatur illum anno 1543. 14. Iulij de Genesi in hæc verba locutum. Genesis multas habet, Quæstiones, & Aenigmata, cur aquæ maior adhibeatur honor, quam vino, aqua est vetustior: Item, an vir barba sit senior? Barba; Quia hircus prius est creatus. Item virgo ante horam. (Nota,) virum duxit, & priusquam annum attigerat, primum infantem genuit, Eua, Item, Vbi cecinit Gallus Gallinaceus, & vox illius in toto audiebatur mundo? In Arca Noe. Item. Quam aquam dicis esse latissimam? Ros, & pruina. Hæc Lutherico la Rebenstochius.

Euangelici Decem Præcepta, fontem Hæresum vocant.

LVTHERVS in Conuiualibus sermonibus, ait, Reijciantur prorsus decem præcepta, & statim desinẽt omnes hæreses. Sunt enim decem præcepta velut fons, vnde omnes hæreses prodeũt. Est enim scriptura liber Hęreticorum. Citat Aurifab. cap. de lege.

Idem prorsus Antinomos sentire, & docere Confessio Mansfeldensis testatur: Euangelium, aiunt, ferre non potest, decem præcepta: quin ea ad Christianos nil attinent, quamobrem extra Ecclesiam abroganda sunt, deq; Cathedra deturbanda, & ad Curiam, ad Ciuilem politiam imò ad patibulum ableganda. Titt. de Antinomis.

Euangelici librum Iob fabulam faciunt.

LVTHERVS affirmat se non credere omnia ita gesta esse, vt in lib. Iob narrantur. Ibidem Titt. de Patriar. & Prophetis.

Idem ait, librum Iob esse veluti fabulæ argumentum ad proponendum patientiæ exemplũ. Tit. de libris Vet. & Noui Test.

Et iterum, Hæbreus Poeta, & Author libri huius quisquis ille fuit, huiusmodi tẽtationes habuit, vidit atq; expertus est quas deinde ad hunc modum descripsit. Colloqu. fol. 482. tit. eod.

Euan-

Euangelici, librum Ecclesiasticis, Talmudo similem statuunt.

LIBER iste, ait, Luther. plenior esse debebat, nimiũ illi deest. Nec Ocreas habet, nec calcaria. Equitat in soccis tantum, quemadmodum ego cum adhuc in Cœnebio essem. Et posteà, Salomon ipse, librum hunc non scripsit, sed à Iesu filio Syrach tempore Machabæorũ compositus est: & instar Talmuth ex multis libris congestus, fortassis ex Bibliotheca Regis Aegypti Ptolomæi Euergertis: Colloq. fol. 399. Tit. eodem.

Euangelici, in Canticis canticorum amatoria philtra, tractari aiunt.

BEZA tribuit Castallioni, quod Cãtica Canticorum non spiritu Dei veri, sed cupidinis afflatu scripta putauit: nihilque aliud in toto Cantico compræhendi, quam sermones amatorios, Salomonis Regis, & vxoris eius filiæ Pharaonis, eaque de causa nullum in toto libro, Dei nomen inueniri: ac propterea esse prophanum. Citat Belarminus.

Verba porrò Castallionis, profert Ioannes Dureus, Canticum, inquit, Musicum, quod Salomonis est, nil nisi amatorium est, Dissuauiare me, ait, oris tui suauio: ad tuorum suauium vnguentorum odorem, te amant puellæ, tota es bella amica mea, aperi mihi, sororcula mea, amicula mea, columbula mea, ò te formosam, amica mea, ò te formosam quæ columbinos habes ocellos. Et ne quid deesse ad irrisionem videretur in margine addit, Salamitha, Salomonis amica.

Scotici quoq; Ministri in Apolog. Cõfess. suæ quam refutat Hamilthonus, in Canticis Canticorum, amatoria quædam philtra tractari mentiuntur.

Euangelici, librum Baruch reijciunt.

CALVINVS, librum Baruch negat esse Canonicũ, propterea quod in Hebræis codicibus non habetur lib. 3. cap. 20. Institut.

Euangelici, Historiam Danielis rident.

KEMNITIVS pleraque Danielis capita reijcit, Susannæ, & Draconis Historiam ridet: In examine 4. Sess.

Idem facit VittaKerus in Responsione ad Campianum: qui tamen sese Hyeronymi authoritate defendit.

Euangelici, Psalterium ab Aesopo scriptum putant.

MATHESIVS scribit Concione 7. de Luthero, quod Psalmos nõ Dauid, sed Aesopus cõscripsit: idque probat ex nomine Asaph in Psalmorum inscriptione vsitato: quasi Aesopi.

Euangelici, librum Iudith, Tragœdiam vocant.

MIHI videtur, ait, Luth. Iudith esse Tragediam aut fabulam, in qua describitur, & ostenditur, qualis esse Tyrannorum exitus soleant. Colloquio fol. 481.

Caluinus similiter, & Iuditæ simul, & Thobiæ Historiam repudiat: & eum sequuti Ministri: qui apud Posiacum fidei Confessionem ædiderunt. In Antidoto Sess. 4.

Euan-

Euangelici, Thobiæ Historiam pro Comædia reputant.

THOBIAE librum, ait Lutherus, Comædiam esse, in qua de mulieribus sermo est, Eum olim, Iustus Ionas, in linguam Latinam verterat, quam cum offeret Luthero, dixisse perhibetur. Multa in eo sunt ridicula, & stulta. In primis, quæ de tribus noctibus, de iecore, de assato pisce, dequè diabolo fugato, narrantur. Ad hæc antem Lutherus: Est, inquit, figmentum merè Iudaicum. Colloqu. Mens. fol. 482.

VVittakerus quoquè Cantabrien. Professor Sacramentarius in Responsione ad Campianum, Illum, inquit, Thobiæ Raphaelem minime moramur, nec illos septem Angelos agnoscimus, quorum ille meminit, hoc totum à Scripturis alienum est, quod ab illo Raphaele commemoratur: ac superstitionem nescio quam redolet.

Euangelici, librum Ecclesiastici, Prophetæ esse negant.

LVTHERVS, ait, Qui librũ istũ composuit, legis Doctor est, vel Iurista: docens, quomodo vitam honestam exteriorem ducere oporteat, Propheta verò non est, neque quicquam nouit, aut docet de Christo: Aurifab. fol. 481.

Caluinus eundem Ecclesiastici librum, non vult esse solidæ authoritatis. lib. 3. Cap. 4. Instit.

VVittakerus quoque Anglus, De loco, inquit, Ecclesiastici, parum laboro, nec arbitrij libertatem credam, quamuis hic centies affirmet.

In Respõs. ad Cãpianum.

Euãgelici, librum Sapientiæ mendacij arguunt.

CALVINVS librum Sapientiæ pluribus in locis arguit mendacij. Lib. 1. Institut. cap. 55. & lib. 2. cap. 5.

VVittaKerus quoque Anglus, molestè fert librum Sapientiæ, in seriè scripturarum numerari: ait enim, in Responsione ad Campianum, Quod tantoperè contendit Augustinus extrudi extra Canonem, nullo modo oportere librum Sapientiæ: id ipse viderit Augustinus, Hunc certè librum Hieronymus nominatim extrusit, sed etiãsi omnes suos, Ecclesia calculos contulisset, præbere illi robur non potuisset, nisi suum antea propriumquè robur, diuinitus habuisset.

Euangelici, librum Ezdræ, Nænias vocant.

TERTIVM librum Ezdræ, ait Lutherus, in Albim proijcio. In Quarto libro, qui continet Ezdrę somnia, sunt pulchræ & alioquin etiam bonæ Næniæ. Aurifab. in Colloq. Tit. de scripturis.

Euangelici, libros Paralypomenon, fide putant indignos.

LIBRI Regum, ait Lutherus, centies millibus passuum eum antecedunt, qui libros Paralypomenon scripsit, Illis igitur ait, postea plus credendum, quam his. Vbi supra.

Euangelici, Hester & Machabæorum Historiam, Iudaizare aiunt.

NARRAT Aurifaber, quod cũ Lutherus, secundũ Machabęorũ librũ corri-

Tit. de Prophetis.

corrigeret, dicebat: Ego isti libro, & Hester, tam infensus sum, vt optarem, neutrum eorum extare: nimium enim Iudaizant, & multa continent, quæ gentilium superstitionem sapiunt.

Caluinus vituperat in Machabæorum Historia, quod author libri laudat præposterum Zælum, & superstitiosum factũ Iudæ Machabæi: qui pro mortuis offerri sacrificium iussit, lib. 3. Institut: cap. 5. Ait præterea, non posse libros illos haberi Canonicos, propterea quod libro 2. capite vlt. veniã petat erratorum: Et addit, Melius fecem haurirent, quam istum librum legerent. In Biblijs quoque suis Gallicis ab Hẽrico Stephano æditis, Caluinus & Beza, ausi sunt impudentissime tricari (scribentes in illum locum Machab. 2. cap. 12.) quod libri Machabæorũ nũquam fuissent à Christianis habiti pro Canonicis: & Patres Concilij Trident. magnam (asinarie, ita enim loquuntur Gallice) asinitatem, cõmisisse aiunt, quod cum cæteris libris Apochriphis libros etiã Machabæorum inter Canonicos numerare non dubitẽt, Citat verba eorum Gallica Lyndanus, in Christomachia.

Beza quoque apertè reprehendit Machabæos, quod bonam causam male & præpostere egissent; Citat Balduinus, ad Caluinum.

Kemnitius porrò, non negat quidem supradictos libros esse bonos, & sanctos, & dignos, qui legantur: sed tamen non esse tales; vt ex illis firma argumenta duci possint. In examine Concilij.

VVittaKerus Sacramentarius, Machabæorũ, inquit, librũ minus curo, nam neq; apud Iosephũ Græce tale aliquid reperit, neq; in Iosepho Bengoreo Hæbraicè, q ta men eandem Hystoriam conscripsit fit vlla, vllius sacrificij mentio, neque Iudæis præceptum, aut positum in more fuit, vt sacrificia præcesquè pro mortuis facerẽt: Præterea vero ea est verborum in Græco exemplari perturbatio, vt integrã, veramquè sententiam vix ellicias. Addit etiam de illo Iudæ somnio, Iudæ, inquit, de Onia somnium, vt somnium prætermitto.

In Respõs. ad Cãpianum.

Euangelici, de Euãgelio ludos sibi faciunt: & plerosq; noui Testamenti libros reprobant.

COCHLEVS reffert captũ fuisse in Sueuia Sacerdotem quendam legittimæ potestatis authoritate, ob eam causam, quod doceret finem iam adesse Christianæ fidei, aliamquè legem, & aliam scripturam tradendam Christianis. Nam sicut lex Moysi mille quingentis annis durauit; ita lex Christi totidem annis permansit, ideo tempus aduenisse, vt alia lex, alia scriptura & alia fides tradatur hominibus. In vita Lutheri.

Dauid Georgius Batauus, inter alia pestilentissima dogmata, ausus est hoc quoque asserere: Omnem Mosis doctrinam & Prophetarum, & ipsius Christi & Apostolorum, ac discipulorum eius esse imperfectam, & inutilem ad absolutam consequendam fœlicitatem: atque in eum tantum vsum traditam, vt homines quasi pueros, ad hoc vsque sui aduentus tẽpus coerceret: suam vero doctrinam perfectam, & quæ hominem beatum facere sine controuersia queat. Surius in Comment.

Si Christi, inquit, doctrina & Apostolorũ eius vera atque perfecta doctrina fuisset, profectò Ecclesia, quam illi plantauerunt, suaquè doctrina firmarunt, debuisset necessariò persistere, nec vnquam perire, dicente Iesu, quod portæ inferi non prævalerent aduersus eam. Nũc verò manifestum est, quòd Antichristus doctrinam Apostolorum, & extructam ab illis Ecclesiam penitus subuerterit, sicut patet in Papatu. Fuit ergo Apostolorum doctrina falsa & imperfecta, &c.

Franciscus Dauidis in Transyluania docuit sepeliendum esse Euangelium, & reuertendum ad Mosem: & Mosis doctrinam esse lineam rectam, Christum autem IESVM & eius doctrinam indirectam. Vnde factum est, vt Claudiopoli lectionẽ Euangeliorum prohibuerint, & in veteris Testamenti codice omnes horas collocari iuberent. Posseuinus in Actis Transyluan:

Et

Historia Dauidis Georgij Antuerpiæ impressa anno 1560. Ratiocin. 8.

Et refertur in confutatione Iudicij Polonicarũ Ecclesiarũ, ex Epistola Blandratę.

Otto Bransfellius, Euangelia quidem ab Apostolis scripta non negat, sed ea pluribus in locis, vel secum, vel cum veritate pugnare cõtendit, propterea quod Apostoli, partim vt homines interdũ errauerint, partim studiosè, Magistri sui gloriã confictis narrationibus ornare non dubitauerint, Cochleus cap. 3. & 4. de Scriptu. & Ecclesiæ authoritate.

De quodam Czechouicij Lublineñ: non malo discipulo, legitur, quod indignos dixerit Euangelistas, quibus credatur: propterea, quod veteris testamẽti, & Prophetarum verbis improprie vtuntur, sicut Mattæus, Esaiæ loco: Ecce virgo concipiet, nec rectè nec proprie vtitur.

Erasmus Rotherodamus, notatur à plerisquè quod dixerit, non esse metuendum ne totius scripturæ corruat authoritas, si leuis aliquis error in ea deprehendatur propter Euangelistas interdum memoria lapsos. In Annota. in 2. & 27. cap. Matth.

Caluinus ait, Quintium quendam, quẽ porcum appellat, in Gallia extitisse, adeò impiũ in diuos, vt vnũ quẽq; Apostolorũ, turpi aliquo scõmate, notare nõ dubitaret veluti, Picardico suo sermone, Paulũ vocãs vas fractũ, Ioannẽ iuuenẽ stolidulũ, Petrũ abnegatorẽ Dei, Mattheũ fœneratorẽ. &c.

Euangelici, de numero Euangelistarum, dubitant.

LVTHERVS, ait, abolendam esse falsam illam opinionẽ, quod sint quatuor tantum Euãgelistæ. In Præfatione noui Testam.

Euangelici, Lucæ Euangelium vel accusant, vel reprobant.

BEZA impurus, Lucæ Euangelistæ solleciſmos obijcit, Vbi enim Lucas loquitur de Sãguine Domini q pro vobis effundetur, ait Beza: Cũ hæc verba necessario non ad sanguinem, sed ad poculum pertineant, neque tamen de Vinõ, nedum de poculo intelligi possint, aut manifestum est Solecophanes, aut ex margine, in scriptum irrepserunt, Et iterum; Neq; causam video, ait: cur Solecophanes Lucas vsurparet. In Annot. noui Test. Geneuæ.

Anglici verò Rabbini, longius progressi, ausi sunt, plane totum Lucæ Euangelium reprobare, eo quod nõ recipiatur in Concilio Laodiceno, idq; testatur Guilel. Reynoldus, contra Vittakerum lib. 1.

Euangelici, solũ Ioannis Euãgelium pulchrum & principale putant, reliqua inferiora.

LVTHERVS in secunda Præfatione Noui testamenti, primæ æditionis, Quoniam Ioannes, inquit, valde pauca Christi opera, multa vero de Cõcione illius scribit, Cõtra, reliqui tres multa de ipsi' operibus, pauca vero ipsius verba describunt, Ioannis Euangeliũ vnicum, delicatũ, verum, & summũ Euangelium est, atq; alijs tribus longe anteponendum, & altius prædicandum. Ita & S. Pauli & Petri Epistolæ: longe tres, Euangelistas, Matthæum, Marcum, & Lucã antecellunt: Summa, S. Ioannis Euangelium & prima ipsius Epistola; S. Pauli Epistolæ præcipue, quæ ad Romanos, Gallatas, Ephesios, scriptæ sunt, & S. Petri Epistola prima. Hi nimirũ libri sunt, qui tibi Christum demonstrant, & omnia docent, quæ scitu necessaria sunt, & ad salutem conducunt. Etiamsi alioquin nullum aliũ librũ, vel doctrinã vnquàm videas vel audias.

Beza vicissim, longe diuersum à Luthero sentit: Dubitat enim de Historia mulieris adulteræ, quam Ioannes. 8. cap. recenset, Verba eius hæc leguntur: Ad me quidem quod attinet. Non dissimulo mihi merito suspectum esse, quod veteres illi (innuit autem fidei quosdam inimicos, quos Augustinus oppugnat) reiecerunt. Et iterum. Quod narrat Ioãnes Iesum solum fuisse relictum, cum muliere in tem-

plo, nescio quam sit probabile. Illud etiã: Iesum digito scripsisse in terra, Nouum mihi, ait, & insolens videtur, nec possum conijcere, quis posset satis commodè explicare', tanta deniquè lectionis varietas facit, vt de totius Historiæ fide dubitem. In Annotat.

Euangelici Epistolam ad Hæbreos Pauli esse negant.

LVTHERVS, ait, Epistolam ad Hæbreos, neque à Paulo neque à quoque Apostolorum scriptam, sed à docto quodam viro, ex multis partibus contextam: in qua etsi fidei fundamentũ non ponatur, tamen aurum, argentum, & lapides præciosos commodè superædificari. Igitur non debet nos impedire ait, quod ligna, fœnũ, stipulæ, vna miscentur, In Præfatione eiusdem Epistolæ, Et iterum, Ait, Epistolam ad Hæbreos continere quædam contra Euangelium, & Apostolicam doctrinam. Ibidem.

Brentius idem prorsus cum Luth. sentit, vt videre est in Confessione Virtembergensi cap. de Sacra scriptura.

Kemnitius idem sentit in Examine. 4. Sess. contra Trident.

Magdeburgensis Centuriatores itidẽ affirmant. Cent. 5. lib. 2. cap. 4.

Budneus in Lithuania non solum negat esse Pauli, sed etiam Spiritu carere affirmat. In deffens. probationis. 29.

Caluinus contra, docet & contendit, ad Hæbreos Epistolam esse verè Apostolicam, & errare in hac parte Lutheranos: tamẽ an Pauli sit, an alterius Apostoli, an Barnabæ, an Lucæ, dubitat: Inst. cap. 10.

Posiacen. quoq; Caluinistarũ Cõfessio, ponit hanc Epistolã, in numerũ diuinarũ scripturarũ, sed tãquàm authoris incerti. Sanctius, in Epistola, de Disput. Posiacen;

Erasmus quoq;, in dubium reuocat huius Epistolæ authoritatẽ, & cũ nonnullis alijs, existimat hanc Epistolã nõ Hæbraicè, sed Græcè primum esse conscriptam, Et quidẽ sententias esse Pauli, verba autẽ Lucæ, aut Clementis, quo tãquàm interprete & scriba vsus, sit Paulus. In Comment. eiusdem Epistolæ.

Cẽturiatores quoq;, de eius fide dubitant, cũ aiunt, Non fuit difficile iudicare, qđ ea quę in Capite septimo, & decimo, apertè in eam proferuntur sentẽtiã, quod semel ad Christũ conuersi, si iterũ labantur, per seriã etiam pœnitentiam non possint recuperari, neq; doctrinæ Pauli neq; aliorũ Apostolorum, multò minus Christi dicentis, Venite ad me omnes qui laboratis, &c. consentiant: His, & similibus rationibus mota prudens vetustas, quæ omnia ad Analogiam fidei examinare solita est, de Epistola ad Hæbreos iurè dubitasse videtur. Cent. 1. lib. 2.

Euangelici, Epistolam Iacobi Stramineam vocant, & repudiant.

LVTHERVS in prima editione sua, Noui testamenti, Propterea, inquit, D. Iacobi Epistola, verè stramínea Epistola est, si ad alias cõparetur. Non enim habet Euangelicum genium. Et iterum: Iacobi Epistola contentiosa, tumida, arida, stramínea, indigna est Apostolico Spiritu. In Præfatione, noui test.

Idem in Præfatione, quam Epistolæ affixit; ait', eam in articulo iustificationis D. Paulo & Scripturæ sacræ in faciem repugnare, neq; ab Apostolo scriptam esse, sed fuisse bonum aliquem virum fortasse, qui sententias quasdam, ex Apostolorum ore exceptas, ad hũc modum in chartam coniecerit, Eum, inquit, Christum quidem aliquoties nominare, non docere tamen de eo quicquam, verum de communi tantum in Deũ fide loqui, neq; quicquàm agere, præterea, nisi vt homines ad legem eiusq; opera cogat, & omnia sine ordine inter se confundat, voluisse illis occurrere, qui soli fidei sine operibus confidebãt, sed ad eam causam tractandam nimis infirmum fuisse.

Vitus Theodorus, in summarijs Bybliorum, de eadem Epistola in hæc verba scribit: Epistolam Iacobi & reuelationes Ioannis data opera omisimus, Quia Epi-

stola

ſtola Iacobi, non tantum in aliquot locis reprehenſibilis eſt, vbi aduerſus fidem, opera nimium extollit, verum etiam per omnia eſt doctrina conſuta de multis partibus, vbi nulla alteri cohæret.

Pomeranus quoq;, explicans illa Pauli verba: Dicimus, quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiã. Ex hoc loco (inquit) potes deprehẽdere, errorem Epiſtolæ Iacobi: in qua impium vides argumentũ; præterquã quod ridiculè colligit, citat ſcripturam contra ſcripturam, quod Spiritus Sanctus ferre nequit. Nõ poteſt igitur annumerari reliquis libris, qui iuſtitiam fidei prædicant.

Eraſmus quoque, negat eam redolere Apoſtolicam grauitatem.

Magdeburgenſes quoque, his quæ ſequuntur verbis Epiſtolam Iacobi reprobant, cum aiunt, Epiſtola Iacobi ab Analogia doctrinæ Apoſtolicæ, haud mediocriter aberrat, dum legem appellat libertatis, cum lex ſit, teſtamentum generans in ſeruitutem. Deinde, nec modum docendi Apoſtolicum ſeruat: Cum enim alijs Apoſtolis ſolenne ſit, licet doctrinam tractent de bonis operibus, tamen de beneficio Chriſti, & de fide in Chriſtũ, ſubinde aliquid loco argumenti interijcere, hic verò vix ſemel atq; iterum nominis Chriſti meminit, de opere autem eius prorſus mutus eſt. Cent. 1. lib. 2. cap. 4.

His contrarium tenuit, & docuit Memnon Simonius. Propterea (inquit In libro de fide Chriſtiana) & D. Iacobi Epiſtolam; quæ ſanè magni momenti eſt, & zelum quendam ſpirat, quaſi ſtramineã, apud iſtos reputari oportet, quia tam leuem, vanamq; doctrinam, & fidem reprehendit. O ſuperbam ſtultitiam, Si doctrina ſtraminea eſt, ſequetur electum Apoſtolum fidelem ſeruum, & teſtẽ Ieſu Chriſti, quia eam ſcripſit, & docuit, ſtramineum quoque virum fuiſſe, id quod meridiana luce clarius eſt. Doctrina enim de viro teſtimonium perhibet.

Caluinus quoq; tanquã Apoſtolicam recipit, ac inter Canonicas ſcripturas numerat: cuius hæc verba in Argumento Epiſtolæ Iacobi leguntur. Ego quia nullam eius repudiãdæ ſatis iuſtã cauſam video, libẽter eã ſine cõtrouerſia amplector.

Anglici quoque Caluinolatræ, cum Magiſtro ſuo, in hac parte ſentiunt, Verba ſunt Guilelmi Vuitakeri Regij in Acad. Cantabrien. Profeſſoris, in reſponſione ad rationes Campiani, quæ etiam Ioannes Schotus in ſua confutatione citat. Epiſtolam Iacobi, nos quidem ſuſcepimus, & libris Canonicis annumeramus. Quicquid enim vel Lutherus, vel alius quiſquam de hac Epiſtola ſtatuerit, eiq; nonnihil detraxerit: noſtræ tamen Eccleſiæ illam libenter amplectuntur, & vel ab Apoſtolo, vel à viro Apoſtolico conſcriptam eſſe iudicant. Apoſtolicam certè in ea doctrinam, ſpiritumq; agnoſcunt: Et paulò inferius, Vtcunque ſit: habuit Lutherus in hoc iuditio, conſentientem primæ, & puriſſimæ Eccleſiæ antiquitatem: & tamen nos dimiſſo Luthero, non aliter iudicamus, quam ipſi vos (Campianum appellat) eiq; tantum tribuimus, quantum vos tribuendum exiſtimatis Reliqui Caluiniſtæ in Conuentu, & Confeſſione Poſiacen. itidem probant, & recipiunt tanquàm Apoſtolicã. Art. 3.

Euangelici, de Epiſtola Iudæ ſecunda Petri, & tertia Ioannis, quid ſtatuere debeãt, ignorant.

ERASMVS, in ſua cenſura, de Epiſtola Iudæ, quid diceret dubitabat, ſilentio itaq; ſuam ſententiam inuoluit.

De ſecunda Petri dubitat dicens, diuerſum eſſe ſtylum à Prima, De Secunda, Tertia Ioannis, aſſeruit eas non eſſe Ioannis Apoſtoli, ſed cuiuſdam alterius.

Brentius, Kemnicius, Centuriatores, dubij hærent, neque ſe explicant.

De Epiſtola porrò Iudę. Sic loquuntur Magdeburgici, Iudę epiſtolã hęc arguunt non eſſe germanam, quod nõ Apoſtolum, ſed ſeruum ſe appellat: & quod ipſe ſe poſt Apoſtolos vixiſſe prodit, & quod quædã

de verbo ex posteriori Petri describit, & quod citat sententiã de certamine Michaelis aduersus diabolum: de corpore Moysi ex vaticinio Enoch: quæ in probatis veteris scripturæ libris non habetur: & quod Iudam non in Græciam, sed in Persidem veniſſe memoriæ proditum eſt, vnde Persicè potius quam Græcè scripſiſſet. Posteriori vero Beati Petri Epiſtolæ hoc deeſſe ad authoritatẽ affirmãt, quod teſtimonio antiquitatis carere dicaẽ. Cent. 1. lib. 2.

De Ioannis Epiſtolis, paulò quidem illi modeſtius loquuntur, Non aliud tamen Argumentum afferunt, quod ſint Apoſtolicæ, quam quod ſtyllum habeat Apoſtolico non diſſimilem. Cent. 1. lib. 2. cap. 4.

Caluinus viciſſim omnes eas recipit, & inter Canonicas numerat.

Idem ſenſerunt Caluiniſtæ ſui in Cõfeſſione Poſiacenſi, Vide Apolog.

Euangelici, Apocalypſin, pro libro Apoſtolico non recipiunt.

In Præfatione in Apocalypſin

LVtherus, in prima editione noui Teſtamenti, Quę ego in Apocalypſi deſideroait, nõ ſunt vnius generis: vt nec Apoſtolicã nec Propheticã eſſe putẽ; Initio & potiſſimũ quidẽ, qđ Apoſtoli nõ occupentur circa viſiones: ſed claris atq; aridis verbis vaticinentur, quemadmodũ Petrus, Paulus: Chriſtus etiã in Euangelio facit, Nã & Apoſtolici muneris eſt, clare & ſine imaginibus, aut viſionibus de Chriſto eiuſq; rebus loqui. Neq; vllus eſt Propheta in veteri teſtamento, vt de Nouo taceam, qui ita planè, & per totum imaginibus & viſionibus agat: vt hunc librum apud me ſimilẽ reputem quarto libro Eſdræ, neq; vllo modo deprehendere poſsũ, quod á Spiritu Sancto cõfectus ſit, Et poſt pauca, Demum, ſentiat de hoc libro quilibet, quicquid ipſi Spiritus ſuus ingerit: meus Spiritus ad eũ ſeſe accõmodare nequit, Atq; ea cauſa mihi ſufficit, ne eum magni faciam, quod in eo Chriſtus, neq; docetur, neque agnoſcitur.

Idẽ, in Prologo, dicit ſe aliquid in Apocalyp. deſiderare, cũ aſſerit fore beatos, q ſeruant ea, quæ in ipſa ſcripta ſunt: cũ tñ nemo intelligat, quæ in illa ſcripta ſint.

Eraſmus in fine Annotat. in Apocalyp. anxie admodũ quęrit, Vnde probare poſſit Apocalyp. nõ eſſe Ioan. Apoſtoli, & videt qđ paſſim in ea nomen ſuũ inculcet, Ego Ioãnes, Ego Ioãnes, perinde inquit, quaſi Syngraphã ſcriberet, nõ librũ. Cum alioquin Ioãnes modeſtiora de ſe nactus nomen ſuũ nuſquã exprimat in Euãgelio.

VittaKerus porro Cantabrigenſis Profeſſor, Ioãni Apoſtolo Idololatrię crimen affingit, quaſi Angelũ tanq; Deum adorare voluiſſet: ait. n. in Reſpõſione ad Campianum, Ioãnem Angelus ſemel atq; iterum ab hoc cultus genere reuocauit.

Brentius & Kemnitius cum Luthero Apocalypſin reijciunt.

Caluinus viciſſim, & eum ſequuti Cẽturiatores acriter pugnant contra Lutherum aſſerentes, Apocalypſin eſſe vnum è libris Canonicis. Cẽt. 5 lib. 2. cap. 4.

Sed hæc, de vi & iniuria Sacroſanctis Codicibus, iſto noſtro ſæculo, per Euangelicos illata, dicta ſufficiant. Cuius autẽ quæſo te, Chriſtiane Lector, Cæſaris decreta, cuius Regis mandata, cuius Regni ſtatuta, cuius Tribunalis placita, cuius Reipub. Senatusconſulta, Plebiſcita, Honoraria, qui Codices, quæ Leges, tam audacter, rã impudẽter, tam turpiter, tamq; licẽtioſe, violatæ aliquãdo leguntur, ſicut Chri Dei nri Legiferi, vt ait Eſaias, quẽ Regẽ Regũ, & dominũ dominantiũ confitemur, leges & decreta violata oſtẽdim⁹?

Fixit leges Licurgus, & ſine vulnere ſteterunt, Fixit iura Solon, & omnis Græcia intacta á Sybilo cõſeruauit, Fixit Romulus, & ne fratri quidẽ violare permiſit. Numa religiones excogitauit, & Romanus Populus quidquid edixit, obſeruauit, Qui Corneliã, Papiã, Iuliã, Falcidiã, Qui duodecẽ tabularũ legẽ, vel minimã trãſgrediebatur, capitis illico arceſſebatur, Platonis libri multis ſæculis ſtant, & diuini vocantur, Codex Iuſtiniani, mille annis in honore habetur, & qui ex eo quicquam violauit, aut ad necẽ, aut certè ad ferricrepinas inſulas trahebatur: Sed quid de venerandis illis Regum & Imperatorum legibus, & decretis loquor?

Aeſo-

Aesopi fabulis, non puto, quicquàm, vel additum, vel detractũ: immo scripturis Sacris, vt dictum est, modo non exequãt Sola Dei summi lex, tam vilis, tam contempta, apud Euangelicos habetur, vt ex ea ludos sibi faciant: & vt pilã pellant, & repellant, ita vt existimari possint ἀπόρραΐζω potius ludere (genus ludẽdæ pilæ vocat Pollux) quam diuina tractare. O Magnam tuam, Christe, bone, patientiam, Digito summi Dei in tabulis lapideis scripta decẽ præcepta legimus, & impurus Lutherus, vt fontẽ Hæresum reijcienda, Antinomi extra Ecclesiã abroganda, imò ad patibulum ableganda putant? Psalmos sæpè Christus citat, authorem eorum Prophetam vocãt: Et Lutherus Psalm. authorem, non Prophetã: sed Aesopum appellat, Rectè profectò Hylarius, Hæreticum vocat: Iudaicæ perfidiæ consortem, Hieronymus autem, peiorem esse vult hæreticum, quam Iudæũ: deteriorem, quam Gentilem.

Iudæi in corpore Christi, os non comminuerunt, non crura fregerunt, non caput, non manus absciderunt, sed flagellis emendatum, integro corpore, in crucem egerunt, & occiderunt.

At Euangelici scripturarum integritatem, quas os Domini locutum est, in mille minutissimas partes conscinderunt. Alius librum Geneseos vituperauit: alius librum Ezdræ truncauit: alius Ecclesiastem detraxit: alius Lucæ Euangeliũ Solecismi damnauit: alius Iacobi Epistolã Stramineam vocauit: Ioannis alius: alius Petri Epistolas à Scripturarum Sacrarũ corpore & integritate reuulsit, Extremã mortiferam plagam, propterea fortasse nemo adhuc obtulit, nemo omnem in vniuersum scripturam, Ethinicorum more, reprobauit, (Stencfeldium excipio, à reliquis omnibus Euangelicis hoc ipso nomine damnatum) vt quasi quandam Materiam haberent: in qua discerpenda, lanianda, violanda, laceranda, virus suæ in Deum, & in omnia diuina acerbitatis effunderent.

Vbi sunt illa tantoperè ab istis decantata, & deprædicata Epiphonemata? Nõ addes: non minues, Maledictus qui addit, maledictus qui adimit, Semel locutus est Deus, & id genus alia, Errauerunt ab vtero, Credè mihi lector, Erra uerunt ab vtero: locuti sunt falsa, quare Deus spreuit eos, Verum autem intellige, scripturam, è qua nati sunt reliqui omnes Christianæ fidei articuli, quos, qui credunt, in vitam æternam, qui non credunt, in pœnam abeunt sempiternam.

Qui autem erunt illi indocti, & instabiles, corrumpentes, vt ait Petrus, Scripturas, si Euangelici non sunt? Quod corrumpunt Scripturas, iam ostensum est: Indoctos vero quomodo negare poteris? qui quantum pondus habeat, diuinarum literarum altitudo, nondũ didicerũt? An instabiles negabis? qui aliud stantes, aliud sedentes cogitant? aliud hodie, cras aliud, pro vero verbo, veraq; Dei scriptura propinant: thesauros promittunt, carbones porrigunt, Præcipita Domine linguas eorum, ait Psalmista: Quoniam vidi, iniquitatem, & contradictionem in ciuitate, Iniquitatem in vita, contradictionem in doctrina, Iniquitatem in violanda, contradictionem in interpretanda Scriptura. Violata verò scripturæ maiestate, & exposita cuiusuis libidini eius integritate, vt arbitratu quisque suo, id, quod os Domini locutũ est, formet, reformet, probet, improbet, addat, adimat, figat, refigat, struat, destruat: quæ esse poterit stabilitas in omnibus fidæi articulis, non video: imò verò video, quanta sit consecuta instabilitas, quanta moles errorum excitata, tã in doctrina de Sacramentis, quam in omnibus Symboli Apostolici articulis. Sicut enim, qui parietem fodit, multum de illius soliditate minuit, & magnam ad ruinam occasionem præbuit, ita qui integritatem & soliditatem scripturarum distraxit, fidei profecto Christianæ maiestatem læsit, Et hæc erit, tibi o Lector, quasi quædam primæ notæ Tessera, eius, quod nos suscepimus ostendendi argumenti, Euangelicos scilicet, vel hæreticos esse, vel Christianos, nõ esse, Antiquorũ enim Hæreticorũ morẽ & consuetudinem isto nostro sæculo, ab illis renouatam vides, cum cætera omnia tum ipsas etiam scripturas vertendi, peruertendi,

addeudi, minuendi, mutandi, corrumpēdi, Sic de sui temporis hæret: scriptum reliquit, antiquissimus ille Tertulianus lib. de Præscript. Ista hæresis, non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus ad dispositionem instituti sui, interuertit: & si recipit, non recipit integras, & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tātum veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptor stylus.

In eandem sententiam scribit Cypri: de Vnit. Ecclesiæ Corruptores Euang. & interprætes falsi extrema ponunt, superiora prætereunt, partim memores, & partem subdole corrumpentes, Vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita vnius capituli sententiā scindunt. Et Augustinus Hære. 46. Ipsius noui Testam: scripturas ita legunt, vt quod voluerint, inde accipiant, quod nolunt reijciant, eisquè tanquam non totum verum habentibus Apocriphas anteponant. Isto porrò quasi quodam aggere perrupto ad omnes & singulos, fidei Christ. articulos euertēdos, quasi signum quoddam vniuersæ cohorti Euangelicæ sustulerunt, nec quidquam omnino illæsum, intactum, inuiolatum reliquerunt, idquè hoc sequenti capite, in omnibus Symboli Apostolici articulis ausos fuisse Euangelicos, ostendemus.

CAPVT SECVNDVM.

Euangelici, singulos XII. Articulos, recepti omnibus sæculis, ab omni Ecclesia, Symboli Apostolici violarunt.

QVIDQVID, tandē corde clausum gerant, Euangelici: nil certè magis in lingua promptum habēt, quàm quod eam fidei regulā tueantur, quàm Prophetæ & Apostoli tradiderunt. Id porrò si facerent, & traditiones tenerent, & fundamenta ab Apostolis posita in honore haberent. Ait enim Apostolus Ephes. 2. Non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei superedificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarū, ipso, summo angulari lapide Christo Iesu. Et. 2. Thesal. 2. Itaquè fratres state & tenete traditiones, quas didicistis siue per Sermonem, siue per Epistolam nostram.

Quāta autem fuerit omnibus sæculis, apud omnes orbis Christiani nationes, Symboli Apostolici authoritas, & Ecclesię Catholicæ, cōstans, & perpetuus vsus ostendit: & illi ipsi Euangelici non diffitentur. Quicunquè enim in Christianæ fidei misterijs vnquam instituebantur, hoc illis Symbolum ad credendum, tanquam verbum Dei non scriptū, & quoddā Christianæ fidei fundamentū, proponebatur, & hodie proponitur. Propterea, quod in eo Apostoli omniū credendorū summā siue collectionē quādā eorū quæ Scripturis sacris passim continentur, breuissime concluserunt: & quasi quandam basim totius fidei, ædificijquè spiritualis esse voluerunt: Idquè in Ecclesia Dei, in omni rerū & tēporū varietate, tanta fide & constantia, & creditū & obseruatū est. Vt sicut Euāgeliū, quod dicitur Mathæi, Mathæi esse Apostoli, & Apocalipsis Ioannis Theologi Apostoli, ita Symbolū hoc quod dicimus, Apostolorū esse Symbolū, nemo vnquā, qui se Christianū esse meminisset, ausus fuerit dubitare: idq; etiā hodie cātare prædicarequè nō desinunt, vt Augustini, verbis vtamur, & docti in Bibliothecis, & in docti in Circulis, & Magistri in Scholis, & Doctores in Cathedris, & Antistites in Sacris, & Oratores in rostris, & in versibus Poetæ, & in mōtibus Eremitæ, & inorbe terrarū omne ge-

ne genus Christianorũ. Videantur oẽs, Ecclesiæ Catholicæ, Cõfessiones, Cathechismi, Institutiones, Synodi, Cõcilia, ab ipsis vsque Apostolorũ tẽporibus, vsq; ad hæc infælicia nostra sæcula, quo versa & peruersa in peiorẽ partẽ videm⁹ omnia, nemo ita se habere negabit: & in ipso Sacro sancti Cõcil. Trident. limine, totidem verbis expressum, ac Christianæ fidei firmamẽtũ firmũ, ac vnicũ, cõtra quod portæ inferi nunquã prævalebũt, hoc ipsum qđ dicim⁹ Symbolũ appellatũ inueniet. Et si quisquam Ecclesiæ Dei perduellis Euãgelicus, negare voluerit, illũ & erroris & stultitiæ cõuincemus, sui similium perduellium Euãgelicorum, vel hæreticorum potius, luculẽtissimis testimonijs.

Martinus enim Lutherus in omnibus suis Cathechismis, Orationi Dominicæ, hoc ipsum Symbolum Apostolorũ adiungit reprobata & eiecta Angelica ad Virginem, benedictam salutatione.

In Actis Ratisbonensium & Vormatien: Comitiorũ, eo loco habere visi sunt Euãgelici, Symbolũ vt licet Canone scripturarum comprehensum non sit, scripturis, tñ exequẽdũ putẽt: & cũ ijs simul, Iudicẽ omniũ de religione controuersiarũ statuãt: & ꝑ hæretico habeãt, quisquis aliquot huius Symboli caput, nõ reciperet.

Argentinenses, in suo Cathechismo, tanquàm certam & indubitatam fidei regulam, hoc ipsum Sybolũ proponunt ad credendum.

Caluinus nõ est vnquã ausus, in genere Authoritatẽ ei⁹ cõprobare, etiãsi pleraq; peruerterit, quod deinceps ostendemus.

Ochynus quoq; pro falso & hæretico asserit, quicquid vnquam, ei Symbolo adijceretur.

Gregori⁹ Calsãder, in lib. de Offitio pij viri, docet Principes Christianos debere inuenire rationem pacis, inter Catholicos, quos vocant Papistas, Lutheristas, & Caluinistas: Quamdiu vero pacẽ nullam statuunt: debere eos permittere vnicuiq; suã fidẽ, modo omnes recipiãt scripturã, & Symbolũ Apostolorũ, Fatetur etiam & omnes credere fateriq; vult. Symbolum hoc quod dicimus esse verum & legitimũ fidei Christianæ Symbolum, nec de eo quẽquàm, sine certa perfidiæ & Atheismi nota dubitare posse.

Crometũ lib. 3. Dial.

Bullingerus quoq; testatur, siue ipsi illud fecerũt Apostoli, siue alij viri Catholici: satis tñ cõstare ipsam Apostolorũ doctrinã, purè in his contineri atq; tradi. Serm. 7 decad. 1

Huius tamẽ Symboli cuius ab ipsis nascentis Ecclesiæ quasi crepundijs vsque ad hæc nostra tẽpora Sacrosancta semper fuit apud omnes authoritas, ausi fuerunt illi ipsi, qui probare videbantur, Euangelici, nostri tẽporis, & omnes in vniuersum, & priuatim, singulos articulos, scelerate corrũpere, lacerare, vertere, puertere: idq; etiã ex illorũ monumentis ostendemus, Tu verò, mi Lector, facile iudicabis, an istos Christianos, an Atheos cẽsere debeas, qui cõmune credentiũ Symbolũ, totiusq; fidei Christianæ basim, & fundamẽtũ, nefarie violare conati sunt: Certè Tertull: infideles eos appellat, qui de fide disputãt. Quãdiu enim disputant nõdũ, ait ille, credunt, qui nondũ credunt, nondũ Christiani sunt, Istos vero qui ipsas Christianorũ inter Christianos tesseras reijciunt nonne Ethnicos, nõne perduelles, nõne trãsfugas, nõne infidelibus deteriores putabis? Sed verè dixit ille: Nil in rerũ natura, tã Sacrũ est. quod Sacrilegũ nõ inueniat: iSic fortasse expediebat Ecclesiæ Dei, in hac quoq; parte tentari, vexari, lacerari, Nemo enim constãtiam eius & soliditatẽ intelligere potuisset, si nemo vires eius lacessendo sensisset, Duritia Silicis, ait ille; nulli magis quam ferienti, nota est.

Euangelici, noua sibi Symbola fabricarunt.

QVI concordiæ Bergensi nomina dederunt, à Smidelino Faberculo fabrefactæ, Symbolũ fidei suæ sæpe vocare ausi sunt, nõ hoc, quod Ecclesia Dei vniuersa, vocat Symbolũ Apostolorum, sed Augustanã Confessionem, & libros Lutheri, In præfatione libri.

Theologi verò Casimiriani in Admonitione sua de hoc ipso Cõcordiæ libro, tũ de Symbolis in genere, tũ de hoc Smidlinistarũ cẽtone, hic loquunt ca. 4. Symbolorũ puritas, & formitas, iã à multis sæculis

probata & explorata est,& aduersum omniũ aduersariorũ oppugnationes defensa adeò, vt etiã apud omnes nostros aduersarios.qui saltem nõ ex professo euertunt Christianismi fundamentum, & renouãt veteres solide confutatas, & iustè condemnatas hæreses, sancta,& inuiolabilis sit eorum authoritas. Magnum tamen est discrimen Symbolorum, & Cõfessionum particulariũ,in eo quod Symbola sunt condita,& recepta,& posterita ti commendata,voluntate,cõsensu,& iudicio totius Ecclesiæ Christianæ in mundo:vt deinceps omnibus temporibus vsque ad mundi finem esset norma;non tãtum confessionis,sed etiam doctrinæ, & veritatis, Particularium verò Confessionum authores,nec voluerunt nec debuerunt, aut potuerunt sibi sumere potestatem ædendi Confessionẽ, nomine totius Ecclesiæ Catholicæ, obligãtem ad assensum,& approbationem, omnes omnium gentium,& temporum Ecclesias,& Christianos. Quominus rectè faciunt sex illi Theologi,qui Confess. Augusti.& librum Concordiæ,ab ipsis in Cœnobio Bergaconflatum, volunt esse Symbolum Ecclesiarum: expresse contendentes Confess. hanc, & præterea articulos Smalcaldicos,maiorem,& minorem Cathechismũ Lutheri,quibus & librum suum Bergen. accenseri volunt, Symbolum esse debere omnium Ecclesiarum.nostræ ætatis.

Osiander quoque testatur,contra Vitembergen. scribens; quod cogunt Doctores, & Magistros suos, iurare in tria Symbola, & in August. Confess. iuxtà Philippi interprætationem, quod quartum Symbolum putant.

Atheismi,contra Primum Articulum.

CREDO in Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cœli,& terræ.

Lutherus, & Philippus apertè quidẽ, & simpliciter omnipotentiam Dei negare non videntur. Sed tamen ita esse volunt omnipotentem, vt & bonorum, & malorum causam faciant.Hæc enim verba sunt Philippi, in Comment.ad.8.Caput Epistolæ,ad Rom.Sicut fatemur proprium Dei opus esse, Pauli vocationem, ita fatemur opera Dei propria esse, siue quæ media vocantur, vt comedere, bibere,&c.siue quæ mala sunt, vt Dauidis adulterium,Manlij seueritatem,Constat enim ex cap.5.ad Roman. Deum facere omnia non permissiuè,sed potenter.

Et infrà.Ergo non est,cur frigidum illud glossema admittamus, Deum mala permittere,non etiam facere.

Hunc secutus Caluinus, impie blasphemat,pluribus in locis,Deum omnipotentem, non solum impiorum auxilio vti: sed etiam eorum consilia, & cogitationes efficaciter ad malum dirigere:authoremq; esse tã bonorũ,quàm malorũ.

Sic autem,libro 1. Instit. capit.19.loquitur. Non solo permissu, inquit, sed etiam voluntate Dei homines peccant; ita vt nihil ipsi deliberando agitent, nisi quod Deus apud se decreuerit, & arcana directione constituit.

Eidem obijcit Hesusius,& alij pleriq; quod nunquàm pluribus laudibus. diuinam omnipotentiam extollere soleat, quam cum eam scriptis suis, velminuat, vel obscurat.

Idem,ait, filium personæ respectu,nõ nisi impropriè Creatorem Cœli, & terræ nominari,Patrem autem propriè. In libr. aduersus Gẽtilem in refut. 1. Prothesis.

Idem in Epistola ad Polonos, passim asserit filium esse ἀυτοθεον, hoc est, à seipso Deum,& impropriè,ac dure dictũ esse in Symbolo, Deum de Deo, lumen de lumine.

Et alio loco,verba eius habẽtur.Quomodo creator qui omnibus dat esse non orit ex seipso,sed essentiam aliunde mutuabitur. Nam quisquis filium essentialiter à Patre esse dicit,à seipso negat esse: ergo cum de filio, sine Patris respectu simpliciter loquimur,bene,& propriè filium à se esse asserimus. Ibidem

Beza,negat Deum omnia posse. Et illud Angeli. Non est impossibile apud Deũ,omne verbum, ait,non esse sine exceptione accipiendum.Nam factum fieri nullo pacto,nequit infectum,Bis,tria,nõ possunt non esse sex. Aduersus Castellionem.

Idem, in quarto suo Aphorismo aduer-

uersus Sycophantam Castellionem scribit, Dei consilium, non solum in eo esse situm vt gubernet, & rectè dirigat opera creaturarum suarum, sicut inquit Pallas, Pandoræ sagittam direxit: sed vim ei operantem atque efficientem in omnibus rebus attribuit, Et Aphoris. 23. Docet, ita Deum per suas creaturas quæ sunt eius organa operari, vt eas non tantum sinat agere & operari, & earũ actionũ exitũ dirigere: sed excitare, implere, mouere, regere: quodque adhuc deterius est, eo illas creare vt faciant quicquid statuerit.

Citat Belarminus.

Et cum ita impie, de summo Deo sentiat hic Atheus: audet tamen Catholicum pudenter affingere, quasi Christianã vniuersam religionem, fabulas aniles putẽt, vel fœtida stercora: Ait enim, Primum arcanæ illius Theologiæ quæ inter eos (Pontificem, & Cardinales intelligit) regnat, caput est, Nullum esse Deum. Alterum, Quæcunquè de Christo scripta sunt, ac docentur, mendacia esse. Tertiũ, doctrinam de futura vita, & vltima resurrectione meras esse fabulas, Addit deinde, iam pridem hæc ordinaria cæpit esse Pontificiorũ religio. Hæc vbi supra refert Belarm.

Valentinus Gentilis, multas contra Dominum & contra Christum eius impias Protheses conscripsit. In earum. 21. hæc verba habẽtur. Vnus Deus & λογος eius, duæ sunt eiusdem naturæ substantiæ intelligentes: id est, duo æterni spiritus consubstantiales, congruo gradu ordine & proprietate distincti.

Idem Prothesi. 23. solus Pater est Spiritus ἀγεννητος, vniuersitatis author immensæquè substantiæ. Filius verò Spiritus ex Deo ineffabiliter genitus: paternæ voluntatis executor, ac pro generationis modulo circumscriptibilis, genitus.

Idem ait, Dei Patris proprium esse: vt vnus & solus appelletur Deus, eumquè esse, illum summũ, atque altissimũ Deũ, quem nobis passim, Sacræ scripturæ prædicant: atque hunc eundem solum Patrẽ esse veram essentiam & naturam diuinitatis, Porrò Filium & Spiritum sanctum, non esse essentiam diuinam: sed essentiæ proles, ipsa essentia longe inferiores: atque, vt ipse loquitur definitas, atque circumscriptas.

Testatur, de eodem Gentili Beza, quod de se ita senserit & scripserit, quod esset Patronus summi Patris eminentiæ, & assertor gloriæ Patris, Quodquè nemo adhuc, p gloria, & eminẽtia, Patris mortuus esset. Prophetas, Apostolos, piosquè omnes, pro filij gloria extrema passos: eminentiã Dei Patris, nullos adhuc martyres habere.

Belarm. ex ijsdẽ Prothesibus.

Franciscus Dauidis, Claudiopoli in Transyl. natus, & os, siue tuba, Blandratæ, & alij multi in Hungaria Ministri docent, Solum Deum Patrem esse inuocandũ: qui solus est verus Deus, & solus hoc tempore curam Ecclesiæ gerit.

In lib. de supplicio Getilis. In Theũ sibus ad disputatur propositis. In cõfutat: Thesiũ Dauidis.

Faustus Socinus, asserit Christum, in præcibus inuocari posse, sed tamen addit maioris esse perfectionis ad Deum Patrem recta accedere.

Transyluanici Ministri lib. 2. cap. 6. Nomen inquiunt, Dei, non est nomen essentiæ: sed dignitatis & imperij, vt patet, quia in scripturis Principes & Iudices dicuntur Dij, sed Pater Christi habet imperium summum, in omnes, absolute, etiam in ipsum Christum, Christus habet imperium in omnes excepto Patre, Ergo Pater est summus Deus: simpliciter. Christus autem est, summus Deus post Patrem.

Hesusius scribit, quod ex Illyrici doctrina hoc eliciatur: quod animam hominis, non Deus sed Diabolus creauit. In lib. contra M. Flac. Illyricum.

Seruetus, qui sese summum orbis terrę Prophetam nominabat, impie blasphemat, Deum illum, qui dicitur, Iehoua, in ligno lignum, in lapide lapidem, in arbore arborem esse; Propterea quod formam & substantiam ligni lapidis & arboris, vere habeat.

Cit. caluin. lib. 2. Institutio. Lib. cõtra Cælestes Proph.

De Carolstadio scribit Lutherus, quod adeò fuit impius, vt non crediderit vel in terris vel in Cœlis vllum Deũ existere.

Bernardus Ochinus, in penultimo Dialogo suo, sub Philosophi persona, religionis omnis expertem se esse professus est: non quidem prorsus Deum esse negans, quem primum esse mororem concedit: sed eum nec adorandu nec ab eo præsidij quicquam, expectandum docens.

Citat Hosius in sua Cẽsura.

Iaco-

Citat Vlembergius in Cautis.

Iacobus Andreę, Hesusius, Mécelius, Accidentarij Sacramentarij, tribuũt hoc Illyrico, Spangebergio, Ireneo, Substantiarjs Sacramentarijs, quasi Diabolum faciant hominum Creatorem, & cũ Manicheis vnum Deum, bonum, alterũ malum credant, & doceant.

Christianus Frankę, Christi perduellis, & ter Apostata, non modo Christũ, ait Gorscius noster, in sua Præmonitione, non modo Spiritum S. vt cæteri aggredi tur. Verumetiam ipsum Deum Patrẽ in ius vocat, quod ille, cum nil generet, patrem se dici patiatur: idq; nomen vt, & totius Trinitatis Idololatrarũ arte confictum, ait, Trinitatemq; discordiarum in religione condẽnat, exterminariq; iubet.

Lyndanus etiam Ludouico Hetzero hoc tribuit, quod Deum vnũ esse eumq; solitarium docuerit, filij generationẽ, & Spiritus S. processionem prorsus irrisit, & repudiauit. In Dubitátio, Citat Villagnonius Richerum quendam Caluini discipulum docuisse. Christum in Deo patre, non inhumana carne adorandum, lib. 1. cap. 83.

Et in Iesum Christum, filiũ eius, vnicum Dominum nostrum.

CONTRA hunc, & contra sequentẽ articulũ huius Apostolici Symboli primus omnium apertè agere cœpit, Michael Seruetus Hispanus, iuuenis ferox, & audax, Cuius impietatẽ secuti sunt Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Lelius Zosinus, Franciscus Dauid, Valentinus Gentilis, Matheus Gribaldus. Frãciscus Lysmaninus. Iacobus Paleologus, Gregoriꝰ Paulus, Georgius Niger, Basilius, Stanislaus Sarnicius, Budneus, Martinus Czechouitius, Glirianus, Stanislaꝰ Sudrouius, Slte sins Ki. Stanislaus Piesz Kouic, Siekierzinski. Daniel Bilinski, Farnouius, & aliæ simiiles pestes, & quisquiliæ.

Cæterum ipse quoque Lutherus in Commentarijs ad Hæbreos, teste & interprete Bucero, negat Christum esse omnipotentem, non omnia animaduertisse, nec cogitasse omnia: Et Tom. 4. Latino Ienę Impresso 1558. Omnes, inquit, Prophetæ viderunt in Spiritu, quod Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, Sacrilegus, blasphemus, quo nullus vnquàm maior in mundo fuerit.

Lyndanus in Dubitãtio.

Seruetus porrò, non indocilis Lutheri discipulus, docet nullam esse in Deo distinctionem personalem, & Christũ Dei filium appellari, quod ex ipsa Dei substãtia caro eius in vtero Virginis concepta, & confirmata sit.

Citat caluinꝰ libro. 4. Institu. cap. 4.

Franciscus Dauidis, Trãsiluanorum, Pseudo Apostolus, Theses non paucas edidit: contra Deum, & contra Christũ eiꝰ, Talmutho Iudaico, & Alcorano Turcico, quam Euangelio similiores, plenæ sunt enim immortalis in Christũ odij, ita vt existimari possit ex ipsius tetri Cacodemonis Schola prodijsse, In earum prima, Sicut habet vir doctissimus Posse uinus, Christum Iesum contemptim vocat, Iesum Nazarenum, Iosephi vxoris filium, In secunda, Christum per spiritũ Propheticũ locutũ pernegat: sed omnia quæ dixit ex ipsius Dei ore processisse in sexta, Christum Regem populi Dei esse designatione sola, quoniam ex omnium, inquit, Prophetarum oraculis, certũ est illum nullum aliud Regnum, quàm terrenum habiturũ. In 7. 8. & 9. Thesi blasphemat. Nil in terra nunc Christũ agere, ac ne Deum quidẽ amplius dici posse, quemadmodum: inquit, cum in mundo versaretur, fortasse poterat ratione officij. In 10. Christũ adorandũ haud quaquã esse, & cum in terris vitam ageret, non alio quam Ciuili honore affici rectè potuisse, In 11. Nullum alium cultũ Christo defferri posse, nisi quẽ eius præcepta seruando deferrimus. In 12. Christo nos confidere non debere definit, nisi quatenus ea, quæ nobis dixit vera esse credimus, & quæ Dei nomine promisit, nos accepturos iam fidamus. In 13. Christũ inuocari omnino prohibet. In 14. Christum in præsentia mediatoris officio, inter Deum, & homines minime fungi. In 15. Christum Sacerdotem, negat, & si vnquam re vera Sacerdos fuit, tum esse desijsse.

In Atheismis.

desijsse, affirmat, cùm in Cruce expirauit. In 16. Christo itaque in sua quiete placide versari dimisso, nil, inquit, nos ab eo iuuari apud Deum vel credamus, vel curemus, nisi quatenus dũ hic inter nos fuit, salutisque viam nobis, ostendit, & ad Deum accedendi modum docuit.

Idẽ, in Albana disputatione tertia, & Blandrata, disput. 6. Asserunt christum esse adorandum, quia Deus id iussit, non tamen vt altissimũ, sed vt altissimi filiũ.

Idem in 8. disputatione Albanensi illud. In nomine Iesu omne genu flectatur, sic interprætatur. Non quia ille sit Deus altissimus, qui loquitur Isaiæ, & cui nomen Iehoua, sed quia Deus christus hominem sibi exaltauit.

Iacobus Paleologus antequam errores suos agnouisset hoc argumento cõtra christi diuinitatem vsus legitur. Non potest vllus verus Dei filius, esse vllus verus Deus, Christus autem est verus Dei filius. Nõ igitur est verus Deus. Sed egregie captiunculam illam refutauit eruditissimus Belarminus, & coram, vt audio, & in libro de Christo.

Bernardus Ochinus Dial. 1. suos omnes Idololatriæ dãnat, & superstitionis, siquis tẽplum, in quo vlla sit, vel in fenestra saltẽ, imago venerabũdus ingrediatur, aut si quis nomen Iesu veneretur.

Crom. lib. 2. Hosius Epistola ad Ducem Prussiæ.

In Austria habitum est Colloquium inter Ministros quinque oppidorum, vbi decretum est, vt in Orationibus Germanicis, non dicatur amplius more Papistarum. Per Christum Dominum nostrũ, sed per Christum seruum tuum fidelem.

Budneus in Lithuania, vir ob horrendas in Deum Blasphemias execrandus, post tot alias versiones, vertit ipse quoq; in linguã Polon. vt ante diximus Noui Testamenti libros: vbi infinita propè verba e textu eiecit, quib⁹ christus ab æterno Deus ostenditur. Præterea vero in quadam sua responsione Polonica 130. testimonia, & rationes adducit, quibus probare contendit Christum, nõ ab æterno genitum, sed in tempore factum esse Deum.

citat Czechouicius fol. 42 Dial. Polon.

Huius æmulus Czechouicius animarum in oppido Lublineñ. teterrimus Archypyrata, tam contemptim de Iesu Dei viuentis filio, & sentit, & loquitur, vt ausus sit blaterare sicut de eo in præfatione Freni sui Polonici doctissimus testatur Pouododius, quod Deus, quem Iehoua vocat, ita Christum, & eius doctrinã castigauit, & castrauit per Papam Romanum: sicut olim Iesus castrauit, & castigauit summi Dei legem, & eius Ministrum Mosem.

Alanus in suis Dialogis testatur fuisse in Synodo Bernensi 1554. Calesium quendam boni Caluini, optimum collegam, qui publicè ausus est affirmare. christum nec alium, nec aliud esse à Patre, eoque nomine reliquis tacentibus à solo Petro carolo fuisse repræhensum.

Adrianus Hamstedius, affirmat, Credere Christum dominum ex semine mulieris natum, ac humanæ carnis nostrique generis participem, factum esse, non fundamẽtum esse religionis christianæ, sed ipsius fundamenti, circunstantiam quandam, Atque idcircò qui christum ex mulieris semine esse negat, is non fundamẽtum negat, sed vnam ex fundamenti circunstantijs. Lynd. in Dubitan.

Surius Anno 1556. citat Petrus Hansonius Saxo in suo (Entdekunug.)

Dauid Georgius asserit se verum esse Messiam, Patris cælestis charissimũ filium, non ex carne sed ex Spiritu Sancto natum, se restauraturum domũ Israelis, verosque Leui filios, & verùm Dei tabernaculum, idque non cruce aut morte aut rebus aduersis vt alter christus, sed clementia, & Spiritus christi qui ipsi à Patre sit datus amore & gratia.

Faberculus Smidelinus in lib. Cõcordiæ, docet Christum Deo Patri fuisse, & esse obedientem, non solum vt hominẽ sed etiam vt Deum.

Alanus? in Dialogis citat Guilielmũ Goubrigiũ quendam in Anglia, qui ne christi quidẽ nomẽ ferre potuit, sed illud mente & animo, & auribus vehementer abhorrebat, cuius etiam 12. hæreticas opiniones recenset, quas suas fuisse, propriæ manus subscriptione testatus est coram iudicio. Prima sic habet.

Ego Guilelmus Goubrigius Publicè asserui Sacerdotes reos esse læsæ Maiestatis Diuinæ, quod hostias in tres particulas distribuant, & non integram more nostro recipiant.

Secun-

Secundum: Neminem debere Ieiuniis vacrare, aut corpus castigare.

Tertium: Nolle me confessionē apud Sacerdotem edere, nisi meo me arbitrio absoluat: & mihi perscribat, vt dicam, Deus propitius esto mihi peccatori, & Benedicat me Deus Pater, &c.

Quartum: Neq; Apostolos neq; Euāgelistas, neq; quatuor Ecclesiæ Doctores, adhuc patefeciſſe, qua ratione peccatores salui fiant.

Quintum. confessionem meam, hoc Septennio fuisse mihi inutilem.

Sextum, Asserui, neque vitam pie actā, nec Ieiunia posse prodesse ad hominis salutem.

Septimum, Asserui Christum non esse mundi redemptorem, sed futurum mundi deceptorem.

Octauum, Arbitratus sum, hanc voeem, Christus, esse fædum nomen, illudq; vbicunquè in libris meis occurrebat, plerumquè dispunxi.

Nonum, Christi nomen in Iesum commutaui, & vbi habetur in Symbolo Apostolico, in Iesum Christum, ego canebam, In Iesum, Iesum: hoc idē egi in precibus in Paschate.

Decimum, Asserui & scripsi, vniuersos, qui in Christum & nomen eius crediderunt, in inferno damnatos.

Vndecimum, Aperte negaui me vnquam nomen Christi, confessurum.

Alan. In Dialogis. 6

Duodecimum, Hæc præterea Christi verba, Accipite & manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, ad hunc modum interpretatus sum, hoc est corpus meum, in quo populus circūuenietur & decipietur.

Luthetus, Campano hoc tribuit, Aurī fabro teste, quod ausus sit gloriari, se clarius, & luculentius loqui, de vera Christi diuinitate, eamquè suis coloribus melius exornare posse, quam ipsum Euāgelistā Ioannē. Cōlloquiorum. fol. 1354

Sed piget castas aures, istiusmodi blasphemijs polluere: satis sit, his aliquot exēplis ostendisse, hūc quoq; Fidei articulum, ab Euangelicis deprauatum esse, & propterea censeri inter Christianos non debere, Plura in hoc genere dicentur, in Cap. de Sanctissima Trinitate.

Qui conceptus est, de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

SERVETVS lib. 2. de Trinitate. Docet Christi, carnem esse diuinam, & cælestem, ac ex Patris essentia genitam. Testatur Surius.

Memnō, asserit, Christi corpus ex Patris substantia, cælitus delatum esse, in vterum Virginis.

Anabaptistæ, diserte docent, vt Sarcerius scribit, Christum non habuisse verā carnem, ex Maria Virgine assumptam: sed secum cæleste & spirituale, è Cœlis corpus detulisse, & ex Virgine Maria nil assumpsisse: sed corpus eius, tanquàm per canalem pertransisse: Carnem verò ex elementis huius mundi attraxisse, quam tamen mundo reliquit, cum in Cælum ascendit: & propterea phantasticum illi corpus tribuunt, hoc est, nudam corporis apparentiam, siue corpus apparens. Cochleus lib. de erroribus Monast.

In dicione Palatinatus VVittembergensis: prope Heildebergam, publicè disputatum est, inter dissidētes hæreticos? An Christus ex Virgine carnem assumpserit. Hosius Epistol. ad Ducē Branſuicenſ.

Albertus quoque Ardembergius, in Conuenticulo quodam Branſuuicensi, negare volens, Christi corporis virtutem in Eucharistia, euidentius id negare non potuit, quam vt simul etiam Christum è Virgine nullam carnem vnquam accepisse negaret: sed sicut sol per aquam, nullo ex illa humore cōtracto, sic Christum per Virginis vterum, pertransiuisse. Hosius Epis. 65

Brentius, in lib. de Maiestate Christi hominis, declarans, Quid sit, Verbum caro factum est, hoc, inquit, tale est, quod filius Dei, sic impleat filium Mariæ, vt cò municent cum eo, omnem suam potentiam, sapientiam, fælicitatem, & præsentiam: nisi enim hæc sit sententia, non habebitur inter Christū, & alios homines, discrimen.

Idem, de omnipotentia Carnis, audet dicere, Virginis vterū reuulsum & apertum, Christo ingrediente, sed continuo diuina virtute coaluisse partes vteri, vt etiam

Bellarmi nus, lib. de Christo.

Citat cz echo. uicius in Annot Noui te ſtamenti

etiam poſt partum, virgo dici poſſit.

Budneus, in Lithuania colliegit. 130. Teſtimonia, & rationes, quod Chriſtus nõ ſit ab æterno Deus: Et illa verba Iſaiæ, Ecce virgo concipiet, vocat, lingua Polonica, (plathem prziszitem,) hoc eſt, aſſutum centonem.

Hoſi⁹ in Antibrẽ tio.

Bucerus, agens animam, confeſſus eſt, verum Meſſiam nondum veniſſe, nec eſſe ex Spiritu ſancto conceptum, nec ex Maria Virgine natum: ſed venturum tamen & naſciturum.

Citat Surius in cõm.

Hoffmannici fabulantur, Deum ex ſeipſo, & non ex Maria Virgine hominem factum eſſe.

Citat Budne⁹

Ioannes Niæmoiousky, locum illum Pauli ad Philippen. Qui cum in forma Dei eſſet, interprætatur, qui cum opera Dei propria, & conuenientia faceret.

In verſione noui Teſtamenti.

Czechonicus, aliter hunc locum ipſum intelligit. in forma Dei eſſet, hoc eſt, quãdam Dei ſimilitudinem haberet. Et illud, Exinaniuit ſemetipſum, tum ſcilicet, cũ ſe tradidit in manus peccatorum.

Idem, per illud, deſcendit de Cœlis, nihil, ait, aliud debemus intelligere, quam illam ſuam ex Spiritu Sancto conceptionem, Sanctificationem, & ad annunciandã voluntatem Dei per miraculorum exhibitionem, miſſionem.

Trã ſyluanici Miniſtri Anno 1567. ediderunt librum, contra Incarnationẽ Domini Ieſu, vbi inter aliàs horrendas Blaſphemias, hæc quoque habetur lib. 2 cap. 11. Illud Ioann. In principio erat verbũ. Nõ ſignificare initium creationis rerum, ſed Innouationis, quæ facta eſt per Chriſtum; Et aiunt. In principio renouationis Eccleſiæ, verbum hoc eſt, Chriſtus homo, erat quidem in mundo, quia iam erat natus ex Maria, ſed erat apud Deũ, quia erat occultus hominibus, & ſoli Deo notus, donec à Ioanne manifeſtatus eſt.

Vtrũ q; citat Poſeui nus.

Idem cap 3. aiunt Chriſtum propterea vocari à Ioanne verbum, quod verba Dei prædicauerit.

Libr. 6. Dialog. Ibidem

Alanus ſcribit, fuiſſe in Anglia fœmina quandam, Ioannam Cantianam, quæ negauit Chriſtum, humanam Carnẽ ex Maria Virgine ſumpſiſſe. Eandem Hæreſim Petrum quendam hominem Germanum docuiſſe aſſerit.

Sturmius Rector Argentoratineñ. errorẽ hunc Concordiæ Bergeñ. & eius fautoribus, Pappo, Oſiãdro, & neſcio quibus Scholarchis tribuit, quod Chriſtus non p clauſtra virginalia genitus, ſed vt per lapidem ſepulchralem, ita etiam miraculosè ex vtero Marię in lucem penetrauit. Parte 2 Antipi 4.

Budneus in Lithuania ipſiſſimus Antichriſti anteambulo, In notationibus Polonicis, quas verſioni ſuæ Polonicæ noui teſtamenti adiunxit: cũ alia multa in Chriſtum, & de Chriſto Dei viuentis blaterat: tùm de operatione Spiritus Sancti, deque cõceptione Marię Virginis, nefanda quædam vomit potius quam loquitur. Conatur impius ille euincere, Chriſtum fuiſſe verum, & non putatiuum Ioſephi filium. Sed dices, ait, Quomodo põt Chriſtus eſſe Ioſephi filius, ſi conceptionem eius, operatus eſt Spiritus Sanctus? Reſpõdeo. Imò Spiritus Sanctus operatus eſt, Sanctiſſimã illam conceptionem: ſed non ex ſe, nec ex aliquo alio, quam ex quo omnes homines concipiuntur. Nam illi Rithmi, quos Papa canit: Non ex virili ſeminę, ſed miſtico ſpiramine, verbum Dei factum eſt caro, ſunt meræ fabulæ, contra expreſſum Dei verbum. Nonne enim ſcriptura dicit Rom. 1. Qui factus eſt ei filius ex ſemine Dauid, ſecũdum carnem, vbi rogo, & hunc, & alia loca eiuſmodi, relinques. Sic igitur habeas, quod ſcriptura ſolam tãtum coniunctionem excipit à Conceptione filij Dei, ſed non ſemen. Quamobrem, & nos, quod illa excipit, excipimus, quod non, excipit, non excipimus, Dices iterũ, Mirabilis eſt iſta conceptio, Re vera mirabilis, nec ſolum mirabilis, ſed iuxta noſtrum intellectum impoſſibilis, idq; etiã Angelus ipſe teſtatur cum ait. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbũ. Quare, & nos par eſt in eo acquieſcere, nec inſecrata Dei vlterius irrumpere. Vt Sara pareret, impoſſibile videbatur, ſicut, & illud, vt Eliſabet Ioannem ederet. Ita vt mirùm, aut impoſſibile videri debeat nemini, quod dicimus, Mariam ſine cognitione viri, ex viro concepiſſe, ſed dices quomodo? Reſpondit illi Angelus, Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ecce habes quod non opus eſt vlterius quærere: ne Dominum Budnei ſælera tæ opiniones.

num ad vindictam cum Zaccharia prouocemus. Hæc sceleratus Budnæus in suis Notationibus. Ipsi quoq; in vniuersum Lutherū, & si Christum crepare plenis buccis non desinant, quo loco tamen Christū habeant in Colloquio Altēburgēsi, ostenderunt. In quo plus quā in locis quadraginta, Christum Deum Apostatæ Lutheranum exequare non dubitarunt: quod profecto non fecissent, si Christum verum Deū credidissēt. Hāc enim semper vtuntur cōiunctione, Christus, & Lutherus, Iuxta verbum Dei, & Lutheri, Ex verbo Dei, & Lutheri, Ex Euāgelio, & Luthero, Teste scriptura, & Luthero, non acquieuit Spiritu sancto, & Luthero: Paulus, & Lutherus: Paulus, & Confessio Augustana, Ioannes, & Apologia Philippi. Acta Apostolorum, & Cathechismus Lutheri.

Quod, quid quæso aliud est, aut q̄ maior indignitas, & ignominia nomini Christi inuri pōt, quā quod Deus verus, cū isto nouo Belial coniūgatur. Obliti, scilicet vidētur isti noui Philistei, quod olim Dagō in Arcæ Dei præsentia stare nō potuit 1. Reg. 5. Sic nec istud nouū Idolū Islebiēn cum nomine Christi stabit: etiā si à suis Luth. erigatur. Quid dico cū Christi nomine, Corā altero Idolo sibi simili stare non potest. Surrexit Caluinus: & pronus cecidit Luth. Surrexit Seruetus, & Blandrata, & Caluinus cum suo Sathanismo, comminutus est, & sicut truncus abscisō capite, & manibus remansit. O membra Sathanæ!

Passus sub Pōtio Pilato, Crucifixus, Mortuus, & Sepultus.

ANDREAS Musculus, teste Staphilio de Concor. discipulorū Lutheri docet diuinitatem Christi in Cruce, & passam, & mortuam esse.

In eadē sentēria fuisse Luthe. ex ipsius lib: de Concilijs constat, Bucerus, in 27. cap. Math. & Beza in c. 2. Actorum docēt, intelligi sepulchrum in scripturis nomine inferni: proinde nil aliud esse Christū descendisse ad inferos, quam sepultum esse.

Idem Beza (sola enim sibi constat veritas) scribens contra Brentium, ait, vicissim omnes meridie cæcutire, qui ex Historia Lazari, & diuitis non deducunt verū locum inferorum, vbi damnati torqueantur: & proferens vocem Hæbraicam, non minus acriter pugnat, p inferis veris corporalibus, localibus, sub terraneis, vt Brētio resistat, quam in alijs vicissim locis pugnat, vtveros ac locales infernos destruat & in sepulcra conuertat, vt Catholicis resistat: sic enim loquitur doctiss. Belarminus. In vita Luther. Anno 1527.

Ioānes Cochleus, & Surius meminerūt cuiusdam Apostatæ qui palam docuit, & asseruit Christum in agone, & in Cruce desperasse & damnatum fuisse.

Anabaptistæ, & Libertini negantes Christum ex Maria Virgine carnem assumpsisse, in eum ettorem per quandam consequentiam inciderunt: vt non verè passum, non verè crucifixum, non verè mortuum, & sepultum, sed per phantasma docerent. Idem.

Brentius, ait, Deū, humano generi placari alia ratione noluisse, quam vt Christus pœnas peccatorū susciperet, & vt ipse loquitur, cruciatus, & dolores horrendos mortis, & inferni: & tum maximè flāmis infernalibus accensum fuisse, cum diceret, Deus Deus, meus quare derelinquisti me Melāchton in Locis communibus bis dicit, Christum Luctatum grauissime, cū tentatione, de abiectione. Cit. Hosius Antibrent. Cap. de filio.

Caluinus affirmat, Dominum, absque ratione, & Spiritu, orasse, vt trāsiret ab illo calix, & eam orationem, nec cogitanti sibi excidisse, & ita illum fuisse in ara Crucis à Deo derelictum, vt nec diei lumen impetrare potuerit. Lib. 3. instit.

Idem in Harmon. Euang. ait, Christū nō quidem desperasse, tamen emisisse vocem desperationis. Ad cap. 27. Mat.

Idem lib. aduersus Libertinos, affirmat duos quosdam extitisse, qui Christum in Cruce obijsse negabant; ac propterea neque surrexisse, & ob hanc ipsam blasphemiam Valentianæ capitis supplicio affecti sunt.

Idem Euangelistas omnes stulti, & anilis, delirij condemnat, quod plagis Christum

stum confossum, post resurrectionem atq; eadem figura, vbi aduenerit appariturum pronuncient. Addit propterea nimis violenter Euāgliſtas torquere Prophetæ verba, dum quod dicitur à Zacharia. Et aſpicient in me quem confixerunt, ad clauorum cicatrices transferunt.

Inſt. lib. 2. cap. 16.

Cſechouic: in Polonia, falsum esse dicit, quod Paulus ait: Dominum gloriæ crucifixerunt, & ait, quod Iudæi simplex tantum homicidium commiserunt, quia hominem tantum, & non dominum gloriæ occiderunt.

Citat locum Vilkouuius Medic.

Vittakerus Anglus, ait Christi diuinitatē in Cruce passam esse, si quidem vult Christum se ipsum obtulisse, secundum suum spiritum æternum, ergo secundum spiritum æternum est mortuus, catholici inferunt, ergo mundus caruit Deo in triduo mortis Christi. O monstra.

Citat. Cop. in Dialog.

Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

LVTHERVS in Sympoſiacis, tit. de inferno, ait. Quid sit infernum ignoramus: sed certum quendam locum putamus suppliciorum.

Contra, in 2. cap. Ionæ. Quid sit infernus ante diē iudicij, non sum adhuc certus, Nam quod aiunt esse quēdam locum seperatum, vbi tenētur damnatorum animæ, sicut pictores pingunt, & ventri serui Præsbyteri prædicant: pro nihilo reputo, cum nec ipse Diabolus, sit adhuc in inferno.

Caluinus pro fabula habet Christi ad inferos descensum: Sic enim ait, Nescio qui factum sit vt posteritas locum putaret esse subterraneū, cui affinxit nomen limbi: sed hæc fabula tametsi magnos authores habet: & hodie quoq; à multis serio pro veritate defenditur, nil tamen quam fabula est. Lib. 2. cap. 16. sect. 9. Addit postea, Si roget quispiam, an tūc descenderit Christus ad inferos, cum mortem deprecatus est, respondeo, hoc fuisse exordium? vnde colligi potest, quam duros, & horribiles cruciatus in anima perpessus fuit, cū se ad Tribunal Dei reum stare cognosceret nostra causa. Ibidem.

Idem ait, Descendere ad inferos nihil aliud fuisse Christo Domino, quā diuinæ vltionis seueritatem sentire: cum inferorum copijs, æternæque mortis horrore, quasi cōsertis manibus luctari, eam mortem perferre quæ scæleratis ab irato Deo infligitur, Valde terribilis est, longeque miserrima inferorum abyssus, sentire te à Deo derelictum, & alienatum: & cum exaudiri vis, non exaudiri: perinde ac si in tuam perniciem ipse conspirasset. Ibidem.

Et in cap. 27. Matth. scribens, Descendere ad inferos, nihil aliud esse vult, quam damnatorum, vbicunque infligantur tormenta, Ibidem etiam limbum, & locum in quo asseruebantur piorum animæ, vsque ad Christi descensum, fabulam non veretur appellare, quæ magnos authores habeat, ipsos nimirū Prophetas, Apostolos, Apostolorumq; proximos successores, & Ecclesiæ vniuersalis per orbem diffusæ etiam primoribus illis sæculis cōsensum.

Idem, mutatum esse, & transpositum Articulorum ordinem in Symbolo negatur, & ait, poni debuisse, crucifixus, descēdit ad inferos, mortuus, & sepultus, etc. volens ostendere descensum ad inferos, nil aliud esse quam tormētorum sensum, in anima, ante efflatum spiritum.

Eandem sententiam, & doctrinam probauit, & laudauit in Anglia rubricatus quidam Martyr Lathimerus, præsente, & audiente Rege Odoardo.

Cit. Sāctius in epist. ad Card. Lothar. cit. Mi. Dial. 8. Posseuinus in Atheismis.

Bucerus quoque, hominum esse, ait, inuenta, quæ de Limbo Patrum, de reali descensu Christi ad inferos, deq; locis obscuris docentur.

Beza, veterem illam Ecclesiā hoc quoque nomine traducit, eamque præ se vno, & Magistro suo Caluino despicit, ac tanquam fabulis addictam conspuit.

Benarmius.

Vittakerus contra Doreum, idem quoque vult esse ad inferos descendere, quod sepeliri.

Doreus viciſſim Vittakero Synagogæ An-

Citat Alanus Dial. 6.

Anglicanæ authoritatē obijcit, quæ in publicis præcibus cantet descensum Christi ad inferos, & eodem sensu intelligat quo Catholici.

Brentius vicissim, in Cathechismo edito Anno 1551. descendere ab inferos, nihil aliud esse interpretatur, quam penitus interire.

Idem, libro de Christi Maiestate, docet, inferos nō esse certum aliquem locū, seu statum damnatorum. Imò addit vbiq; esse inferos, vbi sunt impij, qui tentantur de altera sua damnatione.

Idem Antonius Coruinus sensisse existimatur.

Testatur etiam in 2. cap Actorū scribēs, inuentum esse quēdam hac ætate, qui diceret, Christi animam verè ad loca damnandis nocentibus destinata peruenisse: & ibi peccatorum nostrorum pœnas luisse. Is porrò fuisse existimatur, Ioan. Aeppinus, scribens in Psal. 16.

Petrus Martyr, in libro contra Gardinerum, obiectione 11. & Beza in libro de omnipræsentia carnis Christi, non negāt quidem Christum resurrexisse, atq; exiuisse, de monumento, antequàm lapis amoueretur per Angelum, sed existimāt probabilius esse, amotum fuisse prius lapidē, nimirum diuina virtute lapidem cessisse, vel annihilatum esse, & continuo loco suo restitutum.

Surius Citat. Hosius in Antibrentio

Zuniglius docet, Christum ad inferos non realiter, sed potentialiter descendisse. Oecolampidius, inquit, hæc verba, descendit ad inferos, declarationem esse tātum dictionis illius, sepultus.

Belarminus.

Svvenefeldius vult Christum, post resurrectionem, non habuisse amplius humanam naturam, sed eandem in diuinā commutasse.

Posseuinus.

Henricus Bulingerus, ait, Christum, in Assumptione sua super omnes creaturas exaltatum fuisse, atque ita creaturam esse desijsse.

Cochleus Anno 1527

Apostata Prædicans Magdeburgi docebat, quod infernus non est, qđ Christus non descendit ad inferna, Sancti Patriarchæ, & Prophetæ non fuerunt in inferno. Christus, cum hanc vocem dixisset, Heli Heli, damnatus fuit, quia desperauit.

In libro quoque, discordis Concordiæ suæ docent, qui eam confarcinarunt Patriarchæ Bergenses, Nos, inquiunt, credimus simpliciter, quod tota persona Christi, Dei simul, & hominis, post sepulturam ad inferos descendit.

Petrus Hanso: Saxo in (Entdekung grosser thor. heit.)

Ioannes Faber, scribit, Schaphausiæ, vi sum esse Ministrum. qui prędicabat Christum non resurrexisse, propterea quod eū oportebat per omnia fratribus assimilari, qui semel mortui antè extremi Iudicij diem, in Carne non resurgunt.

Ioannes quoq; Dureus Schotus in sua responsione, testatur in Cōuenticulo quodam Londinensium Sacramentiperdarū tentatum fuisse, quemadmodum sine tumultu articulus iste. Descendit ad inferos, penitus eximeretur de Symbolo, posteà quam verbi Ministris tot facessseret molestias.

Vittakerus quoque in Responsione ad Campianum. Vetera, inquit, Symbola, eo articulo caruerunt, quemadmodum auctor est ille: quisquis est, qui Symbolum cōmentarijs illustrauit apud Cyprianū, Leuior forsan eorum culpa fuit, qui Romanam Ecclesiam, quam tu errare posse negas, immitari voluerunt.

Extat liber Henrici. Vici Ostouini Domini. De descensu Iesu Christi ad Inferos. Antuerp. 1586. æditus. In eo multorum hæreticorum errores, de Christi ad Inferos descensu enumerat, & doctissimè refutat: Sunt bene multi ait, fol. 11. qui vestigijs Erasmi, insistentes, iudicent eam Symbolo insertam: quidam quidem longo tempore, puta post Cypriani ætatem: vt qui ipsius (vt aiunt) non meminerit in expositione Symboli: quidam vero post aliquantum temporis: atque etiam ita, vt non protinus, sed sensim Ecclesijs insuerit: cæteris nihilominus hæreticis sehic non mouentibus, sed hanc particulā, æquè atque aliàs, Apostolis, cum Ecclesia ascribentibus. Deindè, quod ad necessitatem attinet, inter eos qui ipsam pro adiectitia habent, alij quidem eius additionem planè necessariam prædicant: vt qui scribant in tractanda doctrinæ summa, ei locū dari necesse esse; alij vero eā pro non prorsus necessaria habent. Fueruntque, qui licet nouas fidei suæ confessiones

sionem sæpius cuderẽt, & recuderent, nullã tamen in eis descensus ad inferos, mentionem facerent: quæ, vt nunc sunt tempora, minimè prætermittenda fuit: nõnulli aũt cum priuatim, tum in Synodo quoque consultarent, quonam modo eam ex symbolo expungerent, & Sic Interimistis quibusdam, qui eam pro non adiectitia habent, apertè, & verè scribentibus, quod Christus descenderit ad infernum, articulum esse fidei. De sententia porrò verborum, quanta est varietas. Sunt enim qui ea ita exponant, vt aliquem verum Christi ad inferos descensum agnoscant. Alij verò, ea sic interprætantur, vt licet verbis descensum eius ad inferos profiteãtur, reipsa tamen ipsum negent; Suntq; hæ Parcæ, rursus inter se diuisæ: tametsi enim priores in hoc omnes conueniant, quod inferos pessimè accipiant, pro loco damnatorum ad pœnas æternas, tamen quidam perpessum, quidam vero scribũt, quanam ratione omnia sint ibi gesta, non esse expresè traditũ, nisi quod 1. Petr. 3. scriptum est, quod Christus, & his, qui in carcere erant, spũ veniens prædicauit: cui addunt: Forte enim, satis nobis esset, genus nos tenere, exactam explicationem huius mysterij, in altera vita audituris, Posteriorum vero, alij quidem tradunt, nõ nouum aliquid hac particula dici, sed alijs verbis repeti quod prius de sepultura dictum fuerat: quandoquidem infernus (vt aiunt) sæpius in scripturis, pro sepulchro ponatur: alij vero docent, quod Christus dicitur ad inferos descendisse, id significare, ipsum cum hic pateretur, pertulisse in anima pœnas, & mortem dãnatorum, quæ sceleratis ab irato Deo infligũtur: postremo sunt, qui miscellaneam quandam horum verborum interpretationem comminiscuntur, partim ex his postremis sententijs, partim ex alijs à se additis. Hæc Vicus.

Cit. Sãderus. Puritani in Anglia, consuetam rationem celebrandi Paschatis, semel in anno præhendunt, dicentes quod resurrectio Domini semper debet versari in memorijs hominum, & non ad aliquod anni tempus limitari.

Ascẽdit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

ILLYRICVS lib. de Ascens. Domini, ad illũ Petri locum, Act. 3. Quẽ oportet cælum suscipere, contendit Christum hominem non esse in cælo, vt in loco, sed potius cœlum esse in Christo, cum ipse sit vbique.

Idem, in eodem loco, vult Christum in die Ascensionis ascẽdisse vsque ad nubes, deinde non vlterius perrexisse, in illa forma corporis visibili, & circumscripta, sed quodammodo euanuisse, ita vt iam nunquã sit in illa forma aspectabili, sed vbique in inuisibili Maiestate.

Idem, in eodem loco, docet: Articulum hunc, Ascendit in cælos, accipi figurate non propriè, & solum significare gloriam, Regnum, & Maiestatem Dei, non autem certum aliquem locum.

Et iterum ait, Quid sit, Ascendit in cælum, explicatur per verba sequentia, sedet ad dexteram Patris, hæc autẽ sunt Metraphorica verba. Nec enim Pater habet proprie dexteram. Igitur etiam ascẽsio Christi in cælum, Metraphorice accipi debet. Ibid.

Svvencfeldius docet, Christi humanitatem post Ascensionem non esse creaturalem, sed supercreaturalem, & ipsum ẽt ratione humanitatis esse Deum verum. Cit. Posseuin.

Brentius, affirmat humanã Christi naturam, non 40. primum die post resurrectionem ad cælum ascendisse, sed ab initio incarnationis in cælo fuisse. Nunc autem non solum in cælo, & in Sacramento, verum etiam vbique, & in omnibus locis adesse integra, & vbiquitaria præsentia, & alijs diuinæ naturæ suæ proprietatibus. Hãson. in Endekung.

Vestphalus quoque docet, Christum ascendisse ad cælos, non aliud designare, quam enanuisse. Caluin. contra Vestfal.

Czechouic. Lublineñ. locum illum Ioan. 6. Si videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius: interpretatur, scilicet heri vltra mare Tyberiadis. Pouodouius in freno.

Budneus in Lithuania hæc ipsa verba

In notationib' Polo: Noui testam.

vbi erat prius: vult intelligi Ieroſol. vbi erat prius.

Liber cõcordiæ Smidelianæ habet hęc verba. Nunc autem poſtquã Chriſtus non ſimpliciter, vt alij Sancti, in cælos aſcendit: ſed vt Apoſtolus teſtatur, ſupra omnes cælos, realiter omnia implet, & vbiq; eſt, & omnia non ſolum vt Deus, ſed etiam vt homo gubernat, à mari vſque ad mare, & vſque ad terminos orbis terrarum.

Cit. Petrus Hãſo: ſaxo.

Ioan. Sturmius, in Palinodia ad Lucam Oſiandrum, nouas quaſdam illius, tum & Patrum Bergenſium de cælo, & Aſcẽſiones opiniones recenſet.

Vos inquit, fol. 11. cælum aliud genere rale in quo ſunt etiam Diaboli, cum ſuis Angelis, aliud facitis ſpeciale, Et huc illa veſtra pertinet cõcluſio, Corpus Chriſti eſt in cælo, ergo, & in pane, & vino, nã & hæc elementa ſunt cæleſtia, vt inquit Eritreus, Aſcenſionem Domini quoque quam Symbola Catholica vnam eſſe prædicant, vos triplicem facitis, duas in Cõceptione, & morte, eaſq; veras. Tertiam imaginariam, ſiue vt tu erudite, in altero Antiſturmio ais, in Teſtimonium gloriæ, & Maieſtatis, Chriſto collatæ factam.

Eadem habet parte 2. Antipapi. 4.

Confeſſio Miniſtrorum Antuerpien. Aſcenſionem Chriſti veram fuiſſe negat, Sic enim loquitur, producto illo Pſalm. loco, Sede à dextris meis. Hic clare audimus Aſcenſionem Chriſti eſſe illam exaltationem, qua pater eum potenter à mortuis excitatum exaltauit, & ad dexteram ſuã collocauit: & quod idem ſit Aſcenſio in cælum, quod exaltatio ad dexteram, nẽpe ſumma quædam glorificatio cuius Maieſtatem quis enarrare poſſit, vel auſit?

Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.

LVTHERVS, explicans, 5. cap. ad Galat. ex profeſſo videtur hunc articulum fidei, impugnare, cũ ait. Cum recordatus fueris, quod Chriſtus ſit Iudex viuorum, & mortuorum, vel legis doctor, qui tibi iraſcitur, qui à te rationẽ poſcet, quomodo vitam exegiſti, tum pro veritate credas, quod talis non ſit Chriſtus, ſed maledictus diabolus ex inferno.

Brentius, vt alij omnes, qui doctrinam illius de Vbiquitate carnis Chriſti ſequũtur, & hanc, & quatuor alios præcedentes Symboli Apoſtolici articulos vno impetũ conuellunt. Nam ſi caro Chriſti, vt ipſi inquiunt, eſt vbique, nec è Cœlo ad iudicandum veniet, quia, & hic eſt, nec aſcendit ad Cœlos, quia, & ibi erat, nec reſurrexit quia, & extra, & intra ſepulchrum erat, nec deſcendit ad inferos, quia omnia implebat.

Belarminus.

Dauid Georgius, auſus eſt inter alia multa impia dogmata aſſerere, ſe eſſe maiorem Ieſu Chriſto, quod hic ex muliere in carne natus ſit, ſe vero è Spiritu Sãcto Cœleſtem Chriſtum natum, & vnctum, & quod in extremo die, totum mundum iudicaturus eſſet.

Surius in Ann. 1556.

Citat Villagnonius, Richerum quendã Caluini diſcipulũ, qui docuit, non Chriſtum ſed Deum Patrẽ, in filij perſona ad iudicium appariturum, & viuos, ac mortuos iudicaturum.

Lib. 1. cap. 83.

Anabaptiſtæ Morauici diẽ extremi iudicij, poſt biennium futurum dicebant.

Citat Cochl.

Idem docebat prope Vvittembergã paſtor quidam ab ipſo Luthero, inſtitutus, ac ita ruſticos miſeros dementauerat, vt omnia quæ parata habebant helluarẽtur, nec agros vllos colerent, ſed ſe in cælũ. Mittſtiẽffel vnd ſporn aſſumendos expectarent; cum ocreis, & calcaribus.

Citat Naſus Cent. 1.

Credo in Spiritum Sanctum.

ERASMVS in ſua prælatio: in lib. Hilarij. Audemus, inquit, Spiritum Sanctum appellare Deum, & vereres auſi non ſunt.

Citat Belar.

Valẽtinus Gentilis, ferè ſemper in ſuis ſcriptis, dicit de Spiritu Sancto non eſſe quæſtionem.

In Proteſſib.

Idem Prothеſis 36. & 37. ſolum Patrem vult eſſe eſſentiatorem filij, & Spiritus Sancti.

Lib. 2. c. 5. cõtra Incarnatio Ieſu.

Tranſyluanici miniſtri, nil aliud eſſe volunt Spiritum Sanctum, quam creatam quandam motionem in ſanctis, vel operationem Dei, vel donum aliquod ſingulare,

lare, à Deo proueniens, quare etiam negant adorandũ, aut inuocandum, vt Deũ, cum inscripturis nusquàm vocetur Deus.

Citat Hosius. Seruetiani, omnino Spiritum Sanctum ex Trinitate excluserunt, nec eum pro tertia in Deo persona recipiunt.

Casanouius in Epistola ad Caluinum, aperte negat Processionem Spiritus Sancti, à Patre, & Filio.

Petrus Carol⁹ Epistola ad Lothar. Farellus Spiritum Sanctũ nil aliud esse vult, quam motum in rebus creatum Ochynus Dialog. 25. negat quidquam saluti necessarium à Spiritu Sancto allatum esse. Citat Hosius in Censura.

Petrus Martyr, disceptationem Theolog. Græcorum, & Latinorum, de processione Spiritus Sancti, ait esse ociosorum hominum occupationem, & pure Scholasticam.

Citat Belarmum. Fuit quoq; in Anglia, Ioãnes Vuesserlanus, quem tamen Foxus inter Martyres

Alanus Dial. 6. referre non dubitat: qui Spiritum Sanctũ à Patre solo, per filium procedere cũ Græcis affirmabat.

Crasnik, quidam Euãgelicius vir Nobilis, in Lituania moriturus, coram vxore, & liberis fidei suæ professionem faciebat, & quod à puero didicerat Symbolum Apostolorum recitabat: & cum hunc ipsum Articulum, Credo in Spiritum Sanctũ, in cursu sermonis recitasset subsistit, seq; recollegit, dicens, Male dixi, Non Credo in Spiritum Sanctum, ac idipsum etiam semel, & iterum altiore voce repetens, blasphemum emisit Spiritum: nec Symbolum ad finem recitauit, idq; vxor eius, & liberi coram quodam viro graui confessi sunt, ex quo audiuimus.

Budneus quoque in Lituania, collegit vndecim Sacræ scripturæ testimonia, qđ Spiritus Sanctus non sit Deus.

Matthias Geruasius, sicut in Actione 8. Conuentus Francketalem legitur: in hæc verba de Spiritu Sancto scribit. Nam per vnicum Spiritum (quem non peculiarem personam, sed Dei virtutem esse confitemur) ambo, Pater nimirum, & filius, & vnus verus Deus operati sunt, & dominati à principio, & in æternum.

Huc pertinet Hæresis Pneumachorum de cuius erro ibus suo loco dicetur.

Lucas Sternbergius, in Sacrosanctã Trinitatem, in Christi Iesu diuinitatem, & in Spiritum sanctum, in SS. Dei genitricem Mariam, de Eucharistiæ Sacramento, de Baptismo, de Sabbato colendo, multa blasphemia: & abominanda docuit: vnum, & solum Deum esse credit, Christum, & Sanctum Spiritum abnegauit, vocans eum cum Eunomianis, ἀγραφὸν θεὸν. Non scriptum Deum.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

HVNC Articulum violauit ante omnes alios Luthe. cum, pro Ecclesiam Catholicam reposuit Ecclesiam Christianam: & ita scribi, notari, cantari, in omnibus templis, & Cathechismis, & Latina, & Germanica lingua voluit. Sic habent Cathechismi Lutheri impressi per Germaniã: sic puerorũ Alphabeta, & Cathechismi Hutenouij, Mycronij, Ioãnis à Lasko, sic Cathechismi in Gallijs, & Antuerpię cũ Priuilegio æditi, quos se vidisse testatur vti doctissimus Guillelm⁹ Lyndanus. In Dubitãtio.

Idem Luth. cõtra Ambrosium Catharinũ scribens, ait, Ecclesiam esse inuisibilem, & spiritualem, & gregem passim dispersum, neq; temporũ continuationi neque locorum vniuersitati, neque successioni ordinariæ, alligatum: ita vt expungi è Symbolo rectè queat, nomen Catholicæ.

Idem in libro de Concil. & Ecclesia, dicit, Ecclesiam esse populum Sanctum Christianum; & infert more suo, Papam, & Cardinales non esse Sanctos, ergo non esse de Ecclesia.

Idem Sanctorum Communionem, vult intelligi, vbi soli tantum Sancti, & pij sunt congregati, in eadem fide mente, & sententia. Ibidem.

Idem de Communione Sanctorum, sic loquitur; Ego nolo tecũ mea bona opera diuidere, tu quoque tua ne mecum diuidas, sed ea penes latronis cadauer in furca patenti suspendas, Nam eiusmodi Communiones, & fraternitates scripsunt,

nos, à fraternitate Christi per quam nobis omnia donat, & impertit quicquid Christus est, & habet, super Cap. Ioan. 20. de Magdalena.

Et alio loco. Quis aũt Ecclesiam istam nobis monstrabit, cum sit occulta in spiritu, & solũ credatur, sicut dicimus, Credo Ecclesiam Sanctam, lib. de abrog. Missa priuata. Tom. 2. fol. 248.

Infinita prope loca afferri in medium possent, in quibus hic, Dei, & Sanctorum contẽptor, de nomine Ecclesiæ, & de Sanctorum nomine, & Cõmunione delicias, sibi facit, Non debet, inquit, (scribés in 28. Cap. Genesis) Christianus proximũ, omnium minimum, inferiorem æstimare Diuo Petro, & omnibus Sanctis: qui sunt in Cœlo; Et postea Illi (Sancti) tam profundè fuerunt demersi, quam nos, & nos tam alto loco sumus, quam illi. Et alibi, Christianus homo debet, & tenetur, ita dicere: Valde bene scio, quod infernum cum D. Petro merui: Quod autem illi similis, & tam diues, atq; Sanctus sum, quam est Diuus Petrus, age, hoc similiter promerui, vt ille, est mera benignitas, & gratia, Paulò post: Neq; est, quod timeas ne Sancti tibi propterea irascãtur, si te ad hunc modum illis similem reputes. Hoc solum deest, quod non possumus hoc loco satis superbire. Iterũ. Omnes sumus Sancti, & Anathema sit illi, qui se non vocat Sanctum: & hoc nomine gloriatur. Si enim his Christi verbis. Ascendo ad Patrem meum, &c. credis, tam benè Sanctus es, atq; D. Petrus; & omnes Sancti, Tandem concludit: Difficultatem habet, quod peccator dicere debet. Ego sedem habeo in Cœlis, propè diuum Petrum, Nihilominus huius Sanctitatis nomine, gloriari, eamq; prædicare non oporteret.

Et in præfatione, in cuiusdam M. Alex. j libellum, de Ecclesia, ad hunc modum loquitur: Omnis eorum Sanctitas, inquit in eo consistit, quod multum orarunt, & ieiunarunt, quod magnos labores subierunt, corpus castigarunt, duriter cubarunt, & aspero vestitu vsi sunt, Qua omnẽ propemodum sanctitatem etiam canis, & porcus, quotidie exercere potest.

Et in præfatione in Commẽtaria Philippi, in Epistolã, ad Rom. pag. 2. Sic cum Apostolo Paulo ista Mastigia ludit. Quin volumus. Paulo suam quoq; gloriam saluam, ne quãdo iactet aliquis, Philippum esse Paulo superiorem, vel æqualem: sufficit te Philippe Paulo superiorem esse.

Confessio August. Art. 7. docet, Ecclesiam Sanctorum esse congregationem, qui verè credunt, & obediunt Deo.

Philippus in Locis communib. articulum hunc Symboli, Sanctam Ecclesiã Catholicam, ita exponit, Credo aliquam esse Ecclesiam.

Idem in Apologia, ostendit peccatores non pertinere ad Ecclesiam, nisi nomine.

Idem, Ecclesia, inquit, nõ est apud Catholicos, sed apud eos, vbi Euangelium Christi recte prædicatur.

Vicissim alio in loco, idem Philippus, & cum eo Brentius, dicunt malos esse admixtos bonis, & ideò putant malos esse in Ecclesia, aliquo modo, sed non de Ecclesia, ita vt duas Ecclesias statuere videantur: Vnam veram, ad quam pertinent Priuilegia, quæ narratur in scripturis; & hanc esse Sanctorum Communionẽm. Et Congregationem, qui verè credunt, & obediunt Deo, & hanc non esse visibilem, nisi oculis fidei. Alterã externam, quæ nomine tantum esset Ecclesia, & hanc esse cõgregationem hominum in doctrina fidei, & vsu Sacramentorum, & in hac bonos, & malos inueniri.

Caluinus, docet Ecclesiam constare ex solis iustis prædestinatis, & inde tria colligit. Primo fidem semel habitam, nunquàm in æternum perdi posse: & proinde omnem, qui habet fidem necessario esse prædestinatum.

Secundo, veram Ecclesiam à solo Deo cognosci posse, eiusq; fundamentum esse diuinam electionem, quia nimirum constat ex fidelibus, qui necessario sunt de numero electorum.

Tertio, docet esse præterea quandam Ecclesiam externam in qua sunt boni, & mali.

Bucerus libro 1. de Regno Christi c. 5. definit Regnum Christi, procurationem salutis electorum Dei, quos Deus in terris colligit, Idẽ sensit, Hesusius lib. de erroribus Pontificiorum.

Libertini Sanctorum Communionem ad

ad bona tantum temporalia pertinere interpretantur.

Bernardus Ochynus, homo perditissimus, ac propterea natus, ne solus Seruetus omniũ impurissimus censeatur, in suo Italico Cathechismo Basileen. Ann. 1591. impresso, de hoc artic. Credo Sanctã Ecclesiam Catholicam, sic loquitur, in persona cuiusdam illuminati: Ecclesia Catholica non est aliud, quam congregatio Sanctorum, Sancti verò quandiu sunt in hac vita, possunt errare, sequitur, quod illis fidem præstare non tenemur, Sicut PP. præstari sibi vult, sed Soli Deo: & verbo eius: ita quod credere non debemus, nec in Sanctam Ecclesiam, nec Sanctæ Ecclesiæ, sed tantum credendum est Sanctam Ecclesiam esse: & quod simus portio quædam illius, & electorum Dei.

Citat Copus Dial. 5. Puritani Anglici, aiunt Ecclesiam Catholicam ab ipsis statim Apostolorum temporibus fuisse planè corruptã, quam obrem, nec vllis Patribus fidem præstandam censent, nec vllas traditiones admittunt.

Nasus fol. 251 Hesusius vocat Ecclesiã, Cætum Squalidum, & coram mundo abiectum, nullis instructum opibus.

Posseui nus in Atheis. Beza vocat Ecclesiam, corpus opacum.

Plessiacus. Scribens ad Regem Galliæ fol. 325. Sic definit Ecclesiam, Ecclesia opacum, & tenebrosum corpus, neq; luminosum nisi à Deo: quatenus in verbo eius capit lucem: hinc, si abduxeris, singulis momentis, potest offendere.

Manlius, in locis communib. scribit, quod cum plurimi Euangelici in Ciuitate bacharentur, & fanda infandaq; Euangelico more patrarent, choreasq; ducerent, admoniti à ministro transeunte, vt modestius se gererent: Responderunt, cur tibi iudicium sumis de Ecclesia?

In Articulis Smalcaldicis, hæc verba habentur, Manifestum est, quod Sancta Ecclesia, sine Papa fuerit, ad minus per 500. Annos: & quod esse possit, & bene subsistere sine eiusmodi, Capite, neque vllius PP. indiget, aut ex tali capite vllam vtilitatem potest capere. Par. 5. Art. 4.

Christianus Franken, ne quidem per annos 500. Ecclesiam Romanam, sine errore stetisse cõtendit. Ait enim, in quadam Epistola ad omnes pios, & Orthodoxos Christianos, quam refutat Cornelius Loos Callidius, in Vrbis, & orbis defensione, Mirabili prorsus iudicio, ego factum diuino puto, fratres mihi in Christo venerandi, & dilectissimi: quod adhuc crescens, & tenera: quæ ætate viribusque confirmata, æternam omnibus afferre salutem debebat, Christiana Religio, in omnium statim, vt gentium, ita superstitionum dominam, Romanam Vrbem delata, ibiq; ethnicis ritibus, cæremonijs, interprætationibus, vestita, deprauataq; ad multas nationes, per mille, ac quingentos, eoq; amplius annos, vera peruenire, sinceraq; non potuerit.

Ochynus, in Tartareis suis Dialogis, inducit quendam narrantem, quod quæsierit omnes reformatas Christi Ecclesias eo consilio, vt in omnium Sanctissima perfectissimaq; Sedem sibi faceret: sed vsu veniisse sibi, quod columbæ illi, à Noè emissæ, quæ nusquàm nacta locum, vbi pedem figeret, in arcam reuersa est. Sic, & se reuerti domum in Vngariam, vbi constituat incontaminatam, Ecclesiam, cui respondet Ochynus, Quærere ab omni vitio purgatam Ecclesiam, nil aliud esse, quam Cœlum in terra quærere. Citat Hosius.

Reliquorum Euangelicorum diuersas, & dissentientes de Ecclesia opiniones, & in Ecclesiam Romanam calumnias terrerrimas, contumelias, diras, furias, blasphemias, conuitia, maledicta, non est huius Cõpendij recensere; lippis, & tonsoribus notum est. In hoc vno solo capite conueniunt, vt Ecclesiam Catholicam Romanam, acerbissimo, & immortali odio prosequantur, & oppugnẽt, capitibus, scilicet diuisi sunt, & dissentientes, caudis tantum, vt Sampsonis vulpeculæ colligati.

Reprobata autem ab Euangelicis Sanctorum Communione, tam eorum qui nobiscum adhuc in Ecclesia militante, vitam viuunt, instar militarem, quam eorum, qui in beatorum sedibus immortales agunt Triumphos, quos, & acerrimis conuitijs proscindunt, & sese illis in omni pietate, & Sanctitate exæquant, reiectis illorum festis diebus, ex-

punctis è Calendario nominibus, quales vicissim in eiectorum loca, diuos reposuerint, quos colendos, immittandosq; sibi proposuerint, quos in suam Communionem vocauerint, Foxus, & Panthaleon Euangelicorum Martyrum creatores, ac fabricatores, in suis Martyrologijs ostendunt.

Panthaleon quidē in suo Gallico Martyrologio, Zuinglium, & aliquot millia cum eo cæsa: & Poltrorum Guisij Ducis carnificem, in Sanctorum Martyrum cōmunionem admisit.

Foxus vero, vt copiose, & dilucide in suis Dialogis idem ostendit Alanus, homines vitijs infames, Oestro Veneris percitos, libidinum seruos, perfidia notatos, fraudis, & doli Architectos, homicidas, adulteros, sacrilegos, maxime vero eos, vt ibidem loquitur, qui propter furtum, Sacrilegium: propter magicas, & damnatas artes, propter læsam Maiestatem, aut alia iam dicta infanda crimina, legittimæ potestatis gladio puniti sunt in Martyrum numero collocauit.

Dial. 1.

Coubrigius, quod cū laicus esset, omniaque tamen Sacerdotis munera, & officia exercere non dubitaret, legittimæ potestatis authoritate, vita priuatus est, & ob id à Foxo in diuos relatus legitur.

Copus vbi sup.

Robertus Kingus, Robertus Debhanus, Nicolaus Martius, quod rem Sacrā è loco Sacro, hoc est imaginem Crucifixi, & & alia quædam abstulere, Sacrilegij sui pœnas exoluerunt, & facti sunt Foxo Martyres.

Illē ibidem.

Midletonus, & Cobhamus, & Actonus Beuerlaus, Bronus ob crimen læsæ Maiestatis suspendij, & incendij pœnas subierūt, & ausus tamen est Foxus in locum Anatholij Sotheris, atque Dorotheæ Martyrum ad 8. Idus Febr. in suo Calendario Cobhanū reponere. Pro Claro, & Luciano Martyre ad 7. Idus Ianu. Actonum. Pro Seuerino, & Thimotæo ad 6. Idus Ianuar. Bronum, Pro Iuliano, & B. Virg. & Martyre Iuliana ad 5. Idus Ianuarij Beuerlaum, Quin & Ziskam Bohemum hominem seditiosissimum pro B. Agatha ad nonas Febru. substituere non dubitarunt, Bohemici erroris defensores.

Georgius Agleus Tholeus, & Adamus pro furto suspensi, & deartuati, diui subito Foxo facti sunt.

Ioannem quoque Marbeccum cęlo dignatus est, propterea, quod alacri constantia, vt ait, Martyrium in igne subijerit, cum tamen Marbecus, scribente Foxo viueret, & Vindelesoriæ eleganter psalleret, & organa pulsaret.

Copus vbi sup.

Bylimbrotus, & Alionora ob Artes Magicas exilio, & suspendio damnati sunt, & in Sanctorum Foxianorum numerum recepti.

Copus vbi sup.

Margaretha Iordamana, quam Magā Aiensem vocabant, & Rogerus Onleus imaginem Ceream, magicis suis artibus ita commenti erant, vt quemadmodum, illius accensæ lumen, ita quoq; vita Regis Henrici Sexti sensim extingueretur, & hoc ipso nomine damnati sunt, & Foxo facti Martires.

Sexcēti sunt alij omni flagitiorum genere cooperti, quos Foxus, & Panthaleō, Cælo suo, & Calendario, rubricatisque nominibus, dignati sunt: digni, & ipsi, & omnes illorum similes Euāgelici, vt cum talibus Diuis Communionem habeant, & hic, & in futuro sæculo. Vidimus, & nos aliquando Calendarium Germanicū, in quo pro Martino Papa, & Martyre M. Lutherum suffecerunt: & hunc diem ita notauerunt: Hæc est Secunda Natiuitas Christi: pro B. Agatha Ziskam, pro Hilario Hussum, pro Beda Confessore Bezam, pro Saturnino Seruetum, pro Genandio Gentilem, pro alijs sanctiss. & laudatiss. viris, alias atque alias humanæ generis pestes, & quisquilias boni Euāgelici suffecerunt.

In Ciuitate Regni Poloniæ, Gedanēsi, tabellas quasdam Calēdarij impresserunt, posteaquam in fidem Regis Stephani recepti sunt, In ijs nomen Regis Stephani explosis Sanctorum nominibus ad 12. Ianuarij diem rubricatis literis posuerunt. Constantinum Ierberum Ciuitatis Consulem ad 22. Iulij expuncto S. Mariæ Magdalenæ nomine: quo hæc à nobis die scribuntur, ad 22. August. Cōradum Lemka, & ad 22. eiusdem Tydemanum Giffam Mercatores Lutheranos.

Non solum autem ex Calendario, Sā-

ctorum

ctorum nomina expungunt, Sed in Germanicis Biblijs Lutheranę versionis, vbi Cæna Christi cum assidentibus discipulis depingitur: pro Christo Lutherum ponunt: pro Petro, Philippum Melanchtonem: pro Ioanne Maiorem: pro Andrea Eberum: pro Philippo Pheffingerum: pro Iacobo, Pomeranum: pro Thoma, Alesiũ: pro Thadeo, Ionam, &c.

Extat quoque, & circumfertur, inter Euangelicos Symbolum Apostolorum, siue à Luth. siue ab alijs sectarijs conscriptum, lingua Germanica, quod publice ab omnibus recipitur, & vbiq; passim, tã opificibus in officinis, quam à mulierculis, ad colum, & radium: ab omnibus autem ad pocula, tum in templis omnibus, ab omni vulgo cãtillatur, Sub finem huius Symboli, habentur hæc ipsa quæ dicimus verba Germanica (die gantze Cristenheit auff erden helt eynen sin gar eben, das ihr, alle sunde vergeben werden) hoc est, In tota orbis totius Christianitate, tenetur in vnius sensus æqualitate, quod omnia omnium sint remissa peccata: Et hunc esse volunt, tredecimum Symboli articulum, in ebrio Luth. capite natum.

Cit. Hosius in Proleg. Brentius nomen Catholicę, per quam scurriliter impostoribus, hypocritis, Idololatris, & adulteris, tribuit. Quia, inquit, in cætu humani generis, nihil est vniuersalius, & generalius, magisq; Cathol.

Cit. Hamylton. Scotici Ministri in Apolo. Ecclesiã, in partibus quidem visibilem: at ipsam totã inuisibilem esse affirmant.

Porro de veris, ac indubitatis veræ Ecclesię, signis ac notis, nil vnquam certi cõstitutum habuerunt Euangelici, nec adhuc habent: Alij duo, alij tria, quatuor nõnulli signa statuunt: quod nostræ gentis scriptores Orthodoxi: Hosius, Socolouius, Gorscius, Scargius, Patricius, abũ de prosequuti sunt. Cæterum Anno superiore prodijt: Ingelstadij Germanicè impressa Retorsio Ioan. Pistorij Nidani Marchionis Badensis cõsiliarij, in qua ait: Lucam Osiandrum, Aulicum Sturgardij Cõcionatorem, notis Ecclesiæ suæ; isto syllogismo comprehendere consueuisse Quę cunq; Ecclesia credit, & ore confitetur. 12. Articulos fidei, eosque pueris discendos tradit: vt primum vsum sermonis acquirunt. 2. Quęcunq; Ecclesia, Deũ Patrem, Deum filium, Deum Spiritum Sanctum inuocat: & Pater noster orat. 3. Quæ decem præcepta retinet: iuxta ea vitam format, & mandata hominum valere iubet. 4. Quæ filios, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizat, & baptizari permittit, & credit quod per baptismũ, ex filijs iræ, facti sunt filij Dei. 5. Quę sacram Cænam sub vtraq; specie sumit. 6. Quæ pœnitentes soluit, impœnitẽtes ligat: Quęcunq;, ait, Ecclesia habet ista Sex, tanquam capita Christianæ Religionis: ista est vera Ecclesia; Sed addit deinde, quod pęnè erat oblitus, & caput est Euangelicæ pietatis. Quæcunque ministros habet dignos, honestos, vxoratos, & ex consensu populi susceptos, qui materna lingua Sacramenta ministrant, & conciones habeant, quæ eleemosynas dat, vitricos ordinat, seculari potestati obtemperat, hanc demum esse vult, optimus Osiander, veram Dei Ecclesiam. Sed omnia prorsus dixisset: si addidisset, vbi Sacerdotes obtruncantur, Moniales violantur, templa diruuntur, imagines euertuntur, bona eripiuntur, Reges oppugnãtur, leges conculcantur, imma summis miscentur, ibi est Ecclesia Dei, O patiẽtia tuam Christe.

Remissionem peccatorum.

LVTHERVS calumniatur Ecclesiam, quasi doceret, quod meritis tantum, & satisfactionibus nostris assequamur remissionem peccatorũ. Pleni sunt omnes eius libri.

Et in quarta disputatione aduersus Antinomos, dicit pœnitentem apud catholicos oportere esse incertum de remissione peccatorum.

Ibidem affirmat: Papistas cogere homines vt diffidant, An Christus pro illorum peccatis sit mortuus.

Idem in assert. Art. 31. docet nullũ esse peccatum veniale ex natura sua, sed omnia esse mortalia, ex se, venialia autem ex misericordia Dei.

Melancht: in æditione Confeſſ. Vittemb. Anno 1531. Sic habet, Reijciuntur & iſti, qui non docent remiſſionem peccatorum per fidem contingere, ſed iubent nos mereri gratiam, per ſatisfactiones noſtras.

In ęditione quoq; eiuſdem Confeſſ. Anno 40. Nuſquam, ait, quidquam certi docent, quomodo contingat remiſſio peccatorum: de fide, eſt prorſus altũ ſilentiũ. Imo iubent perpetuo dubitare, de remiſſione peccatorum.

Surius Anno 1556.

Dauid Georgius, qui ſe cæleſtẽ Chriſtum, è Spiritu Sancto natum, & vnicum vocabat, docebat ſe habere poteſtatem ſoluendi peccata, & remittendi, & retinendi.

Carnis reſurrectionem.

Săderus in Monarchia

LIBERTINI, aiunt, quod antequam carnis reſurrectio fiet, Spiritualis quędam renouatio prędcedet: Eam vero reſurrectionem, cuius in Symbolo fit mentio, iam dicunt tranſijſſe.

Crometus in colloq. Geneb. in Chronol, & Hoſius i Proleg.

Anabaptiſtæ, vt in Colloquio Frankeraleñ. videre eſt, cum vigerentur, vt de hoc articulo, dilucide, ac rotundis verbis, quid crederent explicarent, diuerticula plerumq; quærierunt, ſubinde tergiuerſantur, lubrico verborum circuitu ſe inuoluunt; vt intelligi non poſſit, quid ſentiant.

Dauidici, Dauidem ſuum volunt eſſe Chriſtum verum, Diabolũ nullum exiſtere, nec futuram carnis reſurrectionem, nec extremum iudicium, Angelos, dæmones, Baptiſmum, Matrimonium, Scripturam, Regnum cælorum nihil eſſe.

Anno 1572. Ortum erat, inter Geneuen Archiminiſtros, diſſidium non vulgare, de carnis reſurrectione, quod tamen ob ſcandalum ſtatim ſopitum eſt, ſed in funere nihilominus mortuorum ſiue reſurgant, ſiue non, Pernotus Miniſter, cenſebat canendos eſſe Pſalmos, & Deum prædicandum, vt vſitata de profanis rebus tractatio impediatur: Beza vero conſuetudinem retinendam, qua Hæretici efferuntur in ſepulcrum, morum belluarum, abſque vllo religionis vſu, & precationis ſpecie, Ne, inquit, videamur more Papiſtarum orare pro mortuis, (fortè dixiſſet, credere reſurrectionem, more Papiſtarũ, niſi ſenatus ſecularis Vulcania Argumẽta, & ardentes faſciculos metuiſſet.)

Leuan, quidam in Lithuania: ex Iudæo Chriſtianus, ex Chriſtiano Zuniglianus, ad vltimum factus Atheos, in ſua impietate, ſine vlla fide reſurrectionis, mortuus eſt: Cum ſepultus eſſet, per aliquot continuos dies, terra cum eius corpore dehiſcebat, ita vt repleri foſſa non potuerit, quod ex fide dignis audiuimus.

Extat libellus 2587. Tyguri impreſſus, cum hac inſcriptione, B. Iobi fides, & cõfeſſio de reſurrectione mortuorum, nouiſſimo iudicio, & vita æterna, Ludouici Lauateri Tygurini, Hunc è Germanico latinum fecit, Ioan. Pontiſella Curienſis, In præfatione teſtatur apertè, multos hoc ſæculo de reſurrectione mortuorum dubitare: Sic enim ait: Sed, & noſtro iſto ſæculo non paruus ἐμπαίκτων numerus qui ſcurriliter rident, quęcumque de nouiſſimo Chriſti ad iudicium aduentu, mortuorumque reſurrectione, in ſacris litteris afferuntur.

Et vitam æternam.

LVTHERVS negat, quod animæ Sanctorum, poſtquam è carne abierunt: in cœlum recipiãtur: aut faciem Dei ante reſurrectionem videãt: ſed in quodã loco ſingulari detineri, & quieſcere: bonos quidem in lætitia, malos autem, in timore, & tremore, Res in eo conſiſtit, ait, quod Enoch, & Elias ipſi, nec dum ſciunt, quo in loco ſint.

Tom. 4. Zenen. fol. 43.

Idem interrogatus, de ſtatu vitæ æternæ, reſpõdiſſe perhibetur. Deus, inquit, nouam terram creabit, & nouum cælum, quin, & noua creabit animalcula, & catellos, quorum cutis erit aurea, & pili de lapidibus præcioſis: non deuorabunt ſe mutuo animalia, vt ſunt bufones, ſerpentes, & id genus alia, quæ hic venenata ſunt, & nocere ſolent, propter originale peccatum. Tum vero non modo nobis in

Cit. Aurifab. tr. de vita æterna. fol. 455

nocua

nocua erũt, verum etiam amabilia, & grata, & cum ijs animi causa lusuri sumus. Et paulò inferius, ibi formicæ, Cyniphes, & omnia fœtida, & male olentia animalia, meræ deliciæ erunt, & optimum odorem spirabunt.

Caluinus quoque, in Pschopannichia, & vitam æternam, & simul animæ immortalitatem negare videtur: cum ait, Præbet nobis Christus aliud Argumentũ immortalitatis animæ suę, Cum Ionam triduo immersum in ventre Cęti mortis suę Tipum constituit, Venter ille mors est, Animam igitur in morte saluam habuit. Et paulò post. Quid est igitur quod Isaac patris gladio non moritur, nisi quia quod proprium est hominis, immortale Christus præstitit, hoc est anima. Aries verò animal irrationale, qui in locum eius substituitur ad mortem, corpus est: E quibus Caluini verbis consequitur, homines qui non sunt diuinitate suffulti, sicut erat Christus, in morte cum corpore, & anima pœnitus extingui. Et hæc est omnium Euangelicorum perfectio, vt nec Cælum vllum, nec infernum esse credant Citat Belarm.

Budneus in Lituania, nouus Ebionita, inter alias blasphemias, quas in suas notationes contra Christi diuinitatem congessit, ex cap. 17. Leuit. probat esse animas nostras mortales: propterea, quod anima carnis in sanguine est, Qua de re cum reprehensus, & erroris cõuictus esset à Patre Luca Gelasio Societatis Iesv Sacerdote, amico meo: Sic suam blasphemiam eludere voluit, quod scilicet non scripserit vnquam, animas esse mortales, sed hoc tantum, quod non viuant.

Canisi. i Præfa. de corrup. ver. Dei.

Virtembergen. arguunt Andream Iacobum Smidelinum, quod nec Cælum, nec infernũ credat: & quod de vtroq; in Allegoria dici putet, ea quæ dicuntur: & nudã rerum latentium habere significationem.

Habitum est olim Colloquium Maulbruneñ. Præsidentibus doctissimis scilicet Theologis Palatino Rheni Electore, & Christophero Duce Virtembergen. In eo postquam sese inuicem, hæreseos condemnassent, excommunicassent, diris deuouissent, ad extremum disputationem quandam de cælo inierunt, quod etiam nimium altercando perdiderunt, ita vt præter infernum, nil reliqui post mortem supereſſe faterentur. Hosius Epi. 73

Ministri Transiluanici, sumpta occasione, ex illo scripturæ loco, Caro, & Sãguis regnum Dei non possidebunt; Docent & frustra sperant, & expectant Christiani, vt in regnum Cælorum ingrediãtur, sed quod post vltimum iudicium, Hierusalem cælestis in terram descendet, in qua manebunt mille annis, & quod Samuel Propheta annunciabit verbum Dei, & Christus Maiestatem Regni cælestis in terram secum adferet. Sicut ait Symbolum: Inde venturus est iudicare non autem dicit, reuertetur in Cælum.

Zuinglius in lib. coñ Vrbanum Regiũ, docet posse hominẽ solis naturalibus virtutibus, & meritis vitam æternam impetrare vt Cato, & Scipio, quos sanctificatos affirmat. Cit. Posseuinus.

Confessio quoq; Mansfelcleñ. damnat Sacramentarios, quod Aristidem, & Pomponium Aticum, sine agnitione Christi, per solam naturæ legem, vitam æternam possediſſe docuerunt.

Labefactata autem ad eum quem diximus, modum Symboli Apostolici authoritate, quod verbum Dei, non scriptum, sed traditum Ecclesia Christi confitetur, impetum deinceps in Dei Sacramenta fecerunt Euangelici. Consequens enim erat, vt conuulsa, vel extincta potius fide in Deum, & in Christũ eius, externa quoque fidei signa, seu Symbola, quæ Sacramenta vocamus, de statu suo mouerentur, dignitateque sua spoliarentur: Idq; per Euangelicos tẽtatum esse, in eo quod sequitur capite ostendemus. Superbia enim eorum, ascendit semper.

CA-

CAPVT TERTIVM.

Euangelici, numerum Septem Sacramentorum, minuerunt, virtutem ademerunt, maledictis confixerunt, omnia audaciſſime contempſerunt, vel indigniſſime polluerunt.

Sapientiæ 2.

Hæc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.

Matthæi 18.

Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.

SEPTEM eſſe Eccleſiæ ſuæ Sacramẽta, & ipſe Chriſtus voluit, & totidẽ in ſcripturis reperiri Eccleſia Catholica declarauit, & vna eadẽq; ſemper omniũ vbiq; Cathol. & orthodoxorum ſententia fuit: Quæ verba, Septem Sacramenta, etiam ſi in ſcripturis, iſtis ipſis Syllabis, & litteris expreſſa non legantur, res tamen ipſa in ſcripturis non videtur ſolum, ſed etiã palpatur: ſicut nec ὁμοούσιον, nec perſonæ, nec hypoſtaſis, nec Trinitatis, nec Eſſentiæ nomẽ in ſcripturis reperitur, res tamen ipſa, & habetur, & creditur, & á quibus non creditur, ijs illud horrendum Anathema maranatha denunciatur: & ſi importunæ à nobis exigunt Euangelici, vbi ſunt ſcripta Septem Sacramẽta, nos ab illis viciſſim exigemus, vbi ſunt expreſſe ſcripta ea, quæ ita obſtinate defendũt, duo, tria, quatuor, quinque, Sacramenta (de numero enim illorum, nec ipſi ſciunt quid loquuntur, nec quid affirmẽt). Ac de Baptiſmo quidem, & Euchariſtia fateri videntur, omnes in vniuerſum ſectarij, quod ſint Sacramenta, neq; tamen in ſcripturis oſtendunt ea vocari Sacramẽta, imo verò Matrimonium quod ſolum expreſſe vocatur Sacramentum, ad Sacramenti ordinem, & numerum non admittunt, ſicut nec à Catholicis alia pleraq; pro Sacramentis Eccleſiæ recipiuntur, quæ in ſcripturis hoc ipſo Sacramẽti vocãtur vocabulo Eph. 1. propoſitum vocandi gentiles ad fidem, dicitur Sacramentum pietatis, Apocal. 17. Sacram. mulieris dicitur, ſignũ quoddam impreſſum in fronte mulieris, quæ Babiloniam repræſentabat: Sufficiet itaq; rem ipſam in ſcripturis inueniri, quam & Patres Sancti: quin, & Concilia, & perpetuus vſus Eccleſiæ Cathoiicæ, & vidit, & notauit, & tenuit, & docuit: nec docere contra omnes inferorum portas, vſque ad conſummationem ſæculi deſinet. Qui vero vel de numero Sacramentorum detraxerunt, vel eorum vim, & efficaciam circumſcripſerunt, ſciant ſe grauem eſſe rationem reddituros coram iuſto viuorũ, & mortuorum Iudice Chriſto, quo tempore non iuuabit dicere. Non legi in ſcripturis Septem Sacramenta, non legi Trinitatem, non legi ὁμοούσιον, non legi perſona, non eſſentiam, & id genus alia. Tunc enim Dominus reſpondebit, Sed legiſti Eccleſiam eſſe Columnam, & firmamentum veritatis 1. Timot 3. Legiſti qui non audie-

audierit Ecclesiã, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus Matth. 18. Legisti, quod Deus Episcopos posuit regere Ecclesiam Christi, quam acquisiuit sanguine suo, Legisti quod labia Sacerdotis custodient Scientiam, & legem, ex ore eius requirent, Legisti quod alia multa, & fecit, & docuit Iesus, quæ si scriberentur per singula, nec ipse mundus capere posset, eos qui scribendi essent libros, Ioannis vltimo, Legisti, quod Paulus tenere iussit traditiones. Legisti, quod cætera, quæ non scripserat, disponere volebat, His itaq; stare, hos audire debebas, & non capitis tui somnia sequi, aut visiones cordis tui tenere. Captiuare debebas, intellectum tuum, in obsequium fidei, nec in vanum nomen meum sumere, Hęc Dominus locutus est, cum Dominus non esset locutus, Sed nos ad rem ipsam accedamus.

Euangelici, nomen Sacramẽti reprobarunt.

AC primo quidẽ nomen ipsum Sacramenti abhorret Lutherus, cum ait, in lib. de Captiuit. Babylon. Non habet, inquit, vniuersa sancta scriptura hoc nomen Sacramenti, in ea significatione qua noster vsus, sed in contraria, Vbiq; enim significat, non signum rei Sacræ, sed rem Sacram, Secretam, & absconditam.

Reprobata autem Sacramenti appellatione rem quoq; ipsam quanti fecerit, videamus. Infernali quoque Diabolo permittit administrationẽ Sacramentorum, Sic enim loquitur Tom. 6. Ienen. Germ. Quod si Diabolus ipse veniret, inquit, (si tam probus esset, vt hoc facere vellet, aut posset) Verum pono, fieri posse, vt mihi postea innotesceret, Diabolum hoc modo ad Sacerdotium irrepsisse, vel in humana specie ad docendi ministerium vocatum esse, atq; ita Euãgelium in Ecclesia publicè docuisse, baptizasse, feciisse Sacramẽtum, absoluisse, eaq; ministeria atque Sacramenta iuxta mandatum, & ordinationem Christi exercuisse, ac porrexisse, vti verũ pastorem decet. Fatendum esset certè, fuisse vera Sacramenta, nosq; verum baptisma suscepisse, verum Euangelium audiuisse, vere absolutos esse, & verum Sacramẽtum corporis, & Sanguinis Christi participasse, Et paulò post, Potest Diabolus verbi ministerium, & Sacramenta Christi habere, & dare; cum se in Angelũ lucis, & in ipsam Dei maiestatem trãsformare possit, Matth. 4. Neque ego pignus dederim, Diabolum nunquàm adhuc pastorem, & concionatorem fuisse.

Melanchton quoque in locis communibus, Ann. 1525. æditis, caput, in quo tractat de Sacramentis, inscripsit, De Signis, & ait, Quæ alij Sacramenta nos signa appellamus: & maluit ea, Græca, noua, & inaudita voce vocare σφράγιδας, idest, Sigilla, quam Sacramenta.

Zuinglius in lib. de vera, & falsa religione, Titulo de Sacramentis, sic ait, Vocem istam Sacramenti magnopere cuperem, Germanis nunquàm fuisse receptã, nisi germane esset accepta.

Caluinus li. 4. Institut. c. 14. Abũde liquet veteres, qui Sacramẽti nomen, signis indiderũt, minime respexisse, quis fuisset verbi huius vsus Latinis scriptoribus. Sed nouã hanc significationem pro suo commodo affinxisse, qua simpliciter Sacra signa designarent.

Ioan. Celestinus, Sacramẽti nomen in diuinis litteris, non reperiri: & totis prope 300. Annis post natum Christũ ignoratum in Ecclesia fuisse scribit, esseq; pene optandum, ait, nunquàm in Ecclesiam inuectum esse.

In lib. Germ. quẽ sũmaria nr̃ resp̃onionem, a papista. aliquot libros nomi- nat.

Euãgelici, de numero Sacramentorum inter se dissentiunt.

DE numero Sacramẽtorũ ipse Luth. est omnium incertissimus, & incõstantissime loquitur, In principio Tartarei illius Babylo. Anno 1520. æditi, Vnum tantum, ait, esse Sacramentum: si secundum scripturæ vsum loquendum sit.

In medio librorum negando, vicissim esse, ait, Septem Sacramenta, & tria pro tempore ponenda Baptismũ, panem, Pœnitentia,

nitentia: & cap. 10. de Cõfirmatione, profitetur se nõ damnare Septem Sacramenta, sed tantum negare, ea ex scripturis probare posse. In lib. vero ad Pragen. de instituendis Ministris Ann. 23. ædito, & in lib. de Missa priuata Ann. 34. Et in asserti: contra Louanien. Anno 45. tria ponit Sacramenta: & ait, Pœnitẽtiam cum virtute clauium absoluendi, Sacramentum libenter cõfitemur: habet enim promissionem, & fidem remissionis peccatorum, propter Christum. Porrò in eiusdem libri fine, duo vicissim confitetur, dicens, Si rigide loqui velimus, duo tantum esse Sacramenta, Baptismum, & Cœnam.

Philippus Melancht: in Apolog. sua Confess. August. tria numerat, cum ait, Vere igitur sunt Sacramẽta, Baptismus, Cœna Domini, & Absolutio, quæ est Sacramentũ pœnitentiæ, Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ.

Idem in vltima edit. Locorum comm. qui Ann. 1536. impressi sunt, addit quartum, Ordinationem, & in quintum propendere videtur, quod est Matrimonium, Fatetur enim esse signũ rei Sacræ, & habere mandatum diuinum, & annexam promissionem: Ad extremum tamen decernit, non esse de numero Sacramentorum litigandum.

Lib. de vera, & falsa Religione, cap. de Sacramen.

Zuinglius duo tantum vult esse Sacramenta, Baptismum, & Cœnam.

Lib. 4. Instit. cap. 54.

Caluinus tria Sacramen. numerat, sed diuersa à Luthero, Nam præter Baptismum, & Cœnam, addit, Ordinationem, seu manuũ impositionẽ, faceteq;, vt apud Sanctium legimus, factum hoc suum excusauit, cur alijs duobus Sacramẽtis, hoc tertium initio non annumerauerit: Nimirùm, inquit, populus, docendus tantum fuerat de numero Sacramentorum, quæ ad plebeios pertinerẽt, & non ad ipsam Iesu Christi Ecclesiam.

In Epistola ad Card. Luthar.

Idem in Anthidoto Concil. Trident. Sess. 7. cap. 5. Quatuor tantum Sacramenta, reiicit à numero Sacramentorũ, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Confirmationem, & Matrimonium, Reliqua tria vult esse vera, nouæ legis Sacramẽta.

Notat Lynda-

Guillelmus Postellus, in sua Pantanosia, Sex esse vult Sacramenta.

In Cõciliabulo quodam Lipsen. Ann. 48. Decretum fuit, Confirmationem, & Extremam vnctionem esse ritus cõferentes gratiam: atq; adeò Septem Sacramenta recipienda esse: & propterea Illyricus quæritur, quod in Lypsen. interim Septẽ Papistica Sacramenta restituantur.

Confessio Ministrorum Antuerpien. quam Iodocus Reuenstein Tiletanus refutauit, Talia, ait, Sacramenta, in nouo testamento potissimum duo agnoscimus, Baptismum, scilicet, & Cœnam, Potissimum vero addunt, quia absolutionem, nec admittere, nec reprobare audebant, Smydelinus in sua Euangelica concordia fatetur esse proprie tantũ tria Sacramenta, quem Saxonici Prædicatores vocant Polonicum Ocrearium: dicit enim Confess. August. esse tanquam Cothurnũ Polonicum: vtriq; pedi aptum; scilicet Cõfessionem aptam tam Lutheranis, quam Caluinianis.

Henricus, Angliæ Rex, Vsurpato capitis Ecclesiæ Anglicanæ titulo, cũ nouam religionis formam in vesano suo capite fabricasset, libellum edidit, authoritate publica, cum hac inscriptione. Articuli per Regiæ Maiestatis Serenitatem constituti, in quo affirmabat, ille quidem, cum Catholicis Septem esse Ecclesiæ Sacramenta, sed tamen cum Luthero dicebat, tria tantum esse à Christo instituta, Baptismum, Eucharist. & pœnitentiam: Cætera quatuor, vt minoris momenti, minusq; necessaria, ab Ecclesia postmodum adiuncta, dicebat, & respuebat.

mus in Tabula Analitica.

In Euangel. Cõcordia.

Euangelicorum, Atheismi de Sacramento Baptismi.

ECCLESIA Catholica, docuit, & docet, Baptismũ esse Sacramentum, non adultis solum, & propriam seu actualem fidem habentibus, sed & paruulis, & infantibus ad salutem necessariũ: de hoc expressa Christi, & Apostolorum eius mãdata, & exempla in scripturis habemus Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire

troire in Regnũ Dei Matth. 19. Marc. 10. Lucæ 18. Sinite paruulos venire ad me, talium est enim Regnũ Cælorum Act. 16. dicitur Lydia Baptizata, & domus eius. Et ibidẽ, de custode carceris. Baptizatus est ipse, & omnis domus eius, continuo 1. Cor. 1. Baptizaui, inquit, Paulus Stephanæ domum, Matth. vltimo. Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, saluus erit, Ephes. 5. Lauacrum aquæ in verbo vitæ. Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum. Coloss. 2. Baptismus à Paulo vocatur circuncisio, propterea quod erat figura baptismi. At circuncisio dabatur. Infantibus. Genes. 17. Sequitur dari posse, & baptismum.

Contra hanc scripturam, & receptum in Ecclesia sensum, & consensum, ita bachantur, & tumultuantur Euangelici, vt quicquid tandem verbis profiteantur, re certe, & veritate non plus baptismo tribuunt, quã vel Iudæi suis purgationibus, & lustrationibus: vel Machometani suis balneis, & ablutionibus.

Auctores porrò violati Baptismatis primi, & præcipui fuerunt isto sæculo Balthazar Pacimontanus, alij Ciconiam volunt, Memno Phrisius, Bernardus Rotmannus: Henricus Lollius, Godefridus Stralen: apud nos Budneus, Czechouicius, Glirian, & similes Quisquiliæ.

Sed, & Lutherus, in eundem impegisse lapidem videtur, cum ait, in lib. de capti. Babylon. Baptismum neminem iustificare, nec vlli prodesse, sed fidem, in verbũ promissionis, cui additur Baptismus.

Idem, in Maiori Cathechismo, Non multum, ait, interesse putamus vtrum ille, vel ille sit baptizatus; credat, vel non credat, nec propterea baptismus minus valebit. Omnia enim in verbo Dei sunt posita, Contrarium, ait, viciſſim in Ecclesiastica Postilla, Baptismus est necessarius. Est enim ordinatio Christi, quæ præteriri non debet.

In colloquiis Sympoſiacis titu. de Baptismo.

Idem, aliquando rogatus, si aqua deesset, & cereuisia tantũ, aut lac haberi posset, Vtrum deberet Infans baptizari Cereuisia, vel lacte, Respondit, Hoc opus est Iudicio Dei permittere, tamen quacunq; re quispiam ablui potest, hoc etiã potest ad Baptismum pertinere.

Beza quoque, in Epistolis Theologici, Epistola 2. idem sentire cum Luthero videtur, cum ait, Desit etiam aqua, & tamen baptismus alicuius differri cum ædificatione non possit, nec debeat, Ego certè quouis alio liquore, non minus rectè quam aqua baptizarem.

Citat Ambrosius Pelargus, quosdam Eleuterobaptistas, qui liberum esse volebãt. Vtrum aliquis Anabaptizari vellet, an omnem vitam absq; baptismo transigere, eosq;, ait, visos esse multis in locis Ann. 1534.

Zuinglius, apertè docet non esse necessarium vllam certam verborum formam in baptismo: licet dicat se nõ vetare, quominus vtamur Sacris verbis iã receptis. Hosius in Antibrẽtio.

Idem alio loco, contrarium ait: Negat enim baptismum necessarium esse ad salutem, quod nihil sit aliud, nisi externum quoddam Symbolum. In Prolog. Hosius.

Idem alio loco, Contra visitatam, & ab ipso Christo conceptis verbis perscriptã, baptizandi formulam, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Negat baptismi virtutem, ad certa verba Christum alligare voluisse, quod nõ instituerit Magiam, quæ ad certam verborum formam, aut certos ritus alligata sit. Hosius in Prolegom.

Brentius, in suo Cathechismo, verum esse Baptismum scribit; si minister post recitatum à Cathechumeno fidei Symbolum, ita diceret, Audiui iam ex Confessioni fidei tuæ, quod credas in Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctũ. In hanc igitur confessionem intingo te in aquam, vt hoc signaculo certus sis, te esse insertũ Christo. Vade in pace. Citat Marloratus.

Hericus Bulingerus, Zuynglij in Thygurina Synagoga successor, ait: parum interesse: Vtrum Baptizentur paruuli, sed satis esse, si parentes aliquando fuerint fideles, etiamsi tales non sint eo tempore, quando eis filij nascũtur, Plus addit, satis esse Si maiores infantis, aliquãdo fuerint fideles, licet immediatè parentes nõ sint fideles. Tom. 1. Serm.

Similiter docent Apologetici Anglici, filios, scilicet Christianorum, ad Ecclesiam pertinere, & ideò baptizari non debere. Vide Alanum Dial. 5.

Bucerus in 3. cap. in Matth. docet, quod pueri

pueri prædestinati etiã sine Baptismo saluantur: non prædestinati autem, etiam cũ baptismo damnantur.

In Act. Luth. Ann. 1527.

Iacobus Cantius, vt Cochleus scribit, Pseudo propheta Vormacien. inter septẽ articulos, quos se publice contra Lutheranos disputaturum promisit, hunc quoq; de Baptismo posuit, Baptismus paruulorum à Deo prorsus nõ est, sed directè contra Deum: & contra Dei doctrinam, quæ nobis per Christũ Iesum filium eius prolata est.

Caluinus, post mille tandem, & 500. annos, regnum Cœlorum reperit, in quo Infantes non baptizatos collocauit, Docet enim, in Antidoto Concilij, paruulos fidelium, etiam sine baptismo esse Sanctos: & membra Ecclesiæ; & si moriantur saluari: ac propterea, sicut testatur Hosius, lib. de Eucharistia, noluisse puerũ imbecillem, ac in templum delatum baptizare, sed vt postridie reportaretur mãdasse, qui interea est mortuus.

Matthæus quoq; de Launay, Minister Caluinista in libello Gallico. Les fausses suppositiones: testatur. paruulos, ab Anabaptistarum Diaconis Baptizatos, á Caluinistis fuisse rebaptizatos.

Ex Actis publicis Londinensib⁹.

Adrianus Hamstedius in Zelandia, postea docuit in Anglia, liberum esse cuiq;, infantes sine baptismo seruare, ad aliquot annos, nec vllius conscientiam hac in re ad certum tempus astringi posse.

Theodorus Beza, cum ęgrè posset Anabaptistarum argumentis de Baptismo Infantium respondere, hoc solum dicit, Deũ non tantum, Sathanæ permisisse, vt Baptismum in papatu delere potuerit; itaq; ferro, & igne coercendos, nõ autem calamo refutandos censet Anabaptistas.

Ipse nihilominus de hac ipsa baptismi doctrina in summo errore versatur: cum ait, Defensione secunda de Sacram. Non regenerantur, aut salui fiunt per baptismum infantes; verũ salus illis isthic obsignatur, cuius iam ante participes fuerunt.

Id porrò nihil aliud est, ait Ioan. Schutz, in lib. 50. Causarum cap. 17. quã, ac si quis gregem ouium habeat: quẽ rubro lapide notet, ex quo signo cuius eæ sint oues, possit iudicari. Sane antequam oues, illa nota insigniãtur, Domini illius sunt, Notantur verò nihilominus in eum finem, vt cuius sint, etiam alijs innotescat: sic qui aqua baptismatis aspergunturs, sunt illi quidem iam, amici Dei, antea, & sancta Christi mẽbra: Baptismus vero hoc illis cõfert, quod ruber lapillus, ouium gregi.

Vtuntur autem Hugonistę, Lingua sua Gallica, in conferendo Baptismo: Marlorato teste, iuxta quandam formulam, quam sibi effinxerant: quia, inquiunt, expedit nunc, sicut Apostolorum tempestate: vt intelligat vnusquisque quid dicat minister: eo quod astans populus, eius quod fit, testis esse debeat, cui necessaria est intelligentia.

Ante Annos aliquot, habitum est Colloquium, inter Bezam, Caluinistam, & Smidelinum Brentianum, quod Hosiander calamo excipiebat. Quæsiuit Beza, quid faceret Smidelinus, si quis gentilis in agone Baptismũ peteret, nec esset Minister qui daret? Respõdit Iacobus, persuaderem illi, vt credens acquiesceret sine Baptismo; Tum Beza, quid si, inquã, ille non acquiesceret, Tum Smidelinus, dicerem illi, Vade igitur, & morere cum omnibus diabolis, Tum Beza, subridens, Esses profecto, mi Domine Doctor, illius miseri, miserabilis consolator.

In Actis Colloquij Mõtpelgarden. Genebr. Chron. fol. 740 Citat Cromerus in Dialog.

Lucas Stembergerus, ait, Baptismum, & Eucharistiæ Sacramentum, Sathanicâ esse institutionem.

In Moravia mutatę sunt aliquoties Baptismi formulæ, tam in verbis, quam in Cæremonijs.

Nasus in suis Centurijs, scribit, quod Svvencfeldiani vocent Baptismum, Suillum balneum.

Martinus quoq; Crouiczki, in Colloquio, quod habuit, in oppido Podlasensi, Mordi, cũ Ioanne Demetrio Solikovvski Archiepiscopo Cepolien. viro, & vitæ laudibus, & eruditionis præstantia celeberrimo, ausus est, hæc verba vomere, Balneum est Suillum, hic baptismus vester puerilis.

Stephanus Segedinus Pannonius, edidit libellum Ann. 1586. quem inscripsit, Speculum Romanorum Pontificum. In quo Baptismum quoque inter alia rident, & ex-

hibilat, eumq; à Rom. Pōtificibus inquinatum ait, eiusq; auctores facit Clementem 5. Leonem 3. Alexandrum 11. Theodatum, Cælstinum 1. Nicolaum 5. Zachariam Gregorium 1. Higinum Fælicē 11. & Innocentium.

Budneus in Lituania scribens contra Anabaptistas Lublinenses, Cum immergunt, ait, homines, obligant eos, ne vllum magistratum accipiant, propterea q̄ sit contra verbum Dei, fol. 8. Ita coactus est quidam Nobilis, antequam immergeretur Vexillifferi officium dimittere, qui tamen postea, factus est, eiusdem Prouinciæ Camerarius.

Scribit Alanus, Dial. 6. fuisse quendā Hauxū in Anglia, qui docebat Baptismū nō esse pueris necessarium ad salutem, & cū ob plurimos istiusmodi errores legittimi Migistratus auctoritate castigatus esset, eū Foxus Pseudo Martyrum creator, in diuorum suorum Calendarium retulit.

Michael quoque Sellarius, & Iacobus Pseudo propheta Vormatien. & Kautius memorantur, quod docuerint baptismum paruulorum à Deo prorsus non esse, sed directe contra Deum, & contra Dei doctrinam, quę nobis per Christum prolata est, Adultos præterea rebaptizādos esse, omnemque potestatem, ac Regimen principum, ex viuo diabolo, non ex Deo esse. Idem Alanus.

Refert etiam Sanctius, in Responsione ad Bezæ Apologiam, de Cœna Domini: Quod Metensium Archiminister Tafinus, varijs de negotijs literas dederat, ad Cōministros suos, in Conuentu Pohaco congregatos. Inter alia consilium petebat, Vtrum paruuli baptizati à fœminis, ministrorum manu tingi iterum deberent. Huic quæstioni, in hæc verba, Beza respondit, Quod de Baptismo, ab eo qui legittime vocatus non est, administrato, proposuisti, in nostro Conuentu, summa diligentia conquisitum fuit. Maior pars in eam sententiā concessit, vt Baptismus nullius esse existimetur: sed qm̄ nonnulli, ijq; accerrimi iudicij viri sese dubitare testati sunt, & contraria sententia rationibus, ac magnorum virorum authoritate non caret, quę stionem ad Genuen. Tygurinā q; Ecclesiam, referendam iudicauimus.

Ministri in Transyluania, ad finem lib. quem Anno 1567. contra Sanctissimam Trinitatem, & Incarnationem Christi ediderunt, Triginta sex Argumenta adiunxerunt, quamobrem paruuli non essent baptizandi: Sæpè vocant balneum Suillum, locionem lutulentam, Cœnum fœtidum, & Monachorum imposturas, Actualem fidem, aiunt esse necessariam antequam quis baptizetur.

Non diuersum à Transiluanis sentire videntur Ministri in Gallia, Oulbras, & Espina, Extant edita Gallicæ disputationis acta, Parisijs habitæ 1566. inter eos quos diximus Caluinicolas, & inter Vigoræum, & Sanctium fortissimos, & nobis olim amicissimos, Catholicæ religionis πρόξατας, In eo lib. Triginta duos errores, & dissentientes inter se ministrorum sententias, ex paucorum dierum disputatione collectas, & notatas vidimus: cum de Sacramentis in genere, tū de hoc ipso, de quo loquimur Baptismi Sacramēto: quos isto loco libet singillatim apponere, vt tanquam in speculo videant, errorum quos sequuntur fœditatem: & quē in tam turpem causam inferre non debebant, pedem retrorsum admoniti referāt.

1 Quod sola fides nos vnit, & coniungit Deo.
2 Quod Sacramēta nos Deo, non vniūt.
3 Quod nobis non cōferant, nec per ea conferatur vlla spiritualis gratia, siue considerentur in toto, hoc est, cū omnibus partibus, è quibus sunt coniuncta signa, & verba Sacramentalia simul, siue considerentur in partibus diuisim.
4 Quod verba Sacramentalia non sunt instructio, & quod non habent aliud officium, quam vt audiantur.
5 Quod verba, quæ pronūciantur in Baptismi Sacramento, Ego te baptizo, omnino sunt inutilia, attento quod sunt verba instructoria, & non significantia aliquam operationem.
6 Quod in Sacramento baptismi, & pœnitentiæ non alio mō remittit peccata Minister Ecclesiæ, quam per annunciationem verbi Dei, & quod in virtute verborum, Sacrāmēti, peccata nūquam dimittuntur à Ministris.

7 Quod

7 Quod est necessarium, vt Sacramenta ministrentur, in lingua vulgari, aliàs non erunt Sacramenta.

8 Quod Deus non donat aliquam virtutem spiritualem, in animas fidelium, elementis, & signis.

9 Quod aqua Baptismi tangit tantũ corpus, & nil omnino proficit in anima.

10 Quod Sacramenta non habent aliud officium, quã aliquid representare.

11 Quod imago Serpentis, in veteri testamẽto, plus vtilitatis attulerit, quam Sacramenta Noui testamenti.

12 Quod Sacramenta nil sunt aliud, quã signa, & imagines, & quod panis, & vinum in Cœna, nil sunt aliud quam signa, & imagines.

13 Quod Sacramentũ Baptismi, planè est infantibus inutile, nihilq; potest illis representare, propter eorum incapacitatem, dum perueniant ad annos discretionis.

14 Si infantes baptizati decedunt, ante annos discretionis, Baptismus nihil illis prodest.

15 Quod opinio Anabaptistarum, est bene fundata, si opinio Caluinistarum est vera, Quod officium Sacramẽtorum, nõ est aliud, quã representare.

16 Quod non est necesse baptizare, qui sunt naturaliter insensati, nec ægroti, qui ob ægritudinem sensum amiserunt, etiam si antea protestati fuerint, quod vellent baptizari.

17 Quod Sacramenta, non ad alium finem nobis representant benedictionem, & gratiam Dei, quam vt nos confirment, & securos faciant magis, ac magis, de verbo, & promissis diuinis.

18 Quod sunt tantum testimonia verbi, & promissi diuini: & quod Abrahã est in illis confirmatus, per Circuncisionem.

19 Quod nos confirmant, in securitate quam habemus, quod per fidem sumus vniti, & coniuncti Deo.

20 Quod sunt ordinata, vt nobis reddãt testimonium de veritate.

21 Quod persona quæque est iustificata per fidem, antequam recipiat Sacramenta.

22 Quod in virtute fidei præcedentis, remittuntur peccata, & non in virtute Sacramenti.

23 Quod infantes paruuli, sunt purgati à peccato originali, antequam sunt baptizati.

24 Quod Sacramenta non sunt necessaria ad salutem.

25 Quod laici, & fœminæ, non possunt in necessitate baptizare.

26 Quod si laicus, & fœmina in casu necessitatis baptizat, baptismus est nullus, & sic baptizati debent rebaptizari.

27 Quod homo non debet se præsentare ad recipienda Sacramẽta, nisi sit certus, quod iam per fidem cõiunctus, & vnitus sit Deo.

28 Quod nemo debet recipere Sacramẽta, nisi iam sit certus, quod est ex numero prædestinatorum, & electorum Dei.

29 Quod omnes fideles, habent certam cognitionẽ, quod sunt prædestinati.

30 Quod Sacramenta non possunt prodesse, quam prædestinatis.

31 Quod reprobati, quicquid tandem faciant, non amplius erunt in gratia Dei, & quod in quocunq; statu sunt, non possunt recipere fructum Sacramentorum.

32 Quod Baptismus, nõ omnibus infantibus prodest, propterea quod aliqui sunt ex numero reprobatorum.

Sed hæc de erroribus Euãgelicorum, in doctrina de Baptismo, pauca de multis dicta sufficiant.

Nunc illud etiam in eorũ factis ostendemus, quam piè, & religiosè, Baptismũ ministrent, & in qua illum habeant veneratione.

Propè Cassouiam, quæ est Vngariæ Arx, Minister quidam, eius, quod Euãgelici profitentur, Sathanę verbi, in contemptũ Baptismi, in despectum Sanctissimæ Trinitatis, conuocatis patrinis, adhibitis vestibus Sacris, ad cantum, & tybias, cum ea qua vtitur Ecclesia solemnitate, & Cæremonia, vindemię rempore, porcum prępinguem, conceptis, & solẽnibus verbis, exorcisatum, musto recenti baptizauit, vtens receptis Ecclesiæ verbis.

bis. Ego te baptizo. In nomine Patris, &c.

Ibidem, allatus est cuidam Euangelico Ministro, infans vt baptizaretur. Ille vero, irrisit homines, baptismum postulantes, & infantem iussit ad fabrum deferri, vt illi pararet, & applicaret soleas ferreas, dicens, magis id illi profuturum, si in omni vita alios calceos non emerit, quam si semel aqua oleata lotus fuerit.

In oppido Russię, Iasliæ, Minister quidam Anabaptista: conuocata non magna concione, omnes ad rebaptizandum ex scriptura hortabatur, promittens fore, vt in omnes eadem forma, & specie Spiritus Sanctus descenderet, qua descendit olim in filium Dei, à Ioanne baptizatum in Iordane, Peracta concione, præire cæteris exemplo voluit, deposita ergo braga sua sordida, in dolium aquæ ingressus est, admonens vt omnes descendentem è cælis SpũmSanctum cum omni deuotione obseruent. Cæterum ascendit ex inferno, spiritus nequam, qui Ministrum in illo ipso dolio volutare, torquere, in gyrum agere, aliquando super aquam eleuare, aliquando sub aqua mergere cæpit; Attonitis ad rei nouitatem omnibus, & quibusdam hortantibus, vt se Deo commendaret, horrendas, Sathanicasq; voces detonabat, O Deus, non credo quod sis verus Deus, Nam si esses verus Deus, cõfirmares fidem nostram. Hæc autem verba cum dixisset, à Dæmone in eadẽ aqua inspectante catherua præfocatus est. Idq; nobilissima fæmina ex familia, Straſſ. se vidisse asseuerauit, cum sese ad gremium Ecclesiæ Catholicæ, hoc exemplo admonita, adiunxisset.

Anabaptistæ, prope Melstinum, suam immersionem cum omni solemnitate celebrant, Ibi visa est magna Coruorũ multitudo. horribiliter crocitantiũ, quos dæmones fuisse dubium non est, tã diu in gyrum superuolitare, dum cõfectis suis impijs cęremonijs, omnes inde polluti magis quam abluti discederẽt. Hos tamen verbi Minister, Angelos Dei vocabat: at nescio an in scripturis sub forma corui Angelos bonos vnquam apparuisse legerit.

In flumine Bistrzicza, dum ad rebaptizandum immergerentur, pleroſque submersos esse certum est.

In Polonia, Vidua quædam Nobilis, ad mentem meliorem conuersa confessa est, Poltouiæ, coram mihi amicissimis; quod cum in errore Anabaptistarum viueret, & in oppido Brzesczie, rebaptizari cum alijs plerisq; deberet. Minister verbi Sathanę, in vnum omnes cõclauæ coegit, & clausis fenestris, orationem Dominicã recitare præcepit: promittens Spiritum Sãctum sensibiliter affuturum, & in eius capite conquieturum, quem præ cæteris ardentiorem, in rebaptizãdi desiderio inuenirent: dũ in silentio Orationem Dominicam demurmurãt, Minister è fiscina, vel canistro, apim, seu vespem emittit, quæ murmurans circumuolitabat, & iam in hoc, iam in illo, conquiescebat, Minister vero, in paratum dolium aquæ, ex ordine ingredi iubebat, quos vespa tetigisset, quos fortè præteribat ardentiores esse in fide, & alteri se tempori, & ablutioni reseruare iubebat.

Hãc immersionem Czechouicius Lublineñ. Impostor, ex Germanicis Anabaptistarum Scholis in Poloniam reuersus pro aspersione, siue perfusione aquæ, primus omnium introduxisse dicitur.

Vidimus librum Polonica lingua, ab istis Phanaticis conscriptum, in quo aliquot loca, & formulæ Baptismi, quibus nunc vtuntur. Anabaptistæ, recensentur: Prima est, aiunt, Immersio in Cuiauia, in nomine ignoti Christi: Secunda, in Rakouo, in eius Christi nomine, qui ante Mariam non fuit: Tertia in partibus Regni submõtanis, in Christum, qui fuit ante Mariam: Quarta, armis, & gladijs munita, in Christum, qualem sibi fingunt in Lituania.

Idem Caluinum laudat, vt doctum, & famosum virum, pię memoriæ, colendissimum: & enumerat loca, quibus fenestram aperuit, ad Anabaptismum, & errorem Poedobaptistarum, primus detexit.

Siekierinski, quidam huius immersionis præcipuus preco, quẽ propterea principalem immersorem vocitabant, cæpit iam viciſſim non solum aspersionem, & perfusionem, sed etiam ipsam suã immersionẽ reprobare: dicens, se à Dño missum non esse, vt fideles eius, vel aspergat, vel immergat, sed vt fidem in Deũ doceat.

Idq; consilium non prius cæpit, quam aliquot fœminæ nobiles in Russia, & in Lituania, ob incautam immersionem, & piscinas niue, glacieque constrictas, cum rebaptizarentur, interirent.

Dolina vicissim, præco quidam rebaptizatus, vituperat è contrario tam Baptismum, quam Cænam Domini, dicés, istis iam opus non esse Christianis hominibus, post reuelatam, & susceptã Christi doctrinam.

Volanus Lituanicus præco, Non tantum, ait Baptismi Sacramento, aut Cænæ Domini tribuendum esse, vt corporis illius mystici nos faciant esse participes, sed Christianorũ filios omnes iam incorporatos Christo nasci, In baptismo verò, & Cæna, Deũ solummodo testari, quod facti ipsum non pœniteat.

Narrat Iurgeiutius in Anathomia, habitam fuisse Vilnæ Synodum Euangelicorum 1589. in eaq; solemniter esse decretum testatur, Mamzerum: idest ex scorto natum, non esse baptizandum.

Manlius, qui omnia Philippi sputa collegit, in suis locis communibus scribit, quod Norimbergæ anno 1544. Scholaris quidam, viduam pregnantẽ fecerat, quæ cum peperisset misit infantem, vt baptizaret à Ministro Lutherano. Is primò scire voluit, cuiusnam filius esset, sed cum patrini Patris nomen, aut nollent dicere, aut nescirent, sine baptismo infantem in domum maternam remisit (ò factũ Euangelicum) eo facto mater præ nimio pudore infantem præfocauit, sibi laqueo vitã eripuit. Hoc vero casu cognito Scholaris pugione seipsum transuerberauit, ad extremum tota re explorata, ipse quoque se Lutheranus Minister, tot capitum reus suspendit.

In Commitatu Hagensi ad. S. Volfangi, fuit Euangelicus Minister à Nicolao Gallo, ad obeunda præconis Lutherani, munera consecratus, & institutus, (is antea Vasariam artem profitebatur, & inde viuebat (Kessyler vocant) cũ in publico balneo quodam sese die lauaret, rogatus est, vt infantem recens natũ baptizaret. At ille infantem in balneum adferri iubet, adhibitisq; balnei ministris, ita, vt erat nudus (braga tamen accepta, quã forte Sacræ vestis loco induerat) hausta tepẽte aqua è vasculo ligneo totum corpus nudi infantis perfudit. Nihil aliud dicés quam Pater noster, & Deo gratias: reliqui omnes respondẽrunt, (Gesegnet derbadt,) hoc est proficiat tibi balneum: & ita infantem dimisit.

Affirmatur, & hoc, publico Anabaptistarum in Russia, & Lituania sumptu, & consensu, missum fuisse Dambrovvski, quendam, in Turcarum Imperium, vt ab illorum Cadis, & Talleamanis artem, & Cæremonias, & omnem Circumcisionis rationem perdisceret, & in Poloniam inferret, Captus est, in quaddam Russiæ arcæ, sed statim vicissim indulgentia, & facilitate Regij cuiusdam Capitanei dimissus, ad suum Cœtũ redijt, quod Regem Stephanum iniquissime tulisse non ignoramus: Et hic est certissimus istius Euangelici verbi progressus, & exitus, Machometipsus, & Atheismus ad quem velut globus ad suum centrum Euangelici, alius alio, vel tardius, vel celerius, omnes tamen properant.

Musculus Berneñ. superintendens, legem tulit, ne quisquam extra diem dominicum auderet baptizare, cum absq; baptismo, modo sit baptizati filius, saluari quilibet infans possit: Accidit igitur, vt Samuel Hueber prædicant Borthelfensis. Infantem admodum imbecillum, extra diem Dominicum nocte media baptizaret, asserens Sacramentum baptismi esse Sacram. necessitatis, Musculus rem omnem ad senatum Berneñ. detulit, & Hueberum inobedientiæ, & Hæreseos accusauit. Ille vicissim Musculum, vt Hæreticum, conuincere damnareq; contendebat, ostendens, quod in explicatione cuiusdam prophetię docuerit, Baptismum non esse ad salutem necessarium, Christum non pro omnibus esse passum: quam contentionem, vt Berneñ. dirimerẽt, anno superiori Bezam, vetulũ euocauerunt. Basilienses quoque Tygurinos, & Schafhauseñ. Ministros coegerũt, eorumq; iudicijs Hueber, vt hęrericus damnatus est, & concionandi munere priuatus.

Narrat de Euangelicis suis, Euangelicus quidam scriptor Gastius, lib. 2. & citat Nasus, quod Anabaptista quidam in Vestfa-

Vestfalia, vt sibi Prophetæ nomen, & opinionem apud rudem plebeculam compararet, non contemnenda pecunia pisces viuos coemit, & in vicinam ruri păludem secreto immersit: postridie verò, cũ pro cõcione satis multa, de sua Anabaptistica doctrina deblaterasset, paratum se denunciauit, miraculo quoque, quod diceret cõprobare: & exemplo Petri Apostoli, vel ex ipsa cænosa palude pisces, quotquot vellet capere. Iubet adferri retia. E templo itur ad paludem, ipse primus se mittit in Cœnum, Retia expandit, Silentium imperat, Oculos ad Cœlũ tollit Exclamat, Domine adiuna nos, quia in tuo nomine iecimus retia, Nec mora, vis magna piscium in reti inuenta est, ita, vt rumperentur, & spectatores accurrerent, qui pisces dilabentes manibus colligebãt, Hoc ædito miraculo, itum est ad tabernam, & egregie perpotatũ, Propheta vero in honore habitus, sed eius artem, & dolum verbi, & fraudis socius, postea reuelauit.

Euangelicorum Atheismi, de Sacramento Confirmationis.

EVANGELICI, dum verba in scripturis aucupantur, rem amittunt: sicut Iudæi, dum Messiam in gloria, & maiestate magna, venturum expectant, verum Messiam, & gloriæ Dominum in forma serui præsentem, crucifixerunt. Negant, Confirmationem esse Sacramentum, quia sic in scripturis non vocetur. At nos è scriptura, & in scriptura didicimus. Et cũ Ecclesia profitemur, & docemus Confirmationem esse Sacramẽtum. Habet enim illa tria quæ, & Catholici requirũt ad essentiam Sacramen. & Caluinus ipse, & Kemnitius Sacramentorum hostes teterrimi ad perfectam Sacramentorũ rationem desiderant. Ibi scilicet esse perfectum Sacramentum, vbi. cunq; inueniretur expressum Christi mãdatum, promissio gratiæ, & signum sensibile cum verbo, Cæterum aperta sunt scripturæ testimonia, quod Apostoli, accepto Christi mãdato, manus iam baptizatis imponebant, & gratiam cõferebant.

Act. 8.

CVM audissent Apostoli, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cum veniissent, orauerunt, pro ipsis, vt acciperet Spiritum Sanctum, Nondum enim, in quenquàm illorum venerat, sed baptizati tantum erãt In nomine Domini Iesu, Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Act. 19. His auditis baptizati sunt, In nomine Domini Iesu, & cum impositisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.

Habet gratiæ quoq; promissionẽ, Lucæ enim vltimo, iam baptizatis dicitur. Sedete in Ciuitate, donec induamini virtute ex alto, & Act. 1. Accipietis virtutem superuenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes.

Habet signum sensibile, cũ verbo, manus impositionem, cum oratione, Sicut iam ex Actis citatum est, Tunc imponebant manus super illos, & accipiebãt Spiritum Sanctum. Habet ergo Confirmatio perfectam, & absolutam Sacramenti rationem.

Sed libet quoq; antiquissimorum Patrum proferre Testimonia, qui & sensum scripturæ ab ipsis Apostolis didicerunt, & eorum facta, & exempla oculis ipsi suis vsurparunt. Sic habet Dionys. Areopagita, Pauli discipulus. Cap. 2. Eccl. Hyerar. Baptizatum indutum alba veste ad Pontificẽ ducunt, ille diuino, ac deifico prorsus vnguento virum signat. Et iterũ cap. 4. Sed & ipsis qui Sacratissimo regenerationis Ministerio consecrantur, aduentum Spiritus Sancti, consumans vnguenti inunctio elargitur.

Tertullianus: & ipse antiquissimus in lib. de Baptismo, sic ait, Exinde egressi de lauacro, perungimur benedicta vnctione. Et paulò post, In nobis carnaliter curritl, sed spiritualiter perficitur, Et iterũ. Dehinc manus imponitur per benedictionem, aduocans, & inuitãs Spiritũ Sanctũ.

Cyprianus, quoq; Martyr Sãctissimus, lib. 1. Epist. vltima. Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate esse vnctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit, Et lib. 2. Epist. 1. Tunc demum plene sanctificari, & esse filij Dei possunt, si Sacramento vtroq; nascãtur. Hic expresse vocat Sacramentum Confirmationem.

Sed satis est, duorum, vel trium testimonium, eorum præsertim, qui quod docuerunt, ab ipsis Apostolis, vel Apostolorum discipulis didicerũt, Iam videamus, quid Euangelici Corui contrahas Aquilas consentientissima, scilicet, Spiritus Sancti organa crocitent.

Inde lector iudicabit, An Luthero potius, quam Paulo: an Caluino, quã Dionysio, An Kemnitio, quam Tertulliano, an Fricio, quàm Cypriano, fidem præstare debeat.

Luth. in lib. de Capt. Babylo. negat Cõfirmationem esse verum Sacramentum, sed ait posse recipi, pro Ecclesiastica Cæremonia, qualis est, Consecratio aquæ, & aliarum rerum.

Oleum autem Sacrum vocat, pinguedinem Culinarum Papisticarum, oleum frixoriũ, Smeervagen, hoc est Currus vnctionem.

Idem, Thom. 6. de Vita coniugali, Caueat, inquit, Ludos illos Simiarum, qui ab istis in confirmatione adhibentur, nil enim sunt aliud, quammeræ impostoræ.

Idem in Captiuitatẽ Babylonica, Mirum est, quid in mentem illis venerit, vt Sacramentum Confirmationis, facerent ex impositione manuum.

Zuinglius, de Sacramento Confirmationis, ait, fuisse ritum in Ecclesia institutum, ad examen puerorum, qui in infantia fuerant baptizati.

Caluinus in Anthidoto, ait, Olei qui facit mentionem, nemo est ex veteribus, Imò nec è media ætate, quæ iam multis vitijs abundabat.

Idem, vocat Patres Concilij Tridentini, porcos, & Asinos, quod decretis suis, olei Sacri vnctionem approbauerint.

Et infra, Hoc vero non à me, sed à Domino audacter pronuncio, Qui oleum vocant, oleũ salutis, Salutẽ quæ in Christo est abiurant, Christum abnegant, partem in Regno Dei non habent, oleũ ventri, & venter oleo, vtrumq; Dominus destruet.

Idem, in vniuersum sentit tota cohors Euãgelicorum, quorum blasphemias omnes recensere superuacaneum puto: satis sit ostendisse, quid Prothomagistri doceant. Verum illud quisque videbit, quod in Iãbicis habet Nazanz. Clamante quippe porco, Porcorum illico horrescit agmen.

Euangelicorum, Atheismi de Sacramento Pœnitentiæ.

POENITENTIAM, esse Sacramentũ, & Ecclesia Catholica semp docuit, & docet, & quidam de grege Euangelicorũ, vi veritatis coacti, non ausi sunt diffiteri, Legimus enim Matth. 16. Quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cœlis: & quodcumq; solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis, Matth. 18. Quodcunque alligaueritis super terrã, erit ligatum, & in Cœlis, &c. Io. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Et hic est mandatum, Legimus. Accipite Spiritũ Sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: & hic est gratiæ promissio, Externũ vero Symbolum est in verbis, & confessione pœnitentis, & in verbo absoluentis, seu reconciliãtis, Vnde Apostolus, Dedit nobis ministerium recõciliationis. Et iterum: Posuit in nobis verbũ reconciliationis 2. Corin. 5. Et illud, pro Christo, ergo legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos, Matt. 3. Pœnitentiã agite, appropinquauit enim Regnũ Cælorũ. Matt. 4. Nõ veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et Lucæ vltimo. Oportet, inquit, prædicare pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gẽtes Act. 11. Ergo, & pœnitentiam gentibus dedit Deus ad vitam. Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

De

De confessione quæ est vna pars pœnitentiæ, legimus in scripturis 1. Ioan. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emũdet nos ab omni iniquitate, Matt. 3. Baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua, Iacob. 5. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, De Cõtritione Psal. 50. habemus: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Et Esaiæ 66. Ad quẽ respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementẽ sermones meos. Et Psal. 33. Prope est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde. Ioel 2. Scindite corda vestra, &c.

De satisfactione habemus apud Isaiam cap. 1. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, ab oculis meis &c. Et venite, & arguite me, dicit Dominus, Si fuerint peccata vestra, vt coccinũ, sicut nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus velut lana alba erunt.

Danielis 4. Peccata tua Eleemosynis redime, Prouerb. 16. Misericordia, & veritate, redimitur iniquitas: Lucæ 11. Date eleemosynã, & omnia munda sunt vobis 2. Cor. 7. Inter alios bonos fructus eius, quæ secundum Deum est tristitiæ, quæ pœnitentiam in Salutem stabilem operatur, annumerat etiam, vindictam in seipsum.

Constat itaq; ex ipsis Christi, & Apostolorum testimonijs, Pœnitentiam esse Sacramentũ, & quæ sint illius partes propriæ, siue officia: quidquid blaterẽt Euãgelici, Qui si pœnitere vellent, & Dominum propitium inuenirent, & ab errore viæ suæ recederent, Sed sudes est in oculis Euangelicorum, Pœnitentia, Lachrymæ verò, Cilicia, Ieiunia, Vigiliæ, humicubationes, diamastigoses, carnificinarũ, loco censentur: tanquam si cruces fixas, paratasq; supplicia viderẽt: quoties in sermones de ieiunio, deq; Cilicio incidunt. At, Bibite ex hoc omnes, Et biberunt ex eo omnes. Tum, & illud. Bibite charissimi, & inebriamini, Tum, & illud, Crescite, & multiplicamini, tam libenter audiunt, tam quæ studiose exequuntur, vt quidam istius Euãgelici gregis Princeps, Luthero adhuc viuente, forte, & docente, professus sit, Manlio teste, se velle Cælum, Deo, & Sanctis eius relinquere, illiq; abrenunciare, si modo in hoc mundo posset in sempiternum tempus, hæc duo scripturæ mandata, implere, Bibite, & Crescite, Proh Centauros Euangelicos, Proh Epicuri de grege porcos, Quo acerbius etiam contra Sacramẽtum pœnitentiæ debachantur, Cæco enim lumen solis molestum est. Et omnis ægrotanti amara est medicina.

Ait, ergo Lutherus, in lib. aduersus Antichristi Bullam. Ego vero inquit, hoc mea illa doctrina egi, vt pœnitentiã nullius esse momenti ostenderem, nisi in fide, & charitate fieret: nisi quod, nec quid fides, nec quid Charitas sit, aut sciunt, aut docent.

Contra, Thom. 7. in sermone de pœnitentia, ait, Recta via, & semita plana ad vitam inueniri alia non potest, quam Sacramentum pœnitentiæ, quod Deus ad consolationem omnium peccatorum reliquit.

Et alio loco, His audaciores, & potiores finxerunt quandam attritionem, quæ virtute clauium quam ignorant, fieret cõtritio, eam donant impijs, & incredulis, & hc vniuersa contritio aboleretur.

Idem in 4. disputatione, Aduersus Anthinomos, propo. 9. Affirmat, Papistas exhortando ad pœnitentiam, cogere homines, vt diffidant, An Christus pro illorũ peccatis sit mortuus.

Idem, cõtra Bullam Antichristi, aperte docet, quod contritio facit hominem hypocritam, & magis peccatorem, & hoc edicto comprobat. Meus certe est hic articulus, & Christianismus, quem mihi ab innumerabilibus Papis, & Papistis, nõ finam extorqueri.

Et in sermone, de Eucharistia habito, Anno 1526. dicit summæ erratum esse, quod nemo hactenus, rationem absolutionis habuerit, nec certò crediderit homines esse absolutos.

Idem furoris, & amentię spiritu abreptus, audacter affirmat Papam tantũ meritis, & satisfactionibus tribuere, vt, q̃ ipse scurriliter dicit, Papam ipsum fingat

dicre : Nemo extra me, meas claues, & meas Missas, potest peccatori opem ferr : Christus, & fides, hic nil possunt cõrre. Item, ibidem, ait, Christus est erius, stolidus, fatuus, & oblitus, quãtam potestatem ligandi cũ clauibus mihi tradiderit. Item. Qui nõ adorat ventris mei crepitus, peccatum mortale committit, & dignus est inferno, Lib. aduersus Papatũ Romæ fundatum.

Idem, in Babylonæ sua, sic ait, Tã diues est homo Christianus, siue baptizatus, vt etiam volens non possit perdere salutem suam, quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere.

Idem, infinitis in locis, partes illas Sacram. pœnitentiæ, contritionem, cõfessionem, satisfactionem, vocat carnificinam conscientiarum, desperationis occasionẽ, diffidentiæ materiam, furcas, molas, pistrinum, lapidicinam, Christianarum conscientiarum.

Idẽ, in 500. suis Articulis, in sermone de Piscatura Petri, sic de satisfactione, loquitur. Quanto sceleratior es, tanto tibi celerius Deus, gratiam infundit. At magna pars hominum eo tendit, vt se adornet, sicut Catus : quasi per hoc Deus eos acceptare debeat, Nequaquã, nam scriptura Deum sic laudat, quod aufert peccata, & proijcit ea in mare : Sæpe audistis, quod erga Deum operibus non indigemus, sed erga hominem : Coram Deo autem indigemus nulla re, nisi nuda fide : debemus solum cũ Isaac venire, hoc est cum fide : seruos, & azinos deorsum dimittere, hoc est, opera, In Luthero Septicipite, citat Cochleus.

Et in sermone super illud, Sic Deus dilexit mundum : Ego tibi dico, quia angusta via est, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Cæterum qui operibus onerati sunt (sicut Conchilijs, & Cochleis onustos videmus, Iacobi peregrinos) ij non poterunt penetrare.

Et infra, Si veneris cum magnis Saccis operum plenis, deponere oportebit, alioqui non poteris penetrare.

Sed contrarium viciſſim, ait, in lib. de Capt. Babyl. fol. 68. Occulta, inquit, confessio, quæ modo celebratur, etsi probari ex scriptura non possit, miro modo tamen placet, & vtilis, immo necessaria est: nec vellem eam non esse : imo gaudeo eã esse, in Ecclesia Christi cum sit, ipsa afflictis; cõscientijs vnicum remedium. Siquidem detecta fratri nostro conscientia, & malo q latebat familiariter reuelato, verbũ solatij recipimus ex ore fratris, à Deo prolatum, quod fide suscipientes pacatos nos facimus, in misericordia Dei, per fratrem nobis loquentis.

Et in Articulis Smalcaldicis, Artic. 8. Enumeratio peccatorum debet esse libera, vt quisq; possit recensere, quæ vult, & subticere, quæ vult.

Melanchton, in disputatione, de pœnitentia, Propos. 11. Tota, inquit, doctrina de pœnitẽtia apud Scholasticos plena est errorum, & impietatis: quia omittũt caput negotij, videlicet fidem, quia nõ docent hominem fide accipere remissionem peccatorum.

Et in Locis communibus. Monachi, inquit, finxerunt enumerationem peccatorũm, in confessione, esse cultum, & rem meritoriam remissionis.

Caluinus, lib. 3. c. 4. Instit. Sic sunt, ait, Papistæ, in externis exercitijs mordicus infixi, vt nil aliud ex immẽsis voluminibus colligas, quam pœnitentiã, & austeritatem, quę partim domãdæ carni, partim castigandis, puniendisq; vitijs seruiat.

Ibidem, ait, enumerationem peccatorum in confessione, rem esse impossibilẽ; dicam, ait, in Summa, qualis lex illa fuerit: Simpliciter est impossibilis.

Beza, in Confess. cap. 7. Art 12. Affirmat Catholicos non tam esse medicos, quam carnifices crudelissimos animarũ : quod in omnibus adultis requirant, vt necessaria ad salutem contritionem, confessionem, & satisfactiouem.

Idem docet, Catholicorum de contritione doctrinam blasphemam esse, quod eam partem esse velint satisfactionis pro nostris peccatis coram Deo, atq; ita trãsferant ad homines, quod vnius Christi proprium est.

Idem in suis Annotationibus ad 3. cap. Matth. vulgatam noui Testamenti versionem reprehendit, quod pro verbo Græco μετανοεῖτε habeat, Pœnitentiam agite, & non potius resipiscite, Sic enim loquitur

quitur. Quam interpretationem multas ob causas repudio: sed ob eam potissimũ, quod multi imperiti occasionem ex hoc dicendi genere arripuerint, falsarum opinionũ de satisfactione quibus hodie agitatur Ecclesia.

Kemnitius in Exam. Concil. Trident. Talis, inquit, fides est Pontificiæ pœnitentiæ, In nostra, scilicet opera, non in Christum, Talem misericordiã Dei volunt, non quæ sit gratuita, & gratis propter Christi meritum peccata remittat: sed quæ operibus nostris tribuat mercedem, reconciliationem, scilicet, cum Deo, & remissionem peccatorum.

Erat in ciuitate Regni Poloniæ, Gedanensi Consul, nomen Kleinfelt, nobis notissimus. Obstinatæ mentis Confessionista, Is cum reliquos omnes fidei, Catholicæ articulos, aut explosos, aut corruptos gauderet, iniquissime ferrè visus est, quod cũ fides Catholica è Ciuitate proscriberetur, & Augustana perfidia introduceretur, non fuerit à Ministris reseruata, Auricularis confessio, cum enumeratione peccatorum. Sublata enim eiusmodi confessione, tantam dicebat, in seruis, & ancillis perfidiam, & infidelitatem excreuisse, in clepandis, & vsurpandis rebus dominorum, vt iam tollerari nõ possit, tam rapaces, & furaces seruos nõ fuisse dicebat cum peccata enumerarentur in Papatu.

Ciues quoque Norimbergen. vt refert vir doctissimus Sotus, petierunt à Carolo V. vt authoritate sua restitueret Confessionem Sacramentalem: eo quod post eam sublatam, iuuentutem suam sub vllo honestæ disciplinæ freno non possent continere.

Lyncopiæ in Suetia, Mulier quædam ætate decrepita, post multorum Annorũ intermissionem, à tempore scilicet, proscriptæ Catholicæ religionis, confessa tandem est Patribus Societatis Iesu: & sub vna specie communicauit. Interrogata ex qua causa ad ministros Euangelicos noluisset accedere, respondit quod talem panem, qualem illi offerrebant pro Sacramento, semper habebat domi suæ, merum panem pistorium. Ad confessionem vero, propterea non accessit, quod sciebat illos solvendi potestatem non habere: se tamen nonnunquam ad ruderа, siue parietinas Catholici templi accessisse, & potestam esse, quod copiam Catholici Sacerdotis non haberet, ibiq; Deo, & Angelo custodi cõfessam, & magnam inde consolationem reportasse.

Torpatensis in Liuonia, recepto Luth. Cacangelio, soli tantum Deo delicta sua principio generali Confessione confitebantur. Poste vero isto ritu abrogato, decem, vel circiter, coniunctim, in genua coram Ministro prouoluebantur, Ille vero Deo, eos Confiteri iubebat, & absolutionem veniamq; promittebat. Accidit autem, res omni memoria digna, in Pago, tribus à Torpato milliaribus: Lutheranus quidam Ecclesiastes, triginta agricolas ad genua prouolutos habebat, quos, confessione facta, Sacramentali absolutione à peccatis absoluere debebat, Mandat igitur, vt omnes Deo confiteantur, & solidum siue nummulum, quem confitẽtes Parocho Catholico dare consueuerant, altari imponere iubet: deinde certam absolutionem promittit, Pœnitentiam, & satisfactionem commentum esse Papisticum, hanc neutiquã requiri.

Erat autem inter confitentes quidam præ alijs simplici ingenio, qui Domino suo Iuuencum furto abstulerat, Hic absolutionem consequutus, domum fronte læta reuertitur, gaudium è fælici confessionis successũ conceptũ, protinus in vxoris sinum effundit. Metuebam, inquit, cum Parochum confessurus accedebam, ne abductum taurum restituere cogeret: aut gehennæ incendio me facinus luiturum minaretur. Iam autem, vno recepto solido omnes mihi noxas ignouit. Non multo post idem alium bouem furatur, & in ipso facinore deprehẽsus fatetur. Neutiquam se illud admissurum fuisse, si non tam facilem se præbuisset Parochus in delictis ignoscendis, eaq; res plurimos ad grauissima facinora stimulabat, adeò, vt summã in domestica familia perfidiam patres familias experirentur, ac tam exitiales istius Euangelij fructus grauiter abominarentur.

In constitutionibus Suedicis Anno 1527. hæc quoque lex habetur, quæ ne-

scio, an legisterium vocent, Publica pœnitentia more solito iniungitur peccantibus, sed Regi solmatur emēda pecuniaria. Similiter fiet de emendi solui solitis per excommunicationem.

Sander. inde sc. simare Anglicano.

Henricus Octauus Angliæ Rex, etsi Confessionem in Sacramento Pœnitentiæ, necessariam esse diceret, tamen à Christo institutam negabat. Satisfactionis nomen, omnino abolebat.

Euangelicorum Atheismi, de Sacramento extremæ vnctionis.

EXTREMAE Vnctionis Sacramentum, ex cap. 6. Marci, & ex Iacobi 5. cap. ostenditur, Accepto enim Apostoli Domini Præcepto exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerēt, & dæmonia multa eijciebant, & vngebāt oleo multos ægros, & sanabantur.

Iacobi vero 5. Magis etiam expresse tota ratio Sacramenti explicatur, Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent, super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Hic quoque Symbolum externum est, Vnctio olei cum oratione fidei, promissio gratiæ, alleuatio infirmi, & remissio peccatorū. Institutio autem, siue mandatum, ex tam solida, & cōstanti asseueratione Apostoli elicitur, quam ita absolute nunquam promitteret: nisi idipsum ipse Dominus, & instituisset, & mandasset, Idq; antiquissimus Ponti fex Innocentius, qui sedit circa Annum Domini 400. obseruauit, Cum dixit. Hanc olei Sacri Vnctionem esse Sacramentum à Iacobo explicatum, & ideo nō dari ijs, qui nō sunt capaces aliorum Sacramentorum, Adde quod ipsi quoque Magdeburgen. Centuriatores cap. 6. huius Pontificis testimonio probant, illo sæculo fuisse consuetudinem vngendi ægrotos, Sed nouum non est Euangelicis calidum simul, & frigidum ex eodem ore efflare.

Luth. itaque de Sacram. hoc, tale fert decretum. Ego autem dico, si vsquam deliratum est, hoc loco præcipuè deliratū est (cum extrema Vnctio Sacramentum appellatur) omitto enim, quod hanc epistolam, ex qua id conantur afferere, non esse Iacobi Apostoli, nec Apostolico spiritu dignam, multi valde probabiliter asserant, licet consuetudine, authoritatem, cuiuscunque sit, obtinuerit, tamen si etiam esset Apostoli Iacobi, dicerem non licere Apostolo sua authoritate sacramentum instituere, ideſt diuinam promissionem, cum adiūcto signo dare. Hoc enim ad Christum solum pertinebat.

Idem, in lib. de Capt. Babylon. nō reijcit, quidem hunc ritum vnctionis infirmi, sed negat esse Sacramen. proprie dictum.

Illud Apostoli Iacobi. Infirmatur quis ex vobis. Och. Luth. Caluin. Brentius. Kemnitius, exponunt intellexisse Apostolum de curatione per oleum, quam habebant ex dono Dei: proinde dicunt non magis fuisse Sacramentum, illam vnctionem, quam fuerat probatica piscina, vel lutum, ex sputo.

Caluinus, Si ex eo, inquit, quod Apostoli inungebant oleo, & curabāt Sacramentum, colligitur vnctionis infirmorum: debet etiam colligi Sacramentum ex eo, quod Dominus luto, & sputo sanauit cęcum, & ex alijs similibus Cæremonijs. Cal. lib. 2. Instit.

Kemnitius vero, ait, Vnctionis Cæremonia extra domum curationis, partim ab Hæreticis partim ab Ethnicis originem ducit, Nam qui primi vti cæperunt Cæremonia vnctionis, per modum Sacramenti, sine dono curandi, fuerunt Hæretici Valentiniani: vt patet ex Ireneo, Ethnici vero consueuerunt vngere mortuos, vt patet ex Virgilio, Vnde Apulegius vocat illud vltimum lauacrum, lib. 9. de Asino aureo. In exami. Cōcil. Trident.

Lutherus porro, reprobato Extremæ Vnctionis Sacramento, & ijs omnibus pijs exhortationibus, & Cæremonijs, quas Catholici in Agone morientium adhibere consueuerant, libellum quendam edidit Germanica lingua, cum hac inscriptione: Sermones, & scripta quædam

dam consolatoria, pro his qui sunt in agone, aut in aliquo alio vitæ periculo, cæteriſq; ærumnis versantur. Inter alia multa, blasphema, & absurda, cum satis scurriliter, extremæ vnctionis Sacramentum irrisisset, hæc quoq; verba Germanica habentur, quæ nos hic latine ponimus. Cum aliqua Sathanæ tentatio, vel in Agone, vel ex alia quapiam occasione ingruit, nec eam illico superare potestis, date operam, vt alio cogitationem vestram, conuertatis, & omnino fingatis, quasi ea, quæ malus dæmon opponit, vel non audiretis, vel non intelligeretis: & si acrius imminet, respondendum censeo, Mi diabole, noli me inquietare, non est mihi ocium, vt hoc tempore, his de rebus tecum agam.

Cogor enim domui meæ disponere, vxori valedicere, filios consolari, cogor, comedere, bibere, equitare, heluari, lætus esse, & similia, Cras igitur redibis, interim te iocis, ludu, & iocundis sermonibus oblectare, & omnem ab illo ad res hilares cogitationem auerte. Quod si viciſſim importuniſſima bestia rediret, audaciter dicas, discede à me tentator, nã si semel adhuc redieris, dicã tibi (Leck mich hinden) hoc est, osculare posteriora, O Euangelicam tanti Rabini modestiam.

Seipsum quoque in medijs tentationibus, ita consolari consueuisse, in Mensæ Colloquijs testatur, Quãdo inquit, Diabolus noctu venit, ad me, diuexandum, hoc illi responsum do Heus Sathan, dormire me oportet, ita enim præcepit, & ordinauit Deus, vt de die labori: noctu vero somno vacemus, Deinde, si cessare non vult, sed obiicit mihi peccata mea, tũ dico, Mi diabole, audiui Cathalogũ, sed adhuc vnum peccatũ commisi, quod nondum est abs te in Cathalogum relatum: adscribe illud etiam, Exoneraui aluum incaligas, suspende eas de collo, & terge, illis os tuum. Tertio, si pergit vrgere me grauiter, accusando tanquam peccatorem, tum contemno illum, ac dico, Sancte Sathan, ora pro me.

Tit. de diab.

Et iterum, Mecum ita agitur, quando noctu euigilo, statim adest diabolus: & disputat mecum, & varias mihi cogitationes suggerit, quoadusque ego somnum excutiens, dico. Osculare tu posteriora mea, Deus non irascitur, vt tu dicis. Tit. de tentat.

Et iterum, Singulis noctibus euigilanti mihi diabolus adest, mecum disputaturus, ego vero iam compertum habeo, quod hoc argumento, Christianum esse sine lege, sed supra legem, nihil proficio: ideo subitò illum vêtris crepitu expedio, O stercoreum prophetam.

Euangelicorum, Atheismi, de Sacramento Matrimonij.

MATRIMONIVM esse Sacramentum, & Christus ipse voluit, & sponsa eius Ecclesia, docuit, & hoc illi nomen Christi Apostolus imposuit, Ait autem Dominus Genes. 2. Non est bonum hominem esse solum, faciamus illi adiutorium simile sibi, facto vero adiutorio, ait Adam; Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, Christus verò Matt. 19. Quos Deus, inquit, coniunxit, homo non separaret.

Apostolus quoq; 1. Corin. 1. Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit 1. Timoth. 4. Vocat hæreticos, qui prohibent nubere. Et cap. 5. Volo ego iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, & Hebr. 13. Vocat Matrimonium Honorabile connubium, & thorum immaculatum, Ad extremũ, & Sacramenti nomine honorat; cũ ait, Eph. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Gen. 2.

Et audent nihilominus Euangelici, pleriq;, negare Sacramentum, quod Paulus apertè vocat Sacramentum, pleriq; autem fraudibus saltem, & effugijs conantur manifestam veritatem eludere. Certè Venerem nõ nisi libidinis serui deam finxerunt, Salaciſſimi vero, & intemperantiſſimi Ministri mirum est, quod Matrimonium nolint esse Sacramẽtum, quo quotidie expientur, nisi fortè pro terea nullum inesse volunt in Matrimonio Sacræ rei signum, ne non possint illud

illud quotidie violare, aut vxorem proximi sui appetere; aut promiscuos cõcubitus, & vagas suas libidines, sine freno furoris, & pudoris exercere, Si ea causa est, pari audacia quo decretũ Apostoli contempserunt, pudorem quoq; contẽnant, & incestus omnes, & adulteria, & fornicationes, & reliquos illicitos concubitus, Sacramenta faciant, signa statuãt, tabulas scribant, & Bacho, Veneriq; sacrificent: quod alios his similes Euangelicos, extra vrbem Parisien. ante aliquot annos, feciſſe non ignoramus, atq; istiusmodi sacris, & sacrificijs quotidie expientur.

Ait ergo, Lut. Tom. 5. in 24. cap. Geneſis, Matrimonium esse Sacramentum, & spiritualem significationem Christi, & Christianitatis.

Contra Tom 2. in Confessione, de Cęna Domini: Non opus est Matrimonium, & Ordinem Sacramẽta facere, satis sunt per se isti ordines Sacri.

Idem in Propositionibus, de Bigamia Episcoporum, ędita anno 1528. sic habet. Nota sunt Iura Mosaica, de fratris defuncti vxore, & de filia corrupta, inuito Patre, quę cogunt pluriũ esse vxorum virum, quæ non magis sunt abrogata, quam reliqua omnia, ideſt, libera, nec prohibita, nec præcepta.

Et in Propositio. 26. Apud Aethnicos fortasse scandalum foret, si Christianus plures vxores haberet: tamen inter Iudæos non esset scandalũ, & ideo non posse ostendi, id esse illicitum.

Idẽ in explicatiõe Geneſis, ædita 1525. ex professo disputat, Vtrum Christianis liceat exẽplo Abrahæ, plures simul vxores habere; ac tandem respondet, id neq; esse præceptum, neque prohibitum, sed liberum, & se quidem nolle hanc nouam consuetudinem introducere, sed nec improbare posse, cum exempla Patrum adhuc sint libera.

Idem, scripsit libellum anno 1523. in cap. 7. prioris Epistolæ ad Corinth. vbi multas causas recensęt, ob quas Matrimonium solui, & aliud iniri posse, censęt: vt non modo, si Ethnicus Christianam, sed etiam falsus Christianus, Christianam coniugem deserat: vel si coniux coniugem ad furtum, vel aliud peccatum inducit, vel si obfrequentes rixas molesta sit cohabitatio, cum priore coniuge, vel si diu absit coniunx.

Et in libro, de causis Matrimonialibus anno 1530. ędito, Si pauper cum diuite Matrimonium contrahat, & consumet, ac deinde pauper diuitem coniugem retinere non possit, quod amici, vel affines diuitis impediunt, potest, inquit, pauper ad aliud Matrimonium se transferre.

Et in sermone quodam, de Matrimonio, Crescite, inquit, & multiplicamini, non est præceptum, sed plus quã præceptum diuinum: puta opus, quod non est nostrarum virium, vel vt impediatur, vel vt omittatur: sed tam est necessarium, vti masculus sum, magisq; necessarium quam edere, bibere, ventrem purgare, mucum emungere, somno, & excubijs intentum esse.

Addit postea, Sicut non est in mea potestate, vt sim vir, ita vt neque sim absque fæmina, aut fæmina absq; viro.

Et Tom. 4. Germanico, ad Dominos ordinis Theuthonicorum, sic loquitur. In casu, quo concilium aliquod concederet coniugium clericis, tunc ille contrarium cõsuleret, & potius permitteret aliquem viuere, cum tribus meretricibus, quem cum vna vxore.

Et in lib. de vita coniugali, necessariã esse, ait, maris, & fœminæ coniunctionẽ, non minus quam cibum, potum, somnũ, & alia naturę opera. Quẽadmodum enim vir non põt mutare sexum suum, ita non posset carere muliere, quia non sit liberũ, aut consilium, sed res naturalis, & magis etiam necessaria, quam edere, bibere, excreare, dormire, vigilare. Ideoq; tenerentur omnes Clerici, & Sacerdotes, Monachi, & Moniales sua relinquere vota, nuptijsque operam dare. cochleꝰ in Actis 2522.

Kemnitius in 2. part. Examinis, duos casus esse voluit, in quo liceret Matrimonium aliud inire, nimirum Adulterium, alterius coniugis, & desertionẽ infidelis.

Caluinus lib. 4. Institut. Non satis est, ait, Matrimonium esse à Deo: vt Sacramentũ censeri possit, nam etiam agricultura, & ars Sutoria est à Deo, nec tamen est Sacramentũ: sed requiritur, vt sit Cęremo-

remonia exterior, à Deo posita, ad confirmandam possessionem, Nihil tale esse in Matrimonio, pueri quoq; iudicabunt.

Idem, libro 4. Institut. Tyrannicam legem vocat, quæ non permittit aliud coniugium ei, qui ab adultera coniuge diuortium fecit.

Augustana Cõfessio, & Apologia Philippi, asserit Matrimonium esse Clericis, ante 400. annos prohibitum: & ad cælibatum coactum ordinem Ecclesiasticum, Et tamen extat Epistola Zachariæ Pont. ad Bonifacium Germanorum Apostolum, scripta, ante Annos 800. vbi habentur, hęc verba, Præsbyteri à die susceptι præsbyteratus, debent se ab vsu, & consuetudine vxorum abstinere.

Cochleus anno 1540.

Princeps quidam in Germa. vltra legitimam vxorem suam, aliam adhuc superinduxit, Consilio, & approbatione Lutheri, & quorundam complicum eius.

Ochynus Apostata, scripsit libellum de Polygamia, ad Sigismundum II. Poloniæ Regem, In quo suadet, Christianis omnibus plures simul vxores ducendas, & alendas: idq; ex veteri testamẽto probare contendit: Et Cracouiæ palam idipsum docebat, & profitebatur. Sed fremitu mulierum reprobatus, in Transyluaniam cum sua doctrina, coactus est secedere.

Extat Epistola, quædam Philippi Melanchtonis, in qua Angliæ Regi Henrico Octauo, de dimissione legitimæ vxoris Catherinæ, & Matrimonio Annæ Bolenæ, laboranti, suadet, vt retenta vxore legitima Catherina, Annam nihilominus Bolenam sibi adiungat, & concubinę loco habeat.

Cit. Sanderus.

Ex quodã nobili æquite aurato, Francisco Briano, quæsiuit idẽ Henricus Rex, quale nam peccatum esset, matrem, & filiam cognoscere, Is vero respondit, quale pullum prius, postea gallinam comedere.

Sãderus fol. 24.

Adeò persuasum est, istis Euangelicis Salacissimis Cẽtauris, Matrimonium nil aliud esse, quam actum, seu opus dilectionis, vt cohabitationem viri, & vxoris definiant, eo tantum tempore, quandiu vir vxori, & vxor viro satisfecerit. Multis itaq; in locis promiscuè alienis vsi sunt vxoribus, Scribit Alberus quod quidam Ludouicus Hetzerus 13. ad se collegerat fugitiuas aliorum maritum vxores; ijsq;, vt suis, & vsus, & abusus est.

Cit. Nauus. fol. 65.

Manlius, in Locis cõmunibus, & Ricius in 34. Miscellana scribit, Exemplum dignũ eius Euangelij, quod profitentur puritate, Lypsiæ, mulier quædam Euangelica, rem habuit cũ filio suo, ex eoq; filiam suscepit; & clã inscio, filio peperit eamq; subito, ne facinus propalaretur, extra domum exportandam, & educandam curauit, Porrò, cum esset Annorũ 12. in domum vicissim, sub præteatu pietatis, tanquàm Orphanam recepit, eius amore filius captus, nesciens suam esse filiam dissimilante omnia, permitteteq; matre, in vxorem accepit, & tanquam vxore per aliquot annos vsus est: quæ tamen erat simul, & soror, & filia, & coniunx, Rem eam in Articulo mortis Luthero egregio confessori, mater criminis sui cõscia aperuit. Is casum hunc ad vniuersitatẽ Vvittembergeñ. retulit, Decretum est, illud Matrimonium esse bonum, & ratum, nec debere separari, Matrem vero moribundam, & ob facinus dolentem, cum sola fide, iusserunt in cælum euolare.

Odoardi Regis Angliæ tẽpore, de quodam casu ad Matrimonium pertinente, in publicis Comitijs sic erat decretũ, Opifex quidã fuit, cui nomen Matthæo Barro, cuius vxor, ex qua etiã liberos genuerat lauabat olim familiæ Crumuellanæ lineas vestes, in ea domo, in qua tũ degebat Rudolphus Sadlerus, non obscuri nominis vir, qui nunc etiam Elisabethæ Reginæ à Consilijs est, Matthæus autem iste, nescio qua de causa, in transmarinas Regiones se contulit, nisi quod quidam existimabant ei suspectã fuisse vxoris suæ castitatem: & ideo eum abijsse, ne videre cogeretur, quod neque ferre poterat, neque emendare, Cum ergo annis aliquot abfuisset, vxor ipsius, vel audiens, vel fingens virum fuisse mortuũ, nupsit Rodolpho Sudlero equiti aurato: tandem Matthæus in patriam reuersus, vbi intellexit, vxorem suam alteri nupsisse, cæpit illam repetere. Ex altera vero parte Sadlerus, qui ex ea liberos susceperat non patiebatur, illam à se diuelli. Res ad summum

tribu-

tribunal, ideſt, ad Publica Regni Comitia, tam ſub Henrico, quam ſub Odoardo Regibus defertur, ibi decernitur, Mulierem iſtam, quæ primum Matthæo deinde Sadlero nupta, ex vtroque liberos ſuſceperat, non Matthæi prioris mariti, ſed Sadleri vxorem deinceps habendam eſſe. Potentior quippe fuit, ditiorque Sadlerus, & ideò contra Euangelij veritatem prioris viri adhuc viuētis vxor, ſecundo marito adiudicata eſt, vt non minus novæ Matrimoniorum, quam Sacrorum rituum leges inſtituerentur.

Cit. Sāderus.

Manlius, recenſet egregiam Lutherani præconis continentiam, qui cum vxorem duxiſſet, ſatis garrulam, voluit, vt ipſa quoque per vices verbi miniſterium, obiret. Itaq; alternis vicibus rudi plebeculæ è ſuggeſtu cōcionabantur, & Sacramenta offerebat: Sed cū Euangelicus præco deferbuiſſet, vxorem ſuam veneno oblato, ſuſtulit è medio, & animum ad aliā adiecit, Interrogatus, cur tam tetrū facinus admiſiſſet, reſpondit, Coniugium in Lutheranis miniſtris non reſtinguere vagas libidines, ſed irritare, præterea quoq; ſe è Lutheri doctrina accepiſſe, q̄ fidelis credens ſibi propter Chriſtum remiſſa peccata, non eſt ſub lege, ſed ſuprà legem.

In locis cōmun.

Geneb. Chron. fol. 762

Amon, Miniſter Euāgelicus, Toquardi prope Ianvillam, in Normania, è propria filia, filium ſuſcepit.

Obſerua quæſo lector, vltrum Matrimonium miniſtrorum Euangelicorum, ſit illis incontinentiæ remedium.

Ioannes à Leydis ſartor Monaſterien. qui ſeſe Regem iuſtitiæ ſuper terram vocabat, nouas quaſdam leges condiderat: in ijs permiſit vnicuiq; viro, quinq;, ſex, ſeptem, vxores viuas ſimul habere. Ipſe quatuor habebat, & quintam ſuperinduxit, Præcepit omnibus puellis. 12 Annos habentibus, vt nuberent, viris autem, vt vni vxorum tam diu condormirent, donec grauidam redderēt, deinde cum alia concumberent.

Cochleus in vita Luth.

Eliſabettha Angliæ Regina, videns Euangelicos ſuos miniſtros, vel ita impudicos, vel ita infælices, & ſalaces, vt omnes fere è lupanari meretrices acciperēt in lecti ſocias, quas vxores vocabāt, aut dubij pudoris mulierculas, ita paſſim ad ſe traherent, vt Cathol. omnibus riſum mouerēt, precepit in Regno, ne deinceps Epiſcopi, aut Præsbyteri, fœminam vllā inconiugium acciperent, niſi prius certorum hominum iudicijs de honeſtate, deq; pudicitia approbatam. Vnde conſecutum eſt, vt ægrè poſſent fœminas, etiam Euāgelicas inuenire, quæ eſſent miniſtrorum vxores vellent, tum quod infamæ videretur, vocari vxorem præsbyteri, tum quod eiuſmodi coniugia, legibus Regni nō eſſent adhuc approbata, ac proinde proles haberetur, pro illegittima. Tū quod iſtiuſmodi vxores, & ſuſceptæ ex illis proles, ferè ab omnibus negligantur, & contemnantur, & in concubinarum, ſpuriorumq; loco habeantur: etiamſi Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, vel alteri Prælati Euangelici ſinu, & gremio foueantur.

Sāderus de Scismate Anglic.

Naſus ſcribit in ſuo Germanico libello (Dank hab, des Villkoms) quod vnus ex miniſtris Euangelicis, Matrimonij ſtatum, ita in cælum omnibus laudibus tulerit, vt auderet auditores ſuos, ſecuros de ſalute ſempiterna facere, quicunque vxores haberent: & ita eos dicere docebat; Ego vxorē accepi, propterea nno poſſum ire in infernum.

Balleus quoque, in vxorijs amplexibus, ſummā religionis Chriſtianæ conſtituere videbatur optimus vt Alanus loquitur Veneris Myſtes, & Epicuri de grege porcus, ac ideo in Hiberniam profugit, vbi liberius abiecto cuculo, & ſcorto ſub Matrimonij ſpecie ſibi copulato, frueretur, Apoſcopus tandē factus, turpem ſine omni pudore Venerem exercuit, obſcænitate verborum, omnes lenones, & meretrices ſuperans, conuitiorum plauſtra, in optimos quoſque, tam viuos, quam defunctos, iactitans, horrenda mendacia eructans, ac in ſingulas centuriarum ſuarum aliorumq; librorum, non modo paginas, ſed etiam lineas infarciens, & omnes partes Euangelici miniſtri egregie ſuſtinēs.

Alanus Dial. 4.

Inuenti ſunt, in locis Hollandiæ celeberrimis, qui promiſcuo concubitu vtebantur, & nudi ex omni ætate, & ſexu incedebant, & alio habitu, ac veſtitu incedentibus, ſpem ſalutis auferebant, dicentes, illam ſuam nuditatem referre cō ditio-

ditionem primorum parentum in paradiſo. Inter alios, hoc Oeſtro percitos ſcribit Alanus, fuiſſe iuuenculam verbi miniſterium exercentem, ſumma, & egregia pulchritudine, quæ nuda publice obambulabat. Eam cum quidam Hiſpanica penula tegere conaretur, illa reiecit dicitans, nullo ſibi indumẽto opus eſſe, quę tota à ſponſo ſuo Chriſto, diuini verbi pulcherrimis veſtibus, ornatiſſime tegeretur.

Alanus Dial. 6.

Scribit Surius, quod quidam amici ſui, Catholici viri, in tabulas quaſdam, ſiue Codicillos Euangelicorum Viſitatorum, inciderunt; & in ijs plura, & deteriora turpioraq́; à coniugatis miniſtris, & concionatoribus, adulteria commiſſa, perpetrataq́;, in exigua quapiam prouincia legerunt, quã poſſint in vaſtiſſimo Catholico orbe, Scortationes Cathol. Sacerdotum reperiri.

Memnit etiam Sanderus, cuiuſdam Elmeri Superintendentis, & Pſeudoepiſcopi in Anglia, hominis, & natura truculenti, & olim inter gladiatores cum laudem verſati, Is cum virginem quandam nobilem flectere non poſſet, vt ad hæreticorum Sacra, accederet, in locũ quendam infamem compegit: in quo flagris, tanquàm Scortum cederetur. Sed aliqua eum viſa eſt, ſtatim pœna cõſecuta, Cum enim ipſe filiam ſuam, quam vnice diligebat, concionatori cuidam Miniſtro in Matrimonium tradidiſſet, (in eodem enim miniſtrorum tribu, ſolent omnes, vt plurimũ, contrahere,) eumq́; in honorem filiæ. Archidiaconũ Londineñ. conſtituiſſet, ille prouinciam viſitaturus exiens, cõprehenſus eſt à Magiſtratu, cum alterius vxore, Qua re Socero patefacta, gener, vt eum æquiorem haberet, voluit iniuriam augere; finxit itaq; literas libidinis plenas vxoris nomine, ad æquitẽ quendam auratum, easq́; tanquàm à ſe interceptas in erroris ſui compẽſationem Socero obtulit, quibus ille mirabiliter afflictus, cũ poſtea intellexiſſet, rem totam à genero, compoſitam eſſe, in furorem actus nõ baculo paſtorali, ſed lanionis fuſte, Archidiaconum dicitur grauiſſime verberaſſe.

Scribit Eraſmus, in Epiſtola ad fratres Infer. Germaniæ, nouiſſe ſe Monachum Apoſtatam, qui pro vna, tres vxores duxerit, Noui, ait, Sacrificum, qui duxit vxorem, quam ſciebat alteri nupſiſſe, Similia multa de Monachorum, & Monacharum coniugijs referuntur, qui ductis repudiarunt, eodẽ iure, quo duxerant, Sacerdotem Baſileæ virgis cæſum, mox vrbe eiectũ, ob plures vxores non nomino.

Anni aliquot abierunt. Cum ego ad Sixtum V. Pont. à Rege meo, Poloniæ Sigiſmundo Tertio, è Comitijs, Coronationis miſſus, Auguſtam pertrãſirem: vbi dicebatur qđ Miniſter Lutheranus, apud S. Franciſcum habebat vxoris loco, idq́; ſciens, & volens, vxorem, alterius Miniſtri viui, & prædicantis Francofordien.

Inter Apoſtatas Euangelicos, primus fuit Oecolampadius Sacerdos, & Archidiaconus Vittembergen. qui adhibita ſolennitate publica, fœminã quandam auſus eſt ſibi coniungere, quam vxorem vocauit. Et extat apud Cochleum Miſſa quædam, ſiue præces quibus vſi dicuntur Euangelici, in illius Matrimonij ſolennitate.

Introitus loco canebant.

DIXIT Dominus Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolũ, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.

Oratio ſeu collecta talis erat.

DEVS qui poſt tam lõgam, & impiam Sacerdotum cæcitatem, Beatum Andream Carolſtadiũ, ea gratia donare dignatus es, vt primus nulla habita Papiſtici iuris ratione, vxorẽ ducere auſus fuerit, da quæſumus, vt omnes Sacerdotes recepta ſana mente, eius veſtigia ſequentes, eiectis concubinis, aut eiſdem ductis, ad legitimi conſortiũ thori conuertantur. Per Dñm noſtrum, &c.

Secreta talis.

SACRIFICIVM noſtrũ, quæſumus Domine, benignus ſuſcipias. vt qui tuæ Maieſtati, in Andreę Carolſtadij cõnubiali celebritate, lætamur.

ita

ita fac quæsumus Sacerdotum coniugia toto orbe fæliciter auspicentur, fælicius succedant, & quam fæliciſſimè finiantur. Per Dominum nostrum, &c.

Cochleus in suo Luth. Septicipite scribit hæc verba. Audiui ante trienniũ aliquot homines, apud Heuletios, in territorio (si me fama non fefellit) Apocellensi, secundum dogma, istud nouum insaniæ morem instituisse, ac in morem canũ publicè in vijs, & plateis, contra omnem pudorem, fæminas, & adultas virgines obuiantibus sibi casu viris, & iuuenibus dixisse: Veni taurisa me, hoc est, fac mihi quod vaccæ solet taurus.

Prodijt Cracouiæ libellus 1588. incerto authore, sed Squarcialupo cuidam tribuitur, de religione Simonis Simonij Medici Lucensis, In eo tribuit author Simonio, quasi in quodam ædito Vilnæ libello, docuerit infrascripta Paradoxa. Perfecta est humanitas absque coniugio. Secundo Monachi, & Sacerdotes suã virilitatem Deo vouerunt. Tertio sine coniugio maior esset hominum multitudo, idq; fieret maiori, tum cõmodo tum voluptate.

Euangelicorum, Atheismi, de Sacramento Ordinis.

CVM quæ sunt à Deo, ordinata sint, non alibi esse possunt, ac etiam debent magis ordinata omnia, quam in Ecclesia Christi, quam acquisiuit sanguine suo, eamq; , & sponsam esse suam voluit, & corpus, cuius ipse caput esset, sicut ait Apostolus: Quamobrem etiam in canticis, vt castrorum acies ordinata legitur. Summum itaq; in Ecclesia sua ordinem Christus esse voluit, non eum solum quo prohiberetur, ne parua magnis, imma summis, extrema primis permiscerentur, & confunderentur: sed qui plenam Sacramenti rationem haberet, cui nulla potestas, nulla vis, nulla hominum libido, posset, sine animæ periculo contradicere: quiq; posset seruantem se dignum facere sortis Sanctorum, Reliquit ergo dominus in Ecclesia sua Ordinis Sacramentũ, Ait enim, Apostolus, Eph. 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Euangelistas, alios pastores, & doctores. Et alio loco, Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes doctores? Act. 13. Ait Spiritus Sanctus, Segregate mihi Paulum, & Barnabam, Act. 20. In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, Act. 14. Cum constituissent eis Præsbyteros, Græcè verò clarius habetur, χειροτονήσαντες hoc est cum per munus impositionẽ creassent Præsbyteros: Et hoc est mandatũ, siue institutio, quæ ad rationẽ Sacramenti pertinet. Reliquit, & promissionem gratiæ. 1. Thi. 4. Noli negligere gratiã, quæ in te est, quæ data est tibi per prohetiam, cum impositione manũ Præsbyterij. Reliquit, & externum Symbolum, manuum, scilicet, impositionem, 2. Thim. 1. Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum, Act 6. Ordinantur Diaconi, per manuũ impositionem. 1. Tim. 5. Nemini cito manus imposueris. Act. 13. Ieiunantes, & orantes, imponentesque illis manus, dimiserunt eos.

Talem ordinandorum Ecclesiæ Ministrorum ritum, vocationem, distinctionẽ, & differentiam, Apostolos instituisse, & exercuisse, oculis ipse suis vidit Areopagita, & propterea multa de ritu, ordinãdorum, scripta reliquit, in Lib. de Ecclesiastica Hierar. cap. 5. Satisq; clare ostendit, eo ritu, gratiam cõferri; & proinde Sacramentum esse.

Eius testimoniũ cum Legirupa Luthe. ordinis in vtraq; Repub. euersor. refutare reprobareq; non posset, tantum doctorem, tanti Magistri discipulum, Sathanico suo fastu contempsit. Dicit enim, nil in eo esse solidæ eruditionis, & sibi facile esse meliorem Hierarchiam scribere, quã Dionysius scripserit: sed si rectè faciunt, qui euentu consilia metiuntur, facile iudicabunt, quam perniciosum fuerit Lutheri consilium, cum Ordinis Sacram. euerteret. In eius enim locum tantus error, tantus horror, tanta successit rerum diuinarum, & Ecclesiasticarum, perturbatio, vt confusionem illam, longo superare interuallo videatur, quam in ædificatione turris

turris Babel accidisse legimus, ibi enim linguas tantum confusas audimus, remanente in omnium animis ædificandi cupiditate. Inter istos autem, & linguæ confusæ, & animi diuisi, & voluntates diuersæ, & studia contraria, & immortalia odia, post euersum ordinem successerunt, Nemo est qui mittat, nemo qui vocet, nemo qui ordinet, nemo qui manus imponat, nemo qui loquatur, nemo qui audiat, currunt, & non mittuntur, loquuntur, sed non ob re Domini, Clamant, Hæc dicit dominus, & Dominus non est locutus, Prædicantes, & Superintendentes, quos doctores esse Paulus volebat, facti sunt Principũ, & ignobilissimorũ Burgemagistrorum discipuli; Imò serui, imò vilissima mancipia, è quorum prescripto, & sententia, aut prædicare verbum Domini coguntur, aut statim, & Aula, & Ciuitate excedere: & si non faciunt, carpento lictoribus comitari educuntur, sicut plerisq; in locis eductus est Hesusius, & Berna, Hueberus, & Basilea, Farellus, & Ratisbona, ante biennium quinq; ministri, inter quos Bidner, Rosinus, Omnes esse volũt Apostoli omnes Prophetæ, omnes doctores, etiam impuræ, & procaces fœminæ, quas in Ecclesia tacere iubet Paulus, verbi ministerium tractare, & Sacramenta ministrare apud eos non verẽtur, cuius rei pauca è multis exempla ostendemus.

Lutherus docet, non nisi ficticam esse, inter laicos, clericosq;, differentiã, præterquam in officio: cum per baptismum omnes consecremur in Sacerdotes, adeò vt vnusquisq; qui ex baptismo repserit, possit iactare, se iam Præsbyterum, Episcopum, & Papam esse, licet non cuilibet conueniat eiusmodi officium exercere.

Idem, in libro suo Tartareo, de Abroganda Missa priuata, sic ait, Hoc dixisse, contenti sumus, Christianam populũ esse simplicẽ, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus, nullus vnctus, nullus oleatus, nullus rasus, nullus Monachus esse debeat.

Idem, Tom. 1. Ienn. Germ. Quare omnes Christiani, tam viri, quam mulieres sacerdotes sunt, iuuenes, & senes, Domini, & serui, dominæ, & ancillæ, docti, & indocti, Hic nullum discrimen est, nisi fides inæqualis sit.

Contra, in cap. 1. ad Galat. Episcopi, habẽt suam successiuam vocationem, quę per manus ad nostra tempora peruenit, & manebit ad mundi finem, & hæc est vocatio per media facta; tñ est vera Christi vocatio, & ita reputari debet.

Et ibidem, Non debet, inquit, vocatio Ministrorum pro reuili haberi, non satis est, vt quis puram doctrinam, & expressum verbum Dei sequatur, sed debemus etiam esse certi, de vocatione. Nam qui non vocatus se ingerit, non aliud profecto facit, quam vt fallere, & occidere possit.

Idem tractans illud, D. Petri. Non dominantes in cleris, Quod inquit, nostra translatio habet, non dominantes in cleris, interprætis incuria fuit, quæ fecit, vt clerum hoc loco intelligerẽt, quos nunc à laicis discreuit impia hominum traditio.

Idem, in Epitalamio, Matrimonij statu omnium maxime spiritualem vocat, falsoq;, & inique quosdam ordines dictos fuisse spirituales, Matrimonij vero statum secularem, sed vniuersa Matrimonia dici debere, vere spiritualem statum, vt est: ordines verò merè seculares status, vt sunt.

Vitam quoq; Monasticam, & Religiosorum statum, Lutherus primus adeò reprehendit, in Epitalamio suo, vt in primo cap. Epistolæ 1. ad Corinth. scribens, ausus fuerit dicere. Qui celibem vitam in Monasterijs ducunt, eos omnes Idolo Moloch corpora sua cremare confirmo.

Et ibidem, Statum religionis nil valere, sed Ethnicum, terrenum, sæcularem, ac veluti lutum esse dicit: cum è contrario, statũ coniugij spiritualem, Cælestẽ, diuinum, atq; aureum prædicet.

Idem docet, Quod etiam simplex laicus, in necessitate possit alterum absoluere, & illius esse Parrochus.

Philippus, in plerisq; locis modo non totidem verbis concludit, coniugium esse de iure diuino, Crescite, & multiplicamini: Et de iure naturali. vt patet ex appetitu generandi, At ius diuinum tolli

non

non potest, & natura, & humana lege, ergo, &c.

Idem in Apologia, Articulo de Votis, Vota, atque opera Monastica vocat obseruationes fatuas, hipocriticas, simulationes, traditiones pharisaicas, atque Machometicas.

Idem tamen, plerisque in locis optare se ostendit, vt ordinis Sacramentum suo loco restituatur.

Vellius, quoq; in Apologia, non arbitratur pugnaciter, hoc Sacramẽtum reijciendum.

Centuriatores Cent. 10. cap. 4 Postquã multorum veterum Eremitarum, vitas, ac res gestas breuiter descripserunt, exclamant, Sed quis hæc hominum monstra non execretur, vt inimicos humanæ societatis, & contra, totam secundam tabulam delinquentes.

Ijdem, Cent. 11. cap. 7. dicunt, Cælibatus doctrinam esse hęresim, maxime pestiferam, omnium, quæcunq; Christiana Regna perturbarunt.

Petrus Martyr in lib. de Cælibatu, & Votis, deducit posse fieri Episcopũ, non solum qui habuerit, sed etiam qui habet vnam vxorem, & posse Episcopum vxorẽ ducere, si non habet.

Caluinus, lib. 4. Institut. cap. 4. & 19. damnat, & reprehendit numerum septenarium, ac docet, tres tantum esse veros ordines. Episcoporum, quos pastores vocant, Presbyterorum, quos seniores, vel doctores, & ministros verbi appellãt, & Diaconos.

Idem, tamen in eodem loco, ex auctoritate, vt ait, Hieronymi, quinq; ordines numerat, Episcopos, Præsbyteros, Diaconos Fideles, & Cathecumenos.

Acolitorum ordinem, ita ridet, Caluinus 4. Institut. cap. 19. Sed imprimis, ait, spectabilis est arrogantia, qua in Acoliti nomine Pontifici philosophantur, Ceroferarium appellantes, verbo, vt arbitror, magico, certè inaudito gentibus, & omnibus linguis.

Rursus, lib. 4 Institut. cap. 4. Hæc inquit, appellatio cleri, aut errore, aut certe ex praua affectione nata est, cum tota Ecclesia, clerus, idest, hæreditas Domini, à Petro dicatur.

Idem in Comment. cap. 5. Epist. 1. Petri, Vtinam, inquit, nunquam Patribus venisset in mentem, vt hac voce vterentur, Clerus.

Idem ait, Apostolum, Heb. 13. Vocare honorabile connubium, citra exceptionem secure, inter omnes, Ergo, & inter Sacerdotes est tale.

Idem in 4. Instit. cap. 13. Monasteria vult esse lupanaria, vota Monachorum, retia Sathanæ, Monachos omnes Sophistas cuculatos, qui ab Ecclesia dissensionem fecerunt, & se totos diabolo consecrauerunt.

Idem, lib. 4. Instit. cap. 13. Habemus, inquit, esse hanc legittimã ex verbo Dei Ministri vocationem, vbi ex populi consensu, & approbatione creantur, qui visi fuerint idonei, Præesse autẽ electioni debere alios Præsbyteros, ne quid per leuitatem, vel per mala studia, vel per multitudinem, à multitudine peccetur.

Idem, lib. 4. Institut. cap. 5. ordinatio Papistarum, nil aliud est, quam merum ludibrium. Et concludit, Non igitur Catholicum dogma est, de septem illis ordinibus.

Kemnitius, in examine, Concilij Trid. non magis ratas esse contendit, hoc tempore Cathol. Episcoporum ordinationes, quam olim fuisse Apostolorum temporibus Annæ, Caiphæ, Pontificum Iudæorũ.

Illyricus, lib. de electione Episcoporũ, ait, claues Regni Cælorum non solũ Papæ, aut Episcopis, sed toti Ecclesiæ datæ sunt. Præterea toti multitudini dicitur, Quæcunque alligaueritis super terram, &c. At nomine clauium, omnis potestas Ecclesiæ significatur, igit̃ tota multitudo fidelium potestatem à Christo eligendi, ac vocandi, atque etiam ordinandi, habet Ministros.

Centuriatores centu. prima, lib. 2. c. 4. Habet, inquiunt, Ecclesia in quolibet loco, hoc est totus cætus, tum vt nunc vocamus Laicorum, tum Clericorum, coniunctim potestatem eligendi, vocandi, & ordinandi Ministros.

Contrarium tenuit, & statuit, Odoardus Rex Angliæ, Sic enim scribit ad Euã gelicum quẽdam Archiepiscopum, Thomam, Quando quidẽ omnis dicendi iuris

authoritas, atq; etiam iurisdictio omnimoda, tam illa quæ Ecclesiast. dicit, quã secularis à Regia potestate, velut à supremo capite manat, &c. Ad ordinandũ igitur quoscumq;, intra dioceſim tuã Cantauriẽn.: & ad omnes etiam sacros Præsbyteratus ordines promouendũ, per præsentes ad nostrum beneplacitum duraturas, tibi damus potestatem.

Ordinis Sacramẽto reprobato, quales Ministros habeant Euangelici, quãque sint inordinata, apud illos omnia.

EA vero Euangelicorũ doctrina peruulgata, & proclamata, sempiternus quidam horror successit, Sutores enim, Sartores, fartores, baiuli, viliſſimi, quique, & indoctiſſimi Corydones currebant, cum nemo eos mitteret. Carnifices quoque, hoc quod isti vocant, verbum Dei tractasse, prædicasseq; certũ est, Ipsæ quoq; mulierculæ, publicæque meretrices, & lupæ verbi Dei ministeriũ, & Sacramentorum administrationẽ exercere non dubitarunt, Idque productis in medium exemplis aliquot ostendemus.

Sed illud præmittemus, omni consideratione digniſſimum. Numerum, tam Minorum, quam Maiorum Ordinum, in Ecclesia Dei, receptum, partim minuerunt partim exploserunt Euangelici, & tamen noua nescio quæ, munera, & officia, excogitarunt, & in suas synagogas inuexerunt. Testatur Abbas Vvinzelius Scotus; quod eligunt quosdam è suis, sed mediocris fortunæ, ciuibus, eosq; (Aufuechter) hoc est, Coriceos, siue Inspectores, vocant: & vnum hoc in Ecclesia sua volunt agere, vt plebeiorum errata notent, atq; ad sua subsellia deferant, Clauiculariosdelatores vocãt alij. Alij Ostiarios nouos, Italicæ dixeris, Spioni, O infensatos Galliatas.

Anno 1554. Accidit quod Ioãnes quidam Stolzen hospitalis Argẽtoratẽn. Culinæ præfectus, rem domesticam Euangelica fide, administrauit, multasq; fraudes, & aliquot milliũ. furta commisit, quo nomine damnatus à Senatu publice virgis cæsus est, auriculæ quoq; præcisæ, & in tota dictione igni, & aqua interdictum. Is itaq; videns, quod aliter vitam tueri, ne inter opifices quidem posset, Cõsilium eo quod profitebatur Euangelio dignum cæpit, animumque ad obeundum Euangelicæ prædicationis ministeriũ adiecit: idq; vt commodius præstaret, aliquamdiu vagabundus oberrabat, dũ Philippi Grammaticam, & Luth. paruũ Cathechismũ percurreret, & cicatrices præterea sanarentur, comæ quoq; capitis ita excreſcerent, vt vulneris aspectum prohiberent, Ministri itaq; munus, in Kaisers laute, nõ procul à Spira obire cępit, Cum autem pro concione Papam, & omnẽ ordinem Ecclesiasticum, omnibus maledictorum notis proscinderet, & latrones, nebulones, proditores (Schelme, diebe, verreter) subinde appellaret, Catholicus quidam Sacerdos, qui sermones ineptiſſimi præconis obseruabat, publice in templo respondit, quod ipse potius esset latro, & proditor, & quod eius rei signa manifesta circumferret, Quo nomine vocatus in ius, dempto è capite Ministri pileolo, & amota coma, resectas ob latrocinia aures omnibus ostendit, & ingentem pudorem oppidianis incussit, quod latronis verbum, tanquam Dei verbum adorarent.

Ante annos plus minus 10. fuit quidã Minister Euangelicus in Auerheym, prope Vvelnig, qui Sabbatis omnibus in publico balneo ciues lauabat, & tonsorem agebat, vnde sibi liberisq; suis, in quotidianum victum stipendia merebatur, viciſſim die Dominico, matutino, quidem tempore, Parochi, & concionatoris munus obibat, in Ecclesia, Sacramentaq; sua ministrabat. A prandio vero in taberna tibias inflabat, & choreas saltantibus rusticis modulabatur.

Surius, scribit Andream Smidelinum in Colloquio quoddam Vormatien. in frequentiſſimo auditorio, suggestum ascendisse, cum Sago aulico, paulum infra genua,

nua, manica altera picturata, circa sinistrum humerũ, exertis vtrinq; brachijs, & cum cultro venatorio ad latus, quamobrem etiam Latomus in rèspõione. Iam sagatum, iam appellat Clypeatum.

Vigandus quoq;, in suo libello, de bonis, & malis Germaniæ, refert, audiuisse se quendam præconem Vittembergeñ. de coniugio ad populum declamantem, plus quam 20. Carmina ex Ouidio de Arte amandi protulisse, Versatus forte fuit in Schola Pasaritij Galli, qui Ouidij de Arte amandi, libellũ Magistrum, & Præceptorẽ suum, in publicis lectionibus appellabat.

Norimbergæ, apud S. Iacobi templum, Ministrum agebat Apostata quidã, ex ordine S. Francisci, & transfuga ex Landshut, Ioannes Kuchelbacher, textorem se vocabat. Is per annos aliquot ne prima quidem Cathechismi principia in Monasterio perdiscere potuit, ob ingenij stupiditatẽ: ægrotante matre sua, & fere animam agẽte, à R. Domino Naso Suffraganeo Brixineñ. euocatus, ad matrem accessit, vt assisteret ægrotanti, & vltimũ illi valediceret: & è more Catholicorũ, transeuntis animam Deo omnipotenti commendaret, Tam autem fuit bardus, & stupidus, vt nihil aliud proloqui sciret confortandæ matris gratia, quam hæc duo breuissima verba (Seyt vns vvilkomen Mutter.) Bene venisti mater, Is tamẽ post quam cuculam deiecit, ad vnius Superintendentis manus impositionem, & fætidoris halitũ, ita subito doctus, & eloquens factus est, vt Ministrum Lutheranum agere, in insigni Ciuitate Norimbergeñ. mereretur.

Sed quia sæpe solent Euãgelici nostris quoq; Sacerdotibus simplicitatẽ quandã, & oium rerum ignorantiam exprobare: libet exẽplum adducere, quantũ in Ecclesia Dei possit vera fides, syncerus affectus, mens diuini honoris cupida, & ad omnẽ bene de proximo merendi occasionem intẽta: etiã si in illa sua credendi simplicitate exigua intelligẽdi viuacitate, nitatur.

Palatinus Podoliæ Mieleczki, vir animi excelsi, & sua claritate dignissimi tantequam ad Ecclesiam Christi repudiatis erroribus, accessisset, adhibuit ad mensam suam, vilullæ cuiusdam Parrochum, Sacerdotem pium, & simplicem, Gorski, eo consilio, vt cum Ministro garrulo, quẽ alebat, disputarer, & suam ignorantiam auditoribus ridendam propinaret: Minister fauore patroni præfidẽs, Parrochum verbis aggreditur: multa in Ecclesiam, multa in Pontificem, Episcopos Monachos, tacente Sacerdote, & omnibus arridentibus declamabat, (non vt ædificaret, sed vt litim contraheret) Monuit Palatinus Sacerdotem, vt aliquid responderet. Ille loci causa, Ad prandium, inquit, non ad disputationẽ, vocatus sum. A prandio, si quid potero respõdebo: Secutus est omnium risus, & in Ecclesiasticos ritus, & cærimonias grauiores cõtumeliæ, Bonus Sacerdos zelo motus, alta voce ait: In hodiernis præcibus rogaui dominum, Discerne causam meã, de gente non Sancta, Nunc itaq; spero quod discernet; Facto itaque signo sanctiss. crucis, clara voce dixit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: authoritate Dei omnipotentis, cuius indignum Sacerdotem ago, præcipio tibi dæmon, vt in homine isto obmutescas, nec audeas amplius loqui, Vix elocutus est, cum Minister obmutuit, ita vt ne verbũ posset edere, Tum Sacerdos, Nunc loquere, vt homo, & loquar tecum, nam cum dæmone, cuius spiritu locutus est, hucusque contra Ecclesiam, Christi sponsam, disputare detestor: cum sit antiquus serpens, & nimis callidus, At Minister confusus, ex omnium se conspectu proripuit, & recessit: nec vllũ plane verbum retorquere potuit, Palatinus autem de reditu ad Ecclesiã, ex ea occasione cogitare cæpit, eiq; sese deinceps adiunxit, & constantissime perseuerauit.

Nicolaus Stork, vt Manlius scribit, Tom. 3. in Ciuitate Monasterieñ. prædicabat, quod Gabriel Archangelus, è Cælo visibiliter descendisset, & manus sibi imposuisset, verbiq; ministerium, & Sacrameñ. administrationem, totiusq; Ecclesiæ reformationem commisisset, qui tamen paulò post in Monasterieñ. Hospitali, misera morte perijt.

Extat libellus Gallicus, Catholicorum Anglorum, ad Catholicos Gallos, Parisijs 1586. editus, In eo Minister Regis Nauarræ Bocardus memoratur, ita sui amore

amore obcœcatus, vt est sibi, & alijs persuaserit, quod Ioānes Apostolus, in Apocalypsi faciat, de eius aduentu mentionē: quodque futurus esset Rex Galliæ, & Pōtificem Rom. de sede, dignitateq; sua deturbaturus.

Scribit Erasmus, quod aliqui Euangelici Prædicacantes, totā rationem temporum inuerterant. In festo Paschatis, de Natiuitate concionabantur: & vicissim, Natali domini die, Resurrectionis Historiam proponebant, quas etiam conciones ad eandem rationē typis tradiderunt. Auditoribus etiam suis persuadebant vt omnibus ferijs sextis, sed præcipue die Parasceues, carnibus vterentur, & Bachanalia celebrarent: ita vt si quis toto anno abstinuisset, & solos tantum Pisces in vsu habuisset, hoc ipso Parasceues die, carnibus sese vsq; ad satietatē ingurgitaret, & Venere præterea blandula vteretur.

Basileæ, ex ijsdem verbi Dei prædonibus non postremi inter alios, vt ait, Lindanus nominis (Farellus) Caluini hospes fuisse existimatur: iuuentus est ipsa Parasceues nocte in publico lupanari meretricijs osculis, & amplexibus occupatus, nō crucem viuificam, quod eo præsertim tempore faciunt Catholici, adorans, sed in Psaphiæ, deæ Sacris operans, Quamobrem etiam iussus est sine mora, Ciuitate excedere.

Nasus cent. 2. Alio quodā in loco, ipsa qua diximus Sacratissima nocte, verbi minister in Adulterio deprehensus, iussu, & mandato Politici Magistratus, à publica custodia, in aquam deturbatus, & submersus est.

De scis. Angl. Narrat Sanderus, Thomam Cramerū Zuinglianum Ministrum, meretricem cista inclusam, secum vbique, & tanquam vas quoddam necessitatis (sic enim lupas suas appellant) circumduxisse.

Castellum, etiam quendam, sectæ Caluinianæ ministrum, memorat, tanta cupiditate exarsisse, implendi illius præcepti: Crescite, & multiplicamini, vt in vno lecto simul cum duabus meretricibus inuētus fuerit, vnde postea lepide vocatus est. Crescens castellus.

Sebestianus quoq; Hassius recenset, in Causis suæ conuersionis, vsitatum esse, inter Ministros Euāg. passim inuicem vxores commutare, eamq; commutationem facere secum quendam ministrum voluisse, testatur.

Poynetus Anglus, occupato Episcopatu Vintonien. vna sua vxore non contentus, Lanionis cuiusdam viuentis vxorem abstulit, & in subsidium adhibuit effrenatæ libidinis.

Solenne est, in Anglia Ministris Euangelicis, dum è suggestu concionātur, formas mulierum, vagabundis oculis, circumspicere: & ex ijs sibi vasa necessitatis, Sic enim concubinas suas appellant, eligere.

Limatuli itaque, & polituli, Cathedras ascendunt nitidula facie, cōptulo capillulo. Crispato indusiolo, bipertita barbula, plane toto corporis habitu ad lasciuiam comparato: è quo loco, & oculos, & sermonem ad eam templi partem, sine omni pudore dirigunt, in qua suos amores contuentur. Ad eum modum puellam quandam minister oppidi cuiusdam adamauerat, ad quā blandulas literulas exarauit, refertas illis Cantici verbis, Amica mea, columba mea, formosa mea, Oculi, vt Columbarum, capilli, vt greges caprarum, collum, vt turris Dauid, &c. Has litteras Londinum veniens. Regio Iudici per errorem obtulit, volens aliud quoddam Memoriale producere, quo suū explicabat negotium, Has cum domi suæ prius, postea etiam in Senatu Regio Iudex legisset, magnus est omniū risus consecutus, & non vulgare quoddam odium intelligentium virorum in tam turpes, & salaces ministros, fuit excitatum.

Testatur Guillelmus Roseus, in libello suo, de Iusta Reipub. Christianę, in Reges hæreticos authoritate, creberrima esse in Anglia inter ministros repudia, diuortia, adulteria, vbiq; ab ipsis Archiepiscopalib. palatijs, ad miserrima ministrorum, tuguria descendendo, & laici inordinem (vti necesse est) à suis Doctorib. & ministris, eandē impuritatis fecem, & coluuiem trahere, ipsa iudicum subsellia, & infames Super intendentium historiæ, & quotidianæ de diuortijs, & nouis nuptijs lites, nimis luculenter probant.

Ninianus Vvinzetus Scotus testatur in Flagello hæreticorū, quod à Regina Helisa-

liſabeta, coguntur in plerisq; locis, tam miniſtri, quam ſubditi conceptis verbis iurare, non tantum ſe Reginam pro capite Eccleſiæ in poſterũ habituros, Sed omnino iuxta Euangelium ſe teneri, vt hoc ita, & non aliter credant.

Narrat Arcimboldus Hamiltonius, in Demonſtratione, Caluinianæ Confuſionis, quod Knoxius, Magnus, ſi dijs placet, Scotiæ propheta, homo ſeditioſiſſimus, dũ omnem occaſionem captaret: armandi in Principé ſuũ populi, auſus eſt in plurimis ſuis concionibus docere, nõ modo non orandum pro Principe, ſed eidem quoq;, male imprecandum, verbo, & exemplo.

Godmanus porrò Anglus, alter Bellonæ ſacerdos; & iudiciarias leges omnes; & totam Iudæorum politiam, neceſſario Chriſtianis ſeruandam oſtendebat.

Teſtatur etiam in eodẽ libro. Tantam eſſe in Scotia omniũ Miniſtrorum impietatem, vt multis; quod aiunt, paraſangis, vulgi vitia ſuperent: quæ docuerunt: Inuentus eſt, ait, vnus ex Miniſtris, ita impudens circulator, & adulter, vt poſtquàm in celebri Aberdoniarum Ciuitate, multa pro ſuggeſtu, de ſua, ſuorumq;, vitę puritate, ſplendide decantaſſet: conuictus poſt dies nõ ita multos Edemburgi de adulterio, vt cauſam ſuam faceret meliorem. Cæpe panniculo inuolutũ oculis admouebat, vt oculos ad lachrymas; lachrymis auditores, ad miſericordiam prouocaret. Alius falſi nominis Epiſcopus, finxit ſe Nunciũ à Principe miſſum, ad quendam opulentum, à quo multos aureos per cõfictum ſermonem expreſſit: quos tamen à ſe acceptos conſtanter vbique pernegabat: niſi quod metu tormentorum, coactus, eoſdem poſtea reddidit.

Alius Miniſter, minimè, vt ait, obſcurus; præsbyterum octogenarium, ad ſacrum peragẽdum myſterium die Dominico proficiſcentem: ęquo deiectum. Veſtibus, & oreis ſpoliatum; nudis pedibus, per altas niues, & paludes glacie conſtrictas, ſub horrida hyemis tempeſtate, famuli loco ſe ſequi coegit: vxorẽ præterea ſuam, contuſo vſque ad animæ deliquium corpore, & confractis oſſibus loris ferratis colligauit: cattumq; corpori alligatum pro tormento adhibuit: qui quoties flagris cederetur, in fœminam inuolans carnem omni veſte nudatam. Vnguibus, & ore lacerabat.

Alius item, vt ait, eiuſdem ordinis anteſignanus, in gratiam coniugis, matrem propriam intempeſta nocte hyemis, frigore, grandine, & pluuia infeſta, ea domo expulit, in qua natus, & educatus, piæ matris officio, olim fuit.

Solemne quoque eſſe aſſerit: ijſdem illis Miniſtris, non tantum pro diuerſitate locorum. Sed pro diuerſitate Dominorũ, & auditorum, alias, atq; alias de religione opiniones commutare, ita, vt in Belgia credant, quod Belgæ: in Anglia, quod Angli: Geneuæ, quod Caluiniſtæ: Romæ, quod Romani.

Cum ad leges patrias, à Miniſtrorum factis, & Decretis quiſpiam prouocabat. Vociferabatur Patriarcha Knoxus, non eſſe, in Dei cauſa, humanis legibus inſiſtendum.

Ait quoque, Miniſtros, Chriſti, Euangelia exuiſſe: idq; ijs probat referentibus: quorum opera ad corrogandos vndequaque libros, & rogũ, accendendum, vſi ſunt.

Humanas vero leges, plane conuulſas, ait à Knoxo: in eo libro, vbi docet. Nullo iure humano, aut diuino mulierem viris præeſſe. Immo ne per matrimonium quidem ius Regni, in quenquam tranſferri poſſe.

Idem aliquãdo interpellatus. Cur pro concione flammas ſeditionum fede, atq; impiè excitaret. Reſpondit. Verba ſua, quę pro cõcione dixit vera, & ex Spiritus Sãcti dictamine, omnia ſemper protulit. Nec Rectoris iudicio ſe ſubmittere, nec Academiæ, nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi, nec Regis, nec Senatus, nec Pont. ſummi, nec ipſius conſilij, etiam ſub præſentis colloquij ſpecie.

Teſtatur etiam frequentes haberi in Scotia conciones, à miniſtris, de neceſſario Veneris vſu, ita vt nec ſenex octogenarius, ea carere poſſit, & miniſtrorum fere neminem eſſe, qui ab aliorum, vel vxorib. vel ancillis ſibi temperet.

Regiomonti in Pruſſia, ante aliquot Annos, Miniſtrum Euangelicum agebat, Carnifex quidam, humanorum corporũ lani-

lanista: & septẽ præterea, diuersis in locis, vinas, vxores, habebat, idq; testatur Hosius.

In Lituania viuit adhuc fortasse Stanislaus Sudrouius, Keydanen. Minister. Hunc carnificem fuisse, & in eo munere per aliquot annos cum laude vixisse, Senatus, vt audio Ciuitatis Leopolien. constanter affirmat.

Iurgenicio certe, in eo libello, quo mendacia, & conuitia, Volani manifestat, verisimile videtur. Ait enim, hominẽ propter orbem argenteum furto sublatum, à Senatu Leopolieñ. ad furcam fuisse destinatum: sed imminens collo suo suspendium assumpto carnificis officio euasisse, idq; Vtricum Saxonẽ corã vniuersa Lytuanica nobilitate obijcere homini voluisse: quod nõ modo carnifex, sed & Arianus esset; Literas etiã ab eo scriptas commemorat, in quibus, ait, se pertesum esse personarum, filij, & Spiritus Sancti: sufficere sibi solum Deũ Patrem: In quadam etiam Concione, ita dicitur, Christum, & Martinũ contexuisse, vt non plus Christo, tribuisse videretur, quam Martino, Summam illi etiam infantiam, & inscitiã tribuit, quod videlicet inferiores disciplinas, vix à limine salutauerit.

Dicitur aliquando, distento ventre, quem egrè portat, stentorea voce plenis buccis, locum illum Pauli recitare latine voluisse, donec corpus nostrum, &c. atq;, ita eloquutum esse, donec corpus nostrum corrumpatũ erit. Alio item loco. Quemadmodum, ait, Petro, creditum est Euangelium in præputios.

Humilitatem quoq; eius plane Euangelicam commemorat. Vilnam enim ad verbi Ministerium reuocatus, ire detrectauit: nisi alter quidam ministellus Andreas Chrzastovvskij, & se eo minorem gradu ministrum profiteretur: & matutinas præterea, conciones omnes absolueret, sibi promeridianas relinqueret, Didicerat quippe hoc quoq; optimus Minister, quod, ieiunus venter, non concionatur libenter.

In Ratisbors Oppido Siliſiæ, alius quoque carnifex Ministellum egit, Euangelicum: sed cum à quodam religioso ordinis Sancti Dominici, qui hominem lanistæ munere in altero oppido functum nouerat, detectus esset, magnam sanè pecuniam religioso offerebat, ne tam præclarum vitæ genus propalaret: sed cum ille neglectis munusculis vocationem Euangelistæ apud omnes incolas prædicaret, coactus est optimus Pastor, clam sese Raciborio, ab ouibus suis, pudore perurgente, subducere.

Vilnæ habita est, Anno superiore Pseudo, Synodus, Euangelicorũ, Maio Mense: deprehensus est vnus ex Ministris, vltra pontem Bernardinorum, vocant, in adulterio: atq; à lictoribus Castrensibus captus, in carcerem compactus est: vbi cũ de facinore reprehenderetur, respondisse fertur, Quod in despectum Papæ, adulterium commisit, qui matrimoniũ esse vult Sacramentum, ac ita euasit: ne quinque quidem grossis penæ loco persolutis, quos à Pontifice exigi pro cuiuslibet facinoris expiatione impudentissime mentiebatur.

Testatur Iurgeuitius, in Anatomia libelli Volani, quod Minister quidam Lithuanicus, Turobolski, propriã filiam, per summũ scelus constuprasse dicebatur, fueritq; hoc noïe à Sancta, scilicet, Synodo, Euangelica nil aliud quam reprehensus.

Stanislaum quoque Sudrouium Archiepiscopum, & carnificem, vt vocat, & Matthiam Ioannidem aurigam quondam nunc verbi, ministros, ob sententiarum, & opinionum diuersitatẽ, & ob auersam à suo matrimonio. Martham Mazurouam, cum bene poti essent: in ipsa sua synagoga egregie sese pugnis mutuo excepisse, Alium præterea Ministrum antequam in Gallias peruenirent, domum reportasse morbum Aulicum ferunt, quo, & vxorem infecit, & propriam suam filiam.

Alius quidam Minister Apostata, errores in quibus versabatur agnoscens, publicam in Ciuitate Vilneñ. fecit recantationem, fideiq; Catholicæ professionem in facie Ecclesiæ emisit, seq; toto animo ad Ecclesiæ gremium reuerti, & verbis, & lachrimis professus, & protestatus est. Cæterum, vt in Monasterium vnde fracta fide fugerat, relicta concubina, quam vxorem vocabat, rediret, nullis cuiusquã persuasionibus adduci vnquam potuit, dicens, nulla ratione tractare se verbũ Dei

posse, sine mulierculæ adiutorio, quæ cõcionis materiã è sacris Biblijs preparare soleret, dum ipse agriculturæ, stercorationi, bobusq; stabulandis, vacaret.

Infiniti sunt omnino Ministri, apud istos Cacangelicos, qui se ipsos mittunt, obtrudunt, ingerunt, currunt, Respondẽt, Ecce ego Domine, mitte me, & nemo vocat, Testem adhuc Velsium, memorabo, cuius Apologiam refutauit, Ioannes Slotanus Gesneñ. Is Coloniam veniẽs, scriptum quoddam valuis templorum affixit, 14. Aprilis ipso die Paschæ 1555. in quo hæc verba legebantur. Cum misericors Deus, qui mortem impij non vult, Diocesis, & Ciuitatis eius mala, auaritiam, insolentiam, fastum, libidinem, reuelare mihi dignatus sit, & certa adiecta vocatione mandauerit, vt eam perspicue ante oculos, hominibus poneremus, si qua forte ratione ad eam, quæ nobis ab eo iniũcta est, pœnitentiæ prædicationem resipiscant, reluctari huic sanctæ ipsius voluntati, & iussioni, nec volumus, nec debemus. Quare die Iouis 18. Aprilis hora 9. ante meridiẽ, in Dei virtute ac robore, nostræ vocationi satisfacientes, hac de re disseremus, Esaiæ caput quintũ, explicãdum assumentes, si quidem permittetur in Scholis artium; si minus, ibi, vbi prohibere nemo poterit, domi nostræ faciemus. Consuli quoque Colonieñ. scribit nõ mirari debes, amplissime Consul, quod cum manifesta reuelatione, à Deo, Rege, & creatore meo, apertum mandatum acceperim, exhortatorium hunc sermonem habendi, & hoc tempore id publicè indicãdi, intrepide id executus sum, nec cum hominibus prius, de hac re consultauerim. Non enim par est, vt quem Deus id facere iubet, ab homine, an id facere debeat, interroget: vt nos perspicuè, quæ à Prophetis, & Apostolis facta sunt, docent: quorum vt vestigijs insistamus, & recta ratio, & sacræ iubent literæ.

Dei, & Christi eius seruus Iustus Velsius.

In tertio scripto, prouocat in nomine Domini Dei, qui sibi hoc mãdauit, exercituũ, Sancti Israelis, & in certamen deposcit, quidquid vsquã est sapientum, & maleficorũ, Aegypti, Groperorum Billichiorũ, Iesuitarum, Pseudo Christorum, & Pseudo Prophetarum, & id genus mõstrosorum omnium.

Sed quid istos gregarios, & Abecedarios Ministellos, eorũq; Sodomiticas turpitudines memoramus? Qui præcipui fuerũt istorum quos recensemus Atheismorum architecti, & quasi quidam totius Sacramentariæ fabulæ præsultores, Caluinus, & Beza, quibus flagitijs cooperti fuerint, qua linguæ petulantia, quam vitæ rationem tenuerint, & Christianorum libri, & ipsorum Euangelicorum Philippicæ modo non ædita voce testantur.

Caluinus Nouioduneñ. Picardus, vt habet, vir nobis, & in Concilio Tridentino, & in Vrbe Parisieñ. olim coniunctissimus, Democharis, ob insignem vitæ, morumque turpitudinẽ patria exulare iussus est, Vigorius inter dissolutos sue vrbis viros dissolutissimum, inter inconstantes, & fædifragos, ait, fuisse inconstantissimum. Seruetus autem homicidij quoque crimẽ objcit, Homicidam, inquit, in responso, ad articulos Genuensium: Caluinum dixi, idque vere dixi, & Simonis præterea Magi sectatorem, Nega te homicidã, ex actis publicis probabo: Sed, & Hesusius vocat hominem sanguinarium, quod publico iudicio de rebus criminalibus solitus sit assidere: quodq; capitalem sententiam contra quendam reum dixerit, Plura Bolesc us persequitur, in eiusdẽ Caluini vita, vocat ibi hominem, & probat, non solum adulterum, sed etiam propriæ prolis carnificem, Bruleum Ostunum, quem mortuum finxerat, susciteq; verbi sui ui promiserat re, & veritate, occidit, Puerũ qui quater Mille Francos furto ei abstulit, & profugit, capi nunquã permisit, ne nefanda eius proderet nocturna mysteria: quorũ causa accersitus in Gallia ad iudicium, & conuictus est, & sanctissima lege Patriæ, ad ignes, & fasciculos dãnatus, nisi quod iudex, flexus præcibus, & lachrimis hominis, non indoctissimi, vitam ei ea lege donauit, vt ardenti ferro stygma, nefandi sceleris impressum testimonium in omni vita circunferret.

Neq; tamen ille propterea vagas suas libidines cõpressit, ita enim misere morbo

bo deinceps Gallico corrosus est, vt in suburbia Parisien. secedere, ibique in camino diu multumq; esset sudare coactus: Factus autem grandeuus, seruam quoq; suã compressit, ac ne tumore ventris opus illud Apostolicum proderetur, prolem aliquot mensium Chyrurgi cuiusdam opera venenatis medicamentis, & potionibus, interimi curauit: ita vt serua puerum exanimen enixa, clam inhorto fuerit sepelire coacta, quod deinceps Chyrurgus palam, vbiq; professus est, Teoplasse, & alios libros sub alieno nomine edidit, in qua se scriptaque sua, sine freno pudoris, & timoris dilaudauit, Guisium trucidandum curauit: atque ad Principes Galliæ crudelissime iugulandos Comitem Hessum Picolinum, & Roisetũ, siccarios, & verbis subornauit, & armis armauit, Ad extremum pediculari, vt habet Bolesc us, morbo discruciatus, infælicem animam, iurans, execrans, & blasphemans, miserrime eructauit, diem, & horam detestatus, quam vllis vnquam studijs, vel scriptionibus impendisset. Plura qui volet legat Bolescum.

Beza vero, legum licentiatus, ob flagitia, amoresque illicitos, & supplicio dignos concubitus, quod non solum Bolescus Catholicus, sed & Hesusius hæreticus, testantur, ob adulteria, & infandas libidines, ob edita Epigrammata, Martialis, & Catulli, spurcitias superantia, & per omnia prostibula decãtata: ob quotidianam lupæ suæ Claudiæ, quam Candidam vocabat, & à marito sartore abduxerat, atq; Audeberti pueri consuetudinẽ, cum vtrumq; procaciss imis editis Epigrãmatis dilaudasset, quæ sic incipiunt.

Abest Candida, Beza, quid moraris
Audebertus adest, quid hic moraris.

Ob hæc, inquam, & alia innumera infanda facinora, quæ piæ aures non ferũt, ex Gallia Losannam profugit, Inde vero pulsus, Geneuam se transtulit, & Caluino linguam vendidit, cum prius optima quæque beneficia septingentis, & amplius coronatis, sicut ipse, in præfatione suæ Confessionis commemorat, distraxisset, Prioratum enim quendam non procul ab oppido Longeuelio nullo iure occupatum ea conditione mercatori locauit, vt per anticipationem vnius anni redditus in numerato repræsentaret, eũdem tamen illo ipso tempore alteri cuidam præsenti pecunia vendidit, Mercatori de debito appellanti si pergeret molestus esse, verbera cedemq; comminatus est. Addit Sanctius, in Apologia quod in direptione Turonen. Ciuitatis duo millia marcarũ argẽti, auri vero, mille marcas, è Thesauris Ecclesiasticis clepserit, & exportauerit, præter gẽmas, & monialia, cæteraq; eximia ornamenta, tantoq; fuit rapiendi, prædandiq; cupitate percitus, vt in Deo dicatis templis, in quibus præcipuè bachabatur, nec clauum, nec ferrum reliquum fecerit vllum. Cap. 9.

Sicut autem in aliorum sepulchris deturbandis, soloq; æquandis, erat diligentissimus: sic in suis, & suorum statuis erigendis, & Epitaphijs concinnandis, assiduus videbatur. Facit sæpè sui Cænotaphij mentionem, in quo sibi passus est, à socijs suis erigi, magnificum, & admirabile rerum à se gestarum monumentum, Testis est Gabriel Fabricius in Respons. ab Bezã. Ait enim. Extat Geneuæ in Mausoleo suo, statua Bezæ, quatuor columnis suffulta. In prima videtur artificiosè, opere cœlato, exculpta Candida, cum suo pharetrato cupidine: multis incæstis amoribus, non polluta, sed constuprata. In secunda Harpia, multis nõ rapinis sed sacrilegijs, tanquam opimis Galliæ, spolijs onusta. In tertia, Bellona parricidijs cincta, multorumq; ciuium sanguine tincta. In quarta, Chymerã multiplici impostura fucatam. Et hæc sunt quatuor Bezæ virtutes Cardinales Venus, Harpya, Bellona, Chymera. Sed istiusmodi præceptoribus, morumq; magistris digni sunt omnes Euangelici, qui Cyprianum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium habere præceptores, & magistros desierunt.

Budneus, Lituanicus Christicida, incidit aliquãdo in Christianos Regis Stephani milites, è bello Moschico reuertẽtes: admonitus à quibusdam est, vt à tantis in Christum Dei viuẽtis blasphemijs, vel in hac extrema vitę suę parte desisteret, erroresq; nefarios reuocaret, maluit Arianismum omnem, genibus flexis, eiu-

rare, quã vel leuissimo periculo caput suũ obijcere (dictante videlicet conscientia) verã mortẽ, pro falsa fide non esse subeundam, seq; præterea in disciplina Patrum Societatis Iesu acquieturum promisit.

Cæterũ egregij milites exploratã habentes Euangelicorũ fidem, nudis Budnęi verbis, non acquiescentes, iusiurandũ exigebant. Sed cũ nec Euangelia, nec imago Christi crucifixi, ad manum haberetur, (Crucis enim simulacrũ Euãgelici illius prouinciæ, non secus, ac olim castra Macedonum fugiunt,) supra Czekanum, genus est armorum oblonga cuspide, duos digitos applicare, iurareq; maluit, quam aliquid pati, ob suum Euangelium.

Ioannes Seclutianus, è librorum cõpactore, Monachus, è Monacho Apostata, & Typographus Regiomontanus, tãtus subito cucullo deiecto, ruptisq; pudoris repagulis, Theologus factus est, vt auderet vulgarem Polonicam, Postillam vocãt in lucem hominũ edere: de qua Patris Sarbini Dominicani viri doctissimi, & hæreceæ prauitatis in Ciuitate Posnanień, Inquisitoris diligentissimi, tale olim iudicium fuisse audiuimus, quod scriptorem Euangelicum nullum viderit, qui maiore auctoritate, nil diceret.

Legit in Concertatione Ecclesiæ Cath. in Anglia, Quod cum Richardus Vittus, ob fidei Cath. confessionẽ, in vinculis teneretur, accessit ad eum Petrus quidã Minister Euangelicus, disputationemq; instituit, de clauibus Ecclesiæ: in qua cum insulsa multa more Euangelicorũ blateraret, illud etiã ausus est homo stupidus affirmare, sibi non minus, quã Petro, traditas esse claues Regni cælorum, cui Vittus subridens, Cellarij potius, cereuisiæque debebas dicere, quas te habere hoctuum abdomen, & leprosa facies, nasiq; tui promontorium satis ostendit.

Citat Alanus Dial. 6. cap. 17. Fuisse in Anglia Vilelmum quendam Coubrigiũ, qui cũ laicus plane esset, nec vllis Sacris initiatus, se tñ pro sacerdote venditabat, omniaq; sacerdotis munera concionãdo, sacramentaq; administrãdo obire non reformidabat. Meminit etiã vir doctissimus, & nostri amãtissimus, Cromerus Eps Varmień. Hosij nostri successor: q cum quidã Germanus Princeps, pulsis cõtra leges publicas, quibus condendis ipse quoq; adfuerat, Monachis, & sacerdotibus, dirutis atq; euersis templis vniuerso rerum ordine in Ecclesia perturbato, nouum ordinẽ, formamq; cultus diuini, peculiaremq; religionis rationem institueret, & ad eã seruandam Ministros Ecclesiarum, & noui verbi præcones iureiurando propositi cogeret, potestatem tamen addendi, minuendi, mutandi, sibi reseruaret, vnus è ministris iusiurãdum detractauit, nisi illi qui scriptum ediderant priores iurarent, se id esse nunquam mutaturos.

Fortasse autem Princeps hic erat, Henricus Saxoniæ Dux, Georgij catholicis. Principis frater, qui cum Luth. perfidiã esset amplexus, nouos subinde Cathechismos scribi, ediq; voluit, nouas describi rituum, Cæremoniarũ, & administrandorum Sacramen. ordinationes, & à Cõfessione Augustana, & ab Apologia Philippi discrepantes: & laicis curam pastoralem cõmittebat, omnesq; ex præscripto nouorum articulorum, in religione se gerere volebat, & per suos Visitatores decreta, somniaq; sua obseruari compellebat. Lib. 1. Colloquiorũ. Cochleus.

De Ordinatione, seu vocatione, Ministrorum Euangelicorum.

FORMAS autẽ vocationis, missionis, manuũ impositionis, ad obeundum verbi ministeriũ, vt cætera omnia varias, & diuersas habent Euangelici: sed vt plurimum, se ipsos non vocati ingerunt, currunt, & non mittuntur, de tonsura, in Cathedram, de Carbonaria ad Christi altaria, à populo ad templum subitò exiliunt, seq; ignotis hominibus, pro verbi ministris, toga Crispata sumpta, & Pitagorico Pileo, impudenter offerunt. Tales fuerũt illi duo Coridones, Tinctor, & Coriarius, qui primi Euangelicas Conciones in sylua quadam prope Antuerpiã, postea in Viculo Borgenholtz Theutonica, & Gallica lingua, habere ad popnlum cæperunt.

In plerisq; tamen Euangelicorum dition- Surius in cõmẽt.

tionibus, vlmei isti errones, non passim admittuntur; sed à Burgemagistris, Prętoribus, Proprætoribus, Cõsulibus, Proconsulibus, Aduocatis, & Scabinis, Iuratis, à Tribu etiam Sartorum, à tribu sutorum, tribu lanionum, à tribu Piscatorum, vt Argentinæ fit, insufflationem, & manus impositionem, accipiunt.

Alicubi inter pocula Societatis, siue Confraternitatum ordinantur, & instituuntur, Alicubi à solis tãtum Clericis, hoc est, Sacristano, campanatore, & scopatore templi examinãtur, & approbantur, In Villis Stoltz, & Vuoijtt, Scultetus, & Aduocatus, recentis vini cremati, odorem insufflant: alibi è suggestu, nomen futuri ministri recitatur, & populus respondet, Deo gratias.

Nonnulli tamen à Superintẽdentibus simul, & Burgemagistris instituuntur, & vicissim destituũtur, sicut ante biennium Ratisbonę accidit, vbi Senatus Polyticus Christopherum Bindner, quod cũ Diet. tricho Rosino, in materia de Vsura non conueniret, primũ absolutione, & Cõmunione priuauit, postea Ciuitate, eiecit.

Idẽ accidit, Sigefrido Sehak, Magdeburgen. Scholę Magistro: qui, sicut scribit Hesusius, requisitus à Senatu, vt subscriberet Cõfessioni Luneburgen. Anno 1561. cõpilatæ, subscripsit ita: Subscribo declarationi, quatenus congruit, cũ verbo Dei: & hoc nomine exulasse existimatur.

Idẽ accidit, Gregorio Miller, ministro ab Augustano Senatu Ciuitate eiecto, qui seditiosissimum scriptum cõtra reformationẽ Calendarij Gregoriani euulgauit.

Talem Senatum vocauit Philippus, politicos Pontifices, qui sibi in verbi ministros maiorem, magisq; intollerabilem, & minus excusabilem, authoritatem, & potestatem, vsurpat, quam Papa Romanus vnquàm: ita vt pro ligneo Papæ, iugo, ferreum sit verbi ministris impositum. Vidimus libellum Germanicum, à Ciuitate, & Camera Ratisbonen. editũ Anno 1574 cũ hac inscriptione, Bericht Camerer vnd, Stat Regenspurg, &c. Informatio Camerę, & Ciuitatis Ratisbonẽ. necessaria ad ordinem seruandũ in ministerio tẽpli, & in Scholis, Euangelicæ Ecclesiæ.

In Præfatione corporis Doctrinæ.

Extat Libellus Geneuæ 1556. Impressus Anonimus. De ratione, & forma publice orandi Deum, & administrandi Sacramenta, in Anglorum Ecclesiam, quæ Geneuæ colligitur, recepta, In eo tã ordinate, ait, quidam, disponuntur omnia, tanquàm si quis humanæ ceruici, equinum caput imponeret.

Extat renouatio Ecclesiæ Nordlingẽsis.

Extat à Philippo examen editum, eorum, qui audiuntur ante ritũ publicæ ordinationis, qua cõmendatur eis ministerium Euangelij, Vvittembr. 1558. In quo etiã vt ait, de impedimentis, de lineis, & gradibus matrimonij, & de appellationibus caput singulare admiscuit: quæ tamẽ omnia illi ipsi, & irriserãt initio, nascẽtis huius Euangelij, tanquã grauia conscientiarũ onera, & libertati Euangelicæ contraria: & è suis Synagogis exploserãt: Sed Veritas olet habet rationẽ, & naturam. Supernatat. Similem librum edidit Geneuæ Beza 1568. de repudijs, & diuortijs.

Extat præterea. Liber siue Agẽda Germanica, Christoph. Ducis, Vvittẽbergen. Comitis, Monpelgarden. in quo tam Ministris suis, quam reliquis subditis præscribit, quomodo se circa Cæremon. & res Ecclesiæ gerere debeant. Tubingę 1559.

Extat liber Germanicus, Kurchenordnung, inscriptus, quemadmodum se gerere, Ministri Euangelici debeãt circa doctrinam, & Cæremonias sub Marchione Brandeburgen & ditione Norimbergen. 1533. Ex eo libet describere, Eam Missæ, seu Liturgiæ formulam, & ordinẽ, quem sibi istæ Euangelicæ Simiæ, reprobata Christiana Liturgia, effinxerunt, & aliquandiu seruauerunt, Minister: aiunt, Superpelliceo, si videbitur, indutus, accedẽs ad mensam mappa tectam, siue altare, dicet, Confiteor ab Ecclesijs Euãgelicis, receptum, aut aliquid aliud, pro sua deuotione: postea Introitum: modo sit ex scriptura, petitus, Eum quoq; Schola canet si est: si non est, populus occinet Germanicam Cantiunculam, In Villis vbi rudes sunt hoies, potest omitti, Deinde, dicet, Kyrieleyson, cũ Gloria in excelsis Deo: & ad populũ conuersus, Dns vobiscum, collectas, pro qualitate Euãgelij: recitabit Germanicæ, quia totius populi noie dicuntur, quãdoq; petet pacẽ, recitabit postea

ſtea aliquot Germanicas oratiunculas, cũ populo ſimul, Poſtea leget, capitulum ex Epiſtola Petri, vel Pauli, vel Ioan Germanice. Inde, Alleluia, Inde Graduale, ex Sacra ſcriptura, Poſtea Capitulũ ex Euangelio, vel actis Apoſtolorum, Inde. Credo, vel latine, vel Germanice, Feſtis diebus ſequatur Concio, Poſt eam fiet admonitio, de Cœna, ad populum: Poſtea ſuper panẽ, leget verba Pauli, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Germanicæ conuerſus ad populũ, Deinde, Oremus Præceptis ſalutaribus moniti, &c. Pax Domini, Interim dicet omnis populus, Pater noſter, Poſtea fiat Communio, Miniſter prius panem offerret, Deinde Calicem: ſi habebit Diaconum, ipſe tantum panẽ, Diaconus Calicem, Schola cantet, Agnus Dei, vel omnis populus, Germanicæ, Poſtea, Diſcubuit Ieſus, vel aliqua Cõcio. Germanica: Poſt ea dicetur, Oratio Germanica ad populum, Vltimo Benedicamus, ac ita Cœtus dimittatur. Et hæc quidem Lutheriſtæ Brandeburgenſes.

Cœterum Caluiniſtæ, ſunt in hoc genere expeditiores, Menſa apud eos lignea, mappa ſola tegitur, diſci ſiue Catini panis pleni, & Cantari vini prægrandes apponuntur. Miniſter Caluiniſticum aliquot Pœana occinit, Hanc ſequitur Concio, Panis, & Calicis diſtributio, Eã iterum admonitio, & pro Colophonæ Cãciuncula vernacula adiungitur. Sic vidimus in Oppido quodam Grodzisko, & hodie Zuingliani, vſurpant, Nullũ prorſus apparet Chriſtianiſmi veſtigiolum, non Crux, non imago, non altare, non Sacrificium.

Mauritius quoq; Princeps, Anno 1544 Lipſeñ Theologos conuocauit, vt aliquid certi de Cæremonijs conſtituerent; & Anno ſequenti 1545. noua mandata Superintendentibus dedit, vt aſſumpto Theologorum Collegio in Academia Lipſenſi de Cæremonijs, & harum pia, & vtili, vt ait, concordatione deliberarent, & decernerent; Ibidem, tamen vocantur, Adiaphora, mutariq;, & aboleri pro tempore, & Principis voluntate decernuntur.

Extat alius liber, Kurchen ordnung, à Volfango Palatino editus, 1557. & recuſus, 1560. In eo, iubetur, vt Miniſtri in Cæremonijs, vtantur, ſuperpelliceo, vſq; ad aliam, ait, Dux, noſtram ordinationẽ. Chriſtus enim ſanguine ſuo omnes cæremonias aboleuit. Feſta quoq; obſeruanda præſcribit, & cantiunculas circa cœnam à populo cantillãdas, cum notis imprimi curauit.

Extat Chriſtliche Kurchen Agenda, à duobus Auſtriæ ordinib' recepta 1557. ſed ab iſtis in plerisq; cæremonijs diuerſa.

Extat Verordnug Augnſti: Saxoniæ Electoris, quomodo ſe ſubditi gerere debeãt, poſt viſitationes factas, Anno 1574 75. & 77. vſque ad alia noua mandata, Drſedæ 1578.

Digniſſimi, ſcilicet, fuerunt Euangelici, vt in iſtos Papas Polyticos incide rent; eorumq; ferreum iugum, legesq; Draconis ſanguinarias tolerarent, qui ligneum, vt Centuriatores ipſi loquuntur Papæ Romani iugũ, & ab eo præſcriptos colendi Dei ritus, & Agendas, & cæremonias, ferre, tollerareq; noluerunt.

Extat, liber Anno 1588. editus, Ludouici Ducis, Virtembergen. quo ſummarie complectitur, quomodo ſe quiſq; in doctrina fidei, & cæremonijs gerere in eius Ducatu debeat. Tubingæ fol. Germa.

Extat ordinatio, ſeu Reformatio Eccleſiarum in Iehna, Ioannis Vilelmi Ducis Saxoniæ 1569. Ibidem edita, In ea nouos itidem ritus colendi Dei, legimus, ab alijs tamen diuerſos, Hoc habet ſingulare, quod reiectam, & reprobatam excommunicationem, nõ ſolum eſſe, in vſu iubet, ſed verba quoque, & formã excommunicationis præſcribit. Poſteaquàm N. tale, vel tale peccatum commiſit, admonitus non deſtitit, pœnitẽtiam non fecit, in peius proficit: Nos ex poteſtate clauiũ, quas Chriſtus Dei filius Eccleſiæ ſuæ ipſe dedit, ad ligandos peccatores, denunciamus illi, iram diuinam, & pœnam: excludimus illum à congregatione, & cõmunione, omnium credentium: interdicimus illi vſu Sacramentorum, ingreſſu Eccleſiæ, & concionibus, tam diu, dum publicam pœnitentiam, faciat, cum Deo in gratiam redeat, Eccleſiæ reconciliet ur, & abſolutionem, humiliter, & deuote, petat.

Extant

Extant aliæ quoque, singularum pene Germanicarũ Ciuitatum Ordinationes, & Agendæ, quales in Vercigineſo alicuius Principis, aut Burgemagiſtri, aut Scholarhæ, vel Miniſtri capite, naſci, fingi, cudi, formariq; potuerunt. Lunebergeñ. Baſilieñ. Bernẽſes, Branſuiceñ. Breneñ. Roſtocheñ. Geneueñ & aliarũ Ciuitatum propriæ, in quibus Euangelicorũ Politici Magiſtratus, nouos ritus tractandi, & adminiſtrandi verbi, & Sacramentorũ, vel inſtituunt, vel deſtituunt: Quod ſi Romanus Pontifex, tam ſæpe, tamq; leuiter faceret, Deus bone, quos iſti Sibylos non ederent? quem non Acheronta mouerent?

Extat in Anglia, liber Ritualis, vt vocant, publica authoritate euulgatus: vt ex eius præſcripto diuinus cultus per omnia Zuinglianorum templa celebraretur, ſed is plane reijcitur à Puritanis; non ſolum ijs, qui verbi miniſterium exercent, ſcriptoribus, cõcionatoribus, lectoribus, & diſputatoribus: ſed etiam à ſtudioſis, diſcipulis, atq; adeò artificum famulis, qui Caluiniſticum illud (diuinum enim non eſt) officium, & ſacrorum, quæ quotidie frequentãt, adminiſtrationẽ, ex verbo Dei, vt aiunt, pluſquám 140. errorũ condemnarunt, expreſſæ cum Sacra ſcriptura pugnantium: idq; ſcripta Vittakeri, & diſputationes Tulki, Charkij, & Vvalkeri nuper habitæ teſtantur.

Vide Palynodiã Laurentij Caddei.

Extat etiã Decretum Parlamẽti Anno Primo regnãtis Eliſabetha latum, vt Archiepiſcopi duo, & alij nõnulli his ſimiles Caluiniſtici apoſcopi, ad Reginę dumtaxat beneplacitum, in Epiſcopali gratia, & gradu permaneant: quod ne extaret, miſer Bãdeus Ebboracen. & Elmerus Londinenſis apoſcopi, trepidantes, vel proprio ſanguine ſi poſſent efficerent.

Non ferunt etiam, illi ipſi Puritani, quod alius alio ſit in Eccleſia ſuperior, & in Caluinicolas propterea vehementius inuehuntur, & Caluino Papiſtas appellant: quod non nullam Archiepiſcopis in Epiſcopos, & Epiſcopis in reliquos miniſtros, authoritatem, & poteſtatem reliquerint, dicentes, quo Deo eodem iure, quo vnus Archiepiſcopus poteſt habere iuriſdictionem ſuper Epiſcopos totius Regni, ita poſſit vnus Papa habere iuriſdictionẽ ſuper Epiſcopos totius mundi.

Sanderub de ſciſmate.

Idem Caluiniſtas quoq; hoc nomine acerrimæ reprehendunt, quod patiuntur Principes ſeculares, vſurpare ſibi poteſtatem, condendi leges, circa cæremonias Eccleſiaſticas.

In Polonia quoq; noſtra, quod dolendum eſt: auſus eſt ſibi homo Italus exul, Apoſtata, ſine re, ſine ſede, ſine pudore, eam authoritatem, & poteſtatem arrogare, vt nouos colendi Dei ritus: nouos Canones, & Reformationes è capite ſuo cuderet, & conderet: eosq; Chriſtianis hominibus ſeruandos proponeret, caſſis veteribus. Extat libellus, cui titulus, Canones Reformationis Eccleſiarum Polonicarum, Francofordi ad Viadrũ impreſſus 1552. In eo iubentur Miniſtri tollere, ac demoliri vbiq;, vnuſquiſque in Parochia ſua tabulas, capſulas, candelabra, cærea, inuolucra, picturas, imagines, & id genus alia: ac monumenta miraculorum ficticiorum, peregrinationum, Idololatriæ, & ſuperſtitionum: ſic, vt ne memoria quidem iſtorum extet in parietibus, fenestris, vitris, tam intra penates ſuos, quam in templis: Iubentur præterea, vt Sacram doctrinam hoc ordine diſpenſent: Verba eorum ſic habent, Vt Paſtores ex animis hominũ per verbum Dei, ſuperſtitionem omnem extirpare conentur: vt Idolorum cultum, & miraculorum fidẽ eleuent: vt Canonicas electiones, & electorum examinationes, & manus impoſitiones, ad Apoſtolicam regulam, & veteres canones exigant: vt ordinationes miniſtrorum, non ſecundum Papiſticas conſtitutiones, ſed ſecundum Canones Apoſtolorum, & ſanctorũ Patrum fiant: Vt ſingulis tribus menſibus Synodi habeantur; vt vbi Scholæ ſunt, ſingulis octo diebus, in cauſa religionis miniſtri conueniant: vt vſus clauium, iuriſdictionis, & cenſuræ Apoſtolicæ, reſtituatur; vt publica confeſſio, & reconciliatio fiat: vt iuxta nouellas Iuſtiniani, in ſubditorum officia, magiſtratus inquirat: vt examinatio priuata, ſed quæ tamen publicè in templo fiat, quam Papiſtæ Confeſſionem vocant, retineatur: vt Parochiani ſciant, quæ peccata in populo

pulo regent; & qui nam sint, qui obicem struant profectui verbi, & syncerae Euangelij prædicationi: & vt carnificina animarum, de enumeratione peccatorum, ab hac sacra examinatione proscribatur: vt Pastores duos libros habeant, in quorum altero animarum baptizatarum, in altero matrimonia contrahentium nomina conscribantur.

Vt die dominico mane Euangeliũ Dominicale à Pastore, à prandio à Pastoris cooperatore Epistola enarretur, à prãdio Cathechismus vna hora explicetur. Feria secunda, & tertia, Minister leget vnũ Polonicè, caput ex Euãgelio Matth. Feria 4. & 5. Ordine explicabit Matthæum, hora durante, & præcatione facta, dimittet populũ, Feria 6. Repetet, quæ die Dominico, ex Cathechismo recitata fuerunt, Sabbatho Psalmũ, Beati Immaculati, orabunt, & à prandio, Qui communicare die Dominico voluerint, Ministris se præsentabunt, & absolutionẽ petent, Letaniæ, singulis diebus Dominicis recitabunt.

Quid quod iam etiam errones isti Euangelici resorbentes, quæ vomuerant, & dedicationem templorum, & Kermasz, & Confraternitates, & anniuersarios dedicationis dies, ad pristinum morem reuocandos celebrandosque docent. Extant sex conciones German. M. Erasmi Vvinteri Ioachimici, & Parrochi in Mauseluitz. Insuperintendentia Altemburgen. 1587. Vbi plurima commoda recenset, si populus ad eiusmodi solennitates conueniat, & fraternitatem (baim guttem trunk,) ad bonos hausfus renouet.

Ad extremum, (ò Deus, quam potens est veritas) quem antea eiecerãt, iterum esse vnum hominem necessariũ iudicant, qui omnibus sacris, & Ministris præsit aiunt enim, Et quoniã præter institutum Apostolicum, experiẽtia cognouimus, vt supra quoq; diximus, disciplinam Cleri non posse retineri, in Ecclesia, sine bono ordine, & iustis pœnis transgressoribus positis. Ideò necessarium esse iudicamus, ex Polonis Ministris vnum eligere, qui prudentia, consilio, probitate, doctrina, & Spiritu Sancto plenus sit, & alijs præficere, qui plenam authoritatem Apostolicam habeat, super alios Ministros, vt eos in obedientia Euangelica detineat, & transgressores spirituali gladio puniat.

Nota lector, plenam authoritatẽ Apostolicam, An non similem explosistis, ò Euangelici, eam quæ fuit Romana, Hæc vero non erit Apostolica, sed Polonica. Alius tamen ab isto diuersus, & dissentiens ordo ministrandi seruatus est Posnaniæ in Camenica Gorkana: Lublini, Vilnæ, Rakouiæ, Leuartouiæ, Alius etiã Gedani, apud ipsissimos, quales olim fuerunt Luthericolas nũc vero magis etiam dissimilis ob factos Caluinicolas.

In Liuonia porro, quæ Regni Poloniæ Prouincia est, talis, olim fuit apud Euangelicos ordinãdorum ministrorum ratio obseruata: Coram Senatu sæculari in genua prouoluebatur: in eum singuli Cõsules, siue Burgemagistri, cum assessoribus suis insufflabant, vt Spiritum Sanctum in eum profunderent. Quo facto, Consul ipse sic ordinatũ ad suggestum deducebat, & Byblia Lutheri, Postillam eiusdem, & Augustanam Cõfessionem in manus tradebat, ac ita instituebat.

Hunc ordinãdi, siue cõfundendi ritum paulo post aboleuerunt, & cæteris verbi ministris plenis buccis insufflandi potestatem, permiserunt, Tandem, & hic modus abrogatus est, Supremo enim verbi præconi, quem etiam Superintendentem vocant, liberum esse voluerunt, suffragio suo, quemcunq; vellet, ad Pastoris, & Ministri munus obeundum, vel instituere, vel destituere.

Ad eum itaq; accessit quodam tempore, Textor Torpatensis homo rudissimus. Impetrat potestatem Lutherani verbi, in vicinis pagis, è suggestu docendi, Ea obtenta, Concionatur. Baptizat absoluit, Eucharistiam dispensat, Cum autẽ forte panis ei deficeret, arrepta raphani radice, in orbiculos eam conscidit, atque ita Missam suam, & Cœnam simul Euangelicam peregit, & sumere volentibus exhibuit. Accidit hoc Anno 1555.

Narrat præterea, quod Hermannus quidam Apostata, ex ordine Minorum, Euangelicæ doctrinæ preco, homo versutus, & iuuenis, susceptus est a Pellione Virtembergen. (quem primum Lutherum co. Citat Brendebachus. de bello Liuoni-

rus doctrinæ Apostolum vocant) in verbi cooperatorem, eum Euangelici negociatores, nouo statim habitu donant, Virginem Monialem, in vxorem adiungunt, vasisq; Argenteis in vsum pauperũ repositis præficiũt, Pellione ex Vrbe secedente, tantã sibi cooperarius dilectus, authoritatem apud omnes conciliauit, vt solos tantum nobiliũ infantes baptizandos susciperet, reliquos sine pretio nõ admitteret. Vnde vim magnã auri conflauit, mercatur prædia, domos, agros, villas, & prima secundaq; vxore mortua, tertiam ducit, & mire in omnes Catholicos seuijt, atq; in Ciuium bonis licentissime bachabatur, Tandem Anno 1554. graui morbo correptus, sæpe exclamabat horrẽda voce, se esse damnatum, damnatũ, damnatum, & omnes qui licentiosæ Luth. sectæ, nomina dedissent, damnatos, & damnandos. Hoc sæpius ingeminãs toruo aspectu, flammãtibus oculis, exerta lingua, boanti similis, desperatione plenus, extremum Spiritum exhalauit.

Narrat Genebrardus, quod Caluinus, & Beza ipsissimos Siccarios, ministrorum loco submittebant in Galliam, Sclopetos vbiq;, & siccas circumferentes, noui testamenti loco, & nihilominus docebant à populo fieri debere talem vocationem, & electionẽ: cum ipsi sine populo mitterent, quos vellent.

Lutherus ipse, cum Episcoporũ inaugurationem Pontifici Romano eripuisset, sibi eam vsurpauit: & in locum viri doctissimi Iulij Phlugij, Episcopi Numburgẽsi, quem Viennæ viuẽtem noueramus, Nicolaum Amsdorphium, designauit.

Ninianus quoque, Vvinzetus Scotus, in suo flagello, De Scoticis Ministris testatur, quod nemo Martyrum, sibi magis placuit, in perdiscendis Pauli Epistolis, Dei spiritu exaratis: quam isti in Cõcionandis suis pistoletis, Vulcani arte fabrefactis: neq; illi magis solliciti fuere, vt per sua arma mortuos redderent Deo viuos, quam isti per sua, vt Deo viuentes, mittant in Tartara mortuos.

In Anglia Rex Henricus, cum nouas colendi Dei formulas cuderet, ordinis quidem Sacramentum fatebatur: sed in eo tractando, & tradendo multa sua somnia admiscebat, & nouas ordinandorum leges, & rationes ipse suis Aposcopis præscribebat. Extant decreta. Ne quisquàm electus in Episcopũ Bullas Pontificis Roman. de consecratione requireret, sed Regium tantũ diploma adferret: secundum, quod à tribus Episcopis, cũ consensu Metropolitani, ordinatus iubebatur lege comitiorum facta, ad imitationem antiquorum Canonum esse verus Episcopus, Cæremonias etiam antiquas, & solẽnem vnctionem adhiberi voluit, quam paulòpost successor eius Odoardus sustulit, Sacerdotes à conjugio prohibebat, Monachis tamen qui Sacerdotes non essent, vxores permittebat, votorum autem castitatis, & viduitatis persolutionẽ, & si necessariam esse volebat, omnes tamen qui 24. annis minores essent, exire è Monasterio iubebat, sicut hæc omnia copiosè persequitur Sanderus.

Instituerat autem Henricus, vt in Matutinis præcibus tres tantum Psalmi, canerentur, in Choro latine, & tres lectiones, in medio templo recitarentur Anglicæ, Recitatum est quodam die Euangelium, Liber generationis, materna gentis lingua, in quo vulgus audiens, nomen Generationis, quod in Castis auribus nõ bene sonare dicitur in lingua Anglica, tã sæpè è suggestu recitari, è templo se subducebãt, oblasciuam, & libidinosam Ministrorum, vt dicebant, locutionem, Matrona verò quædam extollens vocẽ suam plane detestata est: & nouæ doctrinæ, & ministrorum fœditatem, quod in Ecclesia de libidine deq; generatione, tã frequenter, tamq; impudenter loquerentur, quæ tamen antea latine cantata, & recitata, quia non intelligebat, non abhorrebat. D. Thomam Cantaurien. Christi Martyrẽ in omni suo sermone vocabat, Angliæ proditorem: nec alio vnquam nomine, quam Thomæ Boteri dignabatur, Ad tribunal suum citauit, Actionem instituit, vt proditorem, damnauit, Canonizationem eius reuocauit, & abrogauit.

Nomen Martyris, & Archiepiscopi ex omnibus libris expungi voluit. Imagines, & pictas eius tabellas abradi curauit, Reliquos etiam Sanctos Angliæ Reges antecessores suos, S. Ludouicũ, S. Edmundum

S. Adal-

S. Adalbertum S. Sigebertum omnibus, conuitijs lacerare non destitit, Memorias omnes expungi vbiq; iussit, & si quis Sanctos, & appellasset beatos, pœnis subdidit.

Elisabetha vero iam dicta Regina, tam Henrici, quam Odoardi, ordinationes neglexit: nec Consistorium, nec gradus, nec functiones Seniorum, & Ministrorũ, quos arbitrio suo Henricus descripserat, & Odoardus receperat, & reformauerat, pili fecit: sed cum ad gloriam sui, si Dijs placet, Papatus, & ad Regni quoq; splendorem, atq; ad sectæ suæ stabilitatẽ pertinere putaret, vt Clerus Anglicus ad veteris Ecclesiæ ordinationem, & similitudinem, quam maxime accederet: præcipuos verbi Caluinistici prȩcones, Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos vocari voluit, In Cathedralibus itidem Ecclesijs, & Collegiatis, Præpositos, Diaconos, Archidiaconos, Cancellarios, Canonicos reliquit, Alij itaq; vocabantur Parlamentarij Episcopi, & alij Reginales, Prælati: Monachorum quoque, & Religiosorum hominũ, symias quasdam fingere formareq; desiderabat, Egit enim cũ Abbate Vestmonasterij, vt Monachos abire, dilabiq; non permitteret, se enim cupere, vt maneant, orentq; pro ipsa, & sacra faciant, secundum legum ab ipsa latarum præscriptum.

Sanderus in sciſmate.

Hos autem Episcopos, & Clericos Regina nominat: Metropolitanus, (non examinat) sed cõsentit: duo, vel tres Episcopi assistunt, ipsiq; manus imponunt, Ita descriptis Ecclesiasticis Ordinibus, Regina per vniuersum Regnum, suam, hoc est, Regiam, Visitationem instituit, Alteram Metropolitani in sua quisq; Prouincia, Tertiã, Episcopus cuiuslibet loci.

Horum si Dijs placet, Visitatorũ, & reformatorum præcipua cura fuit, inquirere, si vspiam adhuc Missæ fiant, si Sacramentũ reseruetur, si nouis intermissis veteres ritus retinentur, & officia celebrentur: si altaria essent cum puluisculo, quod aiunt, euersa, atq; dissipata, si chorus non sit cõplanatus, & naui Ecclesiæ exæquatus: si sublatæ Christi Crucifixi imagines: si in parietibus, & fenestris imaginũ vestigia appareant; si Biblia Anglica, si similes alij libri haberentur: eos enim cogebant statim emere, Illud etiam inquirebant, ne Pastores Eunuchi, aut impotentes essent: & si forte haberent donum castitatis, eos, aut de officio deturbabãt, aut vxores obtrudebant, ne vstionis periculum incurrerent, Pauli verba allegantes, Melius est, nubere, quam vri.

Sanderus vbi supra.

Habitu porrò, licet inuiti, eo tamen vti, miseri Ministri, coguntur, quem Regina præscribit, videlicet, vt in Ecclesiã, dum Cœnam suã Euangelicam celebrãt, Cappa (genus est vestis Sacræ, nos Pluuiale vocamus) dum reliquas præces faciunt superpelliceo vtantur. In publicum vero, cum pileo quadro, & toga Clericali, Episcopi autem etiam, Rochetto induti procedant, Huiusmodi Episcopos, & Prælatos, Regina quando vult ab officio suspendit, loco mouet, omni authoritate spoliat, ita Archiepiscopum Cantaurien. Regni sui Primatem suæ sectæ hominem, eo loco multisq; alijs beneficijs, á se donatum, Edmundum Grindllum, de gradu suo deturbauit, domiq; suæ se continere, atq; ab omni Episcopalis muneris exercitio abstinere iussit; & quatuor alios administratores Episcopatus constituit.

Sãder⁹.

De istorum Ministrorum, & Magistrorum ignorantia, & impuritate, sic in sua Epistola testatur Christi Martyr Cãpianus: Hæresis pessime audit in hoc Regno, ob Ministros, nec vllum genus hominum vulgo vilius, aut putidius est, ipsorũ Ministris, & meritò quidem indignantur in tam perditã causa, homines tam rudes, & indoctos, tam sceleratos, tam dissolutos, tam abiectos, eultissimis ingenijs dominari.

Lib. 3. de Sciſmat. Anglic.

Ioannes quoq; Vuigandus, edito libello Anno 1566. de Bonis, & malis, per Lutherum, & post Lutherũ in Germaniam inuectis, Inter mala quæ recensет, quatuordecimum esse confitetur, odium ingens, & profligationem Seriorum, & Salutarium verbi Dei Doctorum, & substitutio, ac copiosius numerus molligradorum, ac placentia dicentium Ministrorum, Traducuntur ait, synceri, & fideles verbi Dei Ministri, odiosissimis titulis horridorum Stoicorum, intractabiliũ, seditiosorum, turbulentorum hominũ, muti vero canes, & palpatores, (Vvittembergicos,

gicos, & Lipsicos Adiaphoristas intelligit) ornantur Encomio pulcherrimo pacificorum, placidorum, salutarium doctorum, &c.

Vidimus etiam quasdam Regni Suetiæ Cõstitutiones anno 1527. in publicis Regni Comitijs, per Gostauum Regem sancitas, cũ pro Cathol. Apostolica fide, Lutherica Apostatica perfidiam, inferre decreuisset. Inter alias hæc quoq; lex legitur, Episcopi prouideant Ecclesijs Parochialibus: Verum vbi id fiet per inhabiles, & ignorantes, seu nolentes prædicare verbum Dei, tum Rex poterit irritare factũ Episcopi, & prouidere de habili.

In alia quoque Constitutione, sic habetur, Quia graue est subesse duplici domino, scilicet, spirituali, & temporali: capiet à modo in posterum Rex, omnẽ Iurisdictionem, & Episcopus nullam, & propterea poterunt præpositi rurales, siue illi quibus Rex commisserit se intromittere de causis Episcopalibus, & reddere Regi: earum emendas.

Item, alia, Ex quo Sacerdotes nimiũ fidunt, in illa immunitate, quod qui eos leserit, incurrat excommunicationẽ: ipso facto censeatur posthac secularis, nõ magis excommunicatus, dum læserit Sacerdotem, quam è conuerso, dum Sacerdos læserit secularẽ: eo quod dominus æqualiter, & vniuersaliter prohibuerit omnibus, alterum lædere, sed soluat vterque iuxta leges Patriæ.

Item, alia, Episcopi, & alij Prælati nõ mittant à modo Romam, pro eorum confirmatione: sed sufficit, quod assumantur ad ministerium, verbi per consensum Regis.

Mulieres quoq; Euangelicæ, sicut olim apud Pepuzianos hæreticos factum affirmat, Augustinus, & verbi Ministerium obeunt, & Sacramẽtorum administrationem exercent, apud Euangelicos.

Zellin quædam Argentinen. cõcionatrix, nõ solum verbi ministerium publice exercuit, sed plerosque etiam libros suos typis mandauit, contra prædicantem Vlmesem Rabum: in quibus Euangelicæ suę perfidiæ, & doctrinæ patrocinium suscepit, eamque ex Antiquorum Patrum, & scriptorum authoritate confirmare contendebat, Antiquos autem Patres vocabat Lutherum, & Philippum, & Capitonem: nam recentioribus, & iunioribus Euangelistis non ad probationem doctrinæ, vt ait Rabus, sed ad expugnationem pudicitiæ, nocturnaque obsequia vtebatur.

N. Camerary vxor, vt scribit Manlius pag. 166. audluit olim Sarcerium Lutherani verbi Ministrum, pro concione explicantem, illa Pauli verba, Quis nos separabit à charitate Christi: sed cũ interprætatio Euangelistę Lutherani non planè satisfeciſſet mulierculæ, ipsa ijs verbis suum sensum affinxit, & in eadem sententiam ipsummet cõcionatorem pertraxit, dicebat enim, Apostoli verba intelligi debere, non de charitate, qua nos Christum diligimus sed de charitate, qua Christus ipse nos diligit, & ab hac, inquit, separari tantus timebat Apostolus.

Argulam von Stauf, quandam fæminã, laudat, & commendat Lutherus, quod è sua Germanica Bybliorũ versione ita profeciſſet, vt non modo laicos, & priuatos homines, sed & doctores, ac ipsas etiam vniuersitates ad disputãdum prouocaret: ac publicè in Ecclesia docendi munus, & officium exerceret. Ad Nobil. Germ. & in serm. de nouo testam.

Scribit Alberus, in lib. contra Carolstadianos, fuisse Gerauiæ nõ procul à Rheno pastorem quendam Zuinglianum, cuius vxor ita erat impudens, vt cum infans aliquis baptizãdus ad templum deferretur, solita sit è sacellano quærere, cuius is esset: Nam si Patrem habet, impium, non baptizabis eum, cumque Sacellanus obtemperare nollet, loco suo, & ministerio motus est.

Aliæ quoque nocturnæ concionatrices commemorantur, quæ Episcopum Monasterienſem secreto necare, Iuditæ, vt aiebant, exemplo voluerunt. Nasus cent. 2.

Elisabetha quoque Angliæ Regina, cõciones audiẽs è Regio suo solio, in amplissimo auditorio, sæpe suum Ecclesiastẽ reprehendit, & admonuit, his ferè verbis, Domine Doctor, vagaris, & effutis, multa impertinentia, recipe te ad textũ, quem nobis exponendum suscepisti.

Alia vice, vt habet Alanus, Dialog. 4. Cum Alexandrum Nouellum verbi sui præ- Sander.

præconem pro concione parum Christianæ in Christi crucem declamantem audiret, palam eum reprehendit, & ad rem reuerti, atque finem concioni imponere iussit.

Eadem Angliæ Regina, cum nondum planè tota esset explosa Religio Catholica; Cariolensi Episcopo Missam celebrãti præcepit, vt in sua Missa eleuationem Eucharistiæ intermitteret, sed Episcopus imperata facere detractauit, dicens, Ecclesiam talem eleuandi cõsuetudinem retinere.

Christopherus Goodmanus Anglus, tẽpore Mariæ Reginę Catholicissimæ, scripsit Anglicæ libellum, de fratrum, vt ait, (hæreticorum) suorum consilio: Non licere mulieribus ad gubernacula Reipub. alicuius sedere: sed illa defuncta, & succedente Elisabettha, non solum eam, Regia munera obire patiuntur, sed, & caput Ecclesiæ vocant, & ab ea mitti ministros volunt, & eius arbitrio Sacramenta (excrementa potius) administrari permittunt; idq; se credere pluribus in locis iurant; tanquam vnum articulum fidei.

Alanus, & Sanderus testantur, fuisse in Anglia Ioannam, quandam Bucheram, ex Prouincia Cantiana, quæ docebat, & Christus humanam carnem ex MARIA Virgine non acceperit, sed tãtum per illam velut per canalem transierit.

Idem Alanus, Annæ Ascuæ meminit, quæ contra Lutheranam doctrinam, tunc in Anglia florentem publicè negabat, & prædicabat, quod Christi caro, sub specie panis, & vini, ne quidem in orali mãducatione contineretur.

Dial. 5. Nasus scribit, in 4. sua Cẽturia, quosdam prædicantes Euangelicos, eorumq; lupas, quas vxores vocabant, & æquæ vt mariti verbi ministeriũ exercebant, adeò fuisse proiecti pudoris, vt per Ciuitates, Byblia German. Lutheri circumferrent, & in illis maiusculis literis notata duo illa scripturæ loca, omnibus obuijs obtruderent. Crescite, & multiplicamini. Et vnusquisque vxorem suam habeat: Itaq; cum byblijs, & scriptura ad lupanaria accedebant, exhortãdo meretrices, ne crescere desinerent: sed & in priuatorũ ædibus Matronas, & Virgines ad libidinem publica voce, & concione prouocabant, Et sicut quondam Cynici quouis loco, & tempore luxuriæ suæ satisfaciebant.

Vnus ex Ministris virginem non planè adultam in agro cõpressit, & violauit anno 1557. & propterea quoq; in Onolzbach iudicũ sententia damnatus, ne quid quam intercedentibus alijs, eiusdem farinæ ministris, qui opus illud Euangelicum, naturæq; consentaneum Lutheriq; legibus affine vociferabantur, laqueo vitam finiuit.

Coniuges, quoq; istorum ad Monasteria Monialium accedebant, & ea quæ diximus scripturæ verba obtrudebant, atq; ad libidinem Deo sacratas Virgines sollicitabant: & ausa est quædam ex his cũ pro suo marito concionaretur è suggestu, dicere: Quæcunq; virgo, aut inupta libidine non vteretur, quæcunq; nupta adulterium non committeret, eam existimari debere, superbam, inciuilem, & indignã, vt Lutherana, vel Euangelica voceretur, Ait præterea Nasus, se audiuisse quasdã huius generis concionatrices, dicentes, se esse, ita bonas, vt MARIA Christi Mater.

Porro Sebastianus Frãcus, Tertia parte, Chronic. testatur, fuisse Appenzellę in Heluetia, mulierem Anabaptisticæ perfidiæ, quæ multis persuaserat, se Messiã esse, Duodecim præterea viros sibi adiũxisse, quos vt olim Christus Apostolorũ loco habuit.

Fuit quoq; Posnaniæ Praxedis quædã ex ordine Sãcti Dominici Monialis, quæ refractis pudoris repagulis, Euangelicas multas cõciones nostra memoria habuit: nobilium puellis, quas erudiendas susceperat, Catechismos, Euãgelicos, & Amasij sui Samuelis Apostatæ Symbola præle git: fortasse, & Sacramenta sua ministrauit, accepta nocturna ordinatione, & benedictione, ab eodem Samuele Dominicano, qui, & ipse mente, metuq; posito multos in patria corrupit.

Sed libet adhuc, ad hos, de ordinis Sacramento Atheismos, inordinatas Elisabetthæ Anglicæ leges adscribere, quibus omnẽ in vniuersum ordinis Ecclesiastici potestatem, & authoritatem euertit, tam quæ illi diuino decreto tributa est, quam

quæ

quæ Ecclesiasticis legibus, & canonibus, & ipsorum Angliæ Regum decretis, & sanctionibus, nititur, eamq; sibi vsurpauit, vt tandem aliquando homines Euangelicos pudeat, pigeatq; stultitiæ suæ, quam in Ecclesia tacere iubet Paulus, mulierem, verbi ducem, Religionisque caput, & Moderatricem supremam esse voluerunt.

Prima lex sic habet, Omnia Priuilegia, præeminentiæ, prærogatiuæ, superioritates spirituales, quæ ab vlla potestate, vel humano, vel Ecclesiastico iure, haberi, aut exerceri possunt, quoad visitationem, correctionem, seu reformationem Cleri totius, seu quarumcunq; personarum Ecclesiasticarum, ac cognitionem etiam, ac punitionem, omnium errorum, hæresum Scismatum, abusum, &c. volumus in posterũ, quod Regio sceptro in perpetuum sint annexa.

Secũda, Decernimusq;, Reginã, suosq; hæredes, ac in Regali dignitate successores, habere, habiturosq; esse deinceps omnimodam potestatem, nominandi, & substituẽdi quoscumq; voluerint, qui eorundem vice, & authoritate eandẽ iurisdictionem Ecclesiasticam exerceant, pro beneplacito suo personas visitẽt, hæreses, Scismata, errores, & abusus castigent, aliudve quiduis iuris, vel potestatis exerceant, quod ab vllo vnquàm Ecclesiastico Magistratu exerceri potuit, aut oportuit.

Tertia decernitur, Item ne Clerus ad Synodum vllam aliorum, quam Regijs literis, & mandatis conueniat, neue vllum Canonem, legem, constitutionem Synodalem, seu Prouincialem, vel faciat, vel exequat, sine expresso Maiestatis suæ consensu, & licentia huiusmodi Canones facien. promulgandi, vel exequendi, sub pæna carceris, & multæ pro Reginæ arbitrio, imponendæ.

Quarta, Ne quis exeat Regnum, dictionesq; suæ Maiestatis ad vllam visitationẽ Concilium, Conuentum, aut congregationem, quæ religionis causa vsquam fiet, sed vt alia omnia, Regia authoritate, infra Regnum fiant.

Quinta, Item, ne Episcopi, vel vllius nominatione, vel electione, vel vlla authoritate, alia, quam Regia creentur, neue iurisdictionem, potestatemque Episcopalem teneant, aut exerceant, nisi ad beneplacitum Reginæ, nec aliter nisi ipsam, & à Regali Maiest. deriuatam authoritatem.

Tales habere merentur Papas, & Apostopos Euangelici Centauri, tales Magistros, & Ministros, tales Canones, & Sãctiones, reprobato ordinis Sanctissimo Sacramento: quo fiebat vt in Ecclesia Dei, iuxta Pauli præceptum, omnia quam ordinatissime, administrarentur. Dignissimus est omni confusione, & perturbatione, malum qui ordinem putat. Naturam tollas ordinem è rebus humanis, si tollas. Minus ordinata inquieta sunt, ait, Aug. Ordinantur, & quiescunt. Et propterea pulchre D. Cyprianus, Hi sunt, inquit, qui se vltro apud temerarios conuennas, sine diuina dispositione præficiunt, qui se præpositos, sine vlla ordinationis lege cõstituunt: qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt. Quos designat in Psalmis Spiritus Sanctus, sedentes in pestilentiæ Cathedra, pestes, & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena læthalia, linguis pestiferis euomentes: Quorum sermo, vt cancer serpit, quorum pectoribus, & cordibus singulorum tactus mortale virus infudit, contra eiusmodi clamat dominus, ab his refrenat, & reuocat errantem plebem suam, dicens. Nolite audire sermones Pseudoprophetarum, quoniam visiones cordis eorum, frustrantur eos: loquuntur, sed non ab ore domini, dicunt ijs, qui abijciunt verbum Dei, pax erit vobis, & omnibus ambulantibus in voluntatibus suis, omni qui ambulat in errore cordis sui: Non venient super te mala: Non locutus sum ad eos: & ipsi prophetarunt. Clarius adhuc ante Cyprianum, Tertullus. Nihil enim interest illis licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conspirent. Omnes tumẽt. omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti Cathechumeni quam edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere,

forsitan,& tingere. Ordinationes eorum temerariæ leues, incõstantes: nunc neophitos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc Apostatas nostros,vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt, Nusquàm facilius proficitur, quam in castris rebellium, vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaq; alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus,qui cras Lector, hodie Præsbyter, qui cras Laicus, nam, & laicis Sacerdotalia munera iniungunt.

Sed hæc de Ordinis violato Sacramento dicta sufficiant.

Euangelicorum Atheismi, de Eucharistiæ Sacramento.

IN Almo Eucharistiæ Sacramento, professa semper est, & profitetur Ecclesia Catholica, post panis, & vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum,atq; hominem,vere,realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri, Docuit præterea, & docet, quod Christus Sacerdotem se esse, secundũ ordinem Melchisedech in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum, sub speciebus panis, & vini, Deo Patri in Cœna obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis Apostolis suis, quos tũc noui testamenti Sacerdotes, cõstituebat, vt sumerent, tradidit: & eisdẽ, eorumq; in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit, vt sicut Sacerdotium eius est æternum,ita, & sacrificium esset æternum, quo cruentum, illud semel in cruce peractum repræsentaretur, eiusq; memoria in finem vsq; sæculi, permaneret, Huius porrò fidei, doctrinæq; suæ, illa ipsa,quã diximus, Ecclesia,authores,& præceptores habet, Prophetas, legem, Christum, Apostolos, Patres, Concilia, & perpetuum orbis Christiani sensum, & consensum. Quæ omnia copiosissimè, & dilucidissime explicat, & probat, Hosius Sanctiss. Cardinalis in sua Catholicæ fidei Confessione, & in Recantationibus à Fabiano recitatis: Post eum vero Claudius Sanctes,in libro suo, de re Sacramentaria: post vtrumq; autem omnium, & copiosissime,& absolutissime tractat Bellarminus, Societatis Iesu doctissimus Theologus, qui Orthodoxorũ doctrinam,omni ratione, auctoritate, ipsaq; scriptura confirmat, & Euangelicorum artes,fraudes, obiectiones, solutiones argumenta omnia solidissime refutat.

Nos, Lunæ,quod aiunt,tunicam texeremus, si materiam isto sæculo omnium rationum ponderepensam, discussam, trutinatam, examinatam, in hoc quoque opere nostro, tractandam denuo, repetendamq; susciperemus: quam à Christi seruis, & absolutissimis Theologis, quorum digni non sumus corigiã calciamenti soluere, ita tractatam constat: vt quicumque deinceps in hoc genere vellet, quidpiam attentare. aut illis par sit, necesse est: aut post illos. Loca tantum aliquot sacræ Scripturæ pro Orthodoxæ cõfirmatione doctrinę propter eos producemus, qui calumniantur nos in docenda Christi corporis, & sanguinis præsentia, & in offerendo incruento Sacrificio sola Traditione niti, nec vllum ex sacra Scriptura ostẽdere posse eius doctrinæ fundamentum. Dulce est veritatis amatoribus, de eo loqui, quo veritas retinetur.

Matth. 26.

COENANTIBVS, autem eis, Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum, Et accipiens Calicem gratias egit,& dedit illis dicẽs, Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Marci 14.

ET manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, Sumite hoc est corpus meum, & accepto Calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes.

nes, & ait illis, Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis effundetur.

Lucæ 22.

ET accepto Calice, gratias egit, & dixit, Accipite, & diuidite inter vos, & accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicés, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, Hoc facite in meam commemorationem, Similiter, & Calicem post quam cænauit, dicens, Hic est calix, nouum Testamentum, in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Ioan. 13.

IOANNES quoq; Euangelista Sermones, & præcepta Christi, in eadem Cæna habitos prolixe recēser, quamuis non totam Cœnæ actionem minutatim persequatur, cap. 6. ait, Panem, quem ego dabo, caro mea est: pro mundi vita: Et iterum.

Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, Et iterum, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, Et iterum, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus. Caro ergo Christi erat, quod in Cæna discipulis porrigebat, licet sub specie panis latebat: Sāguis Christi verus erat, in illo calice, quem offerebat, licet sub vini specie latebat, Nec enim panem quotidianum illū, pro mundi vita dabat, nec vitæ periculum denunciabat, qui panem, sed qui carnē suam, sub panis specie latentem, non comedisset, Paulus quoq; Apostolus his verbis totam Cœnæ Dominicæ rationem, & institutionem describit.

1. *Corinth. 11.*

EGO enim, accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniā Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur: accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit, Accipite, & māducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Quo quidem loco, & mandatum habetur: & promissio videtur, & externū Symbolum tenetur: dubitare, vt non liceat, Eucharistiam esse verè Sacramentum.

Quod vero Christus, corpus, & sanguinem suum in illa ipsa Cœna, Deo patri obtulerit, & offerri præceperit, Primo inde liquet, Quod Christus erat Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Ita enim testatur Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech: quem etiā locum Paulus Hebr. 7. citat, & ait, Manifestum esse, quod exurgere debebat, alius Sacerdos, secundum similitudinem Melchisedech, qui non secundum legem mandati, carnalis factus est. Sed secūdum virtutem vitæ insolubilis, Hic autē Sacerdos, ait, eo quod maneret in æternum, sempiternum debebat Sacerdotium habere; & ibidem, Non sublatum, sed translatū ait, Sacerdotium Christus igitur, est iste Sacerdos, At Sacerdotis proprium est offerre.

Quod autem tale Sacrificium, & institui debuerit, & in æternum durare oportuerit, non solum Euangelicis, Sicut ait Augustinus Epistola 49. sed etiam Propheticis libris demonstratum est 1. Regum 2. Suscitabo, ait Dominus, mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meā faciet: & ædificabo illi domum fidelem: & ambulabit coram Christo meo, cunctis diebus: Prouerb. 9. Sapientia ędificabit domum sibi, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam, Isaiæ 19. Cognoscent Aegyptij dominum in illa die: & colent eū, in hostijs, & muneribus: Hiere. 33. Non interibit de Dauid vir, qui sedeat super Thronum domus Israel: & de Sacerdotibus, & de Leuitis, non interibit vir, à facie mea, qui offerret holocaustomata: Danielis 8. & 12. Dicitur Antichristus ablaturus, iuge Sacrificium: Sed omniū euidentissime Malachias Sacrificij qualitatem, hostiæ puritatem, oblationis perpetuitatem describit, cum ait, Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra, Ab ortu enim solis, vsque ad occasum, magnum est nomen meum ingentibus, & in omni loco

sacrificatur, & offertur, nomini meo, oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum: Præuiderant ergo Prophetæ, non illud tantum cruentum sacrificium, quod Christus in ara Crucis obtulit, sed hoc etiam, de quo agimus Melchisedechicum, incruentum.

Huc accedit, quod Sacrificium est cultus Deo soli proprie debitus: & propterea, naturæ solius ductu, sine vllo præcepto, Caim, & Abel, hostias obtulit, Noè, Abraham, Iob, altaria fabricauit, & hostiis oblatis Deum coluit, Sic in lege scripta sibi soli Deus offerri sacrificia voluit, & offerentes dijs alienis grauissime castigauit: Sic in lege gratiæ, eodem cultus, & venerationis genere coli debuit: licet mutata Sacrificij ratione, quod tam Deo debitum, ac proprium esse dicit Augustinus, vt cum multa deferrẽtur hominibus de cultu diuino vsurpata, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: nemo tamen vnquam Sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum, aut sciuit, aut putauit, aut finxit: Quam porrò antiquus sit in Sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain, & Abel, satis indicant, quorum maioris Deus reprobauit, Sacrificium minoris aspexit.

Et alio loco, de hoc ipso Christianorum Sacrificio, expressius adhuc loquitur, Huius veri Sacrificij multiplicia variaq; signa erant, Sacrificia prisca Sanctorum: cum ob hoc vnum, per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur: vt sine fastidio multũ commendaretur: Huic summo, veroque sacrificio, cuncta Sacrificia falsa cesserunt.

Hoc itaque Sacramẽtum, & hoc quod dicimus Sacrificium, mirum est, quam Sathanas detestetur, quamq; acerbe per electa vasa sua oppugnet. Quare id, quia in hoc Sacramento, Christus ipse, verus Deus, Deiq; viuentis filius, cum anima, corpore, diuinitate, præsens adest: quem Sathanas, sicut olim in carne viuentem, ferre non potuit, clamans; Quid tibi, & nobis filij Dauid? ita nunc cum suis Ministris, & omnibus Euangelicis, ferre, tollerareq; non potest, sub panis, & vini, specie, quamuis latentem, tamen præsentem: & mauult veritati de veritate corporis sui, loquenti mendacium obijcere, absentemque ab Eucharistia credere, quam pati vt Euangelici sui Christo præsenti sese humiliare, & per eius virtutem, tetros errores, prauasque cupiditates, cœteraque carnis improbitates malint resecare, Equidem Euangelici, sic cum Sacramentis omnibus egerunt, sicut olim Agricolæ, qui vineam locauerunt, Matth. 21. Cum tempus fructuum appropinquasset, misit paterfamilias seruos suos, ad Agricolas, vt acciperent fructus vineæ. At agricolæ apprehensis seruis, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidauerunt. Nouissimè, misit, & filium suum dicens. Verebuntur filium meum, Agricolæ verò videntes filium, Hic est hæres, aiunt, Venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius, & apprehensum eum, eiecerunt, extra Vineam, & occiderunt: Sic Euangelici, quædam Sacramenta ceciderunt, siue castrauerunt, & deartuauerunt: vt baptismum, & pœnitentiam. Quædam lapidarunt, vt Matrimonium, & Ordinem. Quædam eiecerunt, vt Confirmationem, & Extremam Vnctionem. Christum autem, verum Regni cœlestis hæredem, in Eucharistiæ Sacramento præsentem, prius quidem eiecerunt, postea immaniter occiderunt. Prodidit Christum Lutherus, Eiecit Zuinglius, Occidit Caluinus, Lutherus ligauit, Zuinglius damnauit, Caluinus iugulauit, Cum ait, Non est, sed significat tantum corpus Christi. Reliqui omnes falsi testes sunt, qui vndecunque falsa testimonia conquirunt, contra Iesum in Eucharistia præsentem, vt eum morti tradant: quorum adhuc multi vociferari non desinunt, Crucifige, Crucifige, Reus est mortis: Sanguis eius super nos, & similia: quorum falsas blasphemias, contrarias, varias, diuersas, dissentientes, pugnantes, leues, & inconstantes sententias, cæterosque teterrimos Atheismos, summatim collectos,

quæso

quæso te lector obserua, & eaue, Erit hic sermo noster correctio tibi, si velis, Testis autem coram Domino, etiam si nolis.

Lutherus in lib. de captiuitate Babilon. docet, & tenet præsens esse Christi corpus, in Eucharistia, sed in orali tantũ manducatione, cum fide sumẽtis facta.

Contrarium loquitur Tom. 2. in Confess. de Cœna Domini, Iam docui, & doceo, quod hæc concertatio sit vana, & inutilis, Vtrum panis maneat, vel non, Tamen ego cum Viclefo teneo, quod ibi post consecrationem maneat panis, & vinum.

Idem, in lib. Quod verba Christi, Hoc est corpus meum, adhuc firma stent, Obijcit sibi hoc Argumentum, his verbis; Si corpus Christi est, in omnibus locis, agedum deuorabo, helluabor, ipsum, in omnibus hospitijs, & in omnibus scutellis, poculis, cantaris, Vicissim sibi respondet, Audi tu porce, canis, fanatice, aut quisquis fueris, insulse asine, etiam si corpus Christi, sit in omnibus locis, non tamen tu statim, ipsum, vel deuorabis, vel helluaberis.

Et infra, Ablego te, in tuam harã porcorum, & in tuum sterquilinium, vt ibi potius omnia deuores. O putidum Theologum.

Idem in Articu. pro Concilio Mantuano, Transubstantiationem, vt meras nugas, & Sophistica figmenta, reijcimus, quæ docet, quod panis, & vinum amittunt, suas naturales proprietates: & solam speciem, & colorem, panis, & vini retineant.

Idem, in Confess. de Cœna Domini, dicit, se probare euidenter, Christi corpus esse præsens, realiter in Cœna: propterea, quia est vbiq; Esse autẽ vbiq; dicit, quia est in dextera Dei, quę est vbiq;.

Et in sermone, de Sacramen. Cœnæ Domini, Tom. 2. fol. 112. Credimus, inquit, quod Iesus Christus sit iuxta humanitatem, super omnes creaturas collocatus, & omnia impleat, & habet omnia in sua manu: & sit vbiq; præsens: & ita sit in dextera Dei, non in minimo digito, ait, aut vnguæ dexterę, sed in tota, vbicumq; extenditur.

Idem, ait, Sic esse Christi corpus in pane, sicut est ignis, in candenti ferro. In capt Babil.

Et iterum. Si Ecclesia Romana statueret, summendum esse Sacramentum, sub vtraq; specie, se velle laborare, vt vicissim sumatur, aut sub vna, aut sub neutra. Ibidem.

Idem, in libro de Formula Missandi, Nos habemus ius Christi, & Concilia, neque expectare, neque audire volumus, Immo adhuc plus dicimus, si quod Concilium statueret, aut permitteret, vtrãq; speciem, nos nequaquam vtraq; vti vellemus: Sed in despectum Concilij, eiusq; statuti, aut vna, aut neutra, & minime vtraq; vti vellemus; maledicturi vniuersos, qui ex potestate, aut statuto Concilij vtraq; specie vterentur.

Idem ait, Papistæ nobis ex vsu Sacramenti, vini speciem ademerunt; quamuis parum interest in eo, magis enim in verbis, quam in signis res posita est. Tom. 7. in Serm. de nouo Testam.

Idem scribit suo tempore, decem fuisse Sacramentariorum opiniones, ac sectas de Eucharistia.

Ad extremum cum alias, atq; alias de Eucharistia opiniones sorberet, & resorberet, nec sciret vbi pedem figeret, ad Sacramentariorum: opinionem propius, accessit, Testatur id admonitio Theologorum Casimirien. in qua hæc quæ sequuntur Lutheri à Zuinglio non dissentiẽtis, opiniones recensentur. In cap. enim 6. Esaiæ sic scribit, Dicit Propheta, se vidisse Dominum, & species Domini: & item Dominus, figura sermonis rectè pro eodem accipiuntur. Sic corpus Domini, & panis Domini, pro vno accipiuntur.

Et Iterum, Turpissimum est, vel vnum inueniri Episcopum, qui nesciat Sacramentum à corpore Christi distinguere, quæ sic differunt, vt nec oriens, nec occidens, tantum differant. Tom. 2. pag. 31. In serm. super 6. c. Ioan. A. 1523

Et iterum, Panis super altari, tantum est signum, sicut Baptismus, & nihil prodest: nisi panis, iam intus manducatus sit.

Item, Iccircò, vides Christum tibi nõ tradi in manum, non deponi tibi in cistã, non in gen tibi in sinum, non dari tibi in os, sed offerri tibi tantum, verbo Euangelij, & per aures proponi tuo cordi, vt qui pro te, tua iniustitia, & immunditicia se tradiderit: propterea, nec vlla alia re, præterquam corde potes eum accipere. Serm. in Natiu. Domini super Titu. 2.

Dñica septuagesima super 1. Corint. 10.

Et iterum, Hic primo sciendum est, sicut sæpe est dictum, Deum inde ab initio, sanctos suos duxisse, redemisse, & seruasse, per duas res, nempe per verbum suũ corporale, & externa signa.

Ibidem, In omnibus est eadem fides, & idem spiritus, etsi varia sunt verba, & signa, & verba quidem, alijs temporibus alia traduntur, sed manet tamen eadem fides, in vnum Deum, qui per diuersa signa, & verba, diuersis temporibus eandem fidem, & spiritum dat, & per hunc etiam eandem remissionem peccatorum, redemptionem à morte, & salutẽ in omnibus sanctis operatur, siue in principio, siue in medio, siue in fine mundi.

Ibidem, Bibebant autem, ex spirituali Petra, quæ erat Christus, idest, credebant in eundem Christum, in quem nos credimus, etiamsi nõdum in carnem venerat, sed postea demum venturus erat. Et huius ipsorum fidei signum erat corporalis Petra, ex qua bibebant aquam corporaliter, sicut sumendo corporalem panem, & vinum in altari, edimus, & bibimus verum Christum spiritualiter, id est. Edendo, & bibẽdo externè, exercemus fidem internè: & multa ibi similia.

Haberemus plura, aiunt idẽ ipsi Theologi Casimiriani, sed hæc sufficiunt: Intra quæ si se continuisset Lutherus nihil esset dissidij.

Cæterum nos Catholici dicimus, non si intra hæc quæ isti commemorant, sed si intra septa Ecclesiæ se cõtinuisset Lutherus, nil esse dissidij: sed posteaquam se extra illa septa effudit, nil mirum est, q̃ & ipse male sentiat, nil mirum est, quod secum ipse pugnet, nil mirum est, quod ad eos, qui à se dissentiunt transeat: imò nil mirum est, Si de hoc Sacramento, vel ipse nil credat, vel nesciat, quid credat.

Peruulgata sunt illa, istius Rabbini verba, quæ Vittemberga Eislebium profecturus, vbi etiam mortuus est, cum Collegio Theologico valediceret, ad Philippũ Melanchtonẽ, sponte sua, nemine prorsus interrogante habuit (Lieber Philippe ich bekenne es, das der sache, vom Sacrament zuuiel, gethan ist.) Hoc est, Mi Philippe, fateor in negotio de Sacramento nimium esse factum. Et cum Philippus respondisset Ergo, mi Domine doctor, vt cõsulatur Ecclesiæ, edamus lene aliquod scriptum, in quo sententiam nostram clarè explicemus: Luth. subiecit, Mi Philippe, ego de hac re sollicitè cogitaui. (Aber also machte ich die gãtze lehr verdacht, so vvil ich das dem liebẽ Gott befolen haben, thut ihr auch etvas nach meinem tode) hoc est. Sed sic redderẽ totam doctrinã suspectam, itaq; hoc optimo Deo committam, Agite vos etiam aliquid post mortem meam.) Hæc ex ore Philippi excepta sunt.

Manes ergo Lutheri sciunt fortasse, q̃d de Eucharistia crediderit Lutherus, ipse certè nescisuit.

Anno 1577. prodijt libellus, in quo ducentæ numerantur hæreticorum, vel expositiones, vel deprauationes horum paucorum verborum. Hoc est corpus meum.

Ioãnes Langus in Annotat. ad 2. Apolog. Iustini, per hoc, intelligit panẽ, sed panem exponit Methaphorice hoc modo, Hoc est corpus meum, id est corpus meũ est hoc, nimirum panis, quia nutrit animas, & reficit instar panis.

Buccerus, & Ioannes à Lasko, volunt pronomen, hoc, significare, totam actionem Cœnæ, vt sit sensus, Hæc actio, Corpus Christi repræsentat, siue in hac actione exhibetur Corpus Christi.

Andreas Carolstadius asserit in lib. edito Basileæ anno 1524. Quod ex reuelatione Patris cælestis, hanc expositionem didicerit, vt pro, hoc est, intelligatur, hic est, quasi diceret, hic sedet corpus meum.

Philippus post mortem Luth. damnare cæpit Vbiquitatem in cap. 3. Epistolæ Pauli ad Collosen., & vult Christum esse in certo loco cæli, quo ad carnem: vbiq; autem quo ad diuinitatem.

Synodus quoq; Dresdensis anno 1571. Consentientibus omnibus Superintendẽtibus Ducis Saxoniæ, & Lipsiæ, & Vittẽbergæ doctoribus, statuit vbiquitatẽ Corporis Christi esse horribilem profanationem, omnium articulorum Symboli, & reuouationem omnium hæreseon.

Ibidem habentur hæc verba, Commẽtitia ista, commutatio Phisica, quæ nostro primum tẽpore cum vbiquitate Corporis Christi introduci cepta est, vniuer-

sæ

sæ Orthodoxę Ecclesiæ,& toti orbi Christiano, inde vsq; ab initio incognita fuit, atque etiam num à Pontificijs ipsis, reijcitur, & taxatur acerrime.

Et infra, Commentitia illa Vbiquitas, horrēdum in modum corrupit omnes penè articulos fidei, de Christo, ac discrimen diuinæ,& humanæ naturæ,in Christo, in primis delet atq; euertit.

Reliqua porro Lutherana cohors, licet doceat verum esse Christi corpus, & sanguinem,in orali Eucharistiæ manducatione, posteaquam tamen transubstantiationem negarent, vrgebantur à Caluinistis, quomodo esset verum Christi corpus,si panis non transubstantiatur, cū ratio non ferat,vt simul,& semel sit, & corpus Christi realiter, & panis in eodē subiecto. Confugiunt ad diuerticula,& alij dicunt esse corpus Christi, Cum pane, alij, In pane, alij Sub pane: sed cum intelligentiores offenderent, ne hoc quidē consistere posse, particulas eas, In, cum, sub, omiserunt, & dicunt. Pane, & vino. Corpus, & sanguinem exhiberi. Vidimus Cathechismum huius generis Vvratislauiæ,in fol. 16. impressum, vbi dicitur, exhiberi credentibus verum Christi corpus, & verum Christi sanguinem, pane,& vino, Permittunt ibi cuiusque arbitrio credere quod lubet. In, sub, cum, supra, infra, subter, penes, &c. Panem est corpus Christi.

Martinus Kemnitius, vicissim in lib.de duabus Christi naturis vult videri cautior, & omnia mirabiliter inuoluit. Nam cap. 30. vbi tractat, An caro Christi sit, vbique, non audet dicere absolutè, esse vbique,si noluerit,& ne videatur scripturis esse destitutus,illud Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas, intelligit, omomnipotentiam, Illud vero, in cœlo, & in terra, intelligit omni præsentiam.

Idem docet Ioannes Vigandus, in lib. de Communicatione Idiomatum, Idem Nicolaus Selecnerus de Pedagogia spirituali.

Idem Timmannus pastor Bremen. in Farragine sententiarum, adducit plurima exempla,& testimonia insignium Lutheranorum, quod Christi corpus sit vbique. Idem Smidelinus Polonicus ocreatius in Thesibus Tubingæ disputatis.

Liber quoq; concordiæ Euangelicæ anno 1580. editus ad hunc scopum omnia sua argumenta dirigit, vt stabiliat Vbiquitatem, & destruat mysterium Incarnationis.

Zuinglius in lib. quē edidit anno 1525. & Subsidiū de Eucharistia inscripsit,Refert se biduo disputasse in Senatu Tigurensi contra Missam,nec tamen fidē facere potuisse, resistente sibi scriba quodam: Est, accipi, pro significat,sed tandem nocte sequenti astitisse sibi nescio quē) ater autem,inquit,an albus fuerit non memini) qui monuit vt eum locum, Exod.12. arriperet, Est enim phase, id est, transitus Domini, vbi est accipitur, pro significar. Itaque die sequenti de eo loco verba feciſſe ad populum, & quod volebat, obtinuisse.

Libet illius propria verba adiungere, vt Euangelici præceptorem suum agnoscant, & confundantur, Restabat adhuc (ait Zuinglius) haud minimus conatus, quo scilicet exempla proderemus, quæ nulla cum Parabola coniuncta foret, cæpimus ergo cogitare,omnia,omnia reuoluere, attamen aliud nihil exemplorū occurrebat, quàm, quod in Commentario proditum est: aut quod occurrebat, erat illorum simile: Cū verò tredecima dies adpeteret, vera narro, adeoq; vera vt celare volentem, conscientia cogat effundere, quod Dominus impertijt, nō ignorans, quantis me contumelijs, rihbusq; exponam: Cum,inquā, tredecima April. lux adpeteret: visus sum mihi in somno multo cum tædio denuo contendere,cum aduersario scriba: sicque obmutuisse, vt quod verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem,qui me angor vt solent nonnunquam somnia fallaci ludere noctæ, (nihil enim altius quam mirum narramus,tam etsi leue non sit, quod per somnium didicimus, gratia Deo in cuius solius gloriā ista prodimus)vehementer turbare videbatur, Ibi ἀπὸ μηχάνης, visus est monitor, adesse (ater fuerit an albus nihil memini, somniū enim narro) qui diceret, Quin ignaue respondes ei, Exod.12. scribitur. Est enim phase, hoc est, transitus Domini.

Protinus, vt hoc phãtasma visum est, simul expergefio, & electo exilio. Locum apud septuaginta primũ vndiq. circũspicio, ac de eo cora toto cõcione pro viril differo, qui sermo vbi acceptus est, quemadmodũ paulopost dicemus, omnibus Sacrarũ literarũ candidatis, qui adhuc nõnihil propter Parabolæ obstaculũ hærebant, omnẽ nebulã discussit. Sũmã autẽ doctrinæ, quã ater ille monitor attulit, his verbis in duabus respõsionibus ad Lutheri Confessionẽ expressit: Eo modo corpus Christi in Cæna est, quo corpora nostra, iã nunc in cælis sunt: in Dei nimirũ cognitione, electione, & prouidentia, Vt verò ipsũ naturaliter, essentialiter, & corporaliter nobiscũ habeamus, tã est impossibile, quã vt ipsum Lunæ corpus in paroplide aliqua nobis psens sit: eo quod hanc suis radijs illuminet. In sua verò fidei rõne ad Principes Germaniæ, ita concludit. Dudũ diximus, corpus Chri, esse ĩ cæna, fidei cõtẽplatiõe: nũc quocunq; se vertant aduersarij, nihil opis inueniãt, quo aliter, in cænã trahant.

Petrus Boquin⁹ in exam. lib. Hesusii cõtendit. rectè dici, panẽ esse corpus Chri, ꝓpter idiomatũ cõmunicationẽ, quãobrẽ, é, vult accipi ꝓ dicit, hocmodo, Hoc ẽ corpus meũ, idest, Hic panis dicit corp⁹ meũ; propter idiomatum communicationem.

Oecolãpadius ĩ lib. de genuina expositione horũ verborũ, nõ agnoscit tropũ in pronomine, hoc, neq; inverbo, est, Sed in noïe, corpus, vult enim panẽ dici corpus per Methonomiã, vt sit sensus: Hoc ẽ corpus meum, ideſt: Hic panis ẽ figura corporis mei.

Caluinus admittit, cũ Oecolãpadio, tropum Methonimiæ, esse in nomine corp⁹: sed addit, non esse panẽ Eucharistiæ, nudam figuram: corporis Christi, sed esse figuram, quæ rem ipsam exhibeat.

Ioannes Cãpanus, accepta, è ioco Lutheri, occasione, hunc sensum affert, Hoc est corpus meum, idest, Hic panis est corpus à me factum, & creatum.

Confessio Ministrorũ Antuerpien. Cænã, ait, esse Sacramentũ proximè ante passionem à Christo institutũ, in quo nobis dedit, in cibum panem, qui, teste ipso, est corpus eius, & vinum in potũ, qui est sanguis eius, idq. eo fine: vt tota cænæ actio esset nobis memoriale, ac pignus passionis eius, & memoriale non otiosũ, sed omnia beneficia Chri nobis certo applicans.

Narrat Sãderus, qđ, cũ Bucerus, à Duce, Northũbriæ interrogaret in Anglia, de reali corporis Christi in Eucharistiæ Sacramãto præsentia, ingenue responderit, nullũ dubitare merito posse, de vera Christi, corporis præsentia qui nõ dubitet, de fidę Euangelistarũ. Nõ tamen is ego sum, ait, qui certo ea omnia credenda existimem, quæ in nouo testamẽto, de Christo, & eius actis scribũtur: quanquã illa quoque omnia hactenus negare nõ libuerit. De visibili Monar.

Brentius, etiamsi talẽ præsentiã neget, qualẽ Lutherus docebat, tñ in hoc sequit, quod Christi caro, sit, vbiq;. Ait. n. in Appologia, p Cõfess. Vvittẽbergen. in tractatu dẽ cæna Dñi, Christi carnẽ esse vbiq;, ratione vnionis hypostaticæ, Asserit præterea, Christi corpus etiã ante passionem fuisse in Cælo inuisibiliter, & nunc quoq; nõ esse ĩ aliquo certo loco Cęli, sed vbiq;.

In lib. de Maiestate Christi hominis, In hoc ponit vnionem hypostaticam, quod filius Dei in filium Mariæ effuderit omnia dona, & proprietates suas.

Idẽ paulo inferius, Cũ omnipotentiã suã filius Dei in Incarnatione sua cõtulerit in filiũ hoïs, adeo vt eã cõmunẽ habeat cũ filio hominis, omnipsentia verò ab omnipotentia pendeat, negari non potest quin etiam contulerit omnipræsentiam.

Habitũ ẽ Colloquiũ Mõtbelgarden. inter Bezã, & Iacobũ Smideliuũ, quod Osiãder excipiebat, Iacobus vero in lucẽ edidit, Sic ibi Bezã loquitur ad Iacobum.

Ait, iuquit, Testamentũ Chri à nobis euacuari, & nuda sacra signa relinqui, Nos deniq; ipsis Turcis deteriores, Dei oĩpotentiam inficiari, falsissimè declamitatis, Quasivero hui⁹ spiritalis quidẽ, at nõ imaginariæ, sed verissimæ, & efficaciſſimæ, cũ Chro vnitionis mysteriũ, qđ ꝓptereà Paulus Ephes. 5. magnũ appellat, nõ sit multo admirabilius, & oĩpotentiæ Dei cõueniẽtius, quã vestrũ illud finitũ, simul, & infinitũ, visibile, & inuisibile, vbiquisticũ, & local, corpus deniq; absq; corporis diffinitione, oĩmaiestaticũ, quo, & Hipostatica vnio, & corporis Christi veritas tollit, & eius supra cælos ascẽsio ĩ dispartionẽ, siue externum spectaculũ, vsq; ad nubes terminatur

minatur, vt ausus est Brentius totidē verbis scribere, Et fol. 21. Beza dixit, esse vsum Eucharistiæ Capharneiticū si sumatur cum fide Smidelini: Smidelinus dixit esse denuo Christum crucifigere, cū impijs militibus, si sumatur cum fide Bezæ, Vtuntur autem ex vtraq; parte varijs, & nouis loquendi, & enunciandi generibus, vocant manducationem oralem, naturalem, Organicam, Sacramentalē, corpus, vt tangibile, vt quantum, vt circumscriptum, vt molem materiatam, vt proprietatem corporis, materialis, & organici, vt realem effusionem, vt illocalitatē, vt tropum, vt relatiuam, vt definitiuā, sine circumscriptione, & repletiuam sine definitione, vt actu primo, prædicatum, vt subiectum, subiectum, vt prædicatum: vocant omnipotentiam Christi omnimaiestatem, omniscientiam, & similia sine fine, & sine sensu garriunt, O Christe qui via es, quanti errores extra viam.

In eodē Colloquio, quęritur, Beza, sibi obiectum esse à Smidelino, Hęreticus es, Caluinianus terterrimus, Negas oīpotentiā Dei, euertis Dei testamentū, verbū Dei tuo sensui subiicis, Nestorian⁹es, de Christo nō aliud iudicas, quā ipse Machometes.

Idem in Cōuentu Possiaco, palam ausus est blasphemare, quod corpus Christi, tam longe abest ab Eucharistia, quā cœlum à terra, Sed lepide quidam respondit, Quomodo credat iste esse Christi corpus, in Eucharistia, qui nec Deum vllum esse credit in Cœlo?

Narrat Balduinus, eū in sermone quotidiano sæpe professum esse, aliā in Cœna Domini, nō esse corporis, & sanguinis communicationē, quam in baptismo, in Concione, in lectione, Sacræ scripturæ, & in priuata meditatione, quoties mens fidelis, ad Christum assurgit.

Smidelinus ipse quoq; nouam cudit opinionem, cum ait, Panem esse in corpore Christi, & vinū in Sanguine Christi, Iustus Felsius dicit, plus contineri in duabus speciebus, quàm in vna.

In Maulbruneñ. Colloquio, quidā corpus Christi in Sacramento Eucharist. dicebat esse simile sacco pleno auena, & auiculæ in cauea, & vitello in ouo, & puero percacato (parcant piæ aures Euangelicas voces referenti), & in cunis iacenti.

Ioannes Tymmannus, pastor Bremeñ, pane, ait, & vino, distribui, oreq; corporeo ab omnibus sumentibus edi, & bibi, verum, & viuum corpus, & verum, & vinum Sanguinem Christi. In Pharag. Sentētiarū.

Antonius Perseus Anglus, quē Foxus in Historias Martyrū retulit, hæc omnia, Christi verba, de corpore, & Sāguine suo, nouo quodā modo, interpretatur: constanterq; affirmat, ea verba, ad solas tantum scripturas pertinere, quas à Christo accipere, & populo diuidere debeamus. Alanus Dial. 6.

Coubrigius quidam, non est veritus, hæc Christi verba: Accipite, & manducate, sic peruertere, Hoc est corpus meū, in quo populus circūuenietur, & decipietur. Alanus Dial. 6.

Volanus Vilnensium Zuingliocaluinistarum Pincerna, in postremo suo libro, diuinū Christi corpus, quidem, extra Cęlum, nec esse, nec esse posse asserit: ex eo tamen corpore in Cœlo constituto, succū ad nos diffluere: quo in Sacra cœna, & corpora, & aiæ nostræ, asperguntur, atq; hoc esse comedere vere, & realiter Corpus pro nobis traditum, & bibere Sanguinem pro nobis effusum. In Apolog. contra Iesuitas.

Et iterum, Ita vero sola anima, per fidem, corpore Christi vestitur, vt Immortalis, ac cœlestis vitæ succus, nō minus in animam, quam in corpus ipsum, ex carne Christi viuifica, defluat.

Et iterū, Manducare Christi carnem, nil aliud est, quā manere in Christo, hoc est, Christi mystico corpori incorporari, Non minus nos enim Sacram. Cęnæ dñicę, Christi participes facit, quā baptisma. Volan⁹ vbi sup.

Et iterū. Christus cū cœnam instituit, non de corpore, quod pependit in Cruce comedendo, vt ex eo nutriamur, Sed de corpore mystico (hoc est vnitate Sanctorum) cui vniri debemus, vt simus membra, de membris eius, locutus est.

Recte itaq; Clebitius, post istos oēs cōcludit, cū ait, etiamsi pręcise, definiri non pōt, quid sit Cœna, aliqua tñ ex parte, dici potest, quid non sit, In Assertione. De Controuersijs S. Synaneos Heidelbergæ.

Duas, & octuaginta alias atque alias, magis, atque magis, & à veritate, & à se inuicem diuersas, & dissentientes fidiculas, & opiniones ex Euangeli-

gelicorum libris collegerunt. Viri Doctissimi Sanctius, & Lindauus, de sensu verborum, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Libet isto loco producere, vt vel ex sola earum inspectione, verum esse deprehendas, quod Tertulianus olim obseruauit, eo procedere consueuisse, Hæreticorum discrepantias, leuitates, indeterminatas, vt eas solummodo demonstrare, sit destruere.

Prima interpretatio. Pro, Hoc est corpus meum dici nolunt, Hic est corpus meum: 2. Pro. Hic est sanguis meus, Hoc est sanguis meus, 3. Hic siue in hoc loco est corpus meum, 4. In hac actione, non tamen in pane, est, & exhibetur corpus meum, 5. Hæc actio est meum corpus, id est, Societas, siue communionis Sacramentum in corpore meo, 6. Corpus meũ est hoc, nempè Panis, 7. Corpus meum est hoc, id est, cibus spiritualis, vt Ioan. 6. dicitur, Caro mea verè est cibus, 8. Hic Panis propriè, ac sine figura, est corpus meũ, 9. Hic meus est Panis, 10. In, cum, sub Pane, est corpus meum, vt pillula in ouo, 11. Cum Pane, est corpus meum, 12. Est in Pane, vel cum Pane, corpus meum, 13. Circa panem, est corpus meum, 14. Hoc est corpus meum, In Panis vsu, seu quandiu sumitur Panis, & in eo est corpus meum, 15. Hoc est corpus meum, speciali modo existens, in Pane, ad edendũ, cum aliàs vbique sit, 16. Verbis, menti demonstratur corpus, sicut Panis digito, sensibus. vt propria, & non figurata sit locutio, & tantum demonstretur corpus, 17. Proferendo Panem, dico me proferre, corpus meum, contentum in eo, sine vlla figura, sicut proferendo Bursam dico, hoc esse argentum, 18. Tantum demonstro, corpus meum, neque significo Panẽ esse corpus, aut factum esse corpus meũ. 19. In Eucharistia, duabus rebus compositis, seorsum vna demonstratur, vt in ferro ignito, dici potest, separatim, Hic est ignis & hoc est ferrum, sine figurata locutione. 20. Hic cibus, Panis, & corpore, constãs, est corpus meum, vt sit propositio Sacramẽtalis, & duas res simul coniunctas demõstret, 21. Hic Panis est corpus meum: vt non sit Propositio naturalis, & secundum proprietatem Logicam, sed supernaturalis, & familiaris scripturæ, quando vult significare res diuersas inter se verè coniunctas, 22. Hoc est corpus meum, Non absolute, & in actu primo, sed in actu secundo, & in operatione energiæ, 23. Hoc est, corpus meum, Non in proprio subiecto, nec, in Panis subiecto, & materia, sed in obiecto Cœnæ, & actionum eius, 24. Corpus meum est, vt dixit, destruite templum hoc, quasi demõstraret, corpus suũ, in naturali statu, & subiecto, 25. Corpus meum est hoc, quatenus mensæ accumbit, 26. Hoc significat, corpus meum, 27. Hæc est mea humana natura, 18. Hæc est diuinitas, seu spiritus, qui viuificat, 29. Hæc est mors, passio mea. 30. Hæc est, cõmemoratio corporis mei. 31. Hoc est fidei corpus, seu fides de me. 32. Hoc est Symbolũ, corpus, seu figura veri corporis. 33. Hęc est tessera, Societatis Christianæ. 34. Hoc est corpus meum, quatenus pro vobis datur. 35. Hoc est signũ, qđ admonet nos, quomodo corpus Christi pro nobis traditum, nos viuificat. 36. Hoc est Symbolum, quod testatur, nos ab vno eodemq; corpore esse redemptos. 37. Hæc est protectio μνημόσυνου meorum beneficiorum. 38. Hoc est corpus meum, quod do vobis, animo edendum, sicut panem ore. 39. Hoc est corpus meum, paneum. 40. Hoc est Symbolum Sacrum gratiæ, & redẽptionis meæ, quod post me, vobis relinquitur. 41. Hoc est testimonium, & obsignatio corporis, pro vobis traditi. 42. Hoc est mysticum corpus meum, seu Ecclesia sanctorum, redempta meo corpore. 43. Hoc Sacramẽto, significatur Passio, & mors mea, ac cõmunio, cum omnibus Sanctis. 44. Hæc Cœna, est tessera, & arrabo, corporis mei. 45. Hoc est, verbum meum, cui credatis. 46. Hic panis est, tessera nuda cõmunitatis, & nudum testimonium participati corporis. 47. Hic panis est signum efficax, corporis mei, & participationis, in eo. 48. Hoc admonet nos, de corpore Christi, edendo per fidem. 49. Hic festus dies, seu cæremonia ista, est commemoratio, seu gratiarum actio, pro corpore meo passo. 50. Accipite edite, quod pro vobis datur, est corpus meum. 51. Hoc est corpus meum; in diuinitatem transmatum

formatum. 52. Hæc est Societas, vobis gratuito delata, Ius, & vsus, illius, in meo corpore. 53. Hæc est, communio, in meo corpore, non iuxta substantiã suam naturalem, sed iuxta meritum Passionis meæ, & mortis, ac gloriam admirandæ Resurrectionis. 54. Hæc est qualitas mei corporis, vobis delata à quibus substantiã accepi. 55. Hæc est cœnæ instituta forma, cæremonia, ipsaque externa actio. 56. Hæc est visibilis extremæ meæ voluntatis, concertatio. 57. Hæc tota cœnæ actio, Symbolum est, nõ tantum corporis, & sanguinis, sed mortis, & effusionis, quæ facta est pro vobis. 58. Hoc est corpus meum, si fides adsit. 59. Hæc est participatio corporis mei, si fides adsit, sin minus, oblatio, quæ recusatur ab indignis. 60. Hoc est testamentũ, in corpore meo. 61. Hoc est corpus meum, in cœlo positum, tam diffitum à pane, & à vobis, quam cælũ à terra. 62. Hic est Canalis, Spiritus Sancti, per quem, quicquid est, Christus ad nos descendit. 63. Hic est Canalis, corporis mei. 64. Hæc Caro, est Canalis vitæ. 65. Hic panis, est instrumentum, quo Christus nobis suum corpus, destinauit. 66. Hæc est virtus, & gratia, spiritualis mea. 67. Hoc est abstractum, quid, à substãtia, corporis mei. 68. Hic panis, est corpus meum, Sacramentali locutione, & cõmunicatione, per Methonimiam signi, & signati. 69. Hic panis, est Symbolum defluentis qualitatis, alicuius, & virtutis, à corpore meo, quæ in cœna per fidem extra panem recipitur. Et huc recidunt omnes Caluinistæ Catholicorũ argumẽtis, oppressi. 70. Hoc est, corpus meum, visibile Sacramentum, corporis inuisibilis, seu, hæc est visibilis species panis, Sacramentum inuisibilis corporis. 71. Hoc est, verissimum corpus Christi, vt verba sonant. 72. Hoc est corpus meum, ibi, vbi est panis. 73. Hoc est Symbolum, quo vera corporis mei communicatio, exhibetur fidelibus. 74. Hoc Symbolum, est testificatio, quæ spirituales gratias figurat. 75. Est obsignatio, seu confirmatio gratiæ iam receptæ. 76. In hac cœna, quatenus est cælestis actio, & non quatenus est externa, & terrestris, est corpus meum. 77. Hoc est, Symbolũ promissionis, meæ, de carne mea. 78. Hæc est, substantia corporis, eum gratia, æner gia, & efficacia inseparabili. 79. Hæc est communicatio, seu participatio corporis, quasi per Apostolum, sermo Christi explicatur. 80. Hæc vnio cum tota persona Christi, vt corpus significet, quicquid est Christus. 81. Adest corpus meũ spirituali præsentia, & participatione. 82. Hoc est, corpus meum, sine diuinitate, & sanguine. 83. Hoc est, corpus meum, sub ratione immolationis: siue. Hæc est communicatio passionis, siue immolationis meæ. 84. Nil interest, siue sit corpus, siue non sit; Nam non est articulus fidei, nec de eo est digladiandum.

Hactenus Auctor veracissimus, & absolutissimus, Theologus Sanctius de Euangelicorum blasphemijs.

Sed, & sacrificium illud incruentum, cultum soli Deo propriè debitum, quod Missam vocamus. Terribile illud Mysterium, mensam illam cibo cælesti instructam, vbi Agnus Dei, vt loquitur Chrysostomus, pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur, sanguis spiritalis ex Sacra Mensa refluit, vbi Seraphin adstant sex alis faciem tegentia, vbi omnes incorporeæ virtutes, pro te cum Sacerdote intercedunt, vbi Spiritalis ignis, è cælo descendit, vbi sanguis in Cratere in tuam purificationem, ex immaculato latere hausus est, vbi diuinum corpus, non ex homine, sed ex ipsius Seraphin forcipe sumitur (omnia hic à nobis dicta putabis lector, in commendationem huius Sanctissimi Sacrificij, quæ dici possunt, quæque non possunt: Quæ enim vnquam lingua satis magestatem, & vtilitatem eius commendarit? Hoc tamen sacrificium, Angelis ipsis venerandum, quam horribilibus blasphemijs, & conuitijs appetiuerit impunita loquacitas, pauca è multis accipe.

Lutherus in Confessione ædita 1528. Anno, supra omnes abominationes, dicit se habere Missam, & nil magis dolere, quam quod per annos 15. Missas celebrarent more Catholicorum.

Et in lib. de Missa priuata, ædita, 1534. Non erubuit confiteri, se à Diabolo edoctum esse, & persuasum, Missam esse summam abominationem, idque nõ per somnum,

num,& quietem, sed palã dum vigilaret.

Idem asserit in libr. de Capt. Babylonica.

Coch. lib. fol. 15. Idem, contra Regem Angliæ, Missam itaque extorsimus,& triumphamus,aduersus assertorem Sacramentorum.

Idem, contra Canon. Missæ. Idem contra Zuinglianos. Alio item loco, Malo,ait,admittere, vt nullus rusticus, Sacerdotibus, Monachis, atque Ecclesiæ aliquid det,immò Turcas potius, aut Tartaros tollerabo,quam vt Missa maneat.

In Colloq. mẽsal. fol. 352. Cemnitius,in secunda parte examinis Concil. Trid. ait, Missam esse Deum, seu arcem, & robur Antichristi Romani, id-est, Papæ, idque probat ex illo Danielis loco cap. 55. vbi de Antichristo legitur, Deum autẽ Machusim,colet in loco suo.

Sed hominis nugas,solidissimè refutauit Bellarminus. Idem,de sacrificio Missæ scribens,ita concludit. Sacrificiũ Missæ,de quo Pontif. dimicant, in eo consistit,quod sacrificulus certis ornamentis, & instrumentis super panem, & vinũ Eucharistiæ, varijs vtitur gestibus, motibus, & actionibus, vt sæpiùs geniculari, inclinari,strictis manibus,modo distendere,modo reducere,brachia,subinde se vertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quædam demurmurare, suspicere in altum, esse pronum, consistere vno in loco, nunc ad dexteram, nunc ad leuam Altaris partem coniugare. In eodem examine.

Inter Articulos Smalchaldicos habetur hic quoque,pag. 229. Curetur vt hominibus ostendatur,Missam, vt rem commenticiam,seu humanum figmentum,posse sine peccato omitti. Et pag. 281. Cæterùm Draconis cauda ista (Missam intelligunt) peperit multiplices abominationes. In Regia Ciuitate Elbingensi, Varniens. Diocesis, fuit quidam Lutheri verbi Minister Sebastianus, qui pro cõcione ausus est,& docere, & asserere, quod qui Christum in Eucharistia adorat, Diabolum adorat, quam Blasphemiam Hosius Cardinalis,in Actis suis Elbingen. vehementer exagerat.

Volanus in Lithuania. Nouum,'ait, Christum Papistę quoties volunt,creant, & prædicant,minimi Sacerdotis maiorẽ esse potentiam,quam Dei,quòd iste nimirum intra sex dies mundum creauerit,ille tribus prolatis verbis ipsum creat Creatorem.

fol. 388 de Enchau. Czechouicius Lublinen. hæc verba Scripturæ, Hoc est corpus meum ad Syriacam linguam emendanda putat, quæ habet, Hoc ipsum est corpus meum.

Testatur Heshusius, quod cum Albertus quidam, in conuenticulo Braunsuicensi, multa blasphema dixisset contra Christi corporis, & sanguinis præsentiã, in Eucharistiæ Sacramento, in hanc tandem blasphemiam prorupit. Quomodo potest esse in Sacramento hoc caro,& sanguis,cum nullam cærnem, ex Maria Virgine Christus susceperit:Sed haud aliter, atque Sol per aquam, nullo humore ex ea contracto,sic ille per vterum Virginis per transiuit?

Citat Hosig in Epistola ad Ferdin. Imperator. Gasparus Querkhamer ciuis Hallensis,collegit,e libris Lutheri 36. locos,inter se pugnantes, super vno duntaxat articulo,de vtraq. specie,ita, vt nihil adhuc certi videretur decreuisse, sub vna specie, an sub vtraque communicare aliquis debeat,ad salutem.

Henricus Angliæ Rex, licet adhuc in suo Regno Missæ sacrificium tolleraret, multa tamen contra vsum Ecclesiæ in orationibus, & in ipso Canone peruertebat,arbitratu suo,& præsertim ne orationes, pro Summo Pastore haberentur prohibebat,& nomen Pontificis expungi vbique iubebat,& eius loco suum ponebat.

Finem hunc, ò lector,errorum putas? Gradus est, Acescit aer præistorũ blasphemijs. Solemne est omnibus Hæreticis, ex fine sumere maledicendi principium, Tot simul impietates concurrunt, vt Diabolum totum,quantus, quãtus est, induisse videantur. Addo, Res eiusmodi est, vt si vel audiatur, abhominetur:si tamen non præsumptio, aut iniquitas iudicet, altera, vt habet Tertul. quæ desperet, altera,quæ recuset veritatem. Et in hac tamen sua ita detestanda doctrina,in istis suis tam indisciplinatis verbis,famosi nebulones propemodum tripudiabundi lasciuiunt. Interim se iactantes Christos esse,cum sint ipsissimorum dæmonum Pontifices.

Habita

Habita est Parisijs Anno 1566. disputatio inter doctissimos viros, Vigorium, & Sãctium, Theologos, & inter Oulbras, Espinã, & Rosserum Sathanæ ministros, Vrgebant Catholici Hæreticos, vt sententiam suam, tum de Sacramentis in genere, tunc præcipue de Eucharistia, pure, nude, simpliciter, & Cathegorice explicarent, nec euasionibus vterẽtur. At Ancipites Ministri, cum & à veritate, & à seipsis dissiderẽt, ita perplexi de Sacramentorum efficacia loquebantur, vt ex omni eorũ sermone Catholici Doctores 89. errores collegerint, quos vel aperte professi sunt, vel consequi necessario oportebat. Extant in Actis disputationis Gallicæ æditis: Quos libet hic propter eos inserere, qui vel linguæ vsum, vel librorũ copiam, in patria nostra non habent.

1 Licet habeatur coniunctio Sacramentalis, inter signa, & significata: tamen in hoc Sacramẽto corporis, & Sanguinis per signa repræsentato, tãta est distantia ipsorum, quanta cœli, & terræ.
2 Recipitur in hoc Sacramento substantia abstractiua.
3 Aliud corpus accipitur in Cęna, quam sit in Cœlo.
4 Substantia Corporis Christi, diuersa est, pars habitat in Cœlo, pars defluit inferius in Cœnam.
5 Corpus Christi, est consumptibile.
6 Hoc Sacramentũ, non est extra vsum.
7 Si Apostoli noluissent manducare, id quod Christus illis dabat, per hæc verba, Hoc est corpus meum, non fuissent vera dicta verba, & Christus esset mentitus, & fraudem feciſſet.
8 Expositio horum verborũ, Hoc est corpus meũ, vera, est talis, Hoc erit signũ corporis mei, quando vos illud manducabitis.
9 Non osculandum Sacramentum, in templis.
10 Non debet adorari.
11 Non debet portari, ad ægrotos.
12 Indigni, nõ recipiunt Corpus Christi.
13 Veritas verborum Christi, pendet à voluntate hominis.
14 Si Apostoli non credidissent verbis Christi, quod illis dabat, non fuisset corpus eius, nec signum corporis.
15 Hæc verba Hoc est corpus meum, tantum valent, ac si dixissent, Hoc erit signum corporis mei, si vos credetis.
16 Hęc propositio fuit vera, in Apostolis, quatenus crediderunt, falsa in Iuda, quia non credidit.
17 Corpus Christi, non recipitur per os hominis corporale.
18 Nulla est manducatio, nisi per fidem.
19 Fideles quotidie manducant Corpus Christi, antequam accedant ad Cœnã.
20 Non plus recipiunt in Cœna, quam receperunt ante Cœnam.
21 Nil prorsus habet de manducatione Sacramentali.
22 Est tantum confirmatio fidei per Cœnam, nec alia quæcumq; res accipitur in Cœna.
23 Cum dixit Christus, Hoc est corpus meum, aliud non dixit, quam recordamini, quod comeditis corpus meum per fidem.
24 Magis verum corpus Christi, recipitur in lectione, vel concione, quam in Sacramento.
25 Debet homo magis seipsum probare, quando vadit ad concionem, quam ad Cœnam.
26 Corpus Christi, est in nostra anima, sine omni qualitate, & dimensione.
27 Ea quæ faciunt Cœnam, realiter sunt in Cœlo.
28 Non recipitur substantia corporis, sed qualitas dimanans ex substantia eius.
29 Qui manducat carnem meam, hoc est dicere, qualitatem defluentem ex substantia carnis meæ.
30 Nos non sumus cum Christo, nec vnimur illi, nisi per fidem.
31 Deus Pater, & filius, non sunt vnum in substantia.
32 Nos non sumus aliter vna caro cum Christo, quam vir, & mulier, separati vnus ab altero.
33 Distantia corporis impedit, quod fideles non verè, & realiter comedunt carnem Christi.
34 Patres æquè manducauerunt carnem Christi, ante incarnationem, ac Apostoli in Cœna.
35 Christus vere fuit, incarnatus, antequàm fuisset incarnatus.

36 Res

36 Res futuræ, & absentes, fiunt verè præsentes, per fidem.
37 Virgo Maria fuit ante suum Patrem, & Matrem.
38 Nos sumus verè resuscitati, antequam moreremur.
39 Nihil est futurum fidelibus, sed omnia sunt illis præsentia.
40 Fidelis, non habet virtutem spei.
41 Non est alia differentia inter manducationem Patrum, & nostram, nisi quod nobis Christus magis particulariter suam voluntatem declarauit, quam patribus.
42 Vetus, & nouum Testamentum, sunt eiusdem Authoritatis, in substantia, & veritate.
43 Sacramenta Euangelica, nõ sunt plus excellentia, quantum ad res, quibus cõtinentur, & quantum ad eorum effectũ, quàm Sacramenta legis.
44 Baptismus est Sacramentum corporis, æque vt Eucharistia.
45 Sacramentum Eucharistiæ, non est necessarium.
46 Non debet fieri difficultas in dãda Eucharistia infantibus.
47 Infantes paruuli manducant corpus, æquè vt adulti, non tamen recipiunt Sacramentum.
48 Manducant corpus per verbum, & Baptismum, sicut per Sacramenta.
49 Antiqui errauerunt, in hoc, diffidẽtes non debere dari hoc Sacramentũ alijs quam Baptizatis.
50 Consecrare nihil aliud est, quam deputare Elementũ, ad Sacramẽti vsum.
51 Certa verba non sunt necessaria, ad faciendam consecrationem huius Sacramenti.
52 Ea debent simpliciter proferri.
53 Non debent pronuntiari supra materiam.
54 Hæc verba, Hoc est Corpus meum, non sunt verba Sacramentalia.
55 Verba Sacramentalia, non habent vllam virtutem.
56 Est magna superstitio, pronunciare aliqua verba benedictionis, super materiam Sacramenti.
57 Est species sortilegij, & coniurationis, vti benedictione super panẽ, & vinum, ad illa consecranda.
58 Verba Sacramentalia in hoc Sacramãto, sunt verba prædicationis.
59 Hæc verba, Ego te Baptizo, non sunt verba Sacramentalia Baptismi.
60 Vsque ad tempora Caluini non fuit Baptismus in Ecclesia: nec fuit ministratum Sacramentum Eucharistiæ.
61 Non est Sacramentum, si non administratur in lingua materna.
62 Si auditor habet veram fidem, iam recipit Sacramentum.
63 Qui se offert ad recipiendum hoc Sacramentum, ipse facit, & non minister, vt verba sint signa.
64 Nullum est prorsus Sacramentũ, nisi in Ecclesia Caluinistarum.
65 Verba recepta per fidem ab auditore, sunt verba Sacramentalia.
66 Si panis deest in cæna, non aliud opus est facere, quam accipere panem apud pistorem, qui sine alijs verbis pronunciatis super ipsum, tam bene potest repræsentare corpus Christi, quam alius panis in Cæna, etiam Benedictus.
67 Accidentia per omnem Dei omnipotentiam non possunt subsistere separata, ab illorum naturali subiecto.
68 Accidentia panis, & vini, non possunt nutrire corpus, neq; hæc virtus potest illi dari, à tota Dei omnipotentia.
69 Accidentia non possunt in vlla ratione repræsentare, corpus, & sanguinem Christi.
70 Panis, & Vinum per consecrationem prorsus non commutatur, quantum ad illorum substantiam: & Accidentia: & remanent post consecrationem, talia, qualia fuerunt, & ante consecrationẽ.
71 Doctrina de transubstantiatione non mutantur, nisi quod repræsentant corpus, & sanguinem, ita vt repræsentabãt ante.
73 Quandocunque est sermo de Sacramẽtis, nomen rerum significatarum attribuitur signis, quæ eas repræsentant, & significant.
74 Non potest ostẽdi perscripturas, quod qui recipiunt signa, sint participes rei, per illa repræsentata.
75 Hæc verba, Hoc est corpus meum, tantum valent, vt, Hic panis est

corpus meum.

76 Per nomina, corpus, in scriptura, quando loquitur de Sacramento Eucharistiæ, facit nos intelligere, panem, & vinum esse signa eius.

77 Vinum in Sacramento est signũ coniũctionis, & parentellæ.

78 Coniunctio quam Deus fecit nobiscũ est figillata per vinum.

79 Hæc verba, Hic calix est nouum Testamentum, in meo sanguine, sunt expositiua illorum, Hoc est corpus meũ, quæ deberent ita interprætari, Hoc est nouum Testamentum in meo corpore.

80 Sacramentum Eucharistiæ, nihilo est excellentius, illo pane, & vino quod Melchisedech dedit, Abrahamo, & suis socijs.

81 Veritas Euangelij de Sacramento Eucharistiæ, non habet plus in se, quam figura in lege.

82 Sacramenta legis antiquæ, melius figurabant, & repræsentabant corpus, & sanguinem Christi, quam faciũt signa Sacramenti Eucharistiæ.

83 Agnus repræsentabat melius corpus Christi, quam signa Sacramenti, & propterea Christus non debebat mutare signa, & figuras in rem.

84 Non sumus adhuc in vmbris, & figuris legis.

85 Christus non dixit verum, promittens nobis dare ad manducandum meliorẽ cibum, quam manna.

86 Patres sub Mosè erant fæliciores comedendo manna, quàm Christiani sumendo Sacramentum Eucharistiæ.

87 Deus, dans manna, è cœlo, fecit maius miraculum, quàm Christus dando Sacramentum suis Apostolis.

88 Christus non dedit suæ Ecclesiæ, quod promisit, Nam promiserat illi dare carnem ad manducandum, & sanguinem ad bibendum, & non dedit, nisi panem, & vinum signa ipsorum.

89 Apostoli nihil excellentius in secunda cœna sumpserunt, quam in prima.

Hactenus Gallici, Matheologi.

Ego vero per tuam te quæso conscientiam, ò Lector, Nonne horruisti cum legeres? Nonne tibi verum illud Nazianzeni? & ad hunc locum dictum videtur?

Clamante porco namq; porcorum illico
Horrescit agmen.

STATIM, vt auditus est, ille ter infęlix lutulenti Lutheri grunnitus, receptũ toto orbe Christiano, vnius speciei vsum reprobantis, agmen illico porcorum accurrit, qui omnem de Eucharistię Sacramento doctrinam, in mille minutissimas partes lacerarunt, atque discerpserunt.

Quis fando audiuit, veritatem Christi verborum, ab hominis voluntate pendere? Quis vnquàm docuit, non plus recipere sumentem in cœna, quam ante cœnã? Quis credidit, Magis corpus Christi recipi in Lectione vel in concione, quam in Sacramento? Quis docuit Patres æque manducasse carnem Christi ante incarnationem, ac Apostolos in cœna? Quis, & illud, Christum fuisse incarnatum, antequã fuisset incarnatus? Quis vnquam existimasset eo rem esse venturam, vt credatur, & doceatur, vsque ad tempora Caluini, nec Baptismum, nec Eucharistiæ Sacramentum fuisse in Ecclesia, ministratum? Quis vnquam ita impudenter blasphemauit? vt diceret Christum non dedisse suæ Ecclesiæ, quod promisit, Horret animus reliqua retexere, quæ legisti. Profecto verè dixit Ireneus. Aduersus eos, victoria est, sententiæ eorum manifestatio. Et August. Ostendere quid istorum sint fidiculæ, simul est ostendere, quid nõ sint. Initijs tantum, Initijs tantum opus est Diabolo. Aureus, ait, Chrisosto. Statim vt vel vnius pili iffuram in Compagæ Orthodoxæ doctrinæ fecerit, plenis illico velis inuehitur, nec finem facit graffandi, nisi, sicut ipse de cælo cecidit, sicut Christo, vt se de pinnaculo templi demitteret, persuadere voluit, ita suos Auditores de sublimi Ecclesiæ Dei turri ad barathrum infidelitatis deturbet. Quæso te, Confer extrema cum primis, quam parua scintilla, quam magna fidei mysteria in Cineres, & fauillas redegit. Scintilla euanida visa est, ante annos 80. aquæ benedictæ vsus reprobatus, Scintilla visa

est

su Iã
bicis.

est signandi se Cruce, mos reprobatus, Scintilla visa est, accensi vsus reprobatus. At dici profecto vix potest, ac ne cogitari quidem, quantos illa scintilla in orbe Christiano ignes suscitauit: Quid enim intactum? quid illæsum, quid non ambustum, reliquit? Non Scripturas, non Symbola, non Sacramenta, non Reges, nō Leges, non Ecclesiasticas, non Ciuiles. Quid in orbe Christiano: In ipsum cœlum inferre incendium conati sunt Euangelici, vt Dei omnipotentiam, Christi diuinitatem, Spiritus S. processionem, Sanctorum cultum, & intercessionem, in fauillas cineresque redactos, rabidis ludibria ventis proijcerent. Eant iam Logici, & Aristotelem suum, cæterosque præceptores, non verborum, sed virgarum flagellis emēdent, quod falsum sophisticumque sillogismum putauerunt, & docuerunt, Si quis Consequentem, ex Antecedenti non proprio deducat, ipsi attribuens Cōsequentis veritatem: fallaciamq; putet, argumentando, à non causa vt causa. Exempli gratia, sicut olim etiam pueri in celeberrima Academia Cracouiensi, Alberto Nouicā: Piano, & Ioanne Leopolita, & Iacobo Gorscio, viris eruditissimis, & Theologis absolutissimis, præceptoribus vtētes, exercij causa lusimus: Lutherus fuit filius Balneatoris Eislebiensis. Ergo Lutherus fuit Apostata Hæreticus. Lutherus Monachus duxit Monacham. Ergo Lutherus negat Sanctorum intercessionem, Lutheri Lupa est mulier. Ergo est tam bona vt Maria Mater Dei. Homo est albus: Ergo Caluinus est Stichmaticus Hæreticus. Inuenerunt artem Euangelici, quemadmodum eiusmodi Sillogismi, à non causa vt causa ductiualeant. Aqua Benedicta aspergi, superstitio est, Ergo Deum cæli terræque, creatorem credere superstitio est. Cereorum vsus in, Templis vanus est, Ergo Christus ab æterno Deus non est. Incensi vsus nullus est, ergo Spiritus S. creatura est. Mos signandi se Cruce Magicus est. Ergo Resurrectio corporū, nulla est. Quis Logicus tales Cōsequentias, probauerit, quis tales Sillogismos demonstratiuos putauerit? quæ Dialecticorum Scholæ talē differendi, deducendi, concludendiq; rationem vt veram receperunt? & tamen verum est quod dicimus, centies dicemus: quod dicimus, Veritas ipsa verior non est: quam id quod dicimus, Consequentia negari potest, Forma Sillogismi negari potest, Res ab Euangelicis acta negari non potest. Qui cæreos, qui aquam benedictā, qui incensum, qui morem signandi se cruce veneranda contempserunt, ijdem Dei omnipotentium, Christi diuinitatem. Spiritus S. Processionem, Sanctorum inuocationem, & reliqua quæ dicimus, quæque dicemus, negauerunt. Sed cur Logicæ præcepta starent in honore? si præcepta Ecclesiæ iacent in puluere? Agite iam Euāgelici: Non omnia destruxisse, potentia non est: Mundi subruite fundamenta, noua fingite Elementa, reijcite vetera studiorum instrumenta, noua formate prædicamenta, Antiprædicamenta, Prædicabilia, propositiones, Suppositiones, Figuras, Regulas, Consequētias, Syllogismos, Papistica proclamate commenta. At, ò quam vobis melius fuisset, si nouas Consequentias formassetis, & veteres cæremonias reliquissetis; si prædicamenta violassetis, & maiorum traditiones intactas reliquissetis. Sed malè discit, qui non in Schola Christi discit. In sola quippe Christi Schola: cor indocile non potest inueniri, ait, Cassiodorus: quoniam qui se ei tota mentis integritate tradiderit, nec ignorare potest, quod quærit: nec amittere, quod pia remuneratione susceperit: Nisi quod istorum deplorandæ cæcitatis, finem nullum inuenirem, nisi facerem. Ad reliqua progredior.

Libris de Anima.

Quam Pie, & Religiosè suā Eucharistiam tractent, & Ministrent Euangelici Ministri.

IN oppido quodam, Comitatus Hagēsis, Minister Euangelicus, auditoribus suis, cænam Euangelicam instruxit, vbi cum reliquiæ quædam, si dijs placet, Sacramenti, in disco, & calice superessent, eas per fenestram, super murum effudit: Fuitque hoc nomine à Magistratu Ha-

Hagenſi in iudicium vocatus, quaſi dignitatem, Sacramenti violaſſet, At ille reſpõdit, propterea ſe Sacramẽti reliquias deieciſſe, quod nemo præterea eſſet qui cõmunicare vellet, Addit, & hoc, quod de eiuſmodi reliquijs, muſcæ quoq; cõmunicare poſſunt, Qua reddita ratione, ſapientiſſimi Magiſtratus authoritate abſolutus eſt.

Naſus in Centurijs.

Andreas Iorgeuitius Canonicus Vvilneñ. teſtatur, quicquid ex ptophana Zvvinglianorum Vvilnenſiũ Cæna, remanere ſolet, id à pueris Miniſtrorum, in iuſculo deuorari, vel canibus obijci conſueuiſſe.

Buceranus quidam Miniſter, propè Argentoratum, rogatus, vt cuidam ægro Eucharistiam porrigeret, & eſſet illo ipſo tempore, talorum ludo occupatus, iuſſit puero ſuo, Annorum, 15. Calefactorem, ſeu fornacis miniſtrum, vocant, vt ſtatim Euchariſtiam benediceret, atque ad ægrotum deferret, Puer, accepto pane, & Cantharo vini, dixit Germanice (Trinck vnd is, vnd gottes nit Vergis) hoc eſt, Bibe, & comede, & Dei non obliuiſcaris; Ac ita ad ægrotum tanquã Sacramentum detulit, & ei ſumendum porrexit.

Naſus Cent. 2

Furcifer quidam Euangelicus, morti ob facinus adiudicatus, ad ſuſpendium è carcere ducebatur: petiuit à Carnifice, vt per tabernas vbi panes vendebantur ducetetur, ſed cum id incommodum eſſet, cauſam interrogatus, cur per tabernas duci mallet, reſpondit, ſe voluiſſe ſuper omnes panes, verba Euangelicæ benedictionis, recitare. Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, & Sacramentum conficere, vt quicunq; panes illos commederet, mortis, & ſuſpendij ſui recordationem facerent.

Naſus Cent. 2

Propè Norimbergam, Prædicator quidam ad ægrotum Euchariſtiam Euangelicam detulit, cui cum offerre vini ſpeciem vellet, & poculum præ manibus nullum eſſet, Cochlear fætidum, è Culina (ſuppenlefel, vocatur) accepit, vinum infudit, & ægro porrexit, dicẽs Accipite, & bibite, hoc eſt Cochlear noui teſtamenti, in remiſſionẽ peccatorũ. Quæ res cum ad Lutherum eſſet, è Norẽberga, perſcripta, ſuauiter riſit, dicens, Si ego eſſem Norimbergeñ. Conſul, vellẽ iſtũ Miniſtrum, & cum iſto Cochleari in Carcerem cõpingere, & dicere, Tale Cochlear, talem vaginam meretur.

Cita: Aurifaber-fo. 46.

Ninianus Vincetus Scotus, in flagello ſectariorum, quod Ingolſtadij 1582. edidit, teſtatur, Miniſtros Caluiniticos in Scotia, non ſolum ſuis diſcipulis, ante inſtantem mortem, non miniſtrare, ſuam communionem, & typicum panem, Sacramenti loco: ſed ne præſentia, quidem ſua, moribundos conſolari, aut in eſſerendo funere, præſentes eſſe conſueuiſſe.

Brentiani Vbiquitarij, profitẽtur Chriſti corpus eſſe vbique, ob ipſius Chriſti diuinitatem: & eo ſtulticiæ, & impietatis proceſſerunt, vt etiam in orbiculo candidæ rapæ, verbis Euangelicis benedictæ, Sacramentum eſſe crederent, ac etiam ſumerent, Naſo, in Centurijs Euangelicarũ veritatum, teſtante.

In Palatinatum Rheni, fuerunt Miniſtri, qui Synodo facta, decernere volebãt, ne amplius Sacramentum offeretur mulieribus, aut in vniuerſum ſexui fœminino, ſicut nec apud Iudæos Circumciſio.

Hnc pertinet, quod ne de verbis quidẽ benedicendæ Euchariſtiæ conueniũt: Spãgenbergius, ait, quod manducare, ſit forma corporis Chriſti, bibere ſit, forma ſanguinis.

Lutherus tribuit Sacramẽtarijs, quod verbis inſtitutionis non vtantur: Immò, ait, Ioannes Schutz, in lib. 50. cauſarũ, ea ipſa verba, tanto odio proſequũtur, vt nec videre ea, nec audire ſuſtineant. Obijcit Vveſtphalus, Caluino, quod eius factionis miniſtri in Phriſia, in porrectione panis, hæc verba adhibeant, Edite, credite, & in memoriam reuocate Corpus domini, in Cruce oblatum eſſe, verum ſacrificium, pro peccatis veſtris.

Smidelinus dicit, conſecrationem, nil aliud eſſe, quam conſecrationis à Chriſto factæ, recordationem.

Beza, nihilominus, ĩ Epiſtola ad Tomã Tilium, Verba Inſtitutionis, totius actionis, veluti animam quandã eſſe affirmat. Ep. 2.

Idem, eſſe liberum, vult, ad Cænam peragendam, ſi neceſſitas poſceret, alio cibi, & potus, vti genere, quam pane, & vino,

vino, Sic enim, ait, Epistola', 2. ad Tomam Tilium, Vbi igitur panis, vel vini, vel, nullus est vsus, vel nulla certo tempore copia, Cœna domini nulla celebrabitur: Immò rectè celebrabitur; si quod panis aut vini, vicem, vel ex vsu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur.

Lythurgiam quoq; si Dijs placet suã, aliter atque aliter cælebrant Euangelici, Alij Latinam totam, Alij Semilatinam, Alibi, Canthores in Choro, Alibi omnis populus, cantillat: Alibi pueri, è suggestu legunt scripturas, Alibi mulierculæ, alibi habitu Laico, alij Ecclesiastico, alij eleuationem panis retinent, vt testatur Clebitius contra Hesusium, alij ritum hunc aboleuerunt, vt habet Hesusius, aliter Vvittembergeñ. aliter Norimbergeñ. aliter in Ducatu Vittemb. aliter in Brandeburgeñ. aliter per superiorem Bauariam, aliter Cracouiæ, Aliter Vilnæ, aliter Lublini, aliter in Rakou, aliter Posnaniæ, aliter Kurnik, & Luouek.

Melanchton, vt Albertus scribit, contra Carolstadium his Pauli verbis vtendum censet, Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est? Idem, etiam nihil interesse putat, si quis vini loco, vel mulso vtatur, vel cereuisia, Christus enim, ait, Calicis tantum memi nit, quicquid in eo contineretur. Sunt qui consecrationis loco, ijs tantum verbis vtũ tur, Accipite, & manducate, & domini re cordamini, Alij tantum dicunt, Pater noster, &c. Et populus respondet, Deo gratias. Alij benedictionem statuunt in eo, vt ministro ad populum conuerso, & panẽ manu tenente cantilenam illam Tartareã Magistri sui Lutheri, occinant, (Erhalt vns Her. beydeinem vort,) hoc est. Con serua nos domine, penes verbum tuum.

Scarga testatur, scribens ad Archimini stros Rigẽses, quod in illorum, Cœna mi nister qui panem porrigit, religioso habi tu vtitur, Qui Calicem, prophana, & domestica, veste ministrat.

Illud quoq; se vidisse testatur, quod cũ in Calice super quo minister Cœnæ verba recitauerat, post multorum sumptionẽ vinum defeciisset, ex alio quadam vase, sub scamno eruto, calix repletus est, qui statim communicantibus tanquàm benedictus esset, offercbatur.

Obseruauit, & hoc, quod Minister de benedicto pane, & Calice ipse non sume bat, sed populo tantum sumere volenti, porrigebat.

Alij, bona panis frustra adhibent, Alij quadrata, alij oblonga, Rotunda pauciss imi, ne quid commune cum Papistis habere videantur, Alij azimo, Alij fermentato pane vtuntur, quod nos olim in Vola, propè Cracouiam vidimus: Alibi panes integri ptoponuntur, è quibus quantum quisq; vult frangit.

Alij panem cum vino miscent, alij solo vino, pro vtraque specie vtuntur, Alij statim comedunt, Alij in suas domos defferunt, vel in peras reponunt, Alij mane, Alij in prandio, Alij in media nocte, sicut propè Monasterium fecerunt, Anabaptistæ, vt ad promiscuas explendas libidines tanto essent validiores, Alij vinum tantum adhibent, & ex eo vtramque Sacramenti speciem efficiunt, Pudet reliqua dicere, quę Manlius scripta reliquit, Christe bone, aperi oculos istorum, vt ali quando tandem intelligant, quanto in er rore versentur.

Philippus Melanchton apertè scribit ἀδιάφορον esse, alterutra signi parte vti, sicut edere suillam, aut abstinere à suilla,

Quo loco', nos quoque illud addẽdum putamus, quod oculis ipsi nostris, & auribus, vsurpauimus, cum in oppido Saxoniæ Vvitembergeñ. viueremus, Erant aliquot adolescentes nobiles Poloni, artium liberalium gratia, à parentibus Catholicis eo missi, Quæsierunt illi, à Philippo Melanchtone, ante ipsum festũ Paschatis, num sibi Lutherano more communicandum censeret, sub vtraque specie, an differendam ad vnum, & alterum annum Communionem putaret, dum in Poloniam ad suos reuerterentur, vbi Catholico more Sacramentum, sub vna specie porrigitur, Quæsiuit Philippus, in qua religione nati, & educati essent, Responderunt illi, in Catholica Romana, & habere prætereà seuera parentum mandata, ne qua in re cum Lutheranis cõsentirẽt,

sed

sed ita inter Hæreticos viuerent, vt piscis in mari, nihil ex eo salsedinis recipiétes, Quæsiuit, viciſſim Philippus, cum autē re dieritis, vultis deinde sub vna specie cōmunicare: Ita, inquiūt, Respondit Philippus. Ergo præstat, vt nūc vtriusq; speciei, communionem intermittatis; cum etiam nihil interſit, vtrum quis sub vna an sub vtraq; communicet, Huius responsi nos oculati, & auriti testes sumus, idque accidit. Anno 1557.

In hoc suo Consilio fortasse Magistrū suum Lutherum, secutus est Philippus, Dicit enim alicubi de vtraq; specie: Si veneris in locum, vbi sub vna specie Sacramē tum sumitur, sume tu quoq;, simili ratione, si sub vtraq;, sume sub vtraq;, & nihil singulare facias, neq; te multis anteponas, aut ab illis diuidas.

Cum Anabaptistæ, Ciuitatem Monasterien. occuparent, Ioannes à Leidis, artificio Sartor, qui se Regem iustitiæ, super terram nominabat. Cœnam Domini, circa atrium maioris Ecclesiæ instituit: in qua consedisse dicuntur, quatuor millia, ducenti homines: quibus Rex, & Regina cum Ministris suis ad mensam ministrarunt, Dederunt autem primo, tria fercula, de carnibus elixatis, & assatis, deinde sumpserunt Rex, & Regina, placentas triticeas, quas fregerunt, alijsq; porrexerunt, dicentes, Accipite, & manducate, Bibite ex eo omnes, atq; annunciate, mortē Domini. Sic, & sedentes posteà alter alteri porrexerunt, sub hisce verbis, Accipe frater aut soror, & comede ex hoc: sicut Christus se tradidit pro me, ita, & ego me tradā pro te, Sic posteà Rex quoque, & Regina cum Ministris suis, atque cum ijs qui ex vigilijs aduenerant Cœnam itidē celebrarunt, assidentes mensæ.

Vide Cochleum in Actis Lutheri

Ioannes Rioche Btittanus, in suo Cōpendio, scribit Ministros Euangelicos, in plerisq; Galliæ locis, maiores impensas exigere, maioraq; grauamina, suis imponere ad celebrandas, suas Cœnas Euangelicas, quàm vnquam Catholici, in decimis exegerunt.

In Palatinatu Rheni, magna est omnium, de omni religione, de ritibus, tum colendi Dei, tum administrandorum Sacramentorum diuersitas, & dissensio, Quæritur, quidam Lutheranus minister, qnod Principes, cæteriſque Politici Magistratus, quotannis mutant, & emendant, sumendæ, administrandæque Eucharistiæ rationem: quodque Princeps Casimirus, Electoris adolescentis patruus ad Ecclesias Parrochiales Germanicæ linguæ, dat, & instituit, ministros, homines, αγγλοσσος, Anglos, Gallos, & Flandros, nec qui suas oues intelligunt, nec intelliguntur ab illis, & valde pauca proferre verba Germanica sciant, Quodque communicandi ritus Ducalibus suis ædictis, ad Prætory valuas affixis, alios atque alios subinde instituit, & ordinat: iam Gallico, iam Anglico more: Iubet præterea, bene magnos Calices argenteos, pro communione parari, posteà vero ædictum promulgat, quod certo cognouerit, Calicem quo Dominus in vltima Cœna sua vsus est, huius vel istius formæ extitisse: quamobrem æquum esse, vt subditi omnes, ad illam ipsam normam, & formam, in vniuersa ditione sua, nouos Calices argenteos parati iubeant, Veteres autem Calices, & Cantharos in fiscum Ducalem importent, idq; sine contradictione, exequi coguntur.

Cum Hosius Cardinalis Legatū Apostolicum apud Ferdinandū Imperatorem ageret, duo quidam Nobiles Lutheristæ abstemij, Patres, è Societate Iesu, ad disputationē, de vtraq; specie prouocarunt: Obiecerūt illis Patres, quomodo tātopere Calicē vrgerent, cū neuter illorū vinū bibere posset; Adhæc vn⁹ Lutherista, Ego, inquit, persuasione nostrorū prædicantiū, & ministrorū, pro vino aqnam bibo, firmiter credens, quod aqua illa, verus sit sanguis Christi, Alter vero dixit, se Magdeburgi, de vsu Calicis cū Ministris Lutheranis diligenter egisse, idq; cognouisse, quod nulla ratione ab vsu Calicis abstinere deberet: sed cū sibi nō esset satisfactū se profectum esse ad Augustanos, Ministros, qui, & ipsi, & Calicem, ad salutem necessarium affirmabāt, & vt naturæ suæ vim faceret, Calicemque summeret, persuadebant: Ille verò aliquoties domi suæ tentasse dicebat, ciathumque meri plenū, ori admouisse, sed odore saltem illius ad vomitum vsque nauseasse: ita, vt ne vi

quidem posset naturæ suæ auersionem frangere, Post longas itaque deliberationes, in eam, ait, Lutherani Ministri sententiam abierunt, vt ego Calicē Domini in Cœna oblatum, ori tantum admouerem, & nihil biberem, sed firmiter tantum crederem, me sanguinem Domini bibisse.

Tiguri, quod est Heluetiorum oppidum, hic seruatur Cœnæ ritus, Finita concione mensa infertur, & munda mappa insternitur, huic imponitur Canistrū, pane azimo plenum, Catini quoque, & pocula lignea, quæ vino implentur, Accedit ad mensam Ecclesiæ Minister, cum Diaconis, & totum Cætum ad attentionem excitat: mox alter ex Diaconis subijcit, institutionem Cœnæ Domini, ex Epistola ad Corinthios, Alter verò recitat partem capitis. 6. Ioannis, Mox recitato Symbolo fidei, Pastor vel minister admonet, vt quisque seipsum examinet, & exploret, ne indigne accedendo, Corporis, & sanguinis Domini reus fiat. Posteà omnes se in genua demittunt, & pastore præeunte, Orationem Dominicam dicunt, Ea absoluta Pastor accepit panem, & rursus ipse quoque recitat institutionem Cœnæ Dominicæ, Deinde panem Ministris distribuit, & poculum porrigit: qui panem in Cathinis, & vinum in Cathis, circumferunt: & populo exhibent, Quisque in manus sumit, quod traditur a Ministris, edit, & proximo assidenti offert, partem eius quod accipit, similiter etiam poculum porrigit, Interim vero, dum de hoc, non domini, sed factitio pane, edunt, & de poculo bibunt, Vnus ex Ecclesiæ Ministris prælegit, ex Euangelio Ioan. verba Christi ad Passionem euntis, incipiens à pedum ablutione, (quæ tamen, licet ibi expressum habere videatur, Domini mandatum, ab istis tamen expressi verbi Dei, religiosissimis scilicet cultoribus: prorsus negligitur, Porrò, si Cathini, & pocula ad mēsam redeunt, Ecclesia iterum in genua procumbit, & Deo gratias agit, pro beneficio redemptionis Christi. In Agro vero Tigurino Minister omnia solus recitat, & ad mensam singuli accedunt.

Basileæ verò, Oecolampadius summus Zuinglij amicus, hunc seruauit morem: Prò suggestu, legebat omnia, vsque ad verba Cœnæ, quæ ante mensam recitabat, mox finita Oratione, & Concione sequebatur Communio. Interim dum Communio fieret, plebs Psalmos vernacula lingua cantabat, Finita communione, cætum cum exhortatione dimittebat.

De Luca quodam Sternbergero, scribit Surius, quod in doctrina de Eucharistia Melanchtonē, secutus sit, in reliquis Sacramentis Lutherum: & cum aliquādo pauciores opinione sua, in Cœna Domini conuiuas haberet, alios omnes his verbis accersebat, Venite huc, non possum solus istum Christum deuorare.

Libet adderc, Sanctij viri doctissimi, & nobis olim amicissimi verba, de Babylonica istorum confusione, in administratione eius, quam tantopere esuriunt, Cœnæ Euangelicæ, Eo amentiæ, ait, atque audaciæ nonnulli sunt progressi, vt etiam Christi verba, in Consecratione Cœnæ Dominicæ mutare, proque eo, quòd ille dixit, Hoc est corpus meum, non fuerint veriti dicere, Hic est panis meus, Alij vero prorsus omittere verba consecrationis non dubitarunt: Etenim Erasmus Alberus, & Sleydanus, recitant Anabaptistas Monasterieñ. omisisse in sua Cœna, verba Christi: Hoc est corpus meum, & eorum loco dixisse, Accipe, ede, memento domini, Alij vero enunciant, accipite, commedite, hoc facite in meam commemorationem, Quemadmodum à Ioachimo Vuestphalo, & Euchardo Schreppio legimus annotatum.

Superstite Luthero, quendā ex ortū fuisse terræ filium scribit Phlugius, in quadam ad Erasmum Epistola, qui negabat, necessaria esse ad Eucharistiā, verba Christi, quibus ea consecretur: sed nec speciem panis, aut vini necessariam esse, sed sufficere, si motu interiori, cordis, Eucharistia capiatur.

Suēckfeldius, clarè, & aperte solitus est scribere: Quod q vellet verā fidē, & sentētiā de Cæna Domini cognoscere, debeat seponere, ex oculis, verba Christi, & alia quædā, q̄ ipse apponeret expēdere ac seq.

Oeco-

Caluinus ipse, per Ironiam ac ludibriũ, pauca verba institutionis, appellitat, Aiacis Clypeum, & vnicum Papistarum Asilum: Ita Sacrilegi, & Athei, vocem filij Dei subsannant, ab eaq; auditum auertunt, vt ad fabulas suorum figmentorum conuertantur, & alios conuertant.

Heildebergæ excusum est, Iudiciũ Melanchtonis, de cœna domini: ex quo appareret, eum, fidem, in publicè ædit is lucubrationibus suis, nunquam antea profiteri voluisse: at tamen familiaribus, itemq; domesticis, & aniculis suis priuatim non reticuisse: Se hac in re, Lutherum damnare, & Zinglio adstipulari: Hac tamen castigatione adhibita, quod vbi Zinglius habet, Hoc significat corpus meum, ipse substituat, Hoc est cõmunicatio, vel participatio corporis mei: ac breuiter fatetur apertissimè sibi sententiam arridere eorũ, qui nouam Academiam in Christianismum de Eucharistia introducunt; consulitque ne de verborum Christi proprietate, tanquam de fidei articulo, immus sollicit i, vel contentiosi: sed omissis illis, aliam verborum proponamus populo, in eamq; iuremus, ac tota occupemur, in declamationibus, & amplificationib s, de fructu huius Sacramenti: de veritate verborum Christi, relinquamus cuique liberum expositionem, & disputationem Academicam, modo ne publica fit, & contentiosa, Eo verbum est ergo vt Aduersarijs iam putere verba Domini cœperint, Quid spei, de ipsis sit reliquum, facile licet, conijcere. Hucus, quòd Sanctus.

Ioannes Matthæus Smalcaldensis apud Heildebergã Minister, vult omnes fideles liberos esse, a certo seu benedictionis, seu consecrationis modo, & satis esse docet, si vtantur formula, quæ faciat ad ædificationem Ecclesiæ.

In ordinatione Ecclesiarum Brandeburgen. Daniæ, Norimbergæ, & Norue giæ, statuitur, vt mox a verbis consecrationis, decenti eleuatione minister, si videbitur, eleuet, Eucharistiam, tonantibus interim Cymbalis, iuxta consuetũ, eandemq; accensis cereis, cantu Hymnorum, Pange lingua, Discubuit Iesus, Agnus Dei cohonestent, Musica, & Organis, ac fericis exornent.

Sed quicquid tandem dicant, ait, Sanctius idem, de quadã immaginaria corporis præsentia, non pluris tamen faciunt panem cænæ, quam panem communem, solent enim, ait, quidquid superest de cæna, miscere, cum pane communi, aut canibus proijcere, aut equis, & animis suis pro pabulo apponere, idq; testatur etiam Caluinus in lib. contra Hollandum.

Lepidissimè itaq; Clebitius, vt iam dictum est, Sermonem de cæna, tali concludit Axiomate, Etiamsi precise, definiri nõ potest, quid sit cæna, aliqua tamen ex parte dici potest, quid non sit.

Eadem habet ferè omnia, in libello, quem inscripsit, Victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici.

Sed hæc de Sacramentorum Atheismis sufficiant, per quorum ruinas, quasi per scalas quasdam in ipsum Cœlum ascendere conati sunt Euãgelici, Vt ipsum quoque Deum inordinem cogerent, Christũ Dei viuentis, dignitate, diuinitateq; spoliarent, & ex vtroq; procedentem Spiritũ, blasphemijs, & conuitijs proscinderẽt, Atq; adeo, ipsam Trinitatem Sanctissima, in cuius fide, fidei Christianæ summa vertitur, e summo cœlo ad imma si possent Tartara deturbarẽt: idq; ostẽdemus.

His porrò, tam tetris coruis, extra arcã Ecclesiæ crocitantibus, & non reuertentibus, opponunt Catholici, præter innumera S. scripturæ testimonia: quorum partem produximus, Sanctas, vt Hosius loquitur, & sublimes Aquilas, idem dicentes, idem sapientes, in eodem spiritu, vnũ idemq; sentientes: quas Spiritus S. prouidentia ex varijs, & longo locorum interuallo disiunctis, Orbis Christiani, nationibus, & linguis, & populis congregauit, Cuius generis extant apud Garetiũ, præter Sacræ Scripturæ loca, decem testium Classes, qui Christi corporis, & sanguinis præsentiam, sub panis, & vini speciebus attestantur, Collegitis, 445. Doctores Ecclesiæ: Poetas Sacros 29. Concilia, 43. Ignotos authores, 24. Fœminas, 10. Miracula probatissima, 23. Visiones fide dignas pœnè infinitas: Ipsorum etiam hæreticorum, scismatorum, Iudæorum, & Gentilium scriptorũ, non pauca testimonia, quo lectorem re-

mittimus: & si quod nollemus, nolent tñ credere, nouũ illis Tobiã, à Domino præcamur, qui de fele piscis oculos eorum liniat, & ipsi, quasi dimidiam horam pugnantis inuicem conscientiæ amaritudinem sustineant, quæ certo scio, quod in illorum cordibus pugnat: Spero in Domino, quod albugo ab oculis eorum egredietur, & glorificabunt nobiscum in eadẽ Ecclesia Deum, qui sanauit eos.

CAPVT QVARTVM.

Euangelici, per Sacræ Scripturæ ruinas, per Symboli parietinas: per Sacramentorum reliquias, ad impietatis fastigium ascenderunt, & Sanctissimam Trinitatem negauerunt.

Psalm. 73.

Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Eccles. 3.

Altiora te, ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris.

Iudas in Epistola sua Catholica.

Subintroierunt quidam, homines impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriã & solum dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.

ECCLESIA Catholica, & omnes in vniuersũ Orthodoxi, oĩbus à Christo sæculis, docuerũt, & crediderunt, & hodie credunt, & docent: Deum esse vnum in substantia, trinũ in personis, filium esse Patri ὁμοούσιον & Spiritum Sãctum, à Patre, & Filio procedere: esseq; tres in Deo distinctas personas, sed vnam eandemq; substantiã: idq; non ex sola, sicut Euangelici calumniantur, traditione, quas tamen tenere iubet Apostolus: non ex solis Patribus, quos tamen de antiquis terminis, interrogare iubet scriptura, Nõ ex solis Concilijs, quorum auctoritatem Apostoli Hierosolymis congregati, summam esse voluerunt: Sed ex ipsis Propheticis, & Apostolicis verbis, & scripturis, quæ Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt verbo Dei, ex quo, & ipsa traditio originem accepit, & Patres omnes atque Cõsancti Dei homines: ex ipso puro puto cilia, hoc didicerunt; quod docuerunt; idque libet isto loco, productis aliquot scripturæ locis ostendere, vt tanto maior cæcitas, & impietas Euangelicorum elucescat, qui SS. Trinitatem horrendis cõuitijs, & maledictis, proscindere, cõtra manifesta scripturæ testimonia, nõ verẽtur.

Patrem esse verè Deum, nemo fortasse Euangelicorum negat, nisi qui iam scalæ summitatem apprehendit; & ad ipsum Spheræ centrum peruenit, vt dicat in corde suo: Non est Deus: Qui talis est hunc ad Antyciras relegamus,

Quod Christus sit verus Deus, & vnus omnino Deus, cũ Patre: contra has quas producemus Euangelicorũ blasphemias, & maximè Polonicos, & Lithuanicos, Bideitas, Tritheitas, Quadritheitas, Ariomanitas, liber vnum, & alterum Scriptu-

rę locum producere.

Exodi. 20.

EGO ſum, Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti: Deutero. 31. Dominus ſolus Dux eius fuit, & nō erat cum eo Deus alienus, Hæc loca, quin de Deo Patre intelligantur, quem Iehouavocant, nec ipſi, vt diximus, fortaſſe Euangelici diffitentur. Nunc videamus, illum ipſum Deum, qui eduxit, de Aegypto populum, quiq; dux eius fuit, eſſe Chriſtum, Ait enim Iudas Apoſtolus in ſua Epiſtola, Cōmonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia. Quoniam Ieſus, populum de terra Aegypti ſaluans, ſecundo eos qui non crediderunt perdidit, Ieſus ergo ille ipſe eſt vnus Deus, qui multis antequā ex Virgine, naſceretur annorum millibus populum de ſeruitute liberauit, quiq; Dux eius fuit.

Numeri 21.

TEDERE cępit populum itineris, & laboris: locutuſq; contra Dominum, & Moſen, ait, Cur eduxiſtinos de Aegypto? vt moreremur in ſolitudine? Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, &c. Hoc quoq; loco ſine controuerſia, de vero, & ſummo Deo agitur, quem ſoli Iudei nouerant, Et tamen Paulus Apoſtolus teſtatur, Eum ipſum Deū eſſe Chriſtū, 1. Corin. 10. Neq; tentemus, inquit, Chriſtum, ſicut quidam eorū tentauerūt, & à ſerpētibus perierūt: Cōtra Chriſtū itaq; populus loquebatur. cūm cōtra Deū loquebatur, Chriſtus miſit ſerpentes, cum dicitur, quod Dns miſit ſerpentes.

Iſaiæ 6.

VIDI, ait, Eſaias, Dūm ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatū, & ea quæ ſub ipſo erant replebant templū, &c. Seraphin ſtabāt, & clamabāt alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sāctus Dns Sabaoth. Hic quoq; Eſaias, ſummi Dei gloriā, & Maieſtatē apertiſſime deſcribit: & tñ Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta, hanc gloriā, & Maieſtatē Chriſto tribuit. Io. 12. Propterea non poterāt credere, quia iterū dixit Iſaias, qui excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorū, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & cōuertantur, & ſanē eos, Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriā eius, & locutus eſt de eo, Et Apocal. 4. Sanctus, Sāctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotēs, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt; Chriſtū itaq; vidit Iſaias, cum dominum ſedē tem ſuper ſolium vidit, Chriſto dabāt gloriam Seraphin, cū clamabant, Sanctus, Sāctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotēs, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, Vēturus enim non eſt, niſi Chriſtus.

Iſaiæ 8.

DOMINVM exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor veſter, & ipſe terror noſter, & erit vobis in ſanctificationem, in lapidē autē offenſionis, & petrā ſcandali duabus domibus Iſrael in laquem, & in ruinam habitantibus, in Hyeruſalem, &c. Hic quoq; ſummus ille Deus, & exercituū Dominus, alijs in ſanctificationem, alijs in lapidē offenſionis, & petrā ſcandali futurus pronunciatur: & tamen hoc ipſum Chriſto quoq; tribuunt Lucas, Petrus, & Paulus Apoſtoli, Lucæ 2. Poſitus eſt hic in ruiuam, & reſurrectionem multorum, Rom. 9. Quid ergo dicemus, quod gentes, quæ non ſectabantur iuſticiam, apprehenderunt Iuſticiam, Iuſticiam autem qui ex fide eſt. Iſrael vero ſectando legem iuſticiæ, in legem iuſticiæ non peruenit, Quare, quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus, offenderunt enim in lapidem offenſionis, & petram ſcandali 1. Pet. 2. Vobis honor credentibus, nō credentibus autem lapis offenſionis, & petra ſcandali, Dominus ergo exercituum, & Chriſtus, eſt hic lapis offenſionis, & petra ſcandali.

Eſaiæ 45.

EGO Deus, & non eſt alius, in me met ipſo iuraui, quia mihi curuabitur omne genu, Hic quoq; Deus Iehona loquitur, & tamen hæc verba Paulus, de Chriſto interpretatur, Rom. 4. Omnes ſtabimus antè Tribunal Chriſti, ſcriptū eſt

enim, Viuo ego dicit Dñs, quia mihi flectetur omne genu, Est ergo Christus ille ipse Deus, præter quẽ non est alius Deus

Isaiæ, 41. 44. 48.

EGO sum primus, ego nouissimꝰ, Hęc quoq, passim de Deo Israel dicũtur, Et tamen Ioannes, eadẽ omnia Christo tribuit, Apocal. 1. Ego sum, α, & ω. Ego sum primus, & nouissimus, & viuens, & fui mortuus.

Matth. 16.

PETRVS ex reuelatione Patris, cęlestis, cõfessus est Christum esse filiũ Dei viui, Tu es Christus filius Dei vi ui, Rom. 8. dicitur, filius proprius, 1. Ioan. 5. dicitur filius verus. Colos. 1. Hęb. 1. Dicitur filius naturalis, Ioan. 10. Ego, & Pater vnum sumus, Lucæ, 1. de Ioanne dicitur, Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, Ergo fuit Christus, Deus Israelis, quia ad ipsum Ioannes, prædicatione sua multos conuertebat: Io 16. Omnia quæ habet Pater, mea sunt, Ergo, & essntia Patris, & essentia filij Io 20. ait, Thomas, Dominus meus, & Deus meus, hoc est ille ipse Deus Israel, in quem cum alijs Iudæis credebat, & de quo scriptum sciebat, Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est, Rom. 9. Ex quibus Christus est secundum carnẽ, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. 1. Ioan. 5. Vt simus in vero filio eius, hic est verus Deus, & vita æterna: Filius ergo est solus verus Deus Ioan. 1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, Item, Omnia per ipsum facta sunt: Item, & verbum caro factum est, Omnia hæc de Christo loquitur, Ioannes, tanquàm de eo, qui eandem numero naturam habet, cum Patre.

Similiter, & Spiritum Sanctum esse, verum Deum, ex multis Sacræ Scripturæ locis ostenditur: Vnum, & alterum producemus 2. Reg. 23. Hæc sicut verba nouissima, quæ dixit Dauid, Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguã meam, Dixit Deus Israel, mihi, locutus est fortis Israel dominator hominũ, Hic quoq; Spiritus domini vocatur Deus Israel, ex quo sequitur, vt sit Deus verus.

Isaiæ, 6.

DICIT Dominus exercituũ Isaię, vade dic populo huic, Audite audientes, & nolite ĩtelligere, &c. Actum vero vltimo, Bene Spiritus Sanctus, locutus, est per Isaiam, dicens, Vade ad populum istum, & dic eis, Aure audietis, & non intelligetis, Est ergo Spiritus Sanctus, Dominus exercituum.

Prophetæ omnes, cum Populo Dei loquerentur, subinde repetebant, Hæc dicit Dominus Deus, Petrus vero 2. Petr. 1. testatur, quod Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines, & Luc. 1. Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarũ eius. Est igitur Spiritus Sanctus Dominus. Deus, qui Prophetis à sæculo inspirabat, vt hoc vel illud loquerentur, & prophetarent.

Matth. 7.

EVNTES baptizatẽ, omnes gẽtes, In nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti, Quomodo autem posset nos, per baptismum regenerare, ait, Nazanzenus. Nisi esset ipse verus Deus; Gratiã. n. & gloriam dabit, dñs, ait Dauid, Psal. 83.

Actorum, 5.

ANANIA, cur tentauit Sathanas, cor tuum mentiri te Spiritu Sancto, Non es mentitus hominibus sed Deo, Ecce expresse tributum nomen Dei, Spiritui Sancto, Solus Deus est immensus, & tamen de Spiritu Sancto legimus, Quo ibo à Spiritu tuo; Et Sapiẽ. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, Solus Deus est omnipotens, & tamẽ de Spiritu Sancto legitur, Sap. 7. Omnem habens virtutem: Solus Deus cognoscit seipsum perfecte, & tamen de Spiritu Sãcto legimus 1. Cor. 2. Nemo scit quid sit in Deo, nisi Spiritus Dei: & rursum, Spiritus omnia scrutatur, etiã profunda Dei, Solus Deus est bonus, & tamen Psal. 142. habemus, Spiritus tuus bonꝰ deducet, me

in

in terram rectam, Solus Deus in principio creauit Cœlum,& terram, Genes. 1. Et tamen Psalm. 32. legimus, Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omuis virtus eorum,& Psal. 13. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, Solius Dei est iustificare,& saluare,& tamẽ,ait Apostolus 1. Corint. 6. Iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri,Solius Dei est Ecclesiã regere absoluta potestate, At Spiritus Sanctus gubernat Ecclesiã, quæ est Regnũ Christi,plane vt Dominus absolutus,& nõ minus quam Pater,& filius, Act. 10. Dixit Spiritus,Petro,Vnde ad eos nil hæsitans, quia ego misi eos,Act. 23. Segregate mihi Paulum, & Barnabam ad opus ad quod assumpsi eos,Act. 15. Visum est Spiritui Sãcto,& nobis,Act. 16. Vetati sunt à Spiritu Sancto loqui verbum,in Asia,Act. 20. Attẽdite vobis,& vniuerso gregi,in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesia,Dei 1. Corin. 12. Omnia operatur, vnus atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult.

Ex his itaq; Sacræ scripturæ locis, & Patrem esse Deũ,& filium Deum,& Spiritum Sanctũ esse Deũ constat. vnum ab altero non substantia,sed persona distinctũ, ita,vt Pater non sit,nec dici possit filius, nec filius sit,aut dici possit Pater, nec Spiritus Sanctus sit, aut dici possit vel Pater vel filius: & ideò à Sacris Doctoribus cõparatur,menti humanæ,in qua est intellectus,est memoria,est voluntas,& tamẽ est vna mens: cõparatur,& soli, in quo est ipsum solis corpus, est lumen,est, & Calor, & tamẽ est vnus sol: licet in eo tria distincta videantur,& sentiantur.

Sed hæc obiter attigisse sufficiat: Doctissimè, & exactissimè doctrinam omnem de SS. Trinitate prosecutus,est,& explicauit R. Pater Belarminus vir in explicandis omnibus Christianæ fidei controuersijs, vsq; ad miraculum acutissimus, in cap. de Christo,& eas quæ sequuntur,Euangelicorum Blasphemias,ita,verè solideq; refutauit,vt addi nil posse videatur: quo lectorem remittimus.

Et in hanc, tamen doctrinam S. Scripturis, Antiquitate, Vniuersitate, consensione,Patribus,Doctoribus,Cõcilijs,omni ratione firmatam, & constabilitã, aut sunt Euangelici Christicidæ, violentas manus inijcere,Patrem generandi,facultate,filium consubstantialitate, Spiritum S. spoliare diuinitate, ac omnino sic omnia agere,& turbare,vt ipsam in Christo diuinitatem quodãmodo occidere voluisse viderentnr, Sicut olim Iudæi egerunt vt præsentem in carne Christum,è rebus humanis tollerent.

Cum enim Lutherus, sponsam Cstristi Ecclesiam, sub spetioso verbi Dei titulo, sicut olim Iudas,Christum eius caput,sub osculi Symbolo, turbæ Saxonicæ prodidisset; eiusq; doctrinam reuocare ad controuersiam cæpisset, deq; ea dubitare, & disputare omnibus in vniuersum esse libernm voluisset: innumeræ statim scribarum,& Ministrorum turbæ,lictorumq;,& Apostatarum cohortes,accurrerunt, cum gladijs,lanternis, & fustibus, qui in corpos Christi mysticum, quod est Ecclesia: & in omnem eius doctrina violentas manus iniecerunt,tenuerunt,percusserũt,cõspuerunt: nec de furore quicquam, & audacia remiserunt, donec Christi præsentiam in Eucharistia primum flagellarent: deinde, & sempiternam eius Diuinitatẽ, atq; adeò ipsam ter adorandam Trinitatem, quodam suo modo in Crucem agerent,& occiderent. Audi Passionem.

Lutherus, vt Iudas prodidit,
Philippus facem tulit
Carolstdius manus iniecit,
Illyricus tenuit
Amsdorphius, fustes gestauit:
Muntzerus gladium.
Hesusius lanternam
Boquinus funes portauit
Vigandus ligauit
Sturmius accusauit
Pomeranus, Annæ obtulit
Osiander introduxit
Gallus, cantauit,
Buccerus Pilato tradidit,
Spangẽbergius foras eduxit
Merlinus blasphemauit.
Oecolampadius despexit.
Vergerius falsum testimoniom tulit
Stancarus faciem conspuit
Buchananus velauit,
Kemnitius flagellauit

Pro-

Proteſtantes clamarunt, Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.
Centuriatores ſcripſerunt, ſi nõ eſſet malefactori hic, nõ tibi tradidiſſemus eũ.
Mansfeldenſes clamarunt. Crucifigatur.
Smidelinus totam cohortem cõgregauit,
Suencfeldius purpura exuit,
Clebitius illuſit
Bullingerus Chlamide circumdedit,
Pacimontanus clamauit, Reus eſt mortis
Fędus Smalcaldicũ, Tolle, tolle, clamauit
Volanus blaſphemauit,
Martyr, ad Caipham duxit,
Brentius colaphis cecidit,
Farellus ſpinas tulit.
Zuinglius coronam plectit.
Caluinus capiti impoſuit,
Beza genuflexo adorauit,
Laſcus arundine percuſſit,
Liſmaninus, deriſit,
Muſculus tunicam abſtulit,
Veſtphalus, veſtimenta reddidit,
Menno crucem impoſuit
Seruetus, ad montem Caluariæ duxit
Viretus veſtimenta diuiſit
Franciſcus, Dauid, manum dextram, clauo fixit,
Gregorius, Paulus, ſiniſtram adegit,
Simlerus, dextrum
Schekius, pedem ſiniſtrũ tranſuerberauit,
Henricus Stephani, titulum ſcripſit,
Paleologus poſuit
Ochynus ſortes miſit
Gribaldus vas aceto plenum portauit,
Alciatus ſpongiam porrexit,
Zoſimus fel miſcuit
Caſanouius acetum infudit.
Georgius Niger, hyſopum addidit,
Sarnitius arundini impoſuit
Czechouitius alligauit
Zanchius ori obtulit,
Blandrata latus lancea aperuit
Budneus ſepeliuit,
Laſicius ſepulchrum muniuit
Poſtellus cuſtodiuit
Francus, Syluanus, Paſſaritius, Author Anonimus, de Chriſto impoſtore, lapidem ſignauit.
Cæteri omnes, Sarcerij, Merlinij, Selecneri, Sceleſti, Palladij Chitrei, Sudrouij, SSumani, Seclutiani, Danieles, Glicneri, Pieſcouitij, Origani, Bidneri, Alberi, Peuceri, Hermani, Gerlachij, Papij, Bieſſaga, Kitka, Paklepka, Vvardega, Povvalka Bilek, Kokotek, Tlomoczek, & alij his ſimiles Diaboli amanuenſes, reliquaq; Euangelicorum Rabinorum turba: qui ſimul aderant, ad ſpectaculum iſtud, falſum teſtimonium dicebant, Illudebant ei, Si tu es Rex Iudæorũ ſaluum te fac: Aderant quoq; Principes, & ſeniores populi deridentes, & dicentes, (Saxones.) Alios ſaluos fecit, ſe ſaluum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus. (Angli.) Confidit in Deo, liberet nunc eum, ſi vult. (Scoti.) Saluum fac temetipſum deſcendens de cruce. (Dani) Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. (Suedi) Chriſtus Rex Iſrael deſcendat nunc de Cruce, & videamus, & credam⁹ ei. (Heluetij) Prætereuntes blaſphemabant mouentes capita ſua. (Vngari) Illudebant ei, & milites, accedentes, & acetum offerentes ei. (Bohemi.) Venerunt ergo, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. (Poloni) Videbant, quæ fiebant, & percutientes pectora ſua reuertebãtur. (Daci) Si filius Dei es deſcende de Cruce. (Galli) Eliã vocat iſte ſinite videamus, ſi veniat Helias ad deponendum enm. (Belgæ) Multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt. (Electores ſæculares) Vach qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud. (Electores Eccleſiaſtici) Stabãt autem noti eius de longe. (Epiſcopi Germaniæ, & Angliæ.) Hos angariauerunt, vt tollerent crucem eius. (Auguſta, Norimberga, Francofordia, Baſilea, & aliæ Ciuitates Imperij) Recordati ſumus, qa ſeductor ille dixit adhuc viuens, poſt tres dies reſurgam, Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum, vſq; ad diẽ tertium. (Cardinalis Ssatlio, & Triuchſes Apoſtata Colon.) Similiter, & ſummi Sacerdotes illudebant ei. (Geneuenſes) Ecce Heliã vocat iſte. (Colonienſes) Et ſtabat populus expectans. (Marchio Badenſis) Vidẽs autem Centurio, quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens, Vere hic homo filius Dei erat.

Duos porrò latrones, quidam è Miniſtris Antuerpiẽſibus, Lutheranos, & Caluinianos, interpretatur, & inter hos, ait me-

medium Christũ pendere, cui licet vterq; conuinciaretur initio, Videns tamen alter eorum, quæ fiebant, cæpit dare gloriam Deo: ita Lutheranos, vi veritatis oppressos quasi latronem dextrum, conuersionem ad Papatum meditari, peneq; iam dicere, Nos quidem iustè; nam digna factis recipimus, Hic vero nihil mali fecit: Caluinistas furiosos, leuo latroni comparat.

Christe bone, fac vt verũ sit, & vt iam illud ex toto corde dicant, tam Lutheristæ, quàm Caluinistæ, Memẽto mei Domine, cum veneris in Regnum tuum, Sed siue dicant, siue non dicant, triduum est, quod resurget, & iam resurgit, tam in Polonia, quàm in Germania, vbi iã & Centuriones multi inueniuntur viri Clarissimi, & Illustrissimi, qui ab errore viæ suæ reuersi Christum Deum, & libenter, & libere confitentur, dicentes, Vere hic homo filius Dei erat, & multa turba eorum, qui ad spectaculũ istud hæreticarum fabularum, & oĩa quæ ab illis scelerate patrantur, accuratius inspiciunt, percutientes pectora sua, ad Ecclesiam Dei reuertũtur. Pro quibus nos, illi ipsi ter adorandæ Trinitati, gratias agimus immortales: pro ijs vero, qui errorum vinculis adhuc constricti tenentur, cum Greg. Nazanzeno quotidianas prẽces offerrimus, & dicimus, O Trinitas Sancta, & adoranda, & longanimis. Es enim longanimis, quæ tã diu scindentes te tolleras, ò Trinitas cuius habitus sum cultor, atq; præco, iampridem non simulatus: ò Trinitas quæ ab omnibus aliquando cognoscēris, partim illustratione, partim punitione, suscipe etiam istos, vt qui nunc te contumelia afficiunt, adoratores efficiantur.

Sed iam ad istorum horrendos Atheismos accedamus, Ac primo quidem Lutherus, cum in gremio lupæ suæ Catherinæ mentem, metumq; posuisset, contra Iacobum Lathomum scribens, ausus est ea verba effutire, Anima mea odit hoc verbum ὁμοούσιος, Et in libro de Concilijs, Sanctus Hieronymus vehemẽter perturbatus, lamentabiles literas scribebat, ad Episcopum Romanum Damasum, & cupiebat expungi vocabulum, ὁμοούσιος.

Idem precandi formulam, qua vniuersa semper vsa est Ecclesia, Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis: è libro precum, & orationum sustulit: Idq; videtur in Cathechismis.

Idem, vt Manlius in Locis communibus testatur, ausus est Deum Patrẽ, Grammaticæ comparare, Deum filium Dialecticę, Spiritum Sanctum Rethoricæ, Cap. de Deo.

Philippus Melanchton in locis communibus. Anno Domini. 1539. editis. Necesse est, inquit, in filio inesse aliquid diuinæ naturæ. Et alio loco, Necesse est in Christo, aliquam esse diuinam naturam: quem quidem locum Gentilis arripuit, & ex eo probare contendit Christum esse Deum deificatum. Et hanc laudem Philippo tribuit; quod ad veri Dei cognitionem: quam proxime accesserit, in libello De supplicio, Valent: Gentilis.

Michael Seruetus, Hispanus, qui Caluino teste, vnicum orbis totius se Propheta vocabat, in Africam profectus, Alcoranum prius didicit, ex quo Ecclesię doctrinam in Machometismum transformare cœpit, Scripsit enim impios, & abominabiles libros de erroribus Trinitatis, vbi inter cætera, ait, Nullam esse in Deo distinctionem personalẽ, Lib. 5. Christum ante incarnationẽ nihil fuisse nisi in mente Dei, per Ideam, lib. 3. Christo homini communicatam à Deo diuinitatem, non per generationem æternam, sed per vnitionem gratię & inhabitationem, ac perinde posse Christum dici, Deum factum ac temporalem, non æternum.

Valentinus Gentilis, Protesi 9. Qui vnum Deum in tres proprietates, seu personas distinguit, vel sibi præstigia facit, vel necessario vnius Dei substantiam diuidit, atq; discerpit: Idem, Protheſi 33. Confusio trium in vnum, & eundem numero spiritum, fundamentum, & origo omnium errorum fuit.

Caluinus porro scribens, de perfidia, & impietate eiusdem Gẽtilis, quod scriptum hystoriæ suæ, de eiusdem supplicio, apposuit, Aretius Pastor Bremensis: locutionem illam Concilij Nicæni, Deum de Deo reprehẽdit, Sic enim ait, fol. 34. Dicitur in Psal. Tu autem, idem es, semper Deus, Hoc Christo Valentinus pugnaci-

ter

ter eripit, Apostolus autem de eo, dictum interpretatur. Quid plures locos congerere attinet, quorum passim copia occurrit, Sed verba Concilij Nicæni sonant, Deũ esse de Deo: Dura loquutio fateor: sed ad cuius tollendam ambiguitatẽ, nemo potest esse magis idonæus interpres, quam Athanasius: qui eam dictauit. Et fol. 59. Porrò, quod in Symbolo Nicæno, Deus ex Deo vocatur, tametsi dura est locutio, nõ tamen alio tendit, nisi obstaculo non esse, discrimen inter personas, quominus vna sit essentia.

Extat etiam, Epistola Ministrorũ Geneuen. de eiusdẽ Gentilis blasphemia, Testantur in ea boni pastores, quod Caluinus: orationem illam, Sancta Trinitas, vnus Deus, vocauerit barbariem, fol. 133.

Hinc factum, aiunt, vt rectè parens ille noster, beatæ memoriæ D. Ioan. Caluinus, verus huius veritatis assertor, præcationem illam Sancta Trinitas, vnus Deus, scripserit, barbariem sapere: quoniam nimirum, nisi dextre in interpretatione molliatur, quiddam extra tres personas subsistens, aut ipsas tres personas componens, innuere videtur: ad illud vniuersale, inuocationem dirigens. Verba porrò Caluini, in Epistola proceribus Minoris Poloniæ, & ciuibus inclytæ Cracouiæ vrbis inscripta sunt hæc, fol. 63. Quicquid blaterent, virulentæ linguæ, in hac acquiescere fide semper tutum erit: sicuti vtile quoq; spinosis multis quæstionibus ansam præcidere: simulq; supersedere, à formulis loquendi, vel nimium asperis, vel à scripturę vsu remotis; Precario vulgo trita, Sancta Trinitas, vnus Deus, miserere nostri: mihi non placet: ac omnino barbariem sapit. Nolim igitur vos de rebus superuacuis litigare: modo illibatum maneat, quod dixi de tribus in vna essentia Personis.

Testatur Lyndanus, in Christomachia, quòd Caluinistæ in plurimis Regni Galliæ locis, versiculum illum, Gloria, Patri, & filio, ex hymnodijs suis expunxerunt, canereq; desierunt.

Theodorus Beza, Lib. contra Brentiũ, duas esse docet, in Christo Hypostaticas vniones: vnã carnis cum amma, alteram Dei cum homine.

Martinus Krouiczki, in colloquio suo, cum doctissimo, & integerrimo viro Archiepiscopo Leopolien. Solicouio, facta Melanchtonis præceptoris sui mentione, Vir, ait, æterna memoria dignus, Memini dum eius auditor essem, definitionẽ personæ factam ab illo fuisse, quod nil aliud sit, quam larua: Quam autem impudentes, & inuerecundi reperiantur homines, qui Deum omnium creatorem, hac persona, seu larua induere nil vereantur: Laruam voco personæ vocabulum in diuinis, à vesanis hominibus, authore Diabolo, confictum, qui non contenti ijs appellationibus, quas sibi Deus ipse indidit, noua, & monstrosa vocabula inuenerunt, quibus notitiam veri Dei, & filij eius obscurarunt vt nullum amplius extet vestigium, veræ de Deo doctrinæ. De Concilio quoq; Nicæno, & de Symbolo Athan. sic loquitur, ô mi Domine, Quid mihi Concilia contra Deum, Quid ista Symbola Athanasij: Iste quisquis est, Sathanasius est, fœtor est, tamen, & ipsa inscriptio Symboli typis edita, quam ego vidi, non affirmat esse Athanasij. Sed ait. Vti fertur.

Gregorius Niger, Symbolum Anastasij, in Ecclesia Dei receptum, & per omnia sæcula approbatum, vocat Symbolum Sathanasij.

Stanislaus Sarnicius, in Colloquio publico, palam asseruit, solam diuinã Christi naturam, Pontificem esse, & Sacerdotem: humanam vero victimam, & sacrificium, ac propterea ratione officij, minorem esse Patre filium, etiam in natura diuina. Citat Hosius in Antibren.

Gregorius Paulus vnam Dei essentiã, siue vnum Deum in tribus personis, vocat Sathanæ Stratagemata. Crome rus in Dialog.

Iacobus Paleologus, quẽ Budneus vocat Martyrem, sed Dei, non Christi, Scripsit librum. De Deo Trino, & vno, tam in essentia, quam in persona, quem se vidisse Romamq; cum auctore capto misisse nobis retulit. Stanislaus Paulouius Olomocen. Episcopus vigilantissimus: quam tamen opinionem Romæ postea, idem Paleolog. recantauit.

Gregorius Blandrata, non ita pridem à Nepote suo in Transiluania præfocatus:

Pau-

Paulus Alciatus, Lelius Zofinus, Franciscus Dauid, & his alij similes, vt videre est indisputat: & Collationibus Transyluanicis, Albanēsibus, & Colosuarensibus: Post multos alios horrēdos, & obstupendos errores, vocant SS. Trinitatem, Cerberum Tricipitem, Tricorporem Gerionem, Nouum Idolum, Turrim Babylon, Deum ficticium, ac Sophisticū, Idolum Sabinense.

Idem illi Transyluanici Ministri, librū ediderunt, de falsa, & vera, vnius Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sācti, cognitione. In 2. libro, iactāt, Ecclesię, hoc seculo perpurgandæ gratia, hāc initam à Deo fuisse rationē, Lutherum, aiūt, & Melanchtonē, quasi alteros Mosen, & Aaronem venisse: p quos absterſi fuerūt crassiores errores: Subsecutos esse Zuinglium, Caluinum, Petrum Martyrē, ac alios tanquàm Prophetarum agmina, qui subtiliora correxerunt: Deniq; Seruetum, tanquā Christum, & Erasmum, tanquā Ioannē Baptistam, præcursorē apparuisse, per quos ab omnibus erroribus, liberata sit Ecclesia.

Idē, lib. 2. c. 6. disputat: Albanæ, Chri diuinitatem, hoc Sophismate, oppugnant: Christus est filius vnicus veri Dei: ergo, qui non habet Christū filium, nō est verus Deus, sed Trinitas nō habet Christum filiū, ergo Trinitas nō est vnus verus Deus, Rident igitur ea nomina essentia, persona, relatio, proprietas, nec vllā agnoscunt: in Deo personarū distinctionē, lib. 2. c. 4.

Ibidem, Ausi sunt plerique Sathanæ Ministri, in publicis concionibus, & in quotidiano sermone horrendas blasphemias contra Dominum, & contra Christum eius euomere: è quibus nonnullas adferemus in medium, vt Christianus lector videat, quam facilis sit descensus auerni; ei, qui se semel è sublimi Ecclesię Catholicæ turri deorsum miserit; Dicunt perditi homines vocationē Christi, similem fuisse vocationi Apostolorū: & sicut Apostolis, ita Christo datam fuisse virtutem calcandi, super serpentes, ponendi manus super infirmos, &c. Alius, in Alba Iulia, pro Concione, dixit, Quod me, inquit, attinet, nec peto, nec curo, vt me Christus adiuuet, aut sit mihi propitius. Aeq; enim fuit homo, vt nos, & peccator, vt nos, Ali⁹ asseruit, neminem alium esse filium Dei, quàm hunc mundum, qui à Patre creatus est, vt creatur filius, Item, quod Christus non deberet dici Deus, cum iuuare neminem possit, qui nec seipsum à pœnis, & à morte, orans, sudās, ieiunās, supirās, liberare potuit, nec sciat in Cœlo, quid nobiscū agatur, nisi quantum Pater vult, vt sciat.

In Colosuar Transyluaniæ, quidā blasphemabat, Christum non venisse, vt esset redēptor mundi, sed vt esset, Rex: & quod Iudæi erant Regis huius subditi, & gens electa: & quod dicere, Christe Iesu, idē sit, quod Christe Rex, Ibidem, docebant, Christum fuisse vnum ex prophetis, sicut fuit Moyses Helias, & alij.

Blasphemant etiam, & impudentissime mentiuntur, Christum fuisse filiū Iosephi primogenitum, quo susceptō, habuisse tres alios: & quod ante susceptū à Ioanne Baptismum, erat tanquàm vnus ex prophetis, ad annunciandā peccatorum remissionem: postea vero baptizatus est, & vnctus ad administrandum Regnum.

Aiunt quoq;, quod credere, vel nō credere, perpuram B. Mariæ virginitatē, nec damnat, nec saluat, cum in scriptura cōmendetur Matrimonium, & vocetur, Thorus immaculatus.

Docent præterea neminē saluari posse, sine lege Iudaica, & quod necesse est, vt homo Christianus eā profiteatur. Hæc omnia R. P. Antonius Possevinus testis auritus, & cōscripsit, & nobiscū ex aduersarius suis vir zelantissimus cōmunicauit.

Narrat præterea, vir doctissimus Iorgeuiti⁹, qđ Zuingliani Vilnen. quorū Prothomagister Volanus prohibuerunt in Synagoga sua, cantari cantiones, in quibus mentio fiebat SS. Trinitatis, propterea qđ ea vox, Trinitas, in scripturis Sacris non reperiatur. In libello contra Volanum. Anni abierūt, ferè 20. qđ in Polonia prodijt tabella quædā depicta, sculpta, & impressa, quā vidimus, In ea Catholici tēpli ædificiū repræsentabatur. In tecto videbatur Lutherus trabes, & tegulas deijciens: parietes subruebāt, Zuinglius, & Caluin⁹: fundamenta vero effodiebāt, & eruebant, Greg. Paulus, Blādrata, & reliqui Trāsyluanici Ministri; SS. Trinitatis hostes acerrimi: dicentes, qđ non oīa dedit Deus Luthero, qđ eius successoribus plura videre,

&

& intelligere dederit, turpissime igitur SS. Trinitatis fidem, & doctrinã proscindunt, quam piæ aures, sine horrore non queunt audire.

Lib. 2. Dialog. fol. 223 Polon.

Gloriatur Czechouicius, in Polonia, in Epistomio suo, contra frænũ Hyeron. Pouodouij optimi,& doctissimi viri,quod fundamentum totius Antichristiani, ædificij, strenue effodit. Ait enim, quod ego à vertice, siue summitate incipiam, & ad inferiora progrediar: vt ad ipsum deinceps fundamentum perueniam: ipsa mihi hũc ipsum ordinem natura videtur exigere, cum enim quispiam domum ruinosam, etsi foris apparẽtem, deijcere decreuit: vt nouam firmiorem erigat: non à fundamento incipit, neq; à parietibus: sed ante omnia tectum deijcit, postea parietes demolitur, postea quoque, & fundamentum debile euertit, vt ad terram solidam perueniat, Ita plane Deus, ædificium malum Antichristi, per Lutherũ, à tecto in primis deiecit: per Zuinglium, & Caluinũ, & alios, parietes deturbauit: nũc autem per aliquos ex nostris; immo, & per nos ipsos, male positum fundamẽtum totius Antichristianismi ædificij,effodit: & limum istũ mirabiliter permixtum, hoc est,fundamentum ab Antichristo positum foras eijcit.

Bernardin⁹ Ochynus,Dialogos aliquot edidit blasphemiarum, & Atheismorum plenissimos, de Trinitate, In eorũ quarto, inducit, Spiritum disputantem cum Philosopho, & ait, Christum nõ esse natura Deum, sed Dei filium tantum: sed cum esset à Deo præ cæteris ad amatus,& honoratus, humana quadam adulatione, & Monachorum inuentione, factum esse, vt Deus vocetur: vt ὁμοουσιος credatur, in Papatu: Aeque, ait, vt sicut blandiciarum, & adulationis causa, Mariam vocant Reginam cœli, Stellã maris, Dominam Angelorum; Ita quoq; Christũ blanditijs sibi volũt deuincere, dũ Deum coeternum vocant,consubstantialem,Patri æqualem, vnum cum Patre:& similia.

Anno 1581.Magna fuit inter Euangelicos Ministros contentio, ob quoddam scriptum Lamberti Dan ei Ministri, quo tres blasphemas contra SS. Trinitatem propositiones defendit: adquam sedandam, Geneuæ Danæus exulare cogebat.

Prima erat, Deum de Deo, Lumen de lumine, in Synodo Nicęna, durã impropriam, & periculosam esse locutionem.

Secunda τὸ τρύλλουμενον Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nostri, inconsulte à patribus esse dictum: periculosè, barbarè, impropriè.

Tertia. Tres personas in vna diuina essentia subsistere, proprie, recte, & pie dici: cum Cătholici eas, in se, siue per se, asserãt subsistere:& id perfectius veriusq; quám vlla rerum procreatarũ indiuidua. Genebrardus in Chronol.lib.4.sub Ann. 1589.

Anno superiore, habita est Vilnæ, Synodus Euangelica, Zuinglianorum: In ea decretum est, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, inuocandos, sed non Trinitatem. Iorgeuitius contra Volanum.

Ex his autem omnibus, illi qui Christum esse negant ὁμοούσιον. Nerianj nuncupati sunt in Polonia: Alij Machometis prodromi, Hi enim contendunt, nullum alium Deum præter Patrem,Christi Domini, verum Deum esse. Rursum, qui ὁμοούσιον negant, alij dicuntur Trideitæ, quia tres Deos statuunt,dũ non solum personis, sed etiam essentiis, Patrem filium, & Spiritum Sanctum diuersos faciunt:alij Duitæ vocati sunt, qui duos Deos admittunt, Patrem videlicet, & Patre, secundum eos,minorem filium.

Trideitarum, Dux est Gregorius Paulus Brzesinen. Duitarum Petrus Gomezius: cui defuncto Farnouius successisse videbatur.

Martinus Cromerus, Episcopus Varmien.vir,& eruditissimus,& pietatis laudibus abundans, in suo Monacho, scribit extitisse proximis Annis quendã in Morauia Symonem: qui SS. Trinitatem, qui quatuor Concilia, qui Symbolum Apostolorum prorsus repudiauit.

Idem affirmat, ędităm fuisse Cracouię collationem quandam, per Gregorium Paulum Bresinen. in qua SS. Trinitatem vocabant,nudam meretricem (horrendũ dictu) Deam fatuarum gentium, & Cãnaeorum Idolum: sub imagine tricipite Cerberum repræsentantem. Ibidem.

Citat Alfonsus Pisanus in Cõcil. Nicęno

Crom. lib. 1. colloq.

Czechouic in Polonia, illa Ioan. verba,

fol. 6. Dialog. Polon.

ba, In principio erat verbum, interpretatur lingua noſtra (Bela rozmovva,) hoc eſt, verba faciebat, cum maioribus, de redemptione humani generis.

Idem, ad illud, Ioan. 14. Nemo venit ad Patrem, niſi per me, Addit in ſua verſione, nunc: & vult intelligi, quod poſt Natiuitatem nemo venit ad Patrem, vt neget, antequàm Chriſtus naſceretur, per Chriſtum quenquàm ad Patrem veniſſe.

Idem, illa verba, Et Deus erat verbũ, vertit, Dei erat verbum: & ita legi debere probat, ex quibuſdã hymnis: Dei verbum erat Caro.

Idem, illa Euang. verba, Antequam Abraam fieret ego ſum, reiecta fraterculorum ſuorum interpretatione; qui addebant; Ego ſum, ſcilicet prædeſtinatus: ſuam aliam interpretationem ponit, & ait, Antequam Abraham fieret ego ſum: in Sacrificijs, hoſtijs, figuris, tectus, ac velatus.

Budneus viciſſim Lithuanicus Præco, & Czechouicij æmulus, eundem locum ſic interprætatur, antequam Abraam fieret, ego ſum: in cordibus, ſcilicet, & mentibus fidelium.

Idem Budneus, illum locum Ioan. 6. Si videritis filium hominis, aſcendentem, vbi erat prius, mutilatum ait, & addit in Ieruſalem.

In Dialog. Pol. fol. 29.

Czechouic aliter hunc locum corrupit, vbi, erat prius, addit, heri, vltra mare Tyberiadis.

Idem, illud Ioan. 17. Clarifica me pater, claritate quam habui: corrupit, & addit præparatam: ſed nõ acceptam, nec accipiendam: niſi cõpleta in carne ſummi Dei voluntate, & mandatis, quã quia (ait iſte blaſphemus) nondum cõpleuit, nondum enim mortuorum reſurrectionẽ fecit, nondum extremum iudicium abſoluit, nondum poſuit inimicos Scabellum pedum ſuorum, nondum Deo, & Patri regnum reddidit: claritatem itaq;, quàm dicit, nec accepit, nec accipere potuit, Falſum igitur ſcribit Lucas, quod in trãſfiguratione Domini, tres Apoſtoli viderint gloriam Dei: Falſum dicit Ioannes, & vidimus gloriam eius: Falſum Paulus, Dominum gloriæ crucifixerunt, imò addit, quod qui Dominũ crucifixerunt, ſimplex tantum homicidium perpetrarunt: quia hominem nondum glorificatum occiderunt; Falſum & illud, quod ante tẽpus voluit honorari, Ioan. 5. Qui nõ honorat filium; non honorat Patrem, Addit, & hoc quod, nec Pater fuit clarificatus, antequàm clarificaret eum filius.

In Dialog. pol. fol. 30.

Idem illud, Miſit Deus, filium ſuum vnigenitum, Intelligi vult, non ex cœl, ſed ex domo parentum ſuorum.

Ibidẽ in ſua verſione Polonica, cap. 14. Marci, vbi dicitur, Si tu es Chriſtus filius Dei benedicti, expunxit, vel omiſit hoc verbum, Dei.

Item, 1. Ioan. 5. Illa verba omiſit, Hic eſt verus Deus.

Franciſcus Dauidis, in Tranſyluania, verba illa orantis Stephani: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum: ſic interpretatur, Tu Deus, qui es Chriſti Ieſu Dominus, Suſcipe ſpiritum meum.

His omnibus Atheiſmis, quaſi quendã Colophonem addidit. Vilelmus Poſtellus Burgundus, linguarum omnium exoticarum ad miraculum vſq; peritiſſimus, Is enim adeò, tetras, & abominandas, & infandas opiniones Ann. 50. euomuit, vt Palladius in Cathalogo hæreſum indignum eſſe cenſeat pijs eas reuelare auribus. Scripſit de Trinitate, mundi, corporis, & Animarum; de Veneta Virgine: de Chriſto intoxicato; de matrice mundi, de Natiuitate mediatoris, vltima nunc futura: cuius operis authorem diſerte ſcribit extitiſſe, ſpiritum Chriſti. Ait præterea in Elia Pandocheo, Vniuerſas omnis generis, hominũ ſectas, per Chriſtum ſaluandas iri, Iactat quoq; Angelũ Raziel, varia ſibi myſteria reuelaſſe, Promittit etiam ſe in libro ſuo, quem clauem abſconditorum, à ſæculo inſcripſit, ea declaraturum, quæ nec Apoſtoli, nec ipſa, inquit, Eccleſia, potuit, ad hanc diẽ portare, Hæc vero omnia, in fine præfationis, ait, non eſſe ſcripta ſua, ſed Chriſti ſenſibiliter, in illius corde ſuum Euangeliũ exponentis. Lyndanus in Dubitantio.

Narrat Staphilus, fuiſſe in Morauia Lucam Sterbergiũ, qui primus omnium in illis partibus docuit omnes eos, qui SS. Trinitatis nomen confitentur, & colunt, tres Deos falſo comminiſci: cũ ſit

Trini-

Trinitas nomen ſuperuacaneum, & inane: nec niſi vnus Deus ſit in Cœlo, Voluit itaq; vt loco illius, ò Venerãda Trinitas, caneretur, ò Veneranda Dei bonitas. Optat etiam impius ille (horret animus ſcribere), vt dæmones omnes Trinitatem abducant, & aſportent: neſcire ſe, inquiens, vtrum fœmina, vel maſculus ſit, ſed potius habere ſe perſuaſum, Trinitatem, illam quandam fœminam fuiſſe, quæ tres maritos habuiſſet: Docuit præterea Chriſtum non fuiſſe verum Deum, ſed hominem dumtaxat inſtar aliorum mortalium, Mariæ, & Ioſephi, fabri lignarij filium, Non propria virtute diuina, ſed virtute omnipotentis ſurrexiſſe à mortuis, Tum demum adoptatum fuiſſe in filium, cum Ioanne baptizante, vox è cœlo audita eſt, Hic eſt filius meus dilectus, Ridet Spiritum Sanctum dicens, nihil aliud eſſe, quam columbã, Dei genitricem negat perpetuam virginem extitiſſe, Sabbatum Sanctificandum docet, non Dominicam: Baptiſmum vocat, Sathanæ inſtitutionem.

Sed nos iſtos fanaticos Spiritus, ad Cacodæmones relegemus, vt ſaltem ex eorum clamoribus audiant, Chriſtum eſſe Dei viuentis filium.

Rectè profectò Aretius Paſtor Bremenſis, in Epiſtola ad Tretium Polonũ quæritur, Caluiniſmi ſui infortunio doctus, qui nimis à Trideiſmo ad interitum vrgetur, dolendum eſſe vehementer, nil non in controuerſiam vocari hominum curioſitate. Habuit Philoſophia dum floreret, & hodie apud eruditos adhuc retinet, multa certa, & firma, quæ, quia ab omnibus admittebantur, dicta ſunt ἀναμφηριστα. Habuit ſub Mose, vera religio, & Patriarchis, ac Prophetis, certa quædam, de quibus non licebat quæſtionem mouere. Sed & Apoſtolis firma quædam fuere: & primæ Eccleſiæ indubitata, Noſtrum vero ſæculũ eo eſt infœlicius, quia nil ita firmũ, & expreſſum habetur, quod in controuerſiam venire nõ ſoleat: in qua re, exemplis non eſt opus; Res ipſa loquitur. Effectum eſt ex hac licentia alterum, quod huic commune diximus, cum multis, Tales enim ἀσύστατα oportet afferant multa, quæ rem benè conſtitutam conuellere primitus conantur.

Ac rectè tu quidem, id deploras. Areti, ſed hoc tute, & Caluinus tuus intriuiſti, & ante vos Lutherus, qui quæ fuerũt in Eccleſia Dei ἀναμφηριστα certa, firma, rata, indubitata, vos eſſe voluiſtis ἀσύστατα. Vobis iam etiam erit in doctrina Trinitate exedendum, Si purgatorium, ſi imagines, ſi cœna per vos ſalua, & intacta manſiſſet, ad doctrinã Trinitatis, nec Seruetus, nec Gentilis manus admouiſſet.

Harum porro blaſphemiarum, & abominationum omnium, ſolidam, ſeriam, omnium luculentiſſimam refutationem inueniet, lector apud Belarminum in ſecunda controuerſia 1. Tomi, de Chriſto Capite totius Eccleſiæ, Nobis hoc loco ſatis eſt, dedocere prauz, & iniuriam Deo, & Chriſto eius, irrogatam ab Euangelicis Cacodæmonibus, ob oculos chariſſimæ Patriæ ponere, Non defuerunt per Dei gratiam, qui eam ſtrenue vindicauerunt: non deerunt, qui verbo, & opere vindicabunt: Exurget Deus, & exurgit, & diſſipabit inimicos ſuos, & iã diſſipat: & fugient, qui oderunt eum à facie eius, & ſicut deficit fumus, deficient. Amen.

Ego vero, te Deus meus, Deus Trinitas, cum fideli ſeruo tuo Auguſtino, humiliter inuoco, vt quæcunq; in hoc capite dixi, de tuo, agnoſcant, & tui: ſi qua de meo, & tu ignoſce, & tui.

Corrupta autẽ, ea quam diximus ſcriptura, violato ſymbolo, deartuatis, vt ita dicamus, Sacramentis, exploſa fide SS. Trinitatis, ne, quod ſunt, id eſſe quoque viderentur, Euangelici, Gentiles, Infideles, Pagani, Sacramentiperdæ, Chriſticidæ, & vt ſemel omnia dicamus, Athæi, Noua ſibi Sacramenta fingere, Nouas fidei formulas, Nouas credendi rationes, in diuerſis Synodis, & colloquijs, excogitare, ſtabilireq; voluerunt; Sed vbiq; à Catholicis confuſi, & inter ſe diuiſi, atq; diſſidentes, receſſerunt, Doctrinam enim veritatis, ait, Auguſtinus poſuit Dominus in Cathedra vnitatis: & Leo Sanctiſſimus, Qui poſt inuentam veritatem aliquid aliud quærit, mendacium quærit, Tenebras quærit, qui in medio, & perſpicuo die commenticium lumen inquirit,

Sic,

sic, & Euangelici, nullum aliud operæ prætium in omnibus suis Synodis, & colloquijs præstiterunt, quam quod vnus contra alterum inflatus, immortalibus inuicem odijs exarserunt, anathemate inuicem percusserunt, Sathanæ tradiderunt, & omnibus Catholicis iucundum risuq; dignum spectaculum mutuę discordiæ, odijq; Tartarei, præbuerunt: ostendẽtes omnibus fidem extra Ecclesiã quærere posse, inueniri non posse. Idq; è plerisq; eorum Synodis, Symbleis, Colloquijs, Comitijs, conuenticulis, & disputationibus, quas colligere potuimus è fide dignis scriptoribus, ostendemus, in eo quod sequitur capite. Vt omnino tibi sit persuasissimũ ò Lector. Euãgelicos Christianos non esse: quia, & veterem fidem, quod iam ostendimus damnauerunt, & nouam nullam stabilire potuerunt, quod iam patebit. Ac ne nobis, irascantur, quod negemus Christianos: Theodotij, & Valentiniani legem producimus.

In l. Damnato cap. de Hęret.

Damnato, aiunt, portentosæ superstitionis authore. Nestorio (Luthero) nota congrui nominis, eius inuratur, gregalibus, nec Christianorum appellatione abutantur: sed sicut Ariani, ab Ario, lege diuæ memoriæ Constantini, ob similitudinem, impietatis, Porphyriani, à Porphyrio nuncupantur, sic vbiq; participes nefariæ sectæ Nestorij (Lutheri) Nestoriani (Lutherani) vocentur; vt cuius scælus, in deserendo Deum sunt imitati, eius vocabulum iure esse videantur sortiti.

Inauth. de Priui. coll.

Et Iustinianus Imperator. Scribens ad Ioannem Orientalium Prętoriorum Prę fectum, Hæreticos dicimus omnes, qui non sunt membrum sanctæ Dei Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, in qua omnes concorditer Sanctissimi Episcopi, & totius Orbis terrarum Patriarchæ, & Hesperiæ, & Romæ, & huius Regiæ Ciuitatis, & Alexandriæ, & Theopoleos, & Hierosolymorum, & omnes, qui sub eis constituti sunt sanctissimi Episcopi Apostolicam prædicant fidem, atque traditionem. Igitur sacram communionem in Ecclesia non percipientes à Deo amabilibus Sacerdotibus. Hæreticos vocamus. Nam licet nomen Christianorum sibimet imposuerint, veruntamen à Christianorum se fide, & communione separant, Dei iudicio semetipsos subdi cognoscentes.

CAPVT QVINTVM.

Euangelici, amissa veteri patrum, & Maiorum, Orthodoxa fide, de Scriptura, de Symbolo, de Sacramentis, de Trinitate, nolentes videri infideles, Pagani, Athei, nouam fidem, in mille Pseudosynodis, Comitijs, Colloquijs, Conuenticulis, cudere, formareque, contenderunt: sed vbique tam à Catholicis, quam à seipsis, inuicem dissidentes, confusi, damnati, reprobati, anathematizati, orbi Christiano, ostenderunt; Fidem extra Ecclesiam, quæri posse, inueniri non posse.

2. Timoth. 3.

Semper dicentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem, Ianes, & Mainbres resistunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi, circa fidem, sed vltra non proficient, Insipientia enim eorum, manifesta erit omnibus, sicut, & illorum fuit.

Iudas in Catholica.

Hi sunt in epulis suis, maculæ, conuiuantes, sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores Authumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicate, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.

Tertullianus de Martionistis.

Nostrum negauerunt: Christum suum probare non potuerunt.

TALES Euangelicos esse, quales hoc loco Paulus, & Iudas, descripserunt, hoc præsenti capite ostẽdemus, Semper discentes, semper suas cõfusiones despumantes, & nunquàm ad scientiam veritatis peruenientes. Cum enim Lutherus, mente metuq; destitutus, in doctrinã Ecclesię Catholicę, verbo Dei, antiquitate, vniuersitate, consensione, omni reliqua ratione, firmatam atq; stabilitam, violentas manus iniecisset, & in Repub. sursum deorsum agere, turbareq; omnia cœpisset: in illis ipsis doctrinę suæ, quasi crepundijs, illud expertus est, quod aliũ similem Hæresiarcham suo tempore expertum fuisse, D. Augustinus memorat: cum dicit: Sicut ille Christum diuidere conatus est, ita à suis quotidiana diuisione cõciditur: Carolstadius enim Vittembergen. Archidiaconus, æque sibi liberũ esse voluit, à Lutheri placitis doctrinaq; discedere: sicut Lutherus, à totius Ecclesiæ sensu, & consensu discessit. Bucerus, quoque, in hæc verba, contra impotentiã Lutherani cerebri, erupisse legitur: Si vult Lutherus, vt in ei⁹ placitis sine exceptione acquiescamus, probet se esse Deum, Ab his vicissim Zuinglius, à Zuinglio, Caluinus, & Beza: ab his Seruetus, Ochynus, Blãdrata, Czechouicius, & Budneus, Alij ab alijs in fidei doctrina discesserunt, factiq; sunt sibi ipsis, inuicẽ, plusquam Hæretici, sicut in capite sequẽti, ex mutuis eorũ Iudicijs, & sententijs ostendemus.

Hanc autem diuisionem, & distractionem illorum mutuã, immo, & odia, plus quam Vatiniana, quid præterea consecutum sit, libet ostẽdere, Visum est, Euangelicis nouas, & alienas doctrinas tanquàm nouos quosdã, & alienos Deos colere, hũc ex suo consilio fructum retulerunt, quem ex Idolorum cultu Iudæos tulisse Prophe ta Sãctus memorat, Seruietis, ait, dijs alienis, die, ac nocte, qui nõ dabunt vobis requiem, iam enim Septuaginta anni à Lutheri, temporibus abierunt: ex quo Euangelici amissam veritatẽ, sine vlla quærunt requie, Septuaginta, & ampli⁹ ab illis instituta fuisse colloquia cõstat, coactas Synodos, in dicta cõuenticula, habita Parlamenta, disputationes, Collationes, Symbleas, in quibus, vt idẽ, ait, Propheta, quęrebant, vbi est verbum Dñi, & vt in vnam aliquam fidei regulam, & rationem, conuenirent laborabãt: neq; tamen vnquàm, in quo acquiescerent, inuenire potuerunt: Illi ipsi quos colunt dij, & illæ ipsæ quas tuentur opiniones, & sententiæ, die, ac nocte conscientias eorũ lacerabant, & lacerant: Quas persecuti sunt furias, eędem illos furię persequũtur, iuxta illud Prophetæ, Nõ é pax impijs, In circuitu enim, iniqui, ambulant, & tam diu ambulabũt donec in se reuersi, dicãt, quod pœnitens ille filius: Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicã, Pater peccaui, &c. Et illud præterea faciant, quod suadet Augustinus, Volunt vnam linguam, veniant ad Ecclesiam, vbi in diuersitate linguarũ oris, vna est fides cordis: Deus enim non irridetur, nec vlla pax extra Deũ pacis, habetur, Cogãt Synodos, instituant disputationes, quot volunt, Comitia, Consilia, Colloquia, Parlamenta, Symbleas. Collationes, plus dico castra ponant, figant cruces, acies dirigãt. Quęrere extra Ecclesiam pacem poterũt, inuenire non poterunt.

At qui cum Ecclesia sentiunt, nec vlla priuatæ sententiæ suæ tuendæ, sed solius veritatis inueniendæ, & tenendæ, cupiditate ducuntur: si quod vnquam verbum ex omni doctrina incidat, de quo videndum sit, non præiudicatas adferunt opiniones, & sententias, quas olim ipse quoq; Plato reprehẽdit, sed in eo libenter acquiescũt, quod omnes, qđ semper, quod vbiq;, vnanimiter senserũt, & sentiunt: idq; à Spiritu Sancto profectum consiliũ arbitrantur, Sicut in vno Trident. Concilio in quo adfuimus, apparuit, Ex omni gẽte, & lingua conuenerunt Episcopi, & Theologi, vt de Lutheri, & reliquorum sectariorũ doctrina, hoc sæculo suscitata viderent, Nõ ibi odia, non conuitia, non maledicta, nõ diræ, non furiæ, nõ imprecationes, vllæ visæ sunt, nisi in apertos Dei, & æterni verbi eius, inimicos: sed vnius labij terra, vna, earundemq; sermonum, videbatur, in diuersitate linguarum carnis, vna vi-

sa est lingua cordis ; viginti in illo Concilio adfuernnt ex omni gente, quæ sub cœlo est, nationes ex Italia, Germania, Gallia, Hispania, Anglia, Polonia, Græcia, Scotia, Hybernia, Lusitania, Bohemia, Vngaria, Dalmatia, Croatia, Sclauonia, Epyro, Bosna, Cypro, Creta, Corsica: Principes non pauci, Cæsaris inuictissimi, Regumq; omnium Christianorum oratores, Theologi propè infiniti, Si cætera spectes, non solum locorum interuallis, totoque propemodum orbe diuisi, sed omnibus fortasse vitæ studijs, moribus, ingenijs, iudicijs, motu, gestu, habitu, omni reliqua ratione dissidentes; Si fidem, & religionem, Omnium cor vnum, & anima vna videbatur: quod Concilij acta, & decreta luce meridiana clarius ostendunt, Non alios ibi hostes, & aduersarios suos existimabant, quam qui Christi, & eius Ecclesiæ hostes essent, qui ab eius doctrina, & Euangelio dissiderent: qui priuatum suum sensum illi affigerent, reliquo damnato, & reprobato orbe Christiano. Isti vero si dijs placet Euangelici, errantes, & in errorem mittentes; & quotidianas, & prouinciales fides habent; & quo magis vnam fidem quærunt, eo in maiores sectas, errores, & in plures perfidias prolabuntur, atque diuiduntur, Impletum est enim in illis, quod Prophetа futurum prædixit, Secundum numerum Ciuitatum tuarum, erunt dij tui Iuda, Quid Ciuitatum: Plures fortasse apud illos, & magis ab inuicem, dissidentes, numerare liceret Confessiones: quàm Ciuitates: idque etiam Athanasius obseruasse suo sæculo legitur, cum ait, Quotannis in vnum coeunt: veluti qui tabulas pactaq; scribant, simulantque se pro fide scripta conficere; mire interim, & fædi, & ridiculi, cum eorum scripta, (& synodalia edicta) non modo ab aliis, sed etiam ab ipsismet explodantur.

Nos laborem, non laborem putauimus, plerasq; eorum Pseudosynodos, & Disputationes in Compendium redigere, vt in hac quoque parte similes ostendamus, illis hæreticis, qui Athanasij tempore quotannis in vnum conueniebant, tabulas, pactaque de fide scribebant, non modo ab alijs, sed etiam ab ipsismet explosas: Et hoc nomine mire fædos, & ridiculos. Flagitium olim apud Ethnicos reputatum est, de religione Deorum, temerè disputare: idq; Cicero malam, & impiam consuetudinem vocat, siue ex animo hoc fiat, siue simulate: & Plato, inter leges recte constitutas, vnam esse vult omnium præclarissimam, quæ iubeat, ne quis iuuenum quærere audeat, recteue, an contra se leges habeant, sed vno omnium ore, & voce, tamquam à Dijs positas concedi debere, nec vllo modo pati quicquam aliter à iuuenibus excogitari. At non mirum est Platonis leges apud Euangelicos non valere, qui Imperatorum quoque leges, & edicta in ordinem coegerunt: quale est illud Martiani quo admonet vniuersos, vt post omnia fideliter, & religiose ordinata, quæ venerandam Orthodoxorum fidem fundasse noscuntur, de religione deinceps disputare definerēt, quoniam vnus, & alter tanta secreta inuenire non posset, maxime cum summo labore, & ampliſſimis orationibus tot venerabiles Sacerdotes, nisi Deo, vt credendum est authore, ad indaginem veritatis non potuerint peruenire. Quamobrem, iterata hac ait, clementiæ nostræ iussione præcipimus, vt in futurum à prohibitis omnes abstineant. Nec conuenticula colligant super religione certantes, quia in huiusmodi vanitate, & peruersitate detecti, & statutas dudum suscipient pœnas, & iudiciario motu punientur. Valentinianus quoque, & Martianus, existimantes, vt aiunt ad veram, & Orthodoxam Christianam religionem tendentia, aliis rebus præponenda: confidentesque, & Imperium, & communes causas, fore meliores, Deo propitio existente, (Sacerdotio quippe, ait, Iustinianus, imperturbato, & in pace seruato reliqua nobis exuperabit politia, desuper pacem habens) serio præcipiunt dicentes. Cesset iam profana contentio. Nam vere impius, atque sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ, aliquid tractandum relinquit: Extremæ quippe dementiæ est, in medio,

In l. Nemo de summa Trinit. & fide cathol.

dio, & perſpicuo die, commenticium lumen inquirere. Quiſquis enim poſt veritatẽ repertã aliquid vlterius diſcutit, mẽdaciũ quærit. Nemo itaq; vel Clericus, vel militaris, vel alteri⁹ cuiuſlibet cõditionis de fide Chriſtiana publice turbis adunatis, & audientibus tractare conetur in poſterum, ex hoc tumultus, & perfidiæ occaſionem requirens. Iam videamus, quã his Imperatorum edictis obſequentes fuerint Euangelici.

Diſputatio Lypſica.

1519.

Lutherus, in diſputatione cum Eckio, Papam, & Purgatorium recognouit, in reliquis omnibus Articulis ſuccubuit, & furens diſputationem abrupit.

MOTIS per Lutherum religionis rebus, prima omniũ fuit diſputatio Lypſica, inter Ekium, & Lutherum, atq; Carolſtadiũ inſtituta, Anno 1519. In ea diſputatum eſt acriter, & copioſe, ait Cochleus, Primum de poteſtate Rom. Pontif. de Purgatorio, Indulgentijs, deq; abſolutione: ac eo vi veritatis adductus eſt Lutherus, vt & Latina, & Germanica lingua profiteretur, ſe nõ impugnare, nec Chriſtiane à quoque impugnari poſſe, primatum, & obedientiã Roman. Eccleſiæ: neq; derogare ſe Pontifici: quidquid ei tribuitur.

A Bohemico quoque Sciſmate, & ab ea quam fecerant ab Eccleſia Dei ſeceſſione, tam obfirmato animo ſe alienum eſſe profeſſus eſt, vt cum Ekij verbis vrgeretur, tanquàm fautor, & Patronus Bohemorum, irati, & intemperantis vocem ediderit, Tu mentiris, De Purgatorio quoque, ita ſeſe Ekio, declarauit, vt publice diceret, Ego, qui credo fortiter, imò auſim dicere, Scio purgatorium eſſe, facile etiam perſuadeor in ſcripturis de eo fieri mentionem, In reliqua diſputatione, cum ſic ab Ekio tractaretur, vt euadere non poſſet, quicquid in buccã venit, fanda, & infanda cæpit euomere, Admonitus à Conſiliarijs Georgij Principis, vt nil per iram, ſed omnia modeſtè, in tanta re ageret, ne ſcandalo fieret auditoribus, ira furoreq; victus, dignam ſe ſuoq; Euangelio vocem vomuit, Nõ propter Deum hæc res cæpta eſt, neque propter Deum finietur, ac ita diſputationi finem impoſuit: & ſe ad effundendas omnis generis calumnias, ad omnia conuitia, & maledicta, in Orthodoxos intorquẽda, ſine freno timoris, & pudoris conuertit, Libros enim, & Hiſtoriam, famoſæ edidit diſputationis, in qua, & Eckij victoriam exſibilat, & Academiæ Lypſen. ſententiam reprobat, & Iudicum, fidem, extenuat; & Conſiliariorum authoritatem eleuat, & Ducis Georgij, patientiam irridet, & omnem illam actionem, & diſputationem mille mendacijs inuoluit. Ad extremum fatetur, & hoc, diſputationem illam, à ſe fuiſſe ſuſceptam, ob perditionem temporis, non ob inquiſitionem veritatis, Quæ nos de hac prima Lutheri: diſputatione, propterea commemoranda putauimus, vt Lectorem admoneamus, eundem fore reliquarum omnium Synodorum, Colloquiorum, & diſputationum exitum, quaſcunq; vnquàm Lutheri, diſcipuli inſtituerunt, Nihil modeſte, nil ordinate, nil ſyncere, nil cum timore Domini, ſicut à Præceptore Luthero, ſic ab illis Euangelicis diſcipulis, actum eſt vnquam; Sicut Magiſter, ſic & diſcipuli, Nil vnquàm propter Deum inceperunt, nec propter Deum finierunt, ſed ob amorem ſententiæ ſuæ, in odium PP. & Eccleſiæ, flammas vndis miſcere non dubitarunt, etiãſi libris editis omnia contraria perſuadere rudi plebeculæ conarentur: & ſæpe etiam Triumphos ante victoriam canerent: vt cauſam ſuam, ſiue iure, ſiue iniuria, efficerent meliorem. Plura vide in Cochleo, & Surio.

Comitia Vormatienſia.

1521.

Lutherus, Decreto Cæſaris, & reliquorum Imperij ordinum, Diabolus ſub

hominis ſpecie cenſentur: & vt hæreticus, ſciſmaticus, obſtinatus; proſcribitur, eijcitur, damnatur.

VORMATIAE, habita ſunt Imperij Comitia, vbi frequentiſſimi Principes, cæteriq; ordines cõuenerunt. Accerſitus, & Lutherus, per eadu ceatorem Cæſaris, vt cauſam ipſe ſuã coram ageret: Ibi quoq; ingenio ſuo mirabiliter indulſit, & audaciſſime, inſolẽtiſſimeq;, omnem à Deo cõſtitutam poteſtatem cõ emphr: multa etiam ſcripſit, & dixit, & auſus, ac molitus eſt, contra fidem publicam, in ipſius Cæſaris, & omnium Principum deſpectum, Teſtatur id edictũ Vormatienſe, contra ipſum, ex omniũ ordinum ſententia promulgatũ, in quo hæc quæ ſequuntur Cæſaris verba legimus, ſicut à Cochleo citãtur, Ne omnia quæ innumerabilia ſunt Lutheri, errata, ſingilatim percenſeantur, tanquàm ſi hic vnus, non homo, ſed diabolus ipſe, ſub hominis ſpecie, ad perniciem humani generis, aſſumpta Monachi cuculla, quam plurimorum Hæreticorum damnatiſſimas hæreſes, iam diu ſepultas, in vnam ſentinam congeſſerit, &c. Et paulò poſt: Lutherus vero, ne verbum quidem, in ſuis libris mutaturum, impudentibus, ſimul & imprudentibus verbis, orisq; & corporis geſtu quiduis potius, quam religioſum, aut ſanum hominem præ ſe ferente, apertiſſime negauit: Et iterum, pollutiſſimo, & ſceleratiſſimo ore profari, non eſt veritus, Res Euangelij, & Catholicæ fidei nunquàm fuiſſe in Concilijs generalibus bene tractatas: Cum itaq; ab optimo Cæſare, cæterisq; Imperij ordinibus, accuratiſſima adhibita ratione omnia eſſent meditata, & examinata, talis in Lutherum lata eſt ſententia, ex Imperiali, & Regia authoritate; necnon Conſilio, & aſſenſu Electorum: & omnium, S. Romani Imperij Principum: ordinum, & ſtatuum, in hac celeberrima, & frequentiſſima Imperiali Dieta, Vormatię congregatorum, ad perpetuam rei memoriã, Exequendo S.D.N. Papæ, veri in hac parte Iudicis ſententiã, decretum & condemnationem, in literis Apoſtolicis, ad nos directis, contentam, Martinum Luth. vt membrum ab Eccleſia Dei alienatum, & obſtinatum, Sciſmaticum, & Notorium hæreticũ, à nobis haberi declaramus, Mandantes, &c. Scripta præterea Lutheri omnia, vtpote mala, ſuſpecta, & à notorio, & perniciоſiſſimo Hęretico prouenientia, imprimere, deſcribere, emere, vendere, prohibẽtur. Hoc itaq; fixo ſtanteq; decreto quo, Lutherus, manifeſtus, Hæreticus, Schiſmaticus, Apoſtata, ſeductor, Antichriſtus pronũciatus eſt, aliorum quoq; Comitiorum, ſimilia acta, & decreta, ſimilesq; alias inter Lutheranos, & Zuinglianos, rixas, odia, contentiones, & inimicitias, videamus: & Domino gloriam demus, quicumq; in iſtorũ naſſes non incidimus, dicentes, Miſericordiæ Domini, quia conſumpti non ſumus.

Comitia Norimbergenſia.

1523.

Iterum Lutherus damnatus: nequidquam reclamantibus, Euangelicis, Principibus, & Confęderatis.

IN Comitijs Imperij Norimbergenſibus, præſente Ferdinando Archiducæ Auſtriæ, Caroli V. recẽs electi Cęſaris fratre germano, omnia quoq; conati ſunt, pro impia ſua cauſa Euangelici, Cẽtum Germaniæ grauamina, ſcilicet à PP. & Clero inuecta, conſcripſerunt, Annatarum rationes omnes exactiſſimè deſcripſerunt, Abuſus Romanæ Curiæ, excuſſerunt: nil intentatum reliquerunt, vt animos omnium in exitium Cleri irritarent: ſed vicit ad extremum veritas, Publico enim Comitiorum decreto edictũ, ibi quoque eſt, vt Concionatores Catholici, cõtra nouitates Lutheranas, probatis Eccleſiæ doctoribus vterentur, & vſu receptis Euangeliorum expoſitionibus. Quæ res furentem Lutherum, ita afflixit, vt cum latum decretum; vel negare, vel reuocare non poſſet, à partibus ſuis illud ſtare conẽderet, edito libello, contra peruerſores, ac deprauatores, Cæſarei decreti.

Con

Conuentus Lucernensis.

1524.

In Lucernensi Conuentu, Zuinglius reprobatur, Catholica doctrina approbatur.

LVCERNAE, in Heluetijs Conuẽtus habitus est Anno 1524. Laborabat enim Zuinglius, vt sicut Tyguri-nam Ciuitatem, sic reliquos Heluetiorũ Cantones, à vera maiorum Fide, ad suã perfidiam abduceret; Sed cum omnia à doctissimis uiris essent diligentissimè meditata, & Zuinglij doctrina reprobata est, & decretum promulgatum, in quo, vetus religio, & Ecclesiæ ritus, Cæremoniæ, & reliqua instituta, iussa sunt inuiolata retineri.

Conuentus Halensis.

1525,

Lutherus, & Lutherani, damnant Oecolampadium, & Zuinglianos: Bucerus mediatorem agit, Zuingliani Lutheranos Phanaticos, & Suermeros vocant, & irritatis animis discedunt.

HALAE Sueuorum, 14. Lutherani Ministri, circa Annum 1525 conuenerunt, vt de verbo Zuinglij, & Oecolampadij, videtent: & indicarẽt, Ibi edito scripto, quod Syngramma dici voluerunt, Oecolampadij sententiam damnauerunt, Lutherani scilicet, Zuinglianos; Illis vicissim Oecolampadius Antisyngrammate, respondet, Buccerus vero Epistolam ad Sueuos illos edidit: qua hortabatur, vt perpenderet, quam parum deceat, qui eũdem Christum docent, dissidere: Syngrama Sueuorum, Ioannes Agricola vertit Germanicè, Luther⁹, versioni ei præfationem appposuit: in qua Sacramentarios planè execratur; Ei vicissim præfationi respondit Germanicè Oecolampadius, & Lutherum egregiè exagitat. Itaque magis etiam irritatis, inter Lutheranos, & Zvvinglianos animis Hala discessum est, Argentoratenses autem, recepta Zuinglij doctrina, contra quã Lutherus, & scriptis, & concionibus detonabat, & Principes, ad eius exitium incendebat, miserunt ad eum legatum, qui hortaretur ad concordiam: vt pacatis religionis dissidijs, Regnum Pontif. Romani, coniunctissimis vitibus, oppugnare possent: Sed Lutherus pro ea, quam sibi arrogabat Euangelistæ potestate, nequicquã motus est præcibus, & admonitione Argentoratensium, quin potius, suũ in Zuinglium, & Oecolampadium odium, aperuit: & eos adhortatus est, vt desinãt animas seducere, planeque affirmat, aut se, aut illos, Sathanæ ministros esse? (Nos verò dicimus vtrumque.) Acta sunt circa annum 1525. Scripsit itaque Zuinglius Epistolam Germanicam, ad Eisligenses, in qua acerrimis verborum flagellis, Lutherum, & suos castigauit. eosque Suermeros, furiosos, & fanaticos appellat, nec aliud, actum in Conuentu.

Disputatio Badensis.

1525.

Heluetij in Conuentu, iterum damnant Zuinglij, & Oecolampadij, dogma: & in Catholica, veteri religione, permanendum decernunt.

BADAE, habita fuit disputatio, inter Catholicos, & Sacrament. Venerant eo viri doctissimi, Ioan Faber, Eccius, & Thomas Murnerus: Zuinglius vero, etiã oblata fide publica adesse noluit. Oecolampadius adfuit, Ibi quoq; omnia pro se causaq; sua tentauerunt Zuingliani, sicut acta disputationis testantur, vt se Christianos ostenderent. Sed eũ ad extremum euentum habuit disputatio, quod Heluetiorũ pagi omnes, demptis Tyguri-nis, in Catholica religione, permanendũ statuerunt: neq; nouum vllum dogma, intra suos fines admittendum. Præterea verò, Advigilatores quosdã, vt ait Cochle⁹, constituerunt, qui obseruarent, ne quid in religione mutetur à quoquã: & hoc addiderunt, vt in vno Cantone reus factus læsæ religionis, in reliquis omnibus Cantonibus æque reus haberetur: & descriptis pœnis subijceretur.

Comitia Spyræ. 1526.

Imperiali Decreto Sacramentarij reprobantur, Anabapt. ad ignem damnantur: ne quis Principum Missam audire prohibeat, cauetur: Lutherani tamen maluerunt Turcis Vngariã vastantibus, quam Papistis ad vnitatem reuocantibus, parcere.

SPYRAE, celebrata sunt Imperij Comitia, ob eam maximè causam, vt ratio iniretur, obuiam eundi immanium Turcarum crudelitati, qui Vngariæ, & Viennæ imminebant. In ijs Euangelici Principes, Turcarum præcursores, relicta omni cura, de Turcis propulsandis, cõtra Cæsaris, & Comitiorum edicta insolentissime se gesserunt, In atrijs ædium suarum, Lutheri cacangelium, prædicari voluerunt, in Papam, & Clericos armatos plebis animos, magis etiam incenderunt: carnes, ferijs Sextis, & reliquis ieiunij diebus, in Catholicorum despectũ, ad Principum, & aulicorum mensas importari voluerũt, Equites eorum omnes, & reliqui Idiotæ, & Stabularij, Verbum Domini, Verbum Domini, plenis crepare buccis, per omnia compita non destiterunt; Immò, & pallijs, vestibusq; suis, ad dextras manicas, imprimi eas literas voluerunt. V. D. M. I. AE. hoc est, Verbum Domini manet in æternũ. Breues quoque duos libellos Germanicos, edidit Lutherus, Alterum de destructione Hierusalem, Alterum Argilophiilacem: in quo Principes omnes, & populum vniuersum ad totius Cleri exitium, & ad omnia bona Ecclesiastica diripienda, verbis seditiosissimis prouocabat, Egetis, ait, pecunia in Reipubl. vsus necessaria: En maximum vobis thesaurum ostendo, Sinite Monachos, & Monachas libere abire; & victum laborando quærere, Eos vero, quibus in suis fornicibus, delitescere libet, frugaliter alite, & ne quis huiuscemodi ignauum vitæ genus, post hac sectetur cauetote, &c. Sic maior Euangelistæ Luthero cura fuit, vt Monachi cæteriq; religiosi viri, quum vt Turcæ mactarentur, Nihilominus obtinere falsitas non potuit, vt vllo Cæsareo Comitiorumq; decreto probaretur, sed ita se quisque in causa religionis gerere in terris suis iussus est, sicut confideret iustificari, ac respondere coram Deo posse, & coram Cæsarea Maiestate, Hic natum est nomen Protestantium.

Grauissimæ quoque pœnæ, ibidem descriptæ fuerant, ex authoritate Comitiorum, contra violatores pacis Patriæ. Executionis etiam ratio constabilita, & in omnibus decem Imperij circulis Iudices, siue Capitanei, pacis custodes constituti, Euangelici tamen ingenio suo indulgentes, sicut prius fidem Catholicam, sic postea fidem Polyticam pili non fecerunt: & eadem audacia Cæsari suo, decretisq; ab eo latis, qua prius Pontifici Romano: & eius legibus rebellarũt, Episcopos eijcientes, Clerum trucidantes, templa diripientes, Sacra prophana facientes, quod suo loco dicetur. Quamobrem etiam in iliis ipsis Comitijs, seuerius prohibitum est, vt in Recessu sub nomine Ferdinandi Vngariæ, & Bohemiæ Regis legimus, ne recipiantur, foueantur, aut permittantur, in Imperio Romano Concionari, & docere suos errores Sacramentarij, neq; quisquàm prohibeatur Missas audire: Anabaptistæ verò, tam mares, quàm fœminę, qui modo ad vsum rationis peruenerunt, iubentur vbiq; à naturali vita ad mortem, igne, gladio, & similibus pœnis pro qualitate personarum, etiam sine præcedente Iudicum Ecclesiasticorum inquisitione transferri; Sic omnibus vbiq; sententijs, & decretis damnabantur Euangelici, etiã si omni audacia, & insolentia, flamma ferroq;, viderentur Catholicis superiores: Veritas enim pericula non metuit, nec aliud quicquam timet, quam taceri.

Disputatio Bernensis. 1528.

Zuingliani, in disputatione Bernensi, iniquissimis conditionibus instituta, cum Catholicis, tamen succumbunt: & vt victores Sacra, prophana ciunt, fœderatis reclamantibus.

Insti-

INSTITVTA fuit à Bernensibus Heluetijs, disputatio Catholicorum cum Sacramentarijs: Zuinglio, & alijs aliquot Apostatis instantibus: Senatus Bernensis, leges disputationis Catholicis iniquissimas præscripsit: Cæsare, per legatos suos, & quatuor Dyocesanis Episcopis, & reliquis Heluetiorum Cantonibus, repugnantibus, & Badensis disputationis, pacta, iuramento, & Sigillis Comprobata commemorantibus, Sed Senatus Berneñ. eadem audacia qua Christi iugum excussit, legittimæ potestatis authoritatem, & omnem iusiurandi religionem contempsit. Disputatio vero, cui solus Catholicus Doctor Conradus Frigarius adfuit, eum finem accepit, quod Bernæ, & in alijs aliquot locis vicinis, Missæ, aræ, statuæ, abolitæ, fuere: & quædam etiam deformis reformatio instituta, dies, & annus abolitæ antiquæ Catholicæ religionis, aureis literis in Columna inscriptus est, vt testimonium apud posteros extaret sempiternum, Bernensium impietatis. Hæc omnia pluribus recensēt Cochleus.

Disputatio Marspurgensis.

1529.

Zuingliani, cum Lutheranis Marsburgi, disputant, pro concordia laborant, sed isti illos fratrum loco habere recusant.

ANNO 1529. Philippus Hasiæ Landgrauius, Zuinglianus, ægrè ferens tam acerba odia, inter Lutherum, & Zuinglium, ac Oecolampadium in causa fidei, suscitata: vt contentionem dirimeret, in Ciuitate sua Maspurgeñ. disputationem instituit: in quam multi Lutherani, & Zuingliani, complicesque eorum conuenerunt: ardentibusque vtrinque animis Eucharistiæ causam excusserunt; sed cum neutra pars alteri vellet cedere, ne risum mouerent Catholicis, aliquot articulos ediderunt: quibus fingebant, alij alios fratrum loco habere: & à mutuis contra se scriptis, & maledictis deinceps abstinere velle: etiamsi in principali articulo dissiderent, Soluto vero Conuentu, Zuingliani, 300. argumenta circumferebant, quæ dicebant à Zuinglio, obiecta fuisse Luthero, nec refutata: Philippus vero, vt Zuinglianos hæreticos ostenderet, veterum scriptorum de Cœna domini sententias collegit, & euulgauit: ac ita verissimum esse, re, & veritate comprobauit, quod dicit Scriptura, Non est pax impijs: Lutherus gloriatur, quod Zuinglius palam cum lachrymis, coram Landgrauio, & omnibus rogauerit, vt saltem frater appellaretur à Lutheranis: In ea disputatione cum initio Bucerus staret à Lutheranis, ad Zuinglij posteà castra secessit: & acriter contra Lutherum dimicauit, Zuinglio vero mortuo, iterum se cum Luthero sentire simulabat, De hac contentione sic scribit Philippus, Martino Gerlicio Pastori Brunsuiceñ. Quantum attinet ad factionem Zuinglij, Ego coram: agnoui auditis antesignanis illius sectæ, in Colloquio Maspurgeñ. 1529. quod nullam habeant Christi doctrinam, tantum pueriliter philosophātur, & ideò non poterunt durare.

Conuentus Suabachi.

1539.

Inter Lutheranos, & Zuinglianos, concordia tentata, discordia confirmata.

EODEM anno habitus est Conuēctus Suabachij, à solis tantum Euangelicis, quo frequentes conuenerāt, & multa vltro citroque de causa Eucharistiæ egerunt; sed ibi quoque Lutheranorum, & Zuinglianorum discordia magis atque magis aucta est, & infestis inuicem animis discessum, sicut illis euenire necesse est, quis à via veritatis recesserunt. Serius in Comment.

Con-

Conuentus Smalcaldicus.

1529.

Lutherani cum Zuinglianis rixantur, cõcordia exulat, irritatis animis discedituR.

ANNO eodem, Euangelici Protestantes Smalcaldiam conuenerunt, ibi quoq; summa contentione actũ est, vt Luthero, cum Zuinglio conueniret, viresq; suas icto fœdere cõtra Catholicorũ potentiã coniungerent, Sed nec: Lutherani eos in Societatem fœderis admittere voluerunt, qui cum Zuinglio sentiebant, nec Zuingliani eos, qui stabãt a partibus Lutheri, etiamsi Landgrauius omnia moliretur, vt vtrosq; ad concordiam redigeret, Infecta itaque re inde quoque discessum est. Surius.

Comitia Augustæ.

1530.

Confessio Cæsari offertur, Cælebris Disputatio de Religione instituitur, eam Lutherani subterfugiunt: Zuingliani alteram Confessionem obtrudũt, vtraque per Decretum reprobatur, & omnes in auita maiorum fide, perseuerare iubentur.

ANNO 1530. habita sunt Augustæ Vindelicorum, celeberrima Imperij Comitia. In his Lutherani Principes, Confessionem fidei, vel potius perfidiæ, quam profitebantur, Carolo V. Cæsari, & reliquis Imperij ordinibus obtulerunt: ita à Melanchtone confarcinatam, vt pleraq; se docere negarent, multa dissimularent, multa præterea falsa pro veris assererent, Vel mediocriter, in præsentis sæculi, historia, versatis nota sunt, horum Comitiorum Acta. Nos gnaris nõ loquimur. Illud, pro instituto nostro, non prætermittemus, quod idem, qui suis illam Confessionem digittis ex ore Lutheri conscripsit, Philippus, fidei subin de Articulosin ea mutabat: atque ad tempus, & ad occasiones, vt ipse fatetur, accommodabat: idque suo loco clarius dicemus, Catholici viciſſim, doctissimam Refutationem omnium articulorum, cõ scripserunt, & obtulerunt, quæ publicè in omnium Principum conseſſu lecta, etiam ab omnibus Catholicis approbata est: nec aliud respondere poterant Euangelici, quam quod exẽpla. Refutationis dari sibi petiuerunt. Et ne quod præterea moderatum consilium à Cæsare vnitatis studioso: prætermitteretur: factus est delectus insignium ex omni ordine, & statu Imperij personarum, numero 17. qui de cõcordia pacatis animis tractarent, Rogati autem Protestantes, vt ea quæ pacis sunt, cogitarent, & cum Cæsare suo, & reliquis Imperij ordinibus in vnitate fidei conuenirent, nisi patriam chariſſimam, bellis, & seditionibus, ardere conflagrareq; mallent: Euangelici Lutheri sui Deastri, superbo spiritu pleni, post bidui deliberationem, tale responsum dederunt: vt de vita potius, quam de sententia, decedere velle viderentur. Factus est autem pauciorum delectus, nempè septem, & septem, qui in Exedra quadam Prætorij Augustani de Confessionis articulis, deque concordia egerunt: sed ne sic quidem profectum est, Iterum autem tres, & tres designati sunt, qui rem attentauerunt aliquot vicibus, egregie: sed is quoque conatus in cassum abijt, Oportebat quippe, vt Paulus prius reuocaret, quod olim dixerat, Quæ conuentio Christi, & Belial, Quæ lucis ad tenebras, Ad extremum istos de Concordia tractatus, & spem omnem transactionis discessus Electoris Saxoniæ impediuit. Comitiorum vero decretum in causa religionis in generali receſſu tale fuit, vt omnes constantissime, in prisca maiorum suorum fide, ac religione, permanerent. nec quicquam nouarent ante Concilij determinationem, Quod tamen Euãgelici recipere noluerunt, & à Cæsaris sui reliquorumque potius Germanorum Principum societate, quam ab amore sententiæ suæ, recedere maluerunt.

In ijsdem Comitijs, suam quoq; Confessionem, quatuor Ciuitatum nomine exhibuerunt, hostes Lutheranorũ. Zuingliani, Quæ, & ipsa, etsi, & confutata, & repro-

reprobata esset, æque tamen in sua sententia perstiterunt Zunigliani, vt Lutherani, Hæc autem Confessio Cæsari oblata, quàm sæpè deinceps correcta, emendata, mutata, versa, peruersa fuerit, non est huius loci recensere, Contulit aliquando Hosius, triginta huius Confessionis exemplaria, diuersis in locis, & temporibus, tã latine quam Germanice impressa, In earum singulis, aliquid erat ab alijs diuersum, sæpè, & contrarium, Singulæ enim sectæ ad suos, eam sensus, & opiniones attemperabant: & sub eius pallio, suum virus singuli ocultare volebant: adeò vt hoc ad extremum nomen ob perpetuas mutationes, consecuta fuerit illa Confessio, vt ab ipsis Lutheranis, Cothurnus, vtriq; pedi aptus, lingua quoq; Germanica (Polistnher stifel,) hoc est ocrea Ocrea Polonica vocaretur, Qua de re copiosissime omnibus in libris, & actis suis, actum est ab Hosio, quo lectorem remittimus.

Conuentus Smalcaldicus.

1531.

Victi in omnibus disputationibus Lutherani, armis causam suam defendũt: Fædus contra legittimam potestatem ineunt.

ANNO 1531. Smalcaldiæ, Conuẽtum suum habuerunt Protestantes: in quo fædus quoddam inierunt, ad sui, vt egregie simulabant, defensionem, si quis ob veterem repudiatam religionem intentare vim veller; re vera autem, vt & Imperatorem suum, & omnes Catholicos, Castris, & armis oppugnarent, & suã perfidiam propagarent, Cum enim illis fædus, cum morte pactum, contra Christum, & eius Eccleſiã succesſisset, contra Cæsarem quoque vnctum domini; & legittimam potestatem parricidialia arma sumenda patauerunt; idque Lutherus, egregius pacis, & reconcthationis Minister, etiamsi aliud simularet, omnibus calculis approbauit: & eo audacius, & Cæsarem, & Ecclesiasticos, Proceres omnes, conuitijs proscidit, vocans proditores, scælestos, vanos, porcos, nebulones, Decretum Augustanum Commenticium, & alia infanda multa, quæ Cochleus, & Surius descripserunt.

Conuentus Francofordiensis

1531.

Lutherani, totius Conuentus authoritate, arma denunciant, legittimę potestati, Zuingilanos reprobant.

ALIVM Conuentum, hoc ipso anno habuerunt Protestantes Frãcofordiæ: in quo Ciuitatum Euangelicarum, legati renunciarunt, se nolle Ferdinandi Regis electioni obstrepere, Verumtamen, si contra Euangelium quippiam moliretur, velle se ex fœderis Smalcaldici præscripto omnia sua, ad defensionem Euangelij sui conferre, Ibidẽ magnopere legati Ciuitatum laborabãt, vt Heluetios in Societãtem Smalcaldici fœderis pertraherent, Sed ei Consilio Saxoniæ Dux, repugnauit, nolens cum ijs hominibus quidquam habere, commercij, quos sciebat Luthero, & eius Euangelio, vel maximè esse inimicos: Et tamen egregij isti Euangelici, vim fieri vociferantur, Si Catholici Hæreticos à sua reijciunt communione: cum tamen hæreticus, non ferat hæreticum, Lutherus scilicet Zuinglium, & secta sectam: Venit mihi in mentem, quod, quodam in loco scribit Plato, Malus malo quo propius adhæret, eo fit illi magis inimicus.

Conuentus Francofordien.

1531.

Fædus Smalcaldicum contra Dominum, & Christum eius institutum, iterum approbatur, à Protestantibus, & Zuinglius reprobatur.

HOC ipso Anno, alterum habuerunt in eadem Ciuitate Francofordien. Conuentum, soli Protestãtes, Tum vt acerba odia, inter Lutherano, & Zuinglium, si quo pacto possent comprimerent:

merent, tum vt magis, & fœdus Smalcaldicum colligarent, parum de eo solliciti, quas clades Vngariæ, Turcarum, Tyrannus offeret.

Synodus Constantiensis.

1534.

Concordia Lutheranorum, cum Zuinglianis tentatur; re infecta disceditur.

MENSE Decébri habita est Pseudo synodus, Pastorum Euangelicorum Constanciæ, authore Bucero. In ea rursum actum est, de pace cum Luthero in Eucharistiæ negotio cõponẽda; Dici non potest, quam magno conatu egit Bucerus mira vtens vafriciæ, & verborum inuolucris, quæ Tygurini quoque in ipso reprehenderunt, vt Lutheranos cum Zuinglianis conciliaret, Videbat id facile astutus ille, quam turpis esset, & probrosa, Euangelicorum inter Euangelicos distractio, Euocarat ad hoc conciliabulum etiam Tygurinos Pastores, sed illi non venerunt; Porrò scripto suam sentẽtiam de Eucharistia declararunt, & quatenus cum Luthero concordia possit iniri, circumscripserunt, Hoc scriptum Basilienses, & Schaffhausiani: & Sangallẽses, itemque aliquot Sueuici Ecclesiasticæ approbarunt, Bernenses autem quædam in eo reprehenderunt: neque potuit inter vtramque Pseudo Euangelicorum partẽ, concordia vlla constitui, vel de hoc ipso saltem breui scripto.

Synodus Tygurina.

1535.

Zuingliani, Lutherum, scriptis opprimẽdum censent; Lutherus causæ suæ timens, paratum se ostendit ad concordiam.

ZVINGLIANI Tygurini, offensi scriptis acerbioribus, impotentis Lutheri, & complicum eius clamoribus, maximè vero, quod scripsisset Lutherus, Oecolampadium à Diabolo subito præfocatum expirasse: Ad 6. Augusti, Synodum Ministellorum Zuingliorum, ex vrbe, & agro Tygurino conuocarunt, In ea decretum est, vt Apologia latine, & Germanicè edatur, contra Lutherum, & totius gregis Lutherani calumnias: quam tamen ne, quisquàm scribendam susciperet Volfgangus Capito, Argẽtoratẽn. Ecclesiastes ibidem, & ipse Zuinglius, impediuit: Lutherus vero eo cognito Decreto, illius acerbitate aliquantum fractus, simulauit tamen dolorem: & scripsit Argentoratensibus, se non esse alieno animo, à Concordia, cum aduersarijs Zuinglianis: hortatusque vt aliam Synodum indicant, in qua serio de re tanta tractetur.

Synodus Arouiæ.

1535.

Ministri Zuingliani, formulas Concordiæ concipiunt: ad Synodum Lutheranorum suos ire prohibent.

EX decreto Synodi Tygurinæ, conuenerunt Arouiæ, quod oppidũ est: ditionis Bernen. quinque Zuingliani prædicatores: vbi tutissimam formam Concordiæ cum Luthero, in eundæ, conscribere contenderunt: sed ea quoq; coire non potuit: veritate repugnante, & hoste veritatis Diabolo in istorum odijs, & contentionibus exultante: Immò vero decretum tulerunt, neminem ex Ministris Helueticarum Ecclesiarum mittendũ ad Synodum generalem Euangelicorum Lutheromanitarum, quæ ad diem 14. Maij in dicta erat, Isenaci, Turingiæ oppido: Sed postea Vvittembergæ celebrata est, præsidente, PP. Saxonico, Luthero.

Synodus Vittembergensis.

1536.

Lutherani, in sua Synodo, de vero sensu Confess. Augustanæ laborant: de Concordia quoque cum Zuinglio agunt:

sed

sed vel ob metum Principum suorum, statuunt: Bucerus de Concordia curam abijcit, ad Lutheri, castra transit.

LVTHERANI quoque Ministri, conclamante Luthero Vittembergam conuolarunt, partim vt de vero intellectu Confess. Augustanæ, & editæ à Philippo Apologiæ conuenirent, de quo miræ exortæ audiebantur dissensiones: partim vt de ratione ineundæ cũ Zuinglianis Concordiæ transigerent: idque per dies multos, in ædibus Patriarchæ sui Lutheri tractabant: sed nec ibi vlla stabilita est concordia: tum propter aliorum Ministrorum absentiam, tũ quod absque Secularis Magistratus, & Principum suorũ licentia, quibus res fidei dijudicandas commiserant, nil ausi sunt statuere: Sed ne ipsa quidem Synodi acta, etiamsi conscripta haberent, in lucẽ ediderunt, ob metum Principum: finxerunt tamen Syncretismum quendam, tanquã de rebus omnibus conuentum inter partes esset, vt scilicet Catholicis esseut tanto formidabiliores, Bucerus tamen laborare non destitit, vt saltem species qualiscunque tandem, concordiæ stabiliretur. Conatusque est Zuinglianis persuadere, nullum in rebus ipsis, sed tantum in verbis esse discordiam: nec magnopere curari, ab vtraque parte debere, Vtrum huic, an illi sententiæ quispiam adhæreret: Sed ne his quidẽ artibus apud Zuinglianos promouit, in Magistri sui doctrina obstinate acquiescentibus, Bucerus vero ad Lutherum, totus se deinceps conuertit, reuocans duos errores Zuinglij, de Cæna, & Baptismo. Scripserat enim, in cap. 3. Matth. quosdam infantes sine Baptismo vitam æternam consequi, quosdam licet baptizatos delabi in infernũ: Et in cap. 6. Ioan. Veniã præcarur à Deo, & Ecclesia, quod multos Hæresi Zuingliana fascinauerit: quodque Lutheranos fanaticos, Suermeros furiosos, vocauerit: Refert Cochleus, Euangelicos in illa pseudosynodo, hæc quæ sequuntur de Baptismo decreuisse, sicut etiam citat Belarminus. Primum reijciendum esse errorem illorum, qui imaginantur, saluari infantes sine aliqua actione ipsorum, Secundum, Etiamsi nos non intelligamus, qualis sit illa actio paruulorum, tamen certũ esse in eis fieri sanctos, & bonos motus, sicut in Ioanne Baptista, quando exultauit in vtero, Tertium, licet non sit imaginandum, quod infantes intelligant, tamen motus eorum, & inclinationes, ad credendum, & diligendum Deum, similes esse motibus fidei, & dilectionis, & hoc esse intelligendum, cum dicuntur infantes credere: Reliqua acta extant apud Cochleum lib. 3. Miscellanicorum, Tractat. 8. cap. 2.

Synodus Bernensis.

1536.

Bernenses, Zuinglianam perfidiam, iterum recipiunt, Lutheranam, ita reijciunt, vt loqui de ea amplius nolint.

BASILEAE, quatuor hoc Anno Conuenticula minora habuerunt Zuingliani, & Generalem quandã Synodum apud Bernates, cui interfuerunt ex pagis collecti, 300. Ministri minus quatuor: omnes fere desertores Monachi, Ab ijs Zuinglij, perfidia approbata est, & animi omnium magis etiam in odium Lutheranæ doctrinæ irritati, & omnis spes Concordiæ plane præcisa, de qua non liceret amplius loqui: Quo decreto lato discessum est.

Conuentus Smalcaldicus.

1537.

Lutherani, à Concilio per Paulum 3. indicto non videbantur abhorrere, modo possent Zuinglianis nocere, Principes formulas cultus diuini prescribunt, Ministris? Ministri reijciunt.

MENSE Febru. Protestantes Euãgelici conuenerunt Smalcaldiani, Aderant, & illorum Concionatores,

tores, Instituta erat ab illis deliberatio, de Concilio à Paulo 3. Mantuæ in dictoi à quo plerique non videbantur abhorrere, modo, vt ea ratione Zuinglianis aduersarijs suis possent videri formidabiliores, Cæterum hac omissa deliberatione, coacti sunt à suis Principibus, & Ciuitatum Nuncijs conceptis verbis profiteri, quod, & sentiant, & in suis Ecclesijs doceant, docereque promittant, iuxta Capita Confessionis Augustanæ, & Apologiæ Philippi, Conati quoque sunt nonnulli, vt in eodem Conuentu de Cœna Domini, deque Ecclesiasticis ritibus, & præcipuè de ratione, administrandorum Sacramentorum, certum aliquid statueretur, quod omnes sequerentur, Sed cum ea quoque de re, ipsi Principes, Capitis quisque sui somnia, & suas ad inuentiones sequerentur: nec quisquam de sua vellet dimoueri sententia, misso ad Concionatores illos, Saxonis Cancellario, cum alio quodam nobili, mandarunt illis, vt ea deliberatione omissa, de solo Concilio agerent, Sed hic quoque nullum factum est operæpretium, Ministris Sathanæ ægrè ferentibus, quod deliberationes de fide, cæteraque religionis negotia, ex præscriptio, & mandato sæcularium Principum, suscipere decernereque cogerentur, Quibus profectò rectè dici poterat, Tu te hoc intriuisti, tibi omne est exedendum, Conati sunt cognitionem, & Iudicium, de religione, Pontifici, & Episcopis eripere, eamq; ad Principes: immo ad vulgum ipsum pertinere docuerunt. Ecce pro vno PP. tot Polyticos Papas, ferre coguntur, cum imperio, sicut ait Philippus, præcipientes, vt subscribant, & assentiantur, quidquid illis ad credendum offerretur, aut statim se ministri munere abdicent: aut solum vertant. O Iusta iudicia Dei.

Synodus Bernensis.

1537.

Inter Zuinglianos Scisma oritur, Synodus indicitur: Concordia nulla stabilitur.

ORTA fuit interim de sensu verborum Cœnæ Domini grauis dissensio, inter ipsos Zuinglianos: ita vt se se inuicē, & scriptis, & Concionibus Zuinglianiverbi prēcones, acerbissimè proscinderent: magna cum voluptate, & Triūpho Lutheromanicæ factionis: Synodum itaq; in Ciuitate Bernensi ad vlti. Maij indixerunt; Et in ea decretum quoddam, planè Sacramentarium ediderunt: quo lis inter ipsos Zuingliistas suscitata, non tam sublata, quam ad tempus vtcunque sepulta, & quasi doloso obruta cinere videretur: ne se Lutheranis ridendos, & exsibilandos propinarent, Aliter enim Bucerus, aliter Lascus, aliter Brentius, aliter Vuestphalus, aliter Clebitius, aliter Suencfeldius, aliter Oecolampadius, aliter alij verba Cœnæ interprætabantur, & quisq; visiones cordis sui, vt ait scriptura, sequebatur: ac ita diuisis animis, & dissentientibus sententijs adhærentes, in sua quisq; reuersus est.

Conuentus Anabaptistarum Nilcelspurgi. 1537.

Anabaptistæ, in Conuentu suo articulos, Atheismum spirantes, cudunt.

HABVERVNT quoddam Colloquiū Anabaptistæ, in Oppido Moraui Nicelspurgo, Ex eo prodierūt octo articuli, planè Atheismum spirātes, qui per Germaniam, & præsertim Vormatiæ, cum applausu multorum circumferebantur 1. Primus erat, Christum nō fuisse verum Deum, sed Prophetā, 2. Euangeliū eius non esse publice in Ecclesijs prædicādum, sed solum priuatim in domibus, & in Aulis, 3. Inter Christianos nullam potestatem aut Magistratum esse, nec litigare oportere, 4. Omnia Christianis esse debere communia, 5. Baptismum paruulis dare non debere, sed adultis, & qui essent baptizati, rebaptizandos, 6. Diem extremi iudicij post biennium futurum, 7. Turcis non esse resistendum, 8. Nec esse inuocandos Sanctos; Sed his omnibus istorum somnijs abunde statim, & solide responsum est à Catholicis.

Con-

Conuentus Smalcaldicus.

1537.

Euangelici, ad arma conclamant, sicut Pontificis, sic, & Cæsaris iugum excutiunt, ac ne insontes gladio vtatur, impediunt.

AD 7. Februar. diem Protestantes Smalcaldiam conuenerunt. & suos secum Apostolos, si dijs placet, adduxerunt, Lutherum, Melanchtonem, Bucerum, Osiandrum, & alios eiusdem farinæ seductores, ita voluntate, & animis concordes, etiamsi aliud vultu simularent, vt quondam Cadmei fratres, quod apertè Osiandri cum Luthero, & Philippo dimicationes, & disputationes acerrimæ, de solo iustificationis articulo ostendebant, Illi itaque Principes suggerente Sathana, per electa vasa sua, in peius quottidie proficiebant, & flammas vndis, dum modo Catholicis incommodarent, miscere cupiebant: Sicut prius iugum Ponti. excusserant, authoritatem Cæsaris contempserant, Episcopos in ordinem redegerant, eiecerant, spoliauerant, templa, & Monasteria dirupuerant, ita nunc laborarunt: vt ne esset vlla potestas sub sole, quæ vim eiusmodi prohiberet, aut insontes animaduertendi potestatem haberet, Inito: itaque inter se nefario fœdere, vel conspiratione potius in Christum, & fidelem seruum eius Cæsarem, Legatos suos ad eum miserunt, hortantes, vt Cameræ Imperialis iudicium contra Papistarum violatores cohiberet: ne debitis, & descriptis pœnis afficerentur, qui vim Catholicis, eorumque bonis nefarie inferebant. At optimus Cæsar, cum assentiri nec posset, nec vellet, tam iniquæ petitioni, per Matthæum Heldum, Præcancellarium suum, respondit: Se prohibere, nec posse, nec debere, quo minus, ius cuique suum tribuatur, aut eos audiendos legumque præsidio defendendos suscipiat qui se quotidie nouam Protestãtium vim perpeti, nouisque iniurijs affici, omnibus exui fortunis omnique crudelitatis genere opprimi quiritabantur: Suam itaque authoritatem, obtinet voluit, optimus Cæsar, Cameræ Imperialis iudicia: Sed Protestantes Regum, & Legum euersores Cæsaris sententiam, contempserunt: nec in vllo Cameræ decreto, ob direptionem Ecclesiasticorum bonorum, aut Sacerdotum eiectionem, aut oppressionem acquiescere, vnquàm voluerunt: Nolebant Cameram contra se procedere, nolebant quenquam à suo fœdere excludere, nolebant ad se Norimbergense decretum pertinere: quo cautum erat, ne quis ante Concilij definitionem in religione quicquã innouaret, Et si prætereà Cęsar contra eos attentare quidpiam vellet, se sibi socijsque minimè defuturos prateſtabantur, & imam summis, in tota Germania permisturos, Classicum canente scelerato Luthero, modo non illis ipsis furentis Megeræ vocibus, Certetur omni scælere, & alterna vice stringantur enses, nec sit irarum modus.

Synodus Tygurina.

1538.

Zuingliani, de dando responso, ad Lutheri scriptum consultant: Aperte eum oppugnandum censent: Bucerum sequestrum duabus sellis fedentem auersantur.

APRILI mense, habita est iterũ, Synodus Zuinglianorũ Deastrorum, Tyguri, Interfuit Bucerus. & Capito Basiliensium, rogatu, Nolebant enim ille Zuinglianus videri, sed nescio quã tertiam doctrinam, & opinionem, in capite suo cudebat, in qua æque Lutheranos atque Zuinglianos acquiescere volebat, Ambiguam itaque loquendi rationem, in omni sermone suo sequebatur, seq; mirifice purgabat, quod hactenus tanta contentione conficiendæ paci studuisset, sed Tygurini solidã loquendi formulam, in eo desiderabant: nec obscure, & captiose, sed libere, & apertè contra Lutheranos agi omnia volebant. Disceptatũ, itaq; est toto triduo de responso ad Lutherum dando, quod Bucerus fingere, arbitratu suo cupiebat: sed cum illi non permitterent Tygurini,

ri ni, cæpit esse ab omnibus Zuinglianis valde auerso animo: & minus inclinata in causam eorum voluntate: immò sicut ipse fatetur, eam doctrinam, quam ipse sibi verbis, & sententijs ambiguis, & perplexis effingebat, vt Luthero gratificaretur, retractauit, in eiusque sententiam pedibus, & manibus abijt, & Zuingliani in pristino eoque acerbissimo odio contra Patres suos Lutheranos permanserunt: nec aliud in ea actum Synodo est.

Conuentus Isenaci.

1538.

Euangelici, iterum in Cæsarem, & Cameræ Cesareæ decreta conspirant.

AD 24. Iulij Conuenerunt Isenaci, non quidem ipsi Principes Smalcaldici fœderis, sed eorum Legati. Iterum esse Cæsari supplicandum decreuerunt, quod etiam fecerunt, regalibus adiunctis minis, vt ne in quenquã animaduerteret pateretur, Cameræ Imperialis iudices, ob illatam vim, oppressosque Catholicos. Alios etiam Principes, & Ciuitates ad eiusdem fœderis societatem, & pertrahebant, & contra Cæsaris decretum admittebant, Ex quo Euangelici quotidie seipsis reddebantur, insolentiores, talemque faciem Germaniè reddiderunt, vt nullis satis lachrimis deplorari posset: adeoque erant in Catholicam religionem infestis animis, vt non obscure ferrent, nisi Cæsar illorum libidini obsecundaretur, nõ magnopere recusaturos iugum Turcicæ captiuitatis, vt vniuersa potius Respubl. Christiana, quam vnus apex de Lutheri doctrina periret.

Conuentus Francofordiensis.

1538.

Iterum Euangelici Colloquia instituunt, sed causa vtique cadunt, Pauli Epistolas in dubium vocant, & legittimæ potestati repugnant.

AD Conuentum Protestantium Francofordiæ institutum, allatæ fuerunt Cæsaris literæ, quæ 15. mẽsium inducias continebant: decretumque est, vt vtriusque partis viri docti, & moderati, deligerentur, qui inter se de controuersis religionis rebus conferrent. Multa itaque eius generis Colloquia diuersis in locis fuerunt instituta, in quibus numquàm nõ victi, confusique Euangelici extiterunt, Sed illi nihilominus sibi victoriam adscribebant, & triumphos editis libellis sparsisque tabellis, vbique agebãt: quos si quis arguere mendacij volebat, minis, & audacia ex Smalcaldico fœdere concepta deterrebatur. Ausus quoque est elector Saxoniæ in hoc ipso Conuentu pro libertate Euangelica testificari, se Ferdinandũ pro Rege Romano non agnoscere: & hoc præterea, Malle se de Pauli Epistolis, quam de, veritate Confessionis, Augustanæ, dubitare.

Conuentus Haganoæ.

1540.

Euangelici, sicut Papam, ita, & Cæsarem pili non faciunt, Conciliationem simulant, odia exercent.

IN hoc quoque Conuentu Euangelici, quanti legittimam potestatem facerent, re, & veritate comprobarunt, Noluerunt enim in Cæsaris optimi Sententia, & responso de Cameræ Iudicibus acquiescere, & eam Conciliationẽ, quam Augustæ, Septem ab vtraque parte collocutores effecerant, reprobarunt. Porro frena maledicentiæ, & Conuitiorum in Papam, & Pontifices omnes, ita laxauerunt, vt is omnium, doctissimus, & eloquentissimus censeretur, qui cæteros omnes mentiendo, & maledicendo præcelleret, Semper tamen improbissimè callidissimeque simulantes, & protestantes, se non defuturos colloquio, & actioni Conciliationis: sed ita vt scriptura duce, verum exquiratur: & Christus solus pro Iudice agnoscatur.

Con-

Conuentus Smalcaldicus.

1540.

Euangelici Augustanam Confessionem: & Apologiam, iterum canonisant, neq; tamen de sensu eius concordant.

AGEBANT iterum Protestantes Conuentum Smalcaldiæ, in quo adfuerunt præcipui Sathanæ Archi Ministri, Ionas, Pomeranus, Melanchton, Cruciger, & Bucerus: Ibi de statu religionis in Anglia, Legati, inde reuersi, omnia retulerunt: hoc addentes, quod Rex Henricus, 8. in familiari colloquio dixerat: Protestantium Theologos, de præcipuis quibusdām rebus, non rectè sentire: Actum quoque est de vero sensu Confess. Augustanæ: sed nulla tamen ratione, in vnam de omnibus articulis sententiam, conuenire potuerunt: ne tamen ventos venari viderentur, verbi Ministelli, scriptum quoddam Principibus suis gratum, & plausibile obtulerunt: Cuius hæc erat summa, Non esse recedendum ab Augustana confessione, & eius Apologia, Articulos etiam non paucos, pro regimine conscientiarum, conscripserunt. Inter eos, dicebant, quod olim causæ Matrimoniales, ad sæculare iudicium pertinebant, & quod eas ad se per humanas constitutiones traxerunt Episcopi. Quāobrem debet iterum sæcularis Magistratus eiusmodi causas tractare: nec aliud operæpretium fecerunt.

Comitia Ratisbonensia.

1541.

Iterum de Concordia laboratur, sed frustra, Protestantibus vbiq; Confessionistis, quod nec Deo, nec Cæsari, vellent obedire.

ANNO 1541. Mense Aprili Comitia Imperij habita sunt Ratisbonę: tum Turcis resistendi, tum religionis componendæ gratia. Aderat in illis præsens Carolus Cæsar: matureque admodum venerat: sed aliorum tamen aduentum, diu sustinere coactus est: Venit eo quoq;, rara, tum doctrina, tum pietate insignis, Cardinalis Gaspar Contarenus, missus à Pontifice, ad res religionis stabiliendas: Principes quoque Lutherani adfuerunt, cum suis Concionatoribus, qui in priuatis Principum hospitijs, verbum Lutheri concionabantur, & Catholicæ Ecclesiæ ritus, Cæremonias, & solemne Sacræ quadragesimę ieiuniū, quod constat ex Apostolica traditione, ad nos vsque perductum, contemnebāt, permittebantque nonnullis suæ factionis Principibus, in Sancta hebdomada, atque in ipsa adeò Sacro Sancta Parasceue, qua die Christus dominus, tanta propter nos perpessus est, quanto nemo vnquàm, ne dum verbis, sed ne cogitatione quidem consequi poterit, venationibus oblectare animum. Conscriptus autem fuit liber quidam, quibus etiam Bucerus mirabili vafricie sese admiscuit, oblatusque est Cæsari, tanquam rebus componendis accommodatissimus: Institutum est, nouum Colloquium, Ab vtraque parte terni Collocutores designati, itemque Auditores aliquot, & duo Præsides, Palatinus Princeps, Fridericus, & Illustrissimus Dominus Granuellanus: diu, multumque laboratum est, Sepositis interim alijs negotijs Imperij, vt Concordia religionis stabiliretur: & in quibusdam quidem articulis Concordiæ ineundæ, ratio vt videbatur non defuit, Sed ad extremum tamen, nulla certa constitui pax potuit, cum neque Catholici: neque Protestantes vsquequaque ea reciperent, quæ in libro Cæsari oblato, conciliata videbantur: Protestantium sanè Theologi, tam perplexas, & intricatas more suo, articulorum conciliatorum interpretationes, mox ediderunt, vt Oedipo quodam opus fuerit, qui perspicue declararet quid sibi vellent Principes, & ordines Protestantes: neque librum, neque articulos conciliatos per omnia approbabant: sed in Confessione Augustana se acquiescere testabantur, Porrò Concionatores Euāgelici, etiam in Contarenum Cardinalē longe doctissimum, & generis nobilitate illustrem, scripto acerbo inuecti sunt,

quorum calumnijs, Ekcius doctissimus Theologus respondit, Tandem perdito oleo, & opera, non sine maximo Cæsaris Caroli detrimento, qui Turcas in Affrica inuadere decreuerat, solutus est ille Conuentus: & Cæsar, in Italiam, atque inde in Affricam hyeme appropinquante contendit.

Conuentus Spirę, & Norimbergæ, Anno. 1542.

Euangelici, Orbem Christ. Turcis prodere: quã de suo Cacangelio, quidquàm concedere maluerunt.

HABITI sunt alij duo Conuentus, Spiræ, & Norimbergæ: in quibus de expeditione contra Turcas nobilissimum Hungariæ Regnum occupantes, & vastantes, agebatur. Sed Protestantes, Turcarum præcursores, nulla prorsus præsidia, ad salutem Vngariæ conferre voluerunt, nisi planè liberam potestatem, profitendæ, propagandæque suæ perfidiæ, obtinerent: & ab omni Imperialis Cameræ iudicio, & animaduersione immunes decernerenrur: ita erant animis excæcati, vt Turcarum spiculis confodi maluissent, quam aliquid de suo in Pont. odio remittere.

Comitia Norimbergensia.

1543.

Turcas non curant Euangelici, dum Catholicis ægre faciant.

ALIA Comitia habita sunt Norimbergæ, de bello contra Turcas, in quibus Protestantes solito suo furore, omnia consilia in perniciem Catholicorum dirigebant, quidquid tandem de Nobilissimo Vngariæ Regno, deque vniuersa re Christiana ageretur.

Comitia Vormatiensia.

1544.

Euangelici, nec Papam, nec Cæsarem, nec concilium, pro suo Iudice volunt: Effugijs laborant.

IN his Comitijs, etiamsi Cæsar, & frater eius Ferdinandus adessent, Principes tamen Euangelici per Legatos tantum suos egerunt (hunc scilicet honorem potestati à Deo constitutæ habere, è recenti suo Euangelio didicerant.) Palam itaque Legati illi testati sunt, se concilium Tridentinum pro legittimo non agnoscere: sed nouum Colloquium Nationale, seu potius Comitia, in quibus sola causa religionis tractaretur, desiderare. Cæsar porrò, & si probe meminisset in superioribus comitijs, omni contentione efflagitatum ab illis fuisse Generale concilium, quod tamen iam vicissim detrectarent: tum & hoc quoque videret, Spiritu vertiginis circumferri omnes istos Euangelicos, in omnibus plane studijs, & consilijs suis: ne tamen non omnia, quæ ad pacem sunt tentasse, Princeps optimus videretur, assensus est, vt in proximo Ratisboneñ. Conuentu, vtriusque partis docti viri, ad colloquium euocarentur.

Colloquium Ratisbonense.

1546.

Euangelici, in colloquio victi, à catholicis: clam se subducunt à disputatione: & sparsis falsissimis libellis, victoriam, & triumphos canunt.

AD Conuentum Ratisboneñ. venit Cæsar, & reliqui Imperij Principes & Protestantes cũ suis Præconib⁹, verbiq; Lutherani Ministris: qui contra præscriptum Cæsaris, contra superiorum Comitiorũ recessus, in domibus Prophanis ad populũ verba faciebant: Catholicorũ Sacra, ritus, cæremonias, irridentes,

&

& eorum ciborum vsu, quos Ecclesia prohibuit, Sacrum Sacræ quadragesimæ tempus, sine freno timoris, & pudoris cõtaminantes, Venationibus quoq; compotationibus etiam, ipso die Parasceues intemperantius, vt par erat, Euangelicos de grege porcos facere, indulgebant: Oblatus ibi fuit Cæsari, liber quidam, pacis, & concordiæ Conciliator, cui artes suas Bucerus quoq; asperserat: Mensis vnus, & amplius abijt, in eo examinando, E Catholicis erant deputati Iulius Phlugius Episcopus Numburgensis, quo nos in Aula Ferdinandi Cæsaris vsi sumus familiariter. Groperus, & Ekcius-Ex hæreticis precipui erant, Melanchton, Bucerus, & Pistorius, Additi vrrinq; auditores, & duo Præsidentes. Post omnia tentata, neutra pars librum comprobauit, sed noua scripta, vndecim quidam Lutherani Ministri protulerunt, quibus magis etiam spem concordiæ perturbabant: Vittembergen. aliàs quoque suas declarationes addiderunt, ita intricatas, glosisq;, & interpretationibus inuolutas, vt nullum in illis firmum, & stabile consilium appareret. Ita factum est, vt libro omisso, & omni de cõcordia cogitatione reiecta, ad suam Confessionẽ Augustanã eiusqi Apologiã, protestantes reclamarent. In Colloquio verò diei 21. Febr. in tantas Bucerũ angustias redegerat, Doctiss. Theologus Maluenda, vt non puduerit hominẽ, cautum, vt sibi vi debatur, & prudentem, in illo Doctiss. virorum conspectu effutire, Eum qui mortali peccato teneretur, Fidẽ Catholicam amittere: Nõ credere Deum Trinũ, & vnũ esse: neq; Christum esse filium Dei, neque redemptorẽ humani generis: neq; natum, neq; Crucifixum, neq; rediuiuum: Quas insani capitis abominationes, & Catholici, & pleriq; verbi socij, & ministri, risu, & sybillis exceperunt. Quæ res non parũ Euangelicorum fregit audaciam, ita vt omnes occasiones aucuparentur, & Conuentus, & Colloquij dissipandi: præcipuè vero post oblatas Cæsaris literas, quibus forma colloquij habendi præscribebatur. Eam enim Bucerus pro sua Euangelica libertate improbauit: & aliam è capite suo formulam, Cæsareæ formulæ opponere nondubitauit: omniaq; suo arbitratu fieri, Protestantes illi contenderunt: Quod cum Præsides non concederent, & Catholici se paratos, & alacres ad disputandum offerrent, Clam se è colloquio sectarij subducere cæperunt: quos deinceps alij, ita subito, celeriterque subsecuti sunt, vt non tam profectionem instituisse, quam fugam adornasse viderentur: etiamsi Præsides retinerent: qui etiam scripto ædito, professi sunt, per se non stetisse, quo minus, & Cæsaris, & ordinum Imperij expectationi satisfieret, Sed nec sibi fugitiui Euangelici defuerant, Multos enim libros, & literas conscripserunt, idque contra fidem secreti, quibus gloriabantur Catholicos, à Protestantibus in disputatione victos succubuisse: & Maluendam, à Bucero in summas aductum angustias. Ex quo vel solo exemplo, videre licet, priuatas eiusmodi disputationes, & colloquia, vel nullos, vel planè exiguos fructus adferre consueuisse; Cum constet omnes Euangelicos, non inueniendæ veritatis, sed aucupandæ glorioiæ esse cupidissimos. Sunt itaque in hoc quoque colloquio Euangelici suo ipsius iudicio condemnati, etiamsi crepare contrarium non desinant, Lutherus autem fœcundissimus Euangelicorum Patriarcha, peracta cũ alijs Islebij, isto ipso Anno 1546. ad 16. Februarij diem, in publico, cæna: eaque sumpta largius, & facetijs hilariter extracta, eadem nocte, subita morte opprellus, descendit ad inferos: Quo vno homine, nemo certe vnquam tardius perijt.

Concilium Lipsense.

1548.

Discipuli Lutherani, scripta Lutheri corrigunt: Alij vim illatam verbo Dei vociferantur, Sacramentorum numerum augent, & infæcta re discedunt.

PAVLO post mortem Lutheri, cõuenerant Lipsiam aliquot Saxonici Electorales Ministri, vt aliquid

certi statuerent de libris Lutheri eorumque recto intellectu, in ijs materijs, in quibus sese explicare non poterat: tum etiam, vt moderatio quædam adhiberetur in edendis eius operibus: Multarum enim vanitatum, falsitatum, mendaciorum, & conuitiorum, & Diabolorum, & stercorum, quibus plena sunt scripta Lutheri, vehementer eos puduit: & præsertim Philippum, qui paulo post correcta, & truncata Lutheri opera, omnia in lucem edidit, vociferantibus reliquis discipulis, vim fieri verbo Dei, per Lutherum reuelato: Decretum itaque inter alia fuit, contra omnem Lutheri doctrinam, Confirmationem, & extremam vnctionem esse ritus, ac proinde esse Sacramenta cõferentia gratiam. Cæterum hæc omnia ardens, & rigidus Lutheri discipulus, Illyricus ferre non potuit, quod iterum ad Septem Papistarum, Sacramenta, per Lutherum reprobata rediretur: quodque vnius arbitratu verba Dei per Lutherum loquentis mutarentur. Magnos itaque clamores edidit contra Conciliabulum illud, quod interim Lipsense vocabat, nec quicquam vnquam, de furore, & clamore contra Virtembergen. deinceps remisit.

Disputatio Oxonij.

1549.

Euangelici Oxoniæ Disputationem instituunt, iniquissimas Catholicis leges, statuunt, vi veritatis victi, succumbunt, videri tamen victores volunt.

HABITAE fuerunt sub Odoardo Sexto, Angliæ Rege, partim Oxonię, partim Cantabrigiæ, alijsq; in locis Disputationes variæ, in quibus Hæretici, armis, & mendacio Catholicis fuerunt superiores: re, & veritate inferiores, Præsidebat cuidam Disputationi Richardus Knoxus Aulæ Regiæ assecla, vitæ vir perditissimæ, in qua Petrus Martyr (sed Diaboli non Christi) Zuinglianus intantas fuit à Catholicis Doctoribus Tressamo, & Chedseo, angustias, vi veritatis compactus, vt ab ipsa sua Zuingliana cohorte, quæ disputationi intererat, & sybilis, & manuum, pedumque strepitu è Cathedra turpiter exploderetur, Cuius rei Knoxum Præsidentem ita puduit, vt fingeret se Londinum euocari, nec posse disputationi diutius interesse: Et ausus tamen est Martyrem, tanquam victorem tota Aula proclamare: quin, & ipse Martyr mentiendi vsus libertate Euãgelicis propria, disputationem illam triduo habitam falsissimè conscripsit, & impressam edidit: vt gregem suum, in errore confirmaret, & non paucas præterea contra Eucharistiam calumnias collegit, Quas Stephanus Episcopus Vintonien. è tetro carcere doctissimè refutauit: & sub nomine Marci Constantij edidit. Similem exitum habuit Disputatio Cantabrigen. quam Albanus Langdailus Archiepiscopus Cicestren. in Catholica sua confutatione determinationis, à Nicolao Ridleo sedem Episcopalem apud Roffam occupantis, ita persequitur. Vix dum finita Collegiorum visitatione, en affixas ab Euangelicis, ad Scholarum valuas Conclusiones, quarum altera affirmabat, quod transubstantiatio nequeat, vel ex apertis scripturæ verbis, vel veterum ante mille annos Orthodoxorum consensu confirmari. Altera, quod in Cœna Domini, nulla sit alia oblatio, quam gratiarum actio, & mortis Dominicæ Commemoratio. Adfuit continuo Nuntius, quem Bedellum appellamus, qui Regio nomine Scholæ Præsides sic alloquebatur: vt si vel ipsi, vel alij quicumque, contra, quicquàm dicere voluerint, nunc iam proferant, posthac alioqui perpetuo sileant. Quiquidem inexpectatus nuntius, inexpectatum etiam disputationis diem tertium indixit, eum scilicet, quo Christiani Sacrum Corporis Christi festum celebrant, vt eo ipso contra Corpus Christi ageretur. Reperti sunt tamen Dei beneficio, qui publicam orbis Christiani fidem, & pure, & generosissimè tuerentur. Aderãt, præter visitatores quos diximus Regios, cõplures egregij, ac valde nobi-

nobiles viri, qui, quo commodius spectarent, & audirent, gradus quosdam ascenderunt, vbi, & Rossensis Aposcopus huius mali caput, atque origo inter cæteros adstabat, iamque respondentis munus obeuntem, opponentium rationibus, succumbere animaduertens, quasi succenturiatus aderat, Huius enim opera, quoties causa periclitabatur haud vnquam defuit, vnde, & totius disputationis pondus, quasi alter, Hercules defessò scilicet Atlante, suis sustinere visus est, humeris, Suis, inquam, Nam qui vel indifferentes, vt ita loquar, & neutri aduenerant, hi magna inæqualitate omnia peragi quærebantur, Isthic Catholicæ orationis filum vix dum inceptum, vel abruptum pænitus, vel interruptum, ad tempus, vel alio translatum sæpè videas, Prætereà nunc minis, nunc blanditijs, nonnunquam etiam, inter disputandum amaris Ironijs nonnullos aderitur, Quid multis? primi diei disputatione sic peracta, publicè ante dimissam Scholam, visitatorum iussu, tale edictum subitò proponitur, Vt si quis intra vnum, & alterum diem, velit contrariam partem (Catholicam dicimus) defendere ac tueri, liceret: quod ita gestum est, quasi si nemo assurgeret, ipsi perpetuo omnibus silentium sua authoritate imponebant, Iam hinc alius alium subinde aspectabat, immò qui huic muneri se vltro offerat expectabant, potius, Tota itaque concione alto silentio persistente, ecce tibi virum, Qualem vis dicam: Certè vel illorum omnium iudicio, & grauitate maturum, & pietate doctum, qui tam cognitione linguarum peritus, vt Sacræ Theologiæ Lectionem publicam, professor, magna cum laude diu prælegeret: Is se murum æreum, (vt Prophetæ verbis dicam) pro vero Israele opponere non dubitauit, & respondentis sedem suo tempore capessens, declarationem suam, quam positionem, Cantabrigenses appellamus, sic è Psalmo orsus est, Credidi, ait Propheta, propter quod locutus sum, & nos (inquit ille) credimus, propter quod, & loquimur, &c. Quo quidem orationis suæ diuino exordio, illorum animos sic percussit, sic piorum mentes reffecit, vt hos erectos, illos iacentes iam videas, Pulchrè itaque à nostris conflictum est, sed apud aduersarios frustra contorquentes se, & obtorto collo, Ecclesiæ dogmata in rem suam trahentes, dogma præsertim de cœna, quod subinde simulabant, & dissimulabant, sursum deorsum versantes, illudentes, confundentes, omnia, dum, ait corpus christi præsens esse, significatione, repræsentatione, meditatione, appellatione, proprietate, natura, potestate, gratia, memoria, virtute denique corporis: & omni alia eludendi, euadendique ratione, vt veritatem, è sacro mysterio fràudulenter auferrent, & penitus excluderent.

Vbi igitur tribus diebus acriter hinc inde pugnatum est, tandem inito cum cæteris Illustribus viris, qui aderant consilio, eorumque fretus authoritate, Aposcopus quem diximus, licet victus esset, victor tamen videri voluit, & impositio nostris silentio, pro suo arbitratu determinationem prædictarum conclusionum, eam edidit, quæ vt ab Authore dictata est, & à pijs, & doctis viris pugillaribus excepta, hic à nobis inseritur.

Firmamẽta mea, seu fontes potius firmamentorum, quibus causa nititur quinque sunt.

1 Primum est Authoritas, maiestas, & veritas Sacræ Scripturæ.
2 Secundum, certissima testimonia Orthodoxorum Patrum, quæ meo iudicio hanc causam satis aperiunt.
3 Tertium est, Ratio Sacramenti.
4 Quartum, Horror Eucharisticæ Hæreseos, qui oriri potest ex transubstantiatione.
5 Quintum certa persuasio Articuli fidei Ascendit ad cœlos, &c.

Comitia. Augustana.

1550.

Princeps Mauritius, concilium, è suo capite fingit. Interim conscribitur.

AD hæc Comitia, misit Mauritius legatos suos, per quos ostendit; se nō aliter probaturum decreta Concilij Trident. nisi etiam Augustanæ, Cōfess. Theologi, habeant definiendi potestatē: & Pontifex non obtineat Præsidis locū, in Concilio: Conuenire profecto decantatissimę à Luthero Euangelicæ libertati existimabant, vt nec Deo, nec Christo eius, nec Pontifici, nec Cæsari, nec Concilio, nec vllis mortalium decretis, & constitutionibus parerēt; ex quo illud etiam consecutum est, vt sederent sicut olim Iudæi, sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod. & sine Theraphim, &c. Pareant ergo miseri homines, Apostatæ Luthero, pareant, adultero Caluino, pareant Carnifici Sudrouio, pareant Hesusio: è sex vrbibus ob seditionem eiecto, pareant Lublineñ. Ministro, Muscas illis pro Spiritu Sancto offerenti, pareāt omnibus Apostatis, qui Christo parere, per electa vasa sua loquenti, & decernenti recusarunt, Qui sordet, ait scriptura, sordescat adhuc, Formula quoque dicta, Interim conscribitur, certa capita doctrinæ, & Cæremoniarum continens, vsque ad Concilij deffinitionem: sub cuius deinceps tutela, mille sese hæreses occultarunt.

Synodus Bernensis.

1554.

Bernenses Mattheologi cum Caluino, & Geneueñ. contendunt, Caluini Institutiones prohibentur, Calesius Christum abnegat.

CVM Andreas Zebedæus, & Ioan. Angelus, Ministri Zuingliani, ille Nyonis, hic Burfini oppidorum Bernatensium publicè in suis Concionibus, & priuatis Colloquijs hæresis notarent Caluinum, Ipse, cum suis discipulis, & Symmistis, & Synagonistis, Bernam profectus, Mēse Noueb. quasi coacta Synodo actionem in eos calumniarum intentauit, Illi contra, collectos ex eius libris Latinis, & Gallicis, 15. articulos, de prædestinatione, & reprobatione: hæreticos esse, etiam pœna incendij proposita, docere paratos se offerrebant. Et cōquesti præterea sunt, quorundam Francorum exulum, Clandestinis persuasionibus, suos Bernenses, Gæneuam pertrahi, vt illic Cœnam de Caluini manibus sumerent: Post longam, & acerbam contentionem, decernit Senatus Bernensis: ne libros, quibus huiusmodi articuli continerentur, qualis est Institutio Caluini, de inceps ederent, aut venderēt: vtque formula Cathechismi Bernensis retineretur, repudiato Geneuensi. In eodē Conuentu, Calesius quidam Caluini Collega publice affirmabat, Christum nec aliud, nec alium esse à Patre: quā blasphemiam, nec Geneuenses nec Bernēses Mattheologi refutarunt, solo tantum Petro, Carolo Calesium reprehendente, Anabaptistarum præterea rationes, & articulos reiecerunt, sicut apparet ex Concionibus Ministrorum in illo ipso Colloquio habitis: Chronologiæ, fol. 450.

Disputatio Francofordiæ.

1556.

Caluinus, cum Velsio, disputationē de re Sacramētaria instituit, Senatus Frā cofordiensis prohibuit, & Caluinum Ciuitate, excedere iussit.

VISVM est garrulo Caluino, de rē Sacramentaria publicè disputationem instituere Francofordiæ, cum Iusto Velsio Lutherani verbi Ministro: in qua primum locum habere voluit eam controuersiam, quæ est de libero arbitrio, Sed cum ea res Senatui Ciuitatis innotuisset, reiectus est Caluinus ab omni, non solum disputatione, sed, & sermone: eo quod Zuinglianus esset: indeq; discessit, Quæ res visa est Geneuensibus indignissima, quod Patriarcha suus modo non Deus ab iliis habitus à Colloquio arceretur, idq; crimen læsæ Maiestatis proculdubio vocassent, si in Francofordien. imperium obtinuissent, Coactus est itaq; Francofordia recedere Caluiuus, occinēte Velsio, Sciant posteri seruiuisse Caluino Geneuam, nō seruiuisse Francofordiā.

Col-

Colloquium Vormatiense.

1557.

Colloquium, Cæsaris authoritate, inter Cathol. & Hæreticos institutum, ob mutuam Euangelicorum inter se dissensionem, dum alij alios à Colloquio excludunt, & damnãt, exitum nullum habuit.

DE Colloquio Vormatiensi, in quo ipsi etiã Principes Catholici quod dolendum est, minis, & clamoribus Euangelicorum adducti, magnũ præsidium constitutum putabant, ad res religionis componendas, libet paulo copiosius differere, vt omnes pacis amãtes intelligant, non esse consilium contra dominum: quodq; in tenebris non inuenitur, quod in sole amittitur.

Extat Recessus Comitiorum Ratisbonensium, Ferdinandi Catholicissimi Cęsaris authoritate, conscriptus, in quo recẽsetur, quod in superioribus Germaniæ Comitijs, & consultationibus, & deliberationibus, quatuor viæ ostendebantur, ad stabiliendam in Germania religionis Concordiam.

Generale Concilium, Nationale Concilium, Colloquia dissidentium, & Congregatio ordinum Imperij, ad habendam disputationem: Generale Cõcilium, etsi videretur omnium vtilissimum, ob bella, & domesticas Germaniæ dissensiones cõgregari non posse, dicebant: Nationale Concilium non expedire: Congregationem ordinum inutilem esse: Quamobrẽ Colloquiũ instituendum in Ciuitate Vormatien. putauerunt: Eius porrò præsidentem Spirensem Episcopum decreuerunt, Quatuor Principes assessores ex vtraque parte, cum facultate substituẽdi: Sex Collocutores, Sex adiunctos, Sex auditores: & duos Notarios, Totidem ex altera parte: lis porrò omnibus, impositum est summum silentium, ne quicquã omnino propalarent: sed quæcumq; essent à Notarijs acta, & in Protocolla conscripta; deberent, in Arcam recludi, cuius vnam clauem præsidens, alteram assessores antiquę religionis, Tertiam Assessores Augustanę Confessionis, tantisper asseruarent, dum illa ipsa Arca (Fœderis scilicet) ad futura Imperij Comitia deportaretur: in quibus demum Acta Colloquij, ex Protocollis ab inelitis Ordinibus promerentur, & propalarentur: Ordinati quoque fuerunt supernumerarij Theologi, vtriusque religionis, qui substituerentur in locum, aut morbo impeditorum, aut morte ereptorũ, Notarij porrò debebant eligi non quiuis è vulgo, sed qui essent expediti ad excipienda disputantium verba: quiq; terminos Theologiæ (sic enim Cæsaris decretum habet) benè caleant, & statim exemplaria reuisa, & collata in cistam reponant, Iuramentumq; corporale præstent de silentio, Multæ sunt aliæ, quas explicare longũ esset, leges, & conditiones appositæ assessoribus, Auditoribus, Adiunctis, Notarijs, Supernumerarijs, Sed ex tanto Elephante natus est ridiculus mus, verumq; esse apparuit, quod olim dixit Gregor. Nazianzenus, de Deo non aliter esse pugnandum, & agendum quam ipse vult, Porrò Deus per Apostolos suos, Si in Ecclesia de aliquo verbo videre necesse est, docuit nos agendum esse in Concilijs generalibus, non in Colloquijs particularibus. Hunc itaq; progressum, & exitũ fuisse tantopere expetiti Colloquij, scribit Surlus, Cuius verba libet apponere. Hoc anno Colloquium indictum est Vormatiæ, inter Catholicos, & Luteranos, Accidit ibi quidam longe fœdissimum, quod operæpretium sit ad posteritatis notitiã transmittere, Erant Euangelicarum partium duodecim Theologi: Ab his Catholici Theologi petierunt, quandoquidem multiiuges sectæ, sub Augustana Cõfessione se comprehendi volunt, quæ tamen etiam in maximis rebus inter se dissentiant, vt tamen declarare velint, quas ipsi sectas, Augustanæ confess. vel consentaneas, vel dissentaneas statuant. Nam decretum erat, inter eos solos Colloquiũ habendum, qui essent vel religionis veteris, vel Augustanæ Confess. exclusis reliquis sectis omnibus, Ibi in diem vsque decimum sextum certatum est inter ipsos Euangelicos Theologos: nec tamen res componi potuit: quod alij ex ijs sectas

quasdam, tanquam a confessione Augustsna discrepantes excluderent, & damnarent: alij retinendas, eisque parcendũ cẽ serent, Ea contentio, & altercatio, eo vsque progressa est, vt ex duodecim, quinq; reiecti sint: nec eos deinceps collegarum, & Symmistarum, loco habere voluerint, reliqui septem: Itaq; quinq; illi à suis socijs excommunicati, relicto colloquio, domum redierunt, Erat expectatio magna alicuius inter catholicos, & Euangelicos conciliandæ concordiæ, sed ea vsq; adeò iniri non potuit, vt ipsi Euangelici in duas propemodum æquales partes turpissimè dissecti, catholicis non immeritò dubitationem attulerint, vtra pars confess. Augusta. sequeretur, Nec leuibus de rebus isti Euangelici Theologi inter se rixabantur, sed de præcipuis capitibus: puta de Libero arbitrio, de Iustificatione, de operibus, de Sacramentis, præsertim, de Eucharistia, Et certè quinque illi, exclusi Theologi, literas sigillis suis munitas, nostris Theologis tradidere, quibus testabantur, omnis generis hactenus exortas sectas, & corruptellas irrepsisse, & earum authores Confessioni Augustanæ se immiscuisse, & sub August. Confessionis prætextu, tanquàm eiusmodi hæreses illi consentaneæ sint, eos defendere voluisse, &c. Quando verò ipsi quinq; eos à Confess. Augustana excludere, & specifice cõdemnare voluerint, à suis reliquis septẽ Collegis, & socijs ex eorum consortio extrusos esse, &c. Itaq; istis ita inter se distractis, & quod à Septem reliquis, qui Vormatiæ remanserat, nũquam impetrari potuit, vt multiplices sectas à Confessione Augustana specificè separarent, atque damnarent: nẽ frustra cum Euangelicis Colloquij labor omnis infumeretur, necessario hac vice Colloquium intermitti, & suspendi oportuit: Prodierunt posteà scripta acerbissima præsertim Nicolai Amsdorphij, & Nicolai Galli, quibus mirabiliter lacerant illos septem, qui alios quinq; reiecerũt: Inter alia sic habet Amsdolphius, in libello cui titulum fecit, Publica Confessio puræ doctrinę Euangelij, & Confutatio præsentium Suermerorum, Brentius, inquit, & Adiaphoristæ (Philippum Melanchtonem, & socios intelligit) iam in Colloquio Vormatiensi Zuingliũ, & Osiandrum, ob linguarũ, & artium insignem peritiam, condemnare noluerunt: nostros autem qui in Colloquium illud consentire recusarunt, nisi illi damnarentur sannis, & contumelijs laceratos à Colloquio excluserunt, & abire compulerũt: Nos Zinglianam, & Osiandrinam hæreses, tranquilla conscientia amplecti non possumus: Et quãuis Theologi qui in Vormatiẽsi Colloquio, post nostrorum discessum permanserẽ, publicè editis scriptis testati sunt, se ab Augustana Confessione nolle discedere, re tamen ipsa diuersum planè faciunt. Cum enim Zuinglianos, & Osiandrinos execrari nolint, non possunt Augustanæ confessioni adhærere, &c. Posteà nominatim sex damnat sectas, ac diris deuouet, quæ tamen ferè omnes ad Augustanam confessionem se referũt, Nicolaus Gallus præco Ratisboneñ. in suis Thesibus, & Hypotyposibus, inter cætera disertis verbis, ita scribit. Nõ sunt leues inter nos (Euangelicos) concertationes, nec de rebus leuibus, sed de sublimibus doctrinæ Chtistianæ articulis: de Lege, & Euangelio, de Iustificatione, & Bonis operibus, de Sacramentis, & vsu Cęremoniarum, nec vlla ratione componi, & transigi possunt, O quam gratum Catholicis spectaculum istorum inter istos dissensio. In eodem Colloquio, visus est Andreas Smidelinns Faberculus in frequentissimo auditorio suggestum ascendisse, cum sago aulico paululum infra genua manica altera, picturata; circa sinistrum humerum, exertis vtrinq; brachijs, & cum cultro venatorio, ad latus, In sola itaque Euangelicorum contentione, hoc quoq; Colloquium transmissum est.

Conuentus Saxonicus.

1559.

Lutherani, Colloquiũ inter se instituũt, à quo tamen plerosq; Lutheranorum cohortes, arcent: qui exacerbati rem conuitijs, & maledictis extraxerunt, & Colloquij progressum impediuerunt.

DV-

DVCES Vinarienſes, indicto inter ſe,& Miniſtros ſuos Colloquio ſiue Conuentu, ſcriptum quoddã publicum, latina ſimul & Germanica lingua ediderunt, in quo nouem ſectas, ab eorum ſententia diſſentientes, condemnarunt: & ab omni Colloquio, & diſputatione arceri voluerunt, Huic ſimile ſcriptum ediderunt Miniſtri Mansfeldenſes, in quo plures adhuc ſectas, ſcilicet vndecim anathemate percuſſerunt, Papiſtas, vt vocant, Maioriſtas, Adiaphoriſtas, Philippiſtas, Seruetianos, Svencfeldianos, Anthinomos, Oſiandrinos, Anabaptiſtas, Sacramentarios, & vnam Cathol. Sacerdotum Societatẽ, quos Ieſuitas vocant, adiunxerunt, Flaccus quoque ſupplicatorios quoſdam libellos, ad Saxoniæ Principes edidit, quibus inſtat, & vrget, vt in Germania Synodus habeatur, in qua tamen cæteris omnibus ſectis reprobatis, cum ſolis Synergiſtis, Adiaphoriſtis, & Maioriſtis in certamen deſcendere cogitabat: Ex hoc autem fonte prodijt, atrox illud Heſuſij, & Clebitij certamen in Academia Heildebergen. de Cæna Domini, de quo quid ſentiret Philippus, Princeps Palatinus perquiſiuit; Ille vero, ſic reſpondit, vt nouum quoddam Sacramentariæ impietatis genus effinxiſſe videretur: cui ſtatim Gallus reſpõdit, Clebitius vero ſubito Triumphos egit, edito libello quem inſcripſit, Victoria veritatis, & Ruina Papatus Saxonici.

Diſputatio Londini.

1559.

Diſputatio Catholicorum cum Euangelicis inſtituitur, ſed iſtorum potentia, clamore, artibus illi opprimuntur, ne ſe poſſent explicare, Euangelici tamen, vt victores, non victis Catholicis inſultãt.

ELISABETA Angliæ prætenſa Regina, Noua in ſeruos Dei Iezabel, vt aliqua ratione frangeret, aut ſaltem labefactaret, conſtantiam, Orthodoxorum Epiſcoporum: qui ſeſe in Parlamento Londinen. contra eius impia decreta, murum opponebant, diſputationem cum Proteſtantibus inſtituit; quam etſi minime neceſſariam eſſe dicerent Epiſcopi, poſt omnia à multis ſæculis per concilia, & Pontifices diligentiſſimè examinata, & conſtituta, quæ in dubium reuocare nefas eſſet: præſertim coram imperito, & nouitatis ſtudioſo populo, qui clamoribus potius quam argumentis definire negotia conſueuiſſet: ipſa tamen omnem quærens, & perdendæ religionis, & ordinis Eccleſiaſtici euertendi occaſionem, Proteſtantibus ſuis mandauit, vt eos articulos ad diſputandum proponerent, qui plura ſcripturæ loca, pro ſe habere viderentur, qualis eſt, de vtraq; ſpecie, de publicis præcibus lingua vulgari habendis, & id genus, Dies itaque, & locus diſputationi deſignatus eſt, perſonæ vtrinque delectæ, Iudex etiam (ſi dijs placet) homo laicus rerum diuinarum prorſus imperitus Nicolaus Baconus decernitur. Ad diem 3. Aprilis inchoata eſt diſputatio, in qua nouas ſtatim, & iniquiſſimas leges Hæretici, Catholicis obtruſerunt: de quibus dũ diſceptatur Proteſtantes clamoribus, & ſybillis Catholicos obruebant, Prophanus Iudex omnia mutabat, & moderabatur, vt volebat: ſine ordine, omnia, & ratione gerebantur: ita, vt fere nulla ad rem ipſam fieret acceſſio, ac ita res ad nihilum rediit, hæreticis de victoria ante victoriam Triũphos canentibus, & Catholicos acerbiſſime, oppugnantibus, tanquam victos.

Conuentus Numbergen.

1561.

Lutherani; Zuinglianos damnare, con-

contendunt, vnde miræ exortæ diſſenſiones, & mutuæ ipſorum Lutheranorũ, execrationes.

QVO tempore ego Viennæ, in Aula Ferdinandi Catholiciſſimi Imperatoris viuebã, habitus fuit Numburgi Proteſtantiũ Principum Conuẽtus: de cuius actis quotidianę litterę ad Cardinalem Hoſium perferebãtur, In eo actum eſt de Zuinglianis ſolemniter, & apertiſſime damnandis: ſed ea res exitum non habuit: ob nonnullos illi ſectæ, non plane inimicos, Fuit ibi quoque Nuncius Apoſtolicus, Delphinus à Pio Quarto Põtifice, miſſus, vt dubios illos, & diſſidentes de religione Principes ad Sac. Cõcil. Trident. inuitaret, Sed paterna optimi Põtif. exhortatio locum non habuit, ob odia in ſedem Romanam concepta: & quod illi Principes Miniſtrorum, & Magiſtrorum ſuorũ verbis, plus æquo, tribuerent. Porrò Caluinus ea Principum deliberatione irritatus, ſcriptum cõtra Heſuſium euulgauit, quibus eius nebulæ diſcutiuntur, Huic Beza fidus Achates duos dialogos addidit, aduerſus Heſuſij ſomnia, Alteri Cyclops, alteri Sophiſta nomen dedit, Item abſterſionẽ Heſuſij Calumniarum, in Caluinum; Boquinus quoq; examen libri Heſuſiani euulgauit, Sturmius quoque Buceri ſcripta diuulgat, Kemnitius viciſſim Lutheranus repetitionem ſanæ doctrinæ de Cæna edidit, Brentius Zuinglianum de eadem Cæna errorẽ, Lutherice, moderatur, tabeſcentibus Zuinglianis: eos viciſſim Petrus Martyr defendit, O Deos Homericos, ò Cænas Euangelicorum Thieſtias.

Si pudor, & ipſa humanitas: quid dico pudor, quem amiſerunt: quid humanitas, quam perdiderunt: ſi crux, ſi furca permitteret, pro Chriſti carne, vnus alterius carnes in cæna proculdubio longe libentius apponeret, & voraret: & pro vini calice proximi quiſq; ſui, ſanguinem helluaret. De huius Conuentus actis in hæc verba ſcripſit quidam Cardinali Hoſio, Iuniores Duces Saxoniæ, qui Vinarien. vocantur, ſummis clamoribus agitarunt, vt antequam Auguſtana Confeſſio, ſubſcriberetur, nominatim damnarẽtur omnes illæ ſectæ, quæ ipſorum iudicio, cum illa viderentur pugnare. Nominauerunt autem ſequentes.

Anabaptiſtas.	Ieſuitas.
Stancarianos.	Svencfeldianos.
Seruetianos.	Sacramentarios.
Antinomos.	Oſiandrinos.

Corruptores doctrinæ de libero arbitrio.
Eos qui rurſus inuehunt neceſſitatem bonorum operum, &
Adiaphoriſtas.

Id cum reliqui Principes facere recuſarent, ſumpto eo colore, quod iniquum eſſet aliquem inauditum condemnare, (cum tamen ipſi quotidie nos inauditos, non ſolum condemnẽt, verum & diris deuoueant) diſceſſit Dux Ioannes Fridericus è Conuentu, cum magna indignatione: ſocerumq; ſuum Comitem Palatinũ cõtumelijs onerauit, vt nec nomine Chriſtiano eum dignũ cenſeret, Ij qui remanſerunt proculdubio lupum tenẽt auribus: quamuis enim omnes Principes quotquot nouam religionem profitentur, huic Conuentui intereſſe debuerint, tamen vident minorem illam partem comparuiſſe, præcipuè vero de Marchionũ Brandeburgenſium familia, nemo adeſt. Ciuitates vna cum Communitatibus, & Baronibus non ſunt vocatæ; Niſi quod Comites Mansfeldenſes (vt audio) pedibus eunt in ſententiam Vinarienſium. Neſciunt ergo ij, qui adſunt cuius opinionis futuri ſint abſentes, aut vtri parti adhæſuri. Et poteſt fieri, quod forte ex præſentibus nonnulli vehementer vacillent, Cuperent enim fortaſſis cum potioribus illis inſeruire tẽpori, ita vt nihil penitus certi, ſeu cõſtituti haberent in religione, niſi quod rebus ipſorum priuatis conducetet, Sed timent plebem, præcipue Saxonicã, quæ tota dependet à Luthero Propheta rigido: quæ neſcit in hac parte ſimulare, vel diſſimulare: ſed probat ea, quæ ſibi videntur probanda, quæ vero minus, ea pleniſſimo ore additis etiam verbis impuris condemnãt.

Huius rei gratia dicuntur nunc meditari alium Conuentum, hoc ego intelligo (vt aiunt) ad nihil faciendum, Vel monere velle Cæſarem, de conſcribendis Comitijs: quaſi vero noſtra plurimũ interſit,

vt

vt ipsi inter se ad concordiam redacti nostram deinde religionem, quæ vnica, & vera est, vno ore oppugnent.

Disputatio Possiaca.

1561.

Beza', & Martyr, victus à Catholicis: cursum disputationis abrumpunt, sed collapsam causam, armis erigunt.

FVRENTIBVS, & frementibus Hæreticis: in Gallia, & Rege puero, ad Regni gubernacula, Regina vero matre duabus, quod aiunt, sellis sedente, Instituta fuit Posiaci disputatio inter Catholicos, & hæreticos, Aderat Rex puer, Regina mater, Episcopi, & Regni proceres plurimi, Beza quoque, Petrus Martyr, & alij vndecim Ministri, præcio ab Hæreticis Principibus cõducti, lecticis, equis, vehiculis velocibus, & gradarijs, alijsq; delicatissimis vecti venerũt: inq; ipsa Regia seditiosissimas Cõciones habuerunt, Redeat tibi in mentem Beza (ait in Apologia sua doctissimus Sanctius) quorum Comitatu ducebamini in Regiam, & reducebamini in hospitium, cum vobis humillimis, scilicet, verbi Dei Ministris, prẽirent anteambulones aurati, torquati, holoserícati, & armati: magna vero à tergo sequeretur stipatorum turba: quorum insuper mensa fruebamini, quorum crebris salutationibus frequentabamini; ne quis vestris mensis, lectulis, & cubiculis deesset apparatus. Quanti in illo Cõuentu, te, magnificentius, quam ipsi nostri Principes incedente, eruperunt nobilissimorum hominũ gemitus? cum te, ac tuos, intuerentur, in ædibus Christianissimorũ Regum: cum liberis, & vxore, ipsorum memorijs insultare; & in Aula regnare maiore satellicio, quam vos, & vestri similes à mille annis: cũ ex oppidulo S. Germani rhedis procerum, seritatis, veheremini: cum magna pompa militũ, Vos, 12. Sathanæ Ministri, ordine procedentes, in Monasterium deduceremini: ita, vt quisq; vnum haberet, sibi aliquem Collateronem, ex Nobilibus, quos Prouinciarum deputatos vocant, à quibus etiam exeuntes Monasterio', excipiebamini: & quasi laboribus fracti, brachio sub axillã inserto, cui quasi delicatæ virgines, aut fœminæ grauidæ, incumbebatis in hospitium, ad Angelicum insigne reducebamini, Ibi, inquit, comportatis Oenophoris argenteis, & crateris refecti, depositis Apostolorum persona, Mimi, quandoq; nugigeruli, efficiebãtur, Marotopsalmos hilariter cantitantes, Inuisebantur, etiam à suis magna frequentia quasi ad gratificandum de victoria: Postea vero conscensis rhedis reuolabant per medias syluas in Regium oppidulũ, & toto itinere Marotopsalmis sese oblectabant, & suauissimæ Candidæ, atq; Audeberti memoria, Isti itaq; ita turgidi, delicatiq; Magistri, & Ministri, cum ad disputationẽ ventum esset, insignis arrogantiæ luculentissimum specimen initio statim ediderunt, In primo enim Regum, & Principum consensu, intra septa, siue cancellos vbi Rex sedebat, irrumpere voluerunt: vt primos accubitus occuparent: sed à Regijs prohibiti, iussi sunt extra Cancellos, causam si quam haberent stantes, proponere: Disputatum itaq; est, primum publice, Deinde, & priuatim, summa animorum cõtentione, non à Theologis tantum, sed etiam ab ipso Illustrissimo Cardinale Lotharingo, de reali præsentia Christi corporis, & sanguinis in Eucharistiã: de quo Mysterio, licet Beza verbi Dux, pollicitus esset Regi suo se nihil dicturum, quod illius dignitatem minuere, aut perturbare auditores posset: cum tamen vi veritatis præmeretur, nec haberet, quod responderet, furenti similis, assistente socio Petro Martyre, ausus est in summorum Regum præsentia, virus suæ in Deum acerbitatis euomere, dicens, Tam longe abesse Christi corpus ab Eucharistia, quam longe abest cælum à terra, Quæ blasphemia cum iterum esset refutata, quidam Bezæ socius, volens Catholicorum fremitum mitigare, lepide intulit, Quomodo credat (Beza) esse Christi corpus in Eucharistia, qui vix in Cœlo Deum vllũ esse credit? Cum autẽ aliquot diebus interiectis, ad alteram ventum esset collationem, ac iterum de Christi præsentia vali-

validissimis argumẽtis vrgeretur, ad eam delapsus est insaniam, vt mallet Deũ negare omnipotentem, quam Christi carnẽ in Cœna præsentem: quod videlicet efficere Deus non posset, vt corpus aliquot manente substantia, sit absq; loco, vel in pluribus locis simul, Illud etiam Angeli, Non est impossibile apud Deũ omne verbum, non sine exceptione accipiẽdum dicebat: factum enim, nequit fieri infectũ, & bis tria nequiunt nõ esse, Sex, Quo maiorem autem sibi, verbisq; suis apud omnes authoritatem cõciliaret, & ipsi quoque Regi, & domino suo formidabilior esset, stare se in illo Conuentu, agereq; dicebat, Heluetiorum, Germanorum, & Polonorum nomine, homo qui impietate Lucianos, crudelitate Syllas, lasciuia linguęq; procacitate Catullos, Tibullos, & Martiales, omnes superabat, At assessor Bezæ, Martyr, palam Caluino reclamabat, de Germanis dicẽs, Tygurinos aliud dogma diuersum à Caluino defendere, Beza verò quærẽs effugia expectare se dicebat, vt erudiretur, ex sententia Ecclesiasticorum Doctorum, qui floruerunt vsq; ad annum Christi 600. de reali Christi præsentia: & allata sunt plusquam 50. volumina, & in ijs, hæc quæ volebat ostensa, iam ante notata Patrum loca: vt quærendi labor abesset: quæ cum negare Beza non posset, cũ ijs se sentire simulabat: perpetuo, vt habet Balduinus, ingeminãs vere, realiter, substantialiter, esse Christi corpus in Cœna; his scilicet verbis auditorum auribus imponens, & in suo nihilominus sensu persistens, Quam fallaciam deprehendentes Theologi, vt sese clarius explicaret, vrgebant, At Beza corclausum habens ad veritatẽ, auditorium traduxit ad alteram altercationẽ, & quidem magna simulatione, nouæ modestiæ, obstupo capite, demissis auriculis, oculis in terram defixis, tremula voce, vix hęc tandem elocutus est, Nolle se perturbare concordata inter Papam, & Gallię Regẽ, Porrò cum iterũ vrgeretur à Theologis, à quo ad prædicandum missus esset, dicebat vocationem suam esse extraordinariam, sicut olim Pauli fuit.

Cum diceretur miraculis esse probandam istam extraordinariam vocationem: respondere ausus est homo sceleratus, vitæ suæ, morumq; innocentiam, & puritatem, pro idoneo, & sufficienti extraordinariæ, & legitimæ vocationis miraculo, & testimonio habendã esse. Libet hic partem disputationis huius Posiacen. inferere, sicut ab occulato, & aurito illius teste Sanctio in responsione ad Apologiam recensentur. Post habitam à Principe Cardinali publicam orationem contra Bezã, ac duodecim illius assessores ministros, rogauit Cardinalis Turnouius, alijque Illustrissimi Cardinales cum Episcopis, qui aderant, ne postea daretur nouis illis ministris audientia, nisi iuxta condictum, & promissum de præsentia corporis Domini, desinerent litem mouere. Quo magis instabant Episcopi, magis incẽdebantur ad dicẽdum Ministri: & magnis fautoribus atque instigatoribus nitebantur. Cum ab Episcopis impetrari nequiret, vt ad istos audiendos iterum conuenirent, simularunt, qui Ministrorum causam promouebant, se nihil aliud optare, quam inspectis libris comprobari, quæ Cardinalis de Cœna Domini fuisset elocutus. Ideo petierunt, vt curaret ille locos annotari, ac libros comportari in secretius cubiculum Prioriſſæ Monasterij Possiacẽsi: intra cuius septum habebatur Episcoporum conuentus. Die dicta, Regina cum Principibus consilijq; proceribus, in eum locum venit, vbi etiã Illustrissimus Cardinalis Lotharingus cũ Illustrissimo Cardinali Borbonio, paucisq; admodum Episcopis sedit, & eo vocati, & admissi sunt dnodecim illi ministri, & vna pauciores Theologi. Libri iacebant notati, & aperti ad indicandum in interiori conclaui, vnde erant depromendi, Beza ad dicendum surrexit, & de libris nullam mentionem fecit, sed nouam exorsus est declamationem, de notis Ecclesię, ac legitimis ministris, Ea finita, Christianissimus Cardinalis interfatus est, nil tot verbis opus esse: conuentum inter Episcopos de nõ audiendis ministris, nisi saltem iuxta promissum datum, ab his, qui præstare debebant, articulo de existentia carnis dominicę in Sacramento altaris acquiescerẽt. Iam libris omissis adeò importune ante requisitis, ad alias quęstiones progressum fieri,

fieri, sibi non integrum assentiri. Proinde Augustanæ Cõfessioni, aut alteri iam ab alijs conceptæ formæ de Eucharistia subscriberent, quales duas è sinu de Germania allatas produxit: aut referendi ad Episcopos de nouiter gestis potestatem postulabat à Regina, atque abeundi. Tum ea fuere dicta, de August. Confess. quæ non satis est semel Bezæ repetere. Post habitos vltro, citroq; sermones huiusmodi, eruditissimus Theologus Do. Espencæus colloquium fecit contra Bezam de vocatione legitima ministrorum: & de principijs religionis Christianæ. In quo quamuis in summas angustias redigeretur: Videbam tamen Bezam eo magis efferri, & quo mitius cum eo agebatur, eo ferociorem fieri. Tum efflagitare cæpi precibus à Mecænate meo Christianissimo Cardinali, vti mihi differendi licentiã dari impetraret, à Regina. Quæsiuit ex me qua de re disputationem vellem instituere, de eadem, de qua nunc contenditur, cum respondissem; & vtrinq; differendi finem illi fecissent: habita per Reginam loquẽdi licentia, contra vocationem extraordinariam, ex Sleydano protuli Epistolam Lutheri ad Senatum Mulhusium, aduersus Anabaptistas, & alia nonnulla: & cum ex solis scripturis fidem pendere, ac probari defenderet Beza: inter alia designaui de Virginitate Mariæ matris Dei, post partum, quæ scripturis expressis nõ contineretur, & Infantium baptismate, quod mihi viderentur Caluinistæ, sine scripturis expressis, nobiscum credere, necessario administrandum. Non dubium quin Beza, omnesque, qui impendio illi fauebant, iudicarint, indignum tantillum monachum, cum ingenti Caluinistarum bellua depugnare, eoque magis fremebant, quo magis vrgebam. Respondit Beza pie se credere virginitatem post partũ in Maria: non tamen in articulis necessarijs ad salutẽ ponere. Cui cum ego obiecissem, cur ergo istud inter articulos Symboli Apostolici, ac fidei necessarios ad salutem in publica sua confessione coram Rege pronunciata, & scripto tradita, annumerasset? obticuit, & ad baptismum paruulorum transiluit, eumque præcipi dixit ab expressa scriptura de Circuncisione, quæ iuberetur conferri octauo die. Ego vero subieci ex ea scriptura, tantum masculos fore tingendos, & non infantes fœminas, quandoquidem tantum teneli mares subirent Circuncisionem, & non puellulæ, quæ Circuncisioni nunquàm fuerunt obnoxiæ. Obmutuit iterum Beza, & in visum effusi sunt omnes, atque ita eo die solutum fuit colloquium, sed Regina Illustrissimum Cardinalem Lotharingum, prehendit, & instituit, vt formulam aliquam tollerabilem de existentia carnis Dominicę in Eucharistia ministris proponeret: ac sequenti die me cum D. Espencæo, ad S. Germanum mitteret, vt conferremus de ipsa cum ministris, si qua concordiæ via iniri posset. Ista vero in promptu formula fuit ab Illustrissimo Domino meo his verbis concepta, & Bezæ in manum data. Firma fide confitemur in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, verum Christi corpus, & sanguinem realiter, & substantialiter, esse, & existere: sumi, & percipi à communicantibus. Priusquàm ministri è monasterio egrederentur, Beza forsim me conuenit, & ex me quæsiuit, an ablatis verbis esse, & existere, quod reliquum erat de formula, sufficeret nobis: si admitterent, ac subsignarent ministri. Respondi non esse meum ea de re definire, mihi tamen videri verbis illis remotis formulam sonare Caluinismum, aut saltem ambiguam nimium relinqui. Ex Catholicis, qui aderant, cum scriberetur illa, nonnulli precabantur Illustrissimum Cardinalem, vt aliquid in ea subindicaret, de transubstantiatione, ne male apud bonos audiret, quasi per silentium improbaret. Illi, atque alijs visum fuit satius de Caluinistarum hæresi ministros primum deijcere, deinde gradatim de singulis erroribus contra Ecclesiam Catholicam, cum ipsis agere, ne longius resilirent, quo impellerentur asperius. Sub vesperam eo die discessum fuit, & varij sermones vtrinque seminabantur. Posteaquam igitur Beza, nec literas in Cælo scriptas ostendisset, nec quisquam vocem Christi è Cœlo Bezam vocantis, audiuisset: nec vlla vnquam miracula edidisset, reiectus est, ac simul etiam disputatio ni fi-

ni finis impositus, Quæ sicut fuit minimè meditato consilio, ab ijs, à quibus non oportuit instituta: sic eum exitum accepit, quem ex eiusmodi colloquijs prouenire consueuisse, narrat Gregorius Nazan. in Epistola ad Nectarium. Ausus tamen est Lauatherus, affirmare Colloquutores Catholicos consensisse cum Ministris, Sed Claudius Espenseus in Apologia testatur, quod licet Beza, & Martyr à partibus Caluini, & Caussæ starent, in sententia tamen de Eucharistia non conueniebant, Beza dicebat, Corpus Christi in Eucharistia, reipsa quidem non esse, re ipsa tamen in illa manducari, Martyr exclamabat, neque re ipsa esse, neque re ipsa manducari, Interim tamen Beza, vt est omnium mortalium impudentissimus, gloriosam Apologiam pro sua victoria edidit, cui Doctiss. Sanctius, statim respondit; Fructum huius disputationis, graphicè depinxit, libellus Gallicus, Catholicorũ Anglorum, ad Catholicos Gallos, inscriptus; (Auertissement,) vbi ex vtero Symbleæ istius Possiaceñ. hunc quasi quendã fœtum editum testantur, Malum, aiunt, quod ante hanc disputationem in cauernis latebat, & in fossis subteranneis nutriebatur, audaciam sumpsit, tenebras reliquit, in lucem prodijt, omnia Regni mẽbra corripuit, in aciem descendit, ferro, & malitia se armauit, Regi se opposuit, Ciuitates intercepit, auripondera rapuit, Ecclesias exussit, altaria comminuit, Sacerdotes offendit, Calices expilauit, donaria depeculatus est, reliquias disijcit, monetã cudit, Nobiles perimit, Gubernatores suspendit, mercatores emungit; & ita omni inhumanitate, inhumanius, omni crudelitate crudelius: Regnum Christianissimum perturbauit, vt ad solam malorum memoriam, capilli capitis contremiscãt; ita enim existimatur, idque non sine ratione, quod si Sathan ipse, ex immò Tartaro de Cathena solueretur, minus esset in genus humanum iniquus, quam fuerunt isti Euãgelici Cannibales, erga Catholicos. Sed hęc de Possiaca disputatione dicta sufficiant.

Conuentus, & Disputatio Parisiensis, Anno.

1562.

Noua disputatio instituta, Caluinistæ ab imaginum, & templorum euersione, volunt incipere: quod cum Catholici prohibent, cursum disputationis Caluinistæ interrumpunt.

MENSE Ianuario, Senatus Regius Conuentum egit, vt statueret, tollerari non debere in Gallijs geminé religionẽ, & Hugonistis tẽpla permitti, Non deerant in Senatu, qui Caluinistis fauebant, quorum importunitati, datum est, vt liceret Hæreticis extra Vrbium mœnia cõcionari, Baptisare, suaq; administrare Sacramenta, Ea vero Regij Consilij delibera tione periculosæ indulgentiæ plena, ad Parlamentum Parisieñ. delata, contrario eius decreto, & Sententia est refutata, Disertis enim verbis Parlamentum pronunciauit, Nec possumus, nec volumus, nec debemus. in tali decreto Regij Consilij, acquiescere: Sed Caluinistæ armis, & numero suorum freti, audatiora quotidie consilia aggrediebãtur, Petiuerunt enim à Rege vt in ijsdem tẽplis, post peracta Catholica Sacra, ipsis quoque liceret sua peragere ministeria: Deinde vero, & hoc simulabant, se velle ad Catholicorum templa, & Sacra accedere, si prius quædam tollerentur, quæ ipsi censebant diuino honori repugnare, Quamobrem petebant aliquod à Rege Colloquium institui, in quo rationes eorum audirentur, & perpenderetur, Decretum itaque est, vt Catholici Theologi cum Caluini Ministris de religione disputarẽt, coram Regina, Disputatum est, E Catholicis quinque fuere Theologi facultatis Parisieñ. Viri Doctissimi: Ex Hæreticis Beza aderat, & socius eius Apostata quidam Franciscanus, qui disputationis initium tale introduxerunt. Quod ante omnia cuperẽt, statuas, imagines, aras, reliquias, omnia templorum ornamenta euertere, & delere, res scilicet oculis suis,

& moleſtas, & odioſas, antequam ſeſe, vellent vlla in re ad Catholicorũ doctrinam adiungere; Huic propoſitioni, & ſi fuerit abundè, & ſolide reſpõſum à Theologis, illi tamen de ſententia latum vnguem recedere noluerunt: ſed vt facilius imponerent, moderatiore vſi cõſilio, poſtularunt iterum; vt imagines omnes penitus abolerentur, excepto Chriſti crucifixi ſimulachro; verum hoc quoq; à Catholicis, non ſolum reiectum eſt, & refutatum: ſed à maiore quoque, & rigidiore Hugoniſtarum Miniſtrorum parte reprobatum: qui vociferabantur, eadem ratione Sanctorum imagines, qua Chriſti Crucifixi ſimulachrum adorari poſſe. Ita factum eſt, vt Hugoniſtis in priore ſententia de abolendis imaginibus, obſtinate perſeuerantibus: & Catholicis, ne hilum quidem à doctrina Eccleſiæ cedere, decedereq; volentibus: progreſſum nõ habuerit inſtituta diſputatio, Nihilominus Hugoniſtæ palam gloriari, vociferariq; non dubitabant, Catholicos victos, ſe victores, in omni diſputatione euaſiſſe, immo ſcriptum quoddam ediderunt, in quo homines mendaciſſimi auſi ſunt affirmare, quod plena Regis authoritate, impetum in templa Catholica feciſſent, imaginesq; cõtriuiſſent: nec alium exitum habuit illa diſputatio: niſi quod audaciores ad omnia nefanda reddidit Hæreticos, timidiores Catholicos, ob eorum quotidiana mendacia, de Regis in ſe ſtudio, deq; amiciſſima in doctrinam ſuam, reliquorũ Galliæ Principum voluntate.

Conuentus Halberſtatenſis.

1562.

Lutherani, publico decreto, Caluiniſtas excommunicant.

MENSE Septẽb. habitus eſt Halberſtadiæ, Conuentus Principũ, & Statuum Saxoniæ: in quo ex omnium conſenſu, & approbatione Zuinglij, & Caluini doctrina damnata, reprobataq; eſt: & omnibus, qui eam profiterentur aqua, & igni interdictum, pænęq; grauiſſimæ deſcriptæ, & promulgatæ in eos, qui in Saxoniæ Ciuitatibus receptũ illis dediſſent.

Conuentus Luneburgenſis.

1562.

Saxones Lutherani: Bremenſes Zuinglianos, ad ſe pertrahere conantur, timentes verbo Lutheri: ne verbo Caluini locũ dare coge retur.

MENSE Maio, Conuentus fuit Luneburgi Principum, & ordinũ Imperij, Circuli, vt vocant, inferioris Saxoniæ: In eo præcipue actum eſt de Bremenſibus Caluiniſantibus, ſi quo pacto reuocari ad Lutheri doctrinam, aut aliqua in eos decerni poſſit animaduerſio: ſed illi electis ex Vrbe omnibus Lutheranis, cauſam præterea ſuam egregiè defenderunt: & æque licere ſibi oſtenderunt cum Zuinglio, & Caluino ſentire, quam liceret Principibus cum Luthero conuenire: Decretum nihilominus factũ eſt, in exitium Sacramentariorum, id vnũ laborantibus Lutherani Euangelij prȩconibus, ne verbum Lutheri ſolum vertere, Caluinoq; locum dare cogeretur; qui & Bremæ ſedem fixiſſe, & in alijs locis nidificare iam videbatur. O miſeri Lutherani, apparet vobis Chriſtũ non eſſe propitium, qui ne defenſus quidem à vobis, vt iactatis, vos defendit.

Synodus Lauſanenſis.

1563.

Caluinus Arianiſat, à Petro Garolo confunditur, Symbolum Athanaſij lacerat.

HABVERVNT in Ciuitate Lauſanenſi ſuam queq; Synodum Caluiniſtæ: cui præſederũt egregij, ſcilicet, verbi iudices, & interprætes, Caſpar Megander, & P. Coruenus, & aliquot Bernates laici, contra Petrum Carolum. In ea ſeſe, & animis armabant, & con-

consilijs instruebant, ad fidem Cathol. quoquomodo extirpandam, & suam perfidiam, per fas, & nefas omni prorsus ratione stabiliendam. Notatus in illa Synodo fuit Caluinus, quemadmodum testatur Nicol. Gallasius Sacramẽtarius in defensione Farelli, quod locum illum, Ego & Pater vnum sumus, Arianicè, hoc est, de vnitate voluntatis, non essentiæ interpretaretur: eiq; se omnes opposuerunt: cumq; vrgeretur è Symbolis, vnum Apostolicum esse negabat: aut saltẽ nondum sibi constare, an verbo Dei congrueret: alia dure, & improprie locuta blasphemabat: & cachino sublato, deridebat, battologiam vocans, illa Symboli verba, Deum de Deo, lumen de lumine: & superuacaneum verborum circuitum: nec vnquàm ab Ecclesia legitima receptum fuisse asseuerabat: præcipue verò duos illos versiculos reprobabat, Alia persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Item, Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, Primum etiam, & vltimũ versiculum falsi arguebat, Sed illi, Petrus Caroli in faciẽ restitit, cui à Synodo negotium datum erat, vt & Symbolis, & Orthodoxæ de Christo doctrinæ patrocinaretur. At Caluinus Confessionem quandam à se conscriptam ibidem protulit, quam postea Confess. Geneuatum vocauit; in ea quoque astutè cauit, personarũ Trinitatem dicere, nec illud confiteri voluit, quod idem habet Symbolum, Christus Deus est ex substantia Patris ante sęcula, &c. Sed proprijs suis verbis, vel potius à Paulo Samosateno mutuatis, eam sententiam exprimere maluit, dicens. In vna Dei essentia; Patrem cum verbo, ac Spiritu Sancto agnoscimus, & quamuis verbum Dei esse fatetur à Patre, & ex Patre, noluit tamen confiteri Christum esse Deum de Deo, aut esse Deũ ex substantia Patris: sed Christum dicebat semper à seipso extitisse, quasi duo sint primi, quorum vnus non sit ab altero: Lutheranos præterea è sua Ecclesia eiecit, & illorum Communione suis prohibuit. Illud vero quod de Athanasij Symbolo dixerat, corrigere postea, moderariq́ue conatus est, cum scriberet: se Athanasij Symbolo, nec credere, nec discredere: donec illud ad scripturarum gnomonem examinasset.

Colloquium Maulbrunense.

1564.

Colloquium hoc in multa logomachia, & mutuis maledictis, tam Lutheristarum, quam Zuinglianistarum consumptum est, cuius immẽsum extat Germanicum volumen, sed vix vncia succi.

APRIL I Mense, institutũ est Colloquium Maulbrunij inter Lutheranos, & Zuinglianos, interfuere colloquio Principes duo, Palatinus Elector, & Dux Virtembergen. Diu, multũq́ue disceptarunt vtriusq; Principis Theologi, de controuersis inter Lutheranos, & Zuinglianos religionis materijs: Defendebant Virtembergenses Theologi, quorum Principes facile erant Brentius, & Iacobus Smidelinus, vna cum pane, & vino in Cœna Domini (sic enim illi loquũtur) adesse substantialiter, & realiter corpus, & sanguinem Domini, & nedum à bonis, sed etiam à malis ore percipi. Vtrunque contra Palatini, quorum Rabboni Boquinus, tam corporalem præsentiam, quam quod ab impijs sumeretur Eucharistia pernegarunt, ibi tũ sudatum est plurimum à Smidelino, vt persuaderet Christi corpus, perinde atq; diuinitatem non modo in Cœna, sed etiam locis omnibus, id est, vbiq; præsens adesse. Longa itaq; disputatione præclari illi Theologi frustra tempus contriuerunt, & non solum nulla inter eos constituta pax est, sed simultas, & odium acrius exarsit, Nam eodem Anno Virtembergici de Actis eius Colloquij scriptum Germanice ediderunt, cui Brentij præfixa est Latina Epistola, qua inter cætera insignem impudentiam, & vanitatem Palatinis Theologis impingit.

Sic

Sic autem contra Caluiniſtas in illa Synodo Lutheriſtę loquũtur. Quod Caluiniſtæ ſe à nobis pro fratribus agnitos ſcribunt, id tam impudenter, tantaq; vanitate ab illis confictum eſt: vt illorũ impudentiam ſatis mirari nequeamus. Nos verò ſicut locum illis in Eccleſia nullum concedimus, ita pro fratribus minimè agnoſcimus, quos ſpiritu mendacij agitari deprehendimus, & in Filium Dei cõtumelioſos eſſe. Contra verò Palatini nõ diu poſt grande opus Germanicum euulgarunt, quo, totius Colloquij acta explicantur, & ſcriptum Virtembergẽſis mendacij crebro inſimulatur, atq; prolixe cõfutatur: In hoc ipſo Colloquio Virtembergici Palatinos vocant, ſectarios: Palatini verò aiunt, Virtembergenſes noua falſa, & inaudita dogmata proferre. Vocant præterea Palatinos falſarios, quod corruperint Lucæ verba, de ſanguine domini: quod ea vocent ſoleciſmum quod, è margine in textum irrepſiſſe dicant: Contra Palatini aiunt, Virtembergicos ſcripturam ſuis ſomnijs peruertere, ac de vna eademque re, & affirmatiue, & negatiue reſpondere ſolere: Obijciunt Zuingliani Lutheranis, quod nec dum inter ſe concordent, qui nam ſint verè Thomi operum Lutheri, Aiunt præterea voluiſſe Lutheranos Lutherum nouum Papam efficere, vt ipſi eius Cardinales, ac deinceps ſucceſſores eſſe poſſent, Dixiſſe fertur in quodam ſermone Boquinus, Smidelino, litem eam, quæ tum inter vtrumq; vertebatur, non de verbis, & ſcriptura, ſed eſſe de ſcripturæ ſenſu. Id Smidelinus non ſolum conſtantiſſimè negauit, ſed tanquam myſterium omni ſilentio tegendum, & occultandum putauit. Hactenus enim, ait, propterea graues, & formidabiles Catholicis extitimus, quod illos nudis ſcripturæ verbis oppugnabamus, & ab illis nuda verba, & mandata Chriſti requirebamus: Illi vero ſenſu verborum nitebantur: Si itaque de verbis, & apicibus quidquam remitteretur, ad Papatum feneſtra aperiretur: At contra te, mi Smideline, pronunciat, & decernit Auguſtus, cum ait, Bonorum ingeniorum inſignis eſt indolis, in verbis, verum amare, non verba, Tu videris quali ſis indole, qui verba amas, & verum præteris, Longum eſſet iſtorum inter iſtos Tartareas contentiones recenſere, quas olim Hoſio Cardinali prælegimus: Ingentia extant vtriuſque partis volumina, quorum vnum Palatini, aliud Virtembergici miniſtri in lucem ediderunt, vt orbi vniuerſo teſtatum facerent, quod multum altercando veritas amittitur; Sed, ò miſeri Lutheriſtæ, pudet me victoriæ veſtræ: Sic victiſtis, & fugaſtis Zuingliſtas, vt in certamen redire poſſint: Certe aut animo dematis oportet, aut viribus addatis.

Colloquium Petricouiæ.

1566.

Caluiniſtæ, cum Arianiſtis diſputant: Illi ad Patrum teſtimonia prius reprobata recurrunt. Iſti ſolo ſe verbo Dei niti gloriantur, Tandem infecta re abeunt.

VALENTINVS Gentilis, Caluini faſciculos fugiens, peruenit in Poloniam: Incidit Cracouiæ in Gregorium Paulum Brzezinenſem, verbi Caluini baiulum: & poſt paucorum dierum conſuetudinem ex improbo Caluiniſta, fecit peſſimum Arianiſtam: qui deinceps multos in Regno viros nobiles, hoc ipſo errore inquinauit: Huius impietatis progreſſum iniquiſſimo animo Luteriſtæ, & Caluiniſtæ tulerunt, & vim fieri verbo Dei, vim veritati, vim antiquitati, vim Concilio Niceno, cum Athanaſiano Symbolo, vim Patribus (quæ tamen omnia iam ipſi reprobauerant, & vetuſtos laceroſque pannos appellauerant) tum priuatim, tum publicè vociferabantur, & omnibus contumelijs Ariomanitas ineeſſebant: Illi viciſſim non ſolum pro Concione, ſed libellis

etiam editis causam, vt aiebant, veri Dei contra falsos Deos tuebantur: Sic autem quodam in loco respondet contra Lutheromanitarum vociferationes Gregorius Arianus, Non imponant vobis Patres, vetusta Concilia, vetusti sunt ait, isti panni, quos vos primi lacerastis, in alijs articulis fidei, vnus sit Magister noster Christus: Os Iehoue consulendum, non hominum. Pictas etiam tabellas in lucem edidit, quas vidimus, templi effigiem repræsentantes, cuius tectum Lutherus deijci ebat, parietes Caluinus diruebat: Se vero cum Ligone pinxerat ipsa templi fundamenta subruentem, hoc est doctrinam de SS. Trinitate euertentem. Non omnia dicebat reuelata fuisse Luthero, plura Deum dedisse Zuinglio, plura adhuc Caluino, plura sibi, & sperare plura quotidie, dominum alijs etiam reuelaturum. Hoc rerum successu, Ariomanitæ, sumpserunt animos, & ad publicas disputationes tam Lutheristas, quam Caluinistas prouocare cæperunt. Institutum itaque fuit ab vtraque parte Colloquium, in Oppido Petricouien. vbi tum Rex Sigismundus Augustus Regni Comitia cælebrabat, Hosius vero Zelantissimus Cardinalis accepto huius Colloquij nuncio, etiam si paulò ante ex Cõcilio Tridentino reuersus, fracta propemodum vteretur valetudine, ad Comitia tamen magnis itineribus accurrit: tanquam ad commune quoddam extinguendum incendium: & ea omnia cum reliquis Regni Episcopis, egit, quæ agere par erat, Episcopum nil timentem nisi Deum, nil sperantem nisi à Deo, vt ne in dubium vocaretur: Num sit Christus Deus. Cæterum nunquàm liberius, ait ille, quam coram Cathone peccatum est, Tanta fuit: potestas tenebrarum, nullum vt remedium à filijs lucis, contra filios sæculi inueniri potuerit, quo incitata ad omnem audaciam impietas frenaretur: ita vt Hosius posteaquam Regem Iusiurandi, & Senatum vniuersum officij, pietatisque monuisset, è Comitijs discedere potius maluerit, quam in eo loco viuere, in quo blasphemijs omnibns Veneranda Trinitas audacissime proscinderetur: Illa subinde Polycarpi verba, in toto illo itinere lachrimantibus oculis vsurpatus, Bone Deus in quæ tempora me seruasti. Tum, & illa Prophetæ, Misericordiæ Domini, qui non sumus consumpti, quia non defecerunt misericordiæ eius. Tum, & illud: Vide Domine quoniam erectus est inimicus: Colloquium autem illud eum, quem summatim complectemur, progressum, & exitum habuit, Delecti erant, quatuor viri Nobiles, totius disputationis testes, duo ex Maiore, & ex Minori Polonia duo: quintus erat Scriba, omnes Caluinicolæ. Totidem fuerunt Trideistarum, & testes, & Ministri, Luthomirius, Paclesius, Hofmannus, Gregorius, & Ioan. Casanouius, scriba. His ab vtraque parte delectis, quæstio erat de Præside, an vnus esse, & quisnam eum locum sustinere deberet, Visum erat alteri parti, vt alternis diebus, ex vtraque parte, vnus aliquis præesset: sed cum id quoque displiceret, duo perpetui Præsides electi sunt, Alter Caluinista, alter Trideista. Eo vero constituto, qui tum erat Regni Poloniæ, Marsaleus Caluinista, (is erat vnus ex testibus) pro more Patriæ pauca præfatus ad studium pacis, atque ad resipiscentiam aduersarios adhortatus est. Hæc ad extremum verba subiungens. Constituta Colloquij disputationisque ratione, in Dei Sanctæque Trinitatis nomine exordimini: Quæ verba, Trideista quidam truci vultu excipiens, exclamauit. Nos vero hic non dicimus: Amen. Neque enim istũ Deum Trinitatem nouimus, nec ab eo quidquam præsidij vel speramus, vel expectamus. Hic alij responderunt: Nulla iam alia disputationis propositione opus est, cum ista sese in ipso cursu sermonis obtulerit: De hoc agatur; Trideistæ, itaque quatnor primis sessionibus scripturæ Sacræ loca proferebant in medium, ex quibus probare contendebant, Christum qui vocatur filius Dei, non fuisse ab æterno Deum, nec Patri qui dicitur Iehoue consubstantialem: sed in tempore natum, & diuinitate donatum. Vicissim Caluinistæ scriptum quoddã protulerunt. In quo ostendebant illud Genes. 1. Faciamus hominem, &c. Non de sola

Dei

Dei Patris, sed etiam de Filij persona intelligi. Addebant illud Ioannis: In Principio erat, Deus verbum, & verbum erat apud Deum, & alia huius generis, Catholicis omnibus notissima: Huic scripto in secunda sessione responderunt Trideistæ, non quidem directe, difficile enim erat manifestam veritatem de vera filij diuinitate oppugnare: sed effugijs quibusdam vtentes, & quasdam figuratas, & æquipolentes enuntiationes adferentes, qualis est illa: In Principio erat verbum, non significare initium creationis rerum, sed innouationis quæ facta est per Christum: Ita enim, aiunt: In principio renouationis Ecclesiæ, verbum, hoc est Christus homo, erat quidem in mundo, quia iam erat natus ex Maria, sed erat apud Deum, quia erat occultus hominibus, & soli Deo notus, donec à Ioanne manifestatus est. In secundo conflictu consensionem primitiuæ Ecclesiæ de doctrina Trinitatis adhæc vsque nostra tempora deductam opponebant Caluinistæ: & eam Sanctorum Patrum, & Doctorum testimonijs confirmabant: Trideistæ quoque ex ijsdem Patribus erroris sui præsidia afferebant: At cum ex alijs atque alijs eorundem Patrum locis in quibus sese clarius explicabant conuincerentur, reiecerunt ad extremum Trideistæ Patrum testimonia, tanquam sibi ipsis contraria: & in solo verbo Dei acquiescere velle protestabantur. In tertio conflictu, ex Historijs petita sunt argumenta: Protulerunt scriptum Trideistæ, in quo conabantur ostendere fidem SS. Trinitatis, in Concilio primum Niceno fabricatam esse, deinde à Cæsare Constantino vi, & armis propagatam, Concilium vero Arianorum Syrmij celebratum, & Constantium Arij fautorem approbabant: Huic scripto scriptum aliud oppcsuerunt Caluinistæ, dolentes quod sese proiecto pudore, Arij fautores, & discipulos profiterentur, hominis vniuersi orbis iudicio, & doctorum testimonio reprobati, & damnati: Attamen ecce vobis scriptum aiunt, quo ostendimus non ex mutilatis sed è certis, & probatæ fidei Historijs verbum ὁμούσιον atque à Deo doctrinam de Deo vno, & Trino, ante Nicenum Concilium fuisse, illosque 318. Episcopos, nil aliud quam antiquam, & à maioribus acceptã fidem decretis suis clariorem reddidisse: Vos vero, aiunt, cum omnia perperam interpretemini, grauem aliquando Dei vindictam experiemini: Nobis agere vobiscum amplius non libet: Videmus enim nullam vos prorsus sortem habere, in vniuersa domini hæreditate: His auditis Trideistæ, & verbis, & scriptis valedixerunt Caluinistis: Vnus vero assurgens, & Deum illis propitium, & mentem præcatus est meliorem, veramque vnius veri Dei agnitionem, Caluinistæ verò peruulgatum illum Ecclesiæ hymnum, clara voce cecinerunt, Deo Patri sit gloria, eiusque soli filio, cum spiritu paracleto in sæculorum sæcula: Quæ verba rabidi Trideistæ non ferentes, simul omnes, è consessu abierunt, negantes se ferre, sine stomacho posse, Summi Dei iniuriam: nec volentes dicere: Amen, Ita Colloquium illud malo consilio institutum, peiorem exitum accepit, conniuente, proh dolor, legitima potestate. Verissime dixit olim Hieronimus: Inter quos non est vera fides, nunquam potest esse fidus affectus, & Augustinus: Nemo potest veraciter amicus esse hominis nisi fuerit ipsius primitus veritatis. Equidem nõ puto, quod Euangelici, maiorem vlla alia in re Dei gratiam experiantur, quũ quod, quousque volunt desipiunt, nisi quod non desipere difficile est, cum sine limite timoris, & pudoris, huc atque illud vagabunda fertur, vt ait, August. impunita loquacitas. Cœterum, ò viri, si modo vsquã estis extra libidinem viri: In sole quod perditur, non in tenebris quæritur: Non canonisabit Petricouia, quod damnauit Ecclesia.

Disputatio Parisiensis.

1566.

Caluinistæ abnegata corporis in Eucharistiæ Sacramento præsentia, etiã omnipotentiam in dubium vocant, & eam illi nonnisi circumscriptam concedunt.

EXTANT Acta Colloquij, seu disputationis Parisiensis in gratiam D. de Monpensier institutæ, inter Vigoreum,& Sanctium doctissimos Theologos, & posteà vigilantissimos Episcopos, & inter primæ notæ ministros, Reginæ Nauarænæ præcones, Barbas, Oulbras, Espina, & Rossiero, Anno 1566. in domo Illustriss. & Catholicissimi Principis Ducis Niuernensis. Post vnum, & alterum congressum, in quo nil aliud, quam de Capitibus, deque modo,& tempore inchoandæ disputationis, actũ erat: Vigoreus Theologus acri valde, & periculoso morbo correptus est. Ministri vero ad omnes calumniarum occasiones vigilantissimi, pro perpetua sua mentiendi libidine, nimis illo quoque tempore impotenter ingenio suo indulserunt, statim enim Espina acta Colloquij in lucẽ edidit, quod nondum cæperat, triumphumque ante victoriam cecinit: quæ ptorsus nulla erat: Sed Vigoreus recuperata valetudine, tanto validior ad certamen accessit, quanto sagitta volare cælerius solet, quæ retrorsum reducta impetum diutius distulit. Quærebant in primo congressu 9. Iulij 1566. Orthodoxi Doctores à Cacodoxis Pseudo Prophetis, quos vocarent Libros Canonicos: Responderunt illi 24. Libros Veteris Testamenti, qui sunt in Hæbreo Canone, & omnes Libros Noui Testamenti sine vlla exceptione, (cum tamen eorum Doctores Luther. Bucerus, Caluinus,&c. multos exceperint:) Quærebant postridie Doctores sensum eius scripturæ, quam Canonicam profitebantur: Vnde petendum putarent, aut in cuius interpretatione religionem suam fundarent: Responderunt illi miseri, amore suo obcæcati: In reuelatione interiori priuata verbi Dei: Cum autem ostenderetur reprehendi in scripturis visiones cordis sui, similiter, & eos, qui quærunt quæ sua sunt, & id genus alia: planè, quod responderent non inueniebant: sed euasionibus, & ellusionibus vtebantur: fauente Madama de Baylon. In responso porrò, quod Ministri scriptum porrexerunt, maluernnt negare omnipotentiam Dei, quã in Eucharistia præsentiam concedere Carnis Christi; Ostendebatur illis, quod Deus potuerit stabilire corpus suum in Sacramento: Illi dicebant non esse quæstionem, Vtrum potuerit, sed vtrum voluerit: Cum vicissim docerentur, quod voluit vanam esse voluntatem, respondebant in eo tentando, quod vt fiat impossibile est. Tandem vero vi Catholicæ verjtatis præssi, omnipotentiam Dei circumscribere cæperunt dicentes, eam esse mutabilem, inchoari, augmentari, minui, idque videre est in vltima Doctorum obiectione, contra vltimum scriptum Ministrorum. Porrò tam discordes illorum,& dissentientes de verbis Cœnæ Sententias conatus est miser quidam Sambuceus cõciliare, edito Libro Gallico, de Methodo conciliandi, discordes de Cœna Sententias: Est autem impressus 1571. In eo falsissime de Catholicis queritur,tanquam nullo modo iam audire sustineant, impossibilitatis vocem,tanquam ipsa in rebus Sacris adhiberi sine insigni blasphemia non possit, quia sua Deus spolietur omnipotentia, Deinde quod nihilo magis patiamur de rebus naturalibus, & earum proprietatibus, rationes duci in scripturis explicandis, & rebus fidei examinandis: Ex Plinio tria impossibilitatis genera Deo ascribi profert, Vnum, quo non potest Deus, mortem sibi consciscere, Alterum, quo nec mortales æternitate donare, aut reuocare defunctos: Tertium vt facta, reddantur infecta, vt qui vixit non vixerit: nullumque ius habere Deum in præterita, præterquam obliuionis,nec efficere posse, vt bis dena, non sint viginti, Prius,& Posterius, ait in scriptura Deo impossibilia significari, quorum prius in Deo omnipotentiam arguat, cuius capax non est: Posterius vero, non ex impotentia Dei, sed per impossibilitatem in natura existẽtem esse, quemadmodum ex Magistro Sẽtentiarum soluit:De secundo genere mẽtiri Plinium concedit:Interea contendit, ex illa impossibilitate in natura residẽte, licitum, contra scripturas, citra omnipotentiæ diuinæ iacturam,iniuriam,& blasphemiã præscriberé, & agere eoq; ĩ genere reponit;corpus Christi esse in Eucharistia,& in Cęlo, vt sine dimẽsionibus illic adsit,

adsit, cum quibus semel in Cœlo sedeat, Secũdum genus supra Plinij, liberũ Deo condonat: ne si hoc quoque spoliaret, cum Plinio videtetur, non pluris Deum, quam naturam facere, Ab hac egregia, ait Sanctius, nauata opera, Sambucus ille, quasi cum Lucifero, & Angelis eius Cœlo deturbatus, quia captum suum omnipotentiæ adæquarit, quasi non plus ista valeret operari, quam ille sua solertia cõcipere, amentia percussus, cui se religioni vel sectæ posteà addiceret, vel vbi acquiesceret, non inuenit, Sed nouus Ecebolius religione tanquam foro vtitur, At tẽpore impiæ illius scriptionis, quæ pomum discordiæ pro concordia inmedium proijcit, in miras animi angustias se redactum fatetur, nec qvo fugeret, nec quid crederet, apud se discernere potuisse: donec miserante Deo, & suam in ipso ostendente potentiã, cum non quæreretur, ac ne quidem de ipso cogitaretur, & esset liberum fugere, quando de Publicis in Regem coniuratis Lutetiæ tumultuaria, circa Bartholomei Apostoli festum haberetur quæstio, & sumeretur pœna, vltro se in manus nostrorum dedidit, eiurauitque, non solum illam blasphemiam contra omnipotentiam, sed totum Caluinismum: & liberam, & ne quidem expectatam ab illo, vel requisitam confessionem edidit, in qua Carnificinam animi quam patiebatur prodit, cumque admodum explicandum, quo Corpus Christi in Eucharistia consistit, eius delabitur oratio, pro naturæ impossibilitate, omnibus subtilitatibus renunciandum erit, & captiuandum intellectum in obsequium Christi, quoniam longè difficiliora, ac magis in natura impossibilia fide amplectamur, de Trinitate, & Incarnatione filij Dei, Rogatus vero de authore scriptionis illius, de concordia dissidentium, circa Cœnam Domini, fassus est, ex se natum ac deinceps se impotem animi euasisse, quod vt re ipsa palam faceret, iterum nullo persequente, Ecclesiam, in cuius gremium se pœnitentem recipi, multis cum lachrimis supplex orauerat, deseruit: & ad quos transfugerit in certum, nec admodum curandum: cum Dei, ac proprio iudicio condemnatus, pro confessione fidei, nil præter confusionem moliri possit. Hæc Sanctius.

Disputatio Varadiensis in Transyluania, circa Annum. 1567.

Caluinistæ cum Trideistis disputant, Isti fauore Principis superbi clamoribus illos obruunt, & ad Patrum authoritatem recurrentes, reijciunt, & condemnant.

IVDICIA Dei abissus multa, ait Apostolus, quæ quicunque accuratissima adhibita ratione, cum timore Domini indagantur, fateantur necesse est, omnia fieri in pondere, & mensura. Visum fuit Sathanæ Ecclesiam Christi ob intermissum Calicis vsum conturbare. Id primum in Saxonia bibacissima per Lutherum aggressus est: nec certè male successit consilium, Non erat enim difficile sitienti persuadere, vt bibat; Voluit oste dere non esse viuam, & veram Christi carnem in Eucharistia, id primum apud Heluetios per Zuinglium, & Caluinum conatus est, qui maxima carnis copia, panis non item, abundant: sub cuius specie, si carnes quoq; comederent, panem nunquàm comederent (congruit veritati, ridere dicit Tertullianus quia læta est, de inimicis suis ludere, quia secura est) voluit totius fundamentum Papatus, id est fidem, & doctrinam de SS. Trinitate euertere, Patris omnipntentiam circũscribere, Filij, & Spiritus Sancti diuinitatẽ eripere: quasi quandam sedem huius blasphemiæ in intima Transyluania collocauit, vnde, & breuis, & non ita, difficilis est ad Machometanos transitus: vt sicut mente, & animo contra Deum sunt concordes, ita corporibus quoque non longo locorum interuallo ab inimicis dissiderent, & è vicinia tanto commodius petere possint, non solum blasphemiarum materiam, sed, & vires, & arma, & omnem tutellam ad prosequendũ Deo,

& Christo eius intentatum bellum, scilicet, iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetæ erit, ait Ezechiel.

Cnm itaque Georgius Blandrata Medicus Italus, Ioannem Sepusium Transyluaniæ Principem, ex Christiano Lutheranum, è Lutherano Caluinarium factum, è Caluinario ad extremum opera sua fecisset Arianum, casum sui Principis indignè ferentes, vel suo potius Euangelio timentes Lutherani: & Caluiniam Ennedi prius, deinde & Albæ Iuliæ ad disputationem Arianos vocauetunt: Eam vero tantisper illi detrectabant, dũ Principis adolescentis animus pestem Arianam vsque ad feces epotasset. Postquam vero Principem eo progressum viderunt, vt in Comitijs Segesvarensibus, in æde D. Petri SS. Trinitatem pro Concione quam habebat Franciscus Dauidis blasphemari pateretur in præsentia sua, & cristis erectis ad apertum certamen Caluinistas prouocare cæperunt: Eorumque ministros Varradinum extraxerunt, Petrum Melium Dobricineń. Petrum Caroli, Georgium Czegedium, & alios his similes, tam Lutheristas, quam Caluinistas: controuersiæ iudicem, Principẽ adolescentem constituerunt, Acta res est ab vtraque parte summa contentione. Ariani solo se verbo æterno Dei benedicti niti gloriabantur. Caluinistæ sensum huius verbi ab antiquitate, à Synodis, à Patribus, petendum dicebant, Illi ex hac occasione vociferari, quod Papatus summo omnium cõsensu explosus, denuo in prouinciam reduceretur, idque à Caluinistis agatur, vt Pont. Romani Tyrannidem in pristinas sedes reponerent: cuius nutu, & voluntate Synodos omnes gubernari constabat: id verò si permitteretur in minima quapiam re, futurum, vt, & Septem Sacramenta reuocentur, & rasi, ac oleati Monachi in sedes suas reponantur, & sculptis iterum Idolis templa repleãtur, & Missarum abominatio restituatur, & Episcopis colla submittere, decimasque soluere teneantur. Eius generis clamoribus miseros Caluinistas obtundebant, & obruebant Ariani: qui, & Principi adolescenti, & auditoribus, à Cathol. Religione auersissimis vehemtnter applaudebãt: ita vt Caluinistis vix vllus posteà loquendi locus concederetur: ac rogabant illi quidem Principem, tanquam disputationis iudicem, vt in re tanti momenti, & ordinem, & moderationem seruari iuberet: sed cum illius animum in Ariomanitarũ consilia nimio plus propendentem perspexissent, nec paratam guttam, vt Plautus ait, certi alicuius consillj, neque adeò argenti, neque ad detexendam telam certos terminos inuenirent, plerique eorum in gratiam Principis, verisimilè videri, quod mendacium erat, cumque Blandrata sentire, reliqui autem sese causamque suam melioribus temporibus reseruare maluerunt, Blandrata vero cum Francisco Dauidis, miros de Caluinistis Triũphos egerunt, Acta Colloquij conscripserunt, Paulò post duos libros cõtra SS. Trinitatem ediderunt, Iuuenes plerosq; delegerunt, quos in Italiam miserunt, & cum Iudæis consuetudinem habere Venetijs præsertim, & Patauij iusserunt: ac àb illis artem, Christum omnibus blasphemijs proscindẽdi perdiscere præceperũt, Iacobo Paleogo homini Græco, Bibliæ corrigendæ facultatem permiserunt. Ex Getmania Homerum quendam loquacẽ, & Græcè linguæ peritum: Ex Polon. Mathiam in Hæbrea lingua versatum euocarunt, vt virus suum in omnes in Christũ blasphemias intorquerent, quibus nos cũ Propheta dicimus, Increpet te Dominus Sathan, & increpet in te Dominus Sathã, & Trideistæ sunt Sathan, & Caluinistæ sunt Sathan, Et hunc autem, & illũ Deus destruet, & iam destruit: idq; suis locis ostendemus, & res ipsa loquitur.

Disputatio Londini.

1566.

Disputatio Catholicorum, cum Caluinistis instituitur, locus loquendi negatur, & tamen vt victores Caluinistæ gloriantur.

ELISABETHA Angliæ Regina, & altera inseruos Dei Iesabel, disputationẽ Caluinicolarũ cũ Catho-

tholicis indixit: quo non pauci Antistites viri doctissimi conuenerunt, contra quos multa audacissimè deblaterarunt Hæretici, Reginæ suæ freti fauore secum sentientis. Ipsi vero cum Christi, Ecclesiæque causam tueri vellent, partim circumstantium Protestantium fremitu, partim nobilium quorundam authoritate impediti, audiri non potuerunt, nec vel pauca inchoata verba absoluere. Datus est tamen ad extremum illis quoque loquendi, agendique locus, vbi vi veritatis impiorum ora obstruxerunt, sed statim vicissim reiecti sunt à Colloquio. Hæretici vero sine omni pudore libellum diuulgant, in quo acta disputationis longe aliter referebant, seque victores euasisse tragice vociferabantur: sed & Catholici ob Christi fidem, è patria extorres, & in Flandria viuentes, quod debebatur veritati testimonium perhibuerunt: & plurimis præterea libris editis rem religionis subleuarunt, vt Sanderus vir mihi amicissimus, Stapletonus, Copus, & Alanus nunc, quod pridem illius dignitas, & eruditio, laboresque pro Christi Ecclesia susceptι, merebantur S. R. E. Cardinalis, quos Hæretici aliter, quam flammis refutare nunquàm potuerunt, neq; refutabunt.

Colloquium Aldenburgense.

1568.

Lutheromanitarum mutui morsus, & obstinatæ pro suis opinionibus contentiones, vna parte Lutherum Christo, & Paulo exæquãte, altera infra homines ducentem.

AVGEBATVR in dies magis atque magis Lutheranorum inter Lutheranos dissensio, quorum alij vocabantur, Molles, vt Philippus, & Eberus, cum reliquis Scholæ Virtembergeñ. Satrapis: Alij, rigidi, vt Gallus, Flaccus, Merlinus, Illi in doctrina, scriptisque Lutheri nonnulla ad moderationem reuocãda putabant: Isti vicissim anathema maranatha pronunciabant, qui iota vnũ, aut apicem vnum, vel addendum, vel adimendum omnibus Lutheri scriptis arbitrarentur: tanquam id Sacrosanctũ esset, quodcunque tandem nouus Propheta vel scripsisset, vel dixisset. Ea contentio admodum grata fuit, non Catholicis solum, quorum pax, istorum nitebatur dissidio: Sed ipsis etiam Zuinglianis, & Caluinianis: Lutheranam vero cohortem vniuersam vehementer istius dissidij, & diuisionis puduit, cui tollendæ multum & olei impendebant, & operæ. Ad extremum Colloquium etiam Aldeburgi instituerunt, quod ad sextum vsque mensem nullo fructu extractum est. Eius acta valde prolixa Ienenses dogmatistæ, quorum caput Vigandus, & Latine, & Germanicè edenda curauerunt: quæ cum Hosio Cardinali prælegerentur, cætera omnia vana, futilia, inutilia, maledica: vel risit saauiter, vel contempsit, Abrahamicus ille Senex, Illud ferre non poterat, quod Lutheristarum cohors, ita inuicem dissidens, sed præcipuè Flacciani, eodem loco haberent Antichristum Islebieñ. ex Diabolo, seu incubo natum, quo Christum Deum de Deo genitum, eumque in omni suo sermone, & oratione cum Luthero coniungerent: Verbi gratia, Ita docet Christus, & Lutherus, Teste Christo, & Luthero, Iuxta verbum Dei, & Lutheri, Ex verbo Dei, & Lutheri: Deus, & Lutherus: Non est discipulus Christi, & Luth. Ipsi filio Dei, & Luthero cogentur Eberiani rationem reddere, Acquieuit Spiritui Sancto, & Luthero: In hoc itaque Colloquio, vt discessionem suam ab omnibus Luth. placitis excusarent Virtembergeñ. & Lipseñ. hoc est Molliores Lutherani, profitebantur sese quam proxime in confessione sua accedere. Ad interim Cæsareum, Stoici vicissim, rigidique Lutherani vociferabantur ex eiusmodi: Interim istis actionibus, vim inferri verbo Dei, reprobata dogmata reuocari, nouas locutiones excogitari, & abolitas suscitari Cæremonias: idque agi, vt sensim doctrina Luth. in sede Lutheri euanescat, ac ad extremum exsi-

biletur, Addunt, & hoc illi Stoici Lutherani in Præfatione libri, quod Eberiani, conati sunt in Ecclesias suas vicissim introducere Missalia, & Agendas Papisticas, licet correctas, & circumcisas: quod iterum doceant necessitatem bonorum operum ad salutem, quodque asserãt vestem nuptialem, non esse solam fidem sed fidem, & opera bona. Grauiter etiam conqueruntur quod ijdem ipsi molliores Lutherani, plurimum ipsis negotij facessant in transferendo statu controuersiæ, & imponendis mira arte insidiosis pedicis, quibus incauti constringerentur, diu ipsos in Thesibus circumduxisse, & quæstiunculis, irrisionibus, contumelijs, Satyricis inuectiuis exagitasse, suasque corruptellas, & falsa dogmata, & horrisona, quasi tempestate maledictorum verborũ absque omni fundamento, & timore Dei conatos esse tutari. Accusant etiam quod noluerint permanere, vsque ad finem in Colloquio, sed varijs sermonibus id eos egisse, vt Ienenses putarentur mirabilia portenta, in medium allaturi fuisse, si in Colloquio Virtembergenses permansissent, Protestantur etiam se omnia sua studia, & Concilia referre, & accõmodare, ad vtrumque Testamentum, ad verã Augustanam confessionem, ad Apologiã, & veros libros Lutheri. Dicunt, & hoc, in septima causa editi Colloquij, quod Eberiani suo priuato arbitrio Colloquiũ abruperint: quod clancularium Synodum ex quibusdam suarum partium Theologis coegerint, partemque alteram absentem, decretis, & calculis suis damnauerint, eamque damnationem in Ciuitates, & aulas Principum, ac potentum sine mora sparserint. In octaua vero causa, queruntur, quod Eberiani absque vllo fine inuectiuas in Flaccianos edunt, sicut fecit M. Selecner Pfeffinger, Maior, in suis libellis famosis, & alij. Addunt adhuc, impium esse institutum, quorundam Polyticorum, præposterè sapientium, qui velint istas contentiones affabre conciliare, ac si tantum de verbis litigetur, vbi de rebus grauissimis confertur, Mira est autẽ istorum Ienensium siue Flaccianorũ pietaris, & religionis simulatio, ita crebro timorem Dei, pietatẽ, Deum omnia inspicientem, regentem, confortantẽ crepant, Christum etiã orant, vt cito ad iudiciũ veniat, & aduersarios castiget. Hæc, & alia innumera rigidi Lutherani impingũt, & affingunt Mollioribus. Quid autẽ adhæc omnia Molliores Theologi? Noluerunt illi tot inania verba fundere, sed aut causæ suæ dissidentes, aut de concordia desperantes, è Colloquio discesserunt: & cũ ex aduersarijs quidam Dresnam ad Electorẽ missi veniissent, resumptis, vt aiunt, domi suæ alis, in altum sese efferentes, excõmunicationem contra Ienen. protulerunt, seque nullam habituros cum illis societatẽ denunciarunt: nec eos ad cætum suum, & ad Conciones admittere voluerunt, Nihilominus tamen, & ipsi libellum ediderũt, in quo Flaccionariorũ obiectiones refutant: & quia crimen falsi impingebant Philippo: quod August. confessionem Cæsari oblatam corruperit, addendo pleraque, mutando, minuendo, ex eaque Cothurnum siue calceum Polonicũ, vtriq; pedi aptum effecerit, Respondent ibidẽ Eberiani, verum esse quod mutauerit, pleraq; Philippus, in illa confessione, sed hoc ei licuisse dicunt, quandoquidem author illius fuit, & ob hoc primam illam confessionem, quod in Manichæi dogma videretur inclinare, rectè fuisse emendatam, affirmabant, Exitus tam acerbæ contentionis sic fuit, quod Molliores siue Virtembergen. siue Electorales si dijs placet Theologi, in despectum Ienẽsium Flaccianorũ, & omnium rigidorum Lutheranorũ interdictum fecerunt, ne Lipsiæ, vel in templis, vel in Scholis Lutheri scripta quisque allegare auderet, Sicut nec illi pati voluerunt, vt in Colloquio ex libro Philippi, quem inscripsit (Corpus doctrinæ) testimonia vlla citarentur. Quodque magis est, Ienenses seu Flacciani, damnarunt eam confessionem, quam posterius correctam in lucem edidit Philippus: Cæremonias præterea omnes, & formam ac rationem, administrandorum Sacramentorum, qua vtebantur Eberiani aboleuerunt: eas solas relinquentes, quas expresse statuisset, atque ordinasset Lutherus: Et quoniam adhuc Eberiani, vestis Ecclesiasticæ lineæ genere, quam superpellicium, vocant, in

Sacris

Sacris suis vtebantur, Flacciani in despectum eorum vti superpelliceo desierunt: & tabellas prætereà quasdam pictas, imprimi curauerunt, in quibus videbatur Sathanas superpelliceo indutus, cornuto capite, aduncis vnguibus, & barba Eberiana, verba ad populum pro Concione facere: Eberiani viciſſim, siuè Virtembergenses damnarunt, & diro Anathemate percusserunt eam, quæ fuit Cæsari oblata, & omnia Flaccianis contraria, & ingrata statuerunt: Ex isto fortasse fonte Cõsilium illud in vesano Smidelini capite natum est, vt librum quendam ex omni sectarum genere confarcinaret, & conglutinaret, quem concordiam uocauit, cui paucis exceptis principibus, quos honoris causa prætereo, supra octo millia Sutorum, Sartornm, lictorum, ministrorum, seniorum, Consulum, Burgimagistrorum, Scholarium, & Poedotribarum Euangelicorum subscripserunt, ita vt merito vocatus sit. Namenbuch. In quo certe cum reliqua omnia strepitu, & sybillis digna sint, tamen illud dolendum est, tot oculos tam Crassos errores, tamquàm crassa mendacia nõ vidisse. Electorales certè Ministri reiecerunt: Caluinistæ libris editis refutarũt, Libet lepidum de ista concordia cuiusdã Caluinistæ distichon addere.

R, habet Ausonium liber hic, habet atq;
Pelasgum,
Et habet Hæbreum, prætereaq; nihil
Nil scilicet habet liber hic præter Errores.

Disputatio Brunsuigij.

1561.

Quo magis a Lutheristis Caluinistæ reprobantur, hoc magis vires sumunt, & amplius propagantur.

HABITA est Brunsuigi disputatio quædam, in qua, & dure, & acerbe de veritate deq; præsentia Christi Corporis in Eucharistia altercatũ est, Ibi quidam Albertus Ardenbergius multa contra eam deblaterans, ad confirmandam suam opinionem, hæc verba protulisse dicitur, Quomodo potest in Eucharistia præsens adesse Christi caro, & sanguis, cum Christus ex Maria Virgine nullam carnem assumpserit: sed haud aliter, atque sol per aquas, nullo ex eis humore contracto, sic ille per virginis vterum trãsijt? Quam eius sententiam cum plerique alij ministri approbassent, magis irritatis quam venerant animis ex disputatione discesserunt.

Conuentus in Dominijs Gerau Graitz, &c. 1568.

Noua confessio à Ministris cuditur: Christus in seruorum ordinem cogitur.

MINISTRI quidam, non pauci in dominijs Gerau, Graitz, & Sehumburg conuenerunt, vt nouam aliquam fidiculam cuderent: Confessionem itaque suarum Ecclesiarum cõscripserunt: in qua confessionem Augustanam Carolo V. oblatam, quod sub eius titulo, quasi quodam pallio, omnes Hæreses tegerentur, vocauerunt Cothurnum, siue Ocream Polonicam, vtrique pedi aptam, & scriptores fautoresque confess. Cothurnifices, Non defuerunt alij ministri, ex Austria, qui, & à confessione, & à Cathechismis, & ab Agendis, vt vocant, Lutheri recedentes, suas quasdam ordinationes conscripserunt, & præscripserunt, in quibus etiam ipsum Christum in ordinem redegerunt: debitumque honorem detraxerunt, non plus illi tribuentes, quam apud nos Sanctis tribuitur, vt intercedant pro nobis. sicut homines pro se inuicem intercedere solent: & quas orationes (collectas vocãt) Catholici solent concludere; Per D. N. Iesum Christũ filiũ tuũ qui tecũ viuit, & regnat, &c. Ipsi nec dñi, nec filij nomẽ ei tribuere dignati sunt, verum per fidelẽ, aiũt, & iustum seruum tuum Christum: quem etiam pluribus in locis vermiculũ appellant: Hanc tamen tam impiam confessionem suam ausi sunt impurissimi Ministri

Cæ-

Cæsar. Maiestati offerre,& vt approbaretur postulare, quod tamen non obtinuerunt. Contra eam scripsit vir doctissimus Eysingremius, vbi magno cũ dolore queritur Machometismum in Austriã introduci, & viam Turcis aperiri, qua possint etiam absq; vi, & armis ea potiri, posteaquam isti Ministri Turcarum fautores, & præcursores virus Machometicum, qui Christum fidelem Dei veri seruum credunt, Austriæ Principibus, & populis afflare conantur.

Conuenticulum Sendomiriæ Anno 1568.

Lutheristæ, Caluinistæ, Trideistæ, pro concordia laborant, istis triumphos canentibus, illi confessionem eorum damnant.

SENDOMIRIAE quoque sua conuenticula aliquoties habuerunt, ex omni sectarum genere Euãgelici: sed Anno 1568. post multorum dierum acerbas contentiones, & deliberationes, cum secta sectam truderet, nec quicquàm Caluinistæ Lutheristis, nec isti Trideistis, aut Anabaptistis concederent, pudore ad extremum perurgente, vt Catholicis essent formidabiliores,& Sincretismũ, quendam facere conati sunt,& nescio quã Confessionem fidei effinxerunt, atq; ediderunt, quam Cracouiæ typis mandatã Regi Christianissimo Sigismundo Augusto, offerre non dubitauerunt, ita conscriptam, & consarcinatam, vt quid de rebus controuersis statuerent, neque vnquàm quisquàm intellexerit, nec ipsi intelligant, & licet inde quoq; irritatis inuicem animis re infecta discessissent: circumferebantur tamen literæ quædam in carta pecorina conscriptæ, cum subscriptionibus, & appẽsis multorum nobilium sigillis,vt ij quoque, qui in suas se domos è clamosissimo colloquio receperant, ante finem Conuenticuli,& manus, & sigilla quoque sua applicarent. Eam confessionem Lutherani in se reuersi, alio edito scripto pro hæretica damnauerunt, propterea quod Caluini sententiã nullo prorsus in loco reprobaret: licet is, qui eam conscripsit, glorietur omnes, qui Sendomiriam conuenerant variarum sectarum homines, in omnia illius decreta consensisse. Sed solenne est Euãgelicis,falsa pro veris, lapidem pro pane, serpentem pro ouo porrigere, Sicut ibi adhuc quidam Biesiekierski Authotheos porrigit,qui ante annos aliquot è media disputatione, multorumq; nobilium præsentia, & consensu, cum religiosis S. Dominici contra Christum, & Spiritum Sanctum habita, veritate stimulante, confusus se proripuit, & abijt, multosq; sybillos reportauit: & tamen inueniũtur adhuc in patria, qui tam impijs, tamq; seditiosis ministris turpissime ancillantur, homines profecto dignissimi, nisi resipiscant,qui tam tetros semper habeant,& animarũ, & conscientiarum suarum curatores.

Disputationes Albæ Iuliæ, & Colosuarien. circa Annum Domini 1570.

Caluinistæ cum Trideistis acriter cõtendunt, isti Christum horrende blasphemant, quorum vnus in carcere moritur.

SVMPTIS alis, erectisq; ad omnem audaciam animis, Ariomanitę, post Varadiẽsem disputationem studio,& voluntate sui Principis, longe quã ante liberius vti,abutiq; cęperunt:& peruulgata in omnes partes profitendi Euangelij libertate, tanquam signum quoddã erexerunt,ad quod omnes Christi inimici armis, & animis armati concurrerent, Alciatus, Socinus, Stancarus, Paleologus, &c. Tum demum vero,omni mente, metuq; proiecto, infanda omnia, & auribus Christianis intollerabilia, in Christũ Dei filium,& in nomen SS.Trinitatis euomere sine chamo, & fræno cæperũt, tum libris editis, tum institutis publicis, colloquijs,& disputationibus. Extant Albanæ disputationes octo, ni fallor, à Blandrata

drata editæ. Extant aliæ, & Thæses, & disputationes editæ, ab eius discipulo Francisco Dauidis, in quibus nil aliud agebatur, quàm loca scripturæ Sacræ, tam à Catholicis, quàm à Caluinistis pro Christi diuinitate collecta, scriptoq; comprehensa, malicioſissimè, insidioſissimèq; refutabantur, quæ nec huius temporis, nec nostri instituti est isto loco, vel producere, vel refutare: plerosq; enim in capite 4. de SS. Trinitate attigimus, & omnia copioſissime, solidissimeq;, & comprehensa, & refutata sunt à viro doctissimo, & nobis amicissimo Patre Belarmino insigni Societatis Iesu Theologo li. 1. de Christo. Hoc addemus Caluinistas nihilominus sibi, causęq; suæ nunquàm defuisse. Facilius enim, ait ille, vnus sanus fert duos ægrotos, quam duo ægroti se inuicem: sicuti Hæreticus Caluinista Hæreticũ Trideistam. Multos itaque, & acerbos libros, Antitrinatrios in Blandratam, & Dauidè ediderunt, Faustus, Socinus, Mattias, Glirius, accusantes, quod Machomethismo, & Iudaismo viam sternerent, nec alia in re à Turcarum perfidia dissentirent: nisi quod Christi nomine, & Christianorum scripturis vterentur. Mortuo vero Ioãne, & in eius locum suffecto Stephano Battorio Principe Catholico (qui postea ad Regni Polonię gubernacula vocatus fælicissime imperauit) magis etiam suspecti esse cæperunt Ariani, ne quæ nefaria consilia contra statũ Principis molirentur. Quamobrem è Comitiorum decreto, instituta fuit quædam visitatio, tum Colosuarij, tum in alijs plerisq; Ciuitatibus, è qua deprehensi, & conscripti fuerunt, prope centum errores detestandi, & horrendæ quædam Franciſci Theses, ab ipso proculdubio infernali Cacodæmone meditatæ, tum de Christo, tum de Spiritu Sancto, tum de reliquis Christianæ fidei capitibus, quarum saltem vnicam libet hoc loco addere. Christo, inquit, in sua quiete placide versari dimisso, nil nunc ab eo nos iuuari apud Deum, vel credamus, vel curemus: nisi quatenus dũ inter nos fuit, salutisq; viam nobis ostendit, & ad Deum accedendi modum docuit. Inuenti sunt, & hi, qui profitebãtur Turcas, & Rascianos lõge melius Deum cognoscere, & colere, quam faciũt Christiani: & quod sufficiat ad salutem, vnum nosse Deum, quicunque is tandem, aut qualiscunq; esset. Hic vicissim Caluinistæ in Arianos vociferari, Dei, & Principis proditores, Turcarũ prodromos appellare, aqua, & igne interdicere, tantumq́ue prævalere cæperunt, vt Franciscus Dauidis publico Principis, & Comitiorum decreto in arcem Deuam, quæ propè Marisium sita est An. 1578. compingeretur: in quo carcere, cũ esset à quodam admonitus, vt saltem fateretur, Christum esse nostrum saluatorem, impietatem impietate cumulauit, respondens, Quid ego Saluatorem meũ profitear eũ, qui nec seipsum seruare potuit? ac ita paulo post ex mærore in insaniam incidit, in qua mentis, & rationis inops, infælicem animam, quam carnifex eripere post paucos dies debebat, ipse teterrimus dæmon eripuit. At tu vide, mi Lector, quam verum est illud Ethnici: Vincent errores nisi toti vincãtur. Sicut enim acto in præceps corpore nullum amplius sui arbitrium est, quippe non licet eo non peruenire, quo non ire licuerat: sic postquàm sese aliquis è sublimi Ecclesiæ Dei turri præcipitem dat, non potest infandos errores effugere, quos initio poterat non attingere. Sed intollerabilis in malis ingenijs licentia est.

Synodus Dresdensis.

1571.

Eberiani, Flaccianos damnant, Vbiquitatis doctrinam explodunt.

IRRITATI Aldembergensi disputatione, & Flaccianorum scriptis, & clamoribus. Molliores Lutherani, siue Eberiani: tandem & ipsi Synodũ Dresdæ, quæ Ducis Electoris Saxoniæ sedes est, coegerunt, ad quam omnes Superintendentes, Lipsenses, Virtembergen. & reliqui Electorales ministri cõuenerunt. Actum est in ea valde acerbe, cõtra Flaccianos, nec eos, vel ad templum, vel ad consuetudinem, & conciones suas admittere voluerũt, immo publice Anathema, Maranata, pronunciarunt, omnes qui cũ illis

illis sentiunt, aqua etiam & igni interdixerunt, & se contra illos omnibus præsidijs, argumentis, rationibus, scriptis, libellis, pictisq; tabellis armauerũt. Et hoc præterea ex vnanimi, vt aiunt, consensu Academiarum Lipsensiũ, & Virtembergen. & trium Consistoriorum, deniq;, & Superintendentium vniuersorum, & singulorum, qui docent in harum regionum Ecclesijs, statuerunt, atque decreuerunt doctrinã de vbiquitate corporis Christi, quam Brentius, & ex rigidioribus nõnulli profitebantur, esse horribilẽ profanationem omnium articulorum Symboli, & renouationem omnium hæreseon. His enim verbis vtuntur. Cõmenticia illa Vbiquitas, horrendũ in modum corrupit omnes penè articulos fidei de Christo, ac discrimen diuinæ, & humanæ naturæ in Christo, inprimis delet, ac euertit. Et alio loco. Commenticia illa commutatio Physica, quæ nostro primũ tempore, cum vbiquitate corporis Christi introduci cẽpta est, vniuersæ Orthodoxæ Ecclesiæ, & toti orbi Christiano, vsq; ab initio incognita fuit, atq; etiam nunc à Pontificiis ipsis reijcitur, & taxatur acerrime. In Philippi itaq; sui doctrina, & sententia permanendum decreuerunt, & sic Conuentum dissoluerunt, sed verum dixit ille. Non est bonitas pessimis esse meliorẽ: sic non propterea Maioristæ docti, quia Vbiquitistæ stulci.

Conuentus cellæ Mysiorum.

1549.

Euangelici reprobatis Ecclesiæ Catholicæ cærimonijs, nouas iterum è suo capite struunt.

HABITVS est quorundã Principum Protestantium Conuentus Cellæ Mysiorum 1549. ad diem 16. Nouembris: vt in eo de admittendo interim tractaretur, Ad eum postulata quędam sua retulerant Cõsiliarij Principis Mauritij Electoris, de Missa, & alijs religionis capitibus. Ad quæ Georgius Princeps ab Anchalt, & cæteri Theologi, Georgius Maior, Pomeranus, Camerarius, cum reliquis adhũc modum responderunt. Asserunt in primis salis vsum, cereos, & candidam posse in baptismate concedi, idq; ex libro Actorum, & ex Interim Virtember. 1559. excussis, & ex retenta in Ecclesia Virtemb. consuetudine D. Luthero, vt aiunt, permittente: quamuis mos iste anno primũ superiore in vsu esse desijsset. Hoc itaq; supposito, statuunt in actis Conuentus illius fol. nu. 2. Vt in illa sua Missa Luth. Sacerdos, vna cũ Ministro reciret, Confiteor flexis genibus, ante Altare, Postea sequatur Introitus, Kyrie eleison, Tum præfatio Latinè, Sanctus, Pater noster, verba Testamenti Germanicè cum eleuatione, sub communione cantetur Agnus Dei, si multi sunt communicantes.

Conuentus Cabilonensis.

1560.

Euangelici, ex Decreto Conuentus, Ecclesiam, Nobilitatem, & Iuris disciplinã exterminare cõtendunt.

CONVENTVS Cabilonẽsis facit mentionem Hosius in hæc verba, Cabiloni Conuentum habuerunt Hæretici, quem illis Synodum vocare visum est, in eo decretum ab illis, & constitutum est, vt cum primum liceret vniuersi fratres coniunctis viribus ad tres orbis terrarum pestes, siue quisquilias exterminandas concurrerent, nimirũ Pontificiam Ecclesiam, Nobilitatem, & iuris disciplinam. Papisticum enim esse, & à pura religione penitus alienum, vt quidã in Repub. dignitatum gradus, personarumq; ordines, ac discrimina ponerentur: quandoquidem Deus, cunctos homines Rege vno dempto (hũc enim ad aliquod tempus excipiendum putauerunt) potestate pari, & iure optimo esse voluisset, Itaq; non ita multo post in Matisconensi solo, nonnullas nobilium virorum ædes, ipsi clientes eorum, huiusce Synodi opinione imbuti diruerunt, & complures exusserunt. Eadem omnia Ioan. vetus

com-

commemorat in Apologia, cõtra calumnias Theod. Bezæ.

Synodus Rupellana.

1571.

Sub titulo Reformationis, de vita Principis consultant Hugonistæ, vt primo quoque tempore tollatur.

MENSE Martio istius Anni, Rupellæ habita est vniuersalis Synodus Ecclesiarum reformatarum. Aderant ex omnibus Regni Galliæ Prouincijs eruditiores, Antonius Chandæus nobili familia natus, Nicolaus Gallazius, & complures alij, eò, & Principum literis à Senatu Geneuẽsi impetratus, venit Beza, & illi Synodo pro more suffragijs electus, præfuit. Hunc etiam Conuentũ sua præsentia honestarunt Nauarræa, Princeps Amiralius, & multi proceres, & nobiles viri titulo Religiosi, Actum est de instaurandarum Ecclesiarum ratione, & doctrinæ caput tractatum, de disciplina Ecclesiastica, cuius nouam quandam rationem Ioãnes Morelius iampridem inuehere moliebatur. Sed hoc palliũ quoddam erat secretiorum consiliorum, Quid enim dissolutissimis Hugonistis cum disciplina Ecclesiastica? Sed ibi de Regis, & omnium Catholicorum oppressione actũ, disputatumq; est, & quidem acriter, & studiose, quod in lucem postea prodiit. Commentaria quoq; Lancilotti cuiusdã Voysin Poplinerij de rebus horum temporum damnauerunt, & proscripserunt: propterea quod pure, & simpliciter, ad historiæ veritatem, non ad Causæ gratiam (ita suam perfidiam vocitabãt) narret omnia.

Synodus Bernensis.

1572.

Decreto Synodi Zuinglianæ tollitur omnis potestas: Reges, & leges violari: imma summis misceri permittuntur.

CITAT Alanus in Respõsione ad persecutores Anglos, Synodũ Bernensem habitam inter ipsos Sacramentiperdas 1572. in qua, etsi inuicẽ in doctrina de Cœna diffiderent, in oppugnãda tamen fide Cathol. & in opprimenda legitima potestate egregie consenserunt: Libet hoc loco aliquot illius Synodi seditiosissimos canones delibare, ad memoriam vniuersæ posteritatis sempiternam: quã fideles sint Regibus suis Euangelici, quasq; reformationis in suis Synodis ineant rationes. Obtulerant Euangelici Regi suo Christianissimo Carolo 9. Generalem perfidiæ suæ confessionem, in articulo 39. Regiam eius potestatem his, quæ sequuntur cancellis circumscripserunt. Affirmamus, aiunt, parendum esse legibus, & statutis, soluenda tributa, & reliqua onera perferẽda, subiectionis deniq; iugum voluntarie tolerandũ, etiamsi infideles fuerint Magistratus, dummodo Dei, summum Imperium integrum, & illibatũ maneat, Hanc autẽ de illibato Dei Imperio clausulam, quod ei varij varias affingerent interpretationes, in hac ipsa Synodo Bernensi, ita deinceps interpretati sunt. Vt tùm demum Dei imperium manere dicatur illibatum, cum Caluinismus floreret, & Rex exterminata religione Catholica, & alijs hæresibus innumerabilibus, solam Caluinianam in Regno suo toleraret, Alias, & Regni statum immutare, & naturalem Regem expellere, & ciuitates contra eum armare, & Regem quemuis externum in eius locum subrogare, summe fas iusq; existimarunt, Libet etiam ipsa Canonum verba inserere Euangelicæ perfidię certissima argumenta, Sic enim Canon. 3. decernitur. Vt in singulis ciuitatibus omnes iurẽt, se suosq; posteros ea quæ sequuntur capita, rata & inuiolata seruaturos in articulo 4. Donec placueritDomino in cuius manu sunt corda Regum mutare cor Tyranni, Galliam & statum Regni in meliorem ordinem restituere, aut exuscitare Principẽ aliquem vicinum quem cognoscamus (per virtutem suam, & notas insignes) esse liberatorem huius calamitosi populi, interim singulæ ciuitates singulis annis eligẽt sibi Prætorem qui illos regat, tam in bello,

quam

quam in pace. In 5. illi adiungetur consilium 24. prudentium, qui ex nobilibus, & ignobilibus deligentur promiscuè. In 6. Deligetur præterea consilium 72. quorum in rebus grauioribus, vbi de vita, vel morte agitur, in primis requiretur cõsensus. Sequuntur alia multa quibus Monarchia Regni Galliæ ad meram Democratiam reducitur, & nominatim ad exemplum veterum Iouiorum, Bæotiorũ, Dolopum, & Achæorum conformatur. Can. 16. & 17. de disciplina militari statuitur, de Ducibus, & eorum officio, vt milites eo animo contra hostes progrediantur, quo Gedeon contra Madianitas: vel cõtra Nicanorem, & Paganos, Iudas Machabæus. Vt Præfecti milites suos instruant ad subitas velitationes, ad inuadendas vrbes, ad hostes adoriendos, vel eorum irruptiones sustinendas. Vt Duces & qui illis adsunt consultores, Catholicos (sic enim vocãt) armatos, & resistẽtes omni acerbitate persequantur, & eorum prorsus nemini pareant. Vt omnibus in locis varij exploratores emittantur, qui hostium cõsilia scrutentur, & exquirant. Cęterum Canon vltimus longe dignissimus est, qui alte mentibus omnium insculptatur, qui etiam totam hanc controuersiã clarissime definit. Habeãt Duces, & Præfecti omnes hoc Axioma instar indubitati, & certissimi cuiusdam oraculi, nunquã vt fidant ijs, (Regi, & Regijs) qui toties tamq; insigniter fidem violarunt, quietemq;, & pacem publicam; nec vnquã arma deponant: quãdiu viderint eos persequi doctrinam salutis, aut eiusdem doctrinæ discipulos, quod si agatur aliquando de pacificando: Primum omniũ illud cõstituatur, quod gloriæ Dei promouendæ conuenerit, deinde diligentissime caueatur securitati Ecclesiarum, ne deinceps exponantur immisericordiæ luporum, & Tygrium: & si Deo placuerit mollire corda Tyrannorũ, eosq; mutare, tum bona cum voluntate omnes se submittent ijs, quos Deus nobis dedit, Principes naturales, quibus omne obsequium prẽstabunt: Sin verò malum sit insanabile, & diuinæ voluntatis sit eos exterminare, tũ si Domino placuerit aliquẽ Principem Christianũ suscitare ad peccata istorum vlciscẽda, & populum suum liberandum, ei se Principi subiectos tradant, tanquàm alteri Cyro, diuinitus ad eos misso. Interea his regulis se gubernẽt, quas nos illis tanquàm leges præscripsimus. Hactenus Concilium: Ex quo pius Lector verissimum illud esse deprehẽdet, quod sæpè diximus, Euangelicos omnes nil nisi, vel Regum, vel Legum interitum meditari.

Synodus Craccouiensis.

1573.

Euangelici, hæreses tolerandas putant,
Leges prius explosas iterum figunt,
Pacem Ciuiũ, inter Ciues malunt, quã cum Deo, Prohibent ne se ministri inuicem comedãt, cum hoc vno nullus sit illis cibus gratior.

HABVERVNT quoq; Craccouię, Euangelici colloquia pleraq;, & Conuenticula omnium sectarũ, è quibus semper magis etiam dissidentes, & discordes abierunt, dum aliud de fidei articulis statuere vellẽt Lutheristæ, aliud Caluinistæ, aliud Trideistæ, aliud Anabaptistæ, aliud Ariani, aliud Neariani, aliud Samosatheni, aliud noui Iudæi, aliud Adamitæ, & aliud Sabbatharij, & aliud exiguę quædam Calixtinorum reliquiæ: quorum patres prope iam oẽs Caluinismus deuorauit. Meminit Cromerus, qui nõ ita pridem in Christo plenus dierum obdormiuit, in suis Dialogis Collationis, seu Colloquij cuiusdam Euangelicorum Craccouieñ. Præsidente SS. Trinitatis apertissimo perduelle Gregorio: in cuius Actis SS. & omnibus adoranda Trinitas vocabatur (horreo dicere: sed confundantur oẽs qui te persequuntur Christe, & non confundar ego) nuda meretrix, Dea fatua, Gentium Hydra, Infernalis Cer-

Cerberus, Idolum Sabinense, Cananæorum simulachrum. Sed Anno 1573. singulare quoddam Cõuenticulum (synodum illi vocãt) contra omnes Regni leges, post discessum Regis Henrici egerunt, in quo obfirmatis animis concordiam dissidentium fidicularum stabilire contenderunt. Verum idem est, qui in reliquis omnibus colloquijs exitus consequutus: Maior videlicet distractio animorũ, Sathanæ Ministris non minus post Synodũ, quam ante Synodum in diuersas abeuntibus sententias, dum suo capiti plus Biesaga, plus suo Daniel, plus suo Georgius, plus adhuc Simon, plus Iurek sutor, plus Kitka, plus adhuc Siekierka tribuit: scęlerati animarum Pyratæ; homines, vt ait Athanasius, in calcaneis depressum cerebrum habentes: quorum quisq; sibi, plus quam cuiq; alteri scripturarum intelligentiam arrogare non dubitat. Vt tamen fucum incautis facerent, ediderunt in lucẽ Acta, & conclusiones Synodi, vt vocant, Generalis Craccouiensis, vbi in Epistola ad Regem Henricum profitentur se in Ecclesię primitiuæ restauratione versari, & studere quam proxime accedere ad S. Apostolicam Ecclesiam, & quam conscripserant confessionem, eam prorsus vnam, & eandem esse, quam hodie Ecclesia per Europam, videlicet Germaniam, Heluetiam, Galliam, Angliam, Scotiam, Daniã, Bohemiam, Flandriam, Vngariam, & vbiuis fuerint locorum, libere, & sancte confitentur (quod tamen esse falsissimũ singulæ singularum, quas nominant, propriæ, ac ab ista diuersæ cõfessiones testantur,) animaduersionem in eos, qui in religione dissident reprehendunt: tollerantiam suadent: Verius, inquiunt, ac rectius dicemus: Dei admirabile, & inscrutabile esse iudicium, vt in orbe terrarum ab origine illius, vsq; ad finem sæculorum, sint istæ diuersæ religiones. Istos itaq; errare, qui quod Deus permittit pro suo iusto iudicio emendare, alijs remedijs contra Patrisfamilias mandatum voluntnullam esse causam cur propter varios cultus de Deo passim vigentes, cælum terræ miscere oporteat, & ciuilia bella mouere: cum potius suspiciẽda sit diuina Maiestas, quæ hominum superbiam, hoc modo coercet. Suadent itaque Regi Henrico, quidquid de Deo, & religione fiat, vt hoc esse Regni sui perpetuum, & faustum Emblema velit, Pax Ciuium, & omnium inter se amicitia: quo solo Regni Polonici conseruator habendus erit. Epistolam hanc sequitur Consensus mutuus (sic enim inscripserunt) in religionis Christianæ capitibus, inter Ecclesias maioris, & minoris Poloniæ, Lithuaniæ, Russiæ, & Samogitiæ, quæ iuxta confessionem Augustanam fratrum Valdensium, vt vocant, & confessionem Helueticam, aliquo modo à se dissentire videbantur, factus in Synodo Sendomirien. 1570. April. 14. Libet isto loco nonnullos articulos producere, vt ostendamus ex ijs, quæ deinceps consecuta sunt, & quæ quotidie oculis nostris subiecta habemus, Vnitatem extra Ecclesiam quæri posse, inueniri non posse: Ab istis certe minime omnium inuentam, & seruatam ostendemus; Iubent, vt Ministri prædictarum Ecclesiarum, cum Conciones, tum Sacramenta administrent, & dispensent ea forma, & ritu eodem, quo vsitatus est ijsdem in illorum cætibus, cuius fuerint confessionis. O cæcitatem plus quam talparum. An hic esse, vel vnum granum concordiæ potest, si sua quisque forma, & ritu Conciones habebit, & Sacramenta ministrabit? Nonne quot sunt confessiones, tot habent ritus inter se diuersos? Iubent etiam, vt quoties Minister cætus alicuius, alterum cætum conuenerit, cuiuscunque sit confessionis, debet eodem ritu fungi ministerio, vt est eius cætus consuetudo. At an nescitis, ò Legirupæ, quod Lutherani Caluinistas, Caluinistę Trideistas, & Anabaptistas, anathema maranatha reputant, & è contra? Quomodo poterit Augustanus aliquis, aut quicunque tandem Lutheranus minister, aut quomodo sciet Caluinistica, aut Anabaptistica sacra, vel Tygurina, vel Geneuensia ministrare, aut è contra? O si legisses Osiandri, & Papij de his ritibus contentiones, aut Bezę cum Iacobo Andrea, plusquam caninos, & vipereos morsus. Iubent prętera, vt Ministrum Cathechistam, auditoresque partis, vel cętus vnius, pars altera nulla vel ratione, vel occasione abstrahat. Cur

itaq;

itaq; tam acerbe pro cõcione? cur in omnibus libris tam acriter cætus cætũ mordet, & lacerat: nisi vt ab illo auditores ad suum cætum pertrahat? Cur Anglica Iesabel pœnas decernit in eos, qui ad Puritanorum cohortem è Caluinistico cætu accesserint? cur equites nostri subditos suos mulcta afficiunt, si ad alium, quam ad suum cætum miser colonus abeat? Iubent adhuc ne quisquam Ecclesiasticas confessiones, alterius, in omnibus, & doctrinæ, & rituum punctis damnare, vel verbis, vel scriptis vllis perstringere audeat. Cur Budneus Atheista damnat, & perstringit Czechouicium Anabaptistã? cur Volanus Zuinglista Budneum Atheistam? cur Socinus Deista Crac. Danielem Caluinistã? In articulis porro Xazinensis Synodi, iubent vt ministris, tam de victu, quam de habitatione bene prospiciatur, neve vlla iniuria, aut incommodo afficiantur: Cur ægrè ferũt Orthodoxis Sacerdotibus veris veri Dei ministris, tam de victu, quam de habitatione bene prospectum? immo cur eripiunt? cur autem non ægrè ferunt, cum omnibus incõmodis, & infortunijs mactatos, iniuriaq; oppressos intuentur? immo cur delectantur? Iubent, ne liberum sit Ministris in lucem emittere libros, vel manu scriptos, vel impressos recenter à se conscriptos, absq; consensu totius Synodi. At nos videmus in Bibliothecis quotidiana istorũ somnia, typis mandata, Synodos ne annuas quidẽ videmus. In Synodo Vvladislauien. 1563. habita, prohibent ingluuiem, & crapulã Articul. 1. Iubẽt publica hospicia, & caupones honestas, & bene constitutas esse: mulieres suspectæ famæ prohibent. Artic. 2. Iubent ne Domini diebus Dominicis permittant Nundinas, & fora publica, neue subditos laboribus, & vecturis onerẽt. Art. 3. At ò quisquis es castæ veritatis amator te iudicem appello: vbi maior ingluuies, & crapula? vbi suspectæ fœminę frequentiores? vbi maior diei Dominicæ contemptus? vbi crudelior subditorũ oppressio, quam apud Euãgelicos? Sed hæc de Synodo Cracouien. dicta sufficiãt. Diuisi, & dissentientes venerunt: diuisi, & dissentientes abierunt, & permanserunt, & permanebunt in sempiternum, donec ad Ecclesiam reuertantur, aut certè ad infidelitatis scopulos allidentur, sicut in eadem Synodo, & allisus, & contritus est, vnus ex istis ministris, qui in publica quadã disputatione, Alfonso Pisano viro doctissimo teste, Deũ esse, disertissimis verbis negauit. Plane contingit illis, quod olim Aegyptiorũ aspidibus: vt habet Epiphanius lib. 2. cap. 2 quæ in vasa testacea collectæ, & in quatuor Angulis Aegyptiorum templorũ positæ, reliquos omnes infirmiores deuorabant, vbi vero sola in vase mansisset, & alimento careret, seipsam à cauda rodere, vorareq; cæpit, & vsque ad supremam sui partem arrosit, quoad viueret. Vnde & Aspidogorgona vocabatur, ita accidit Euangelicis. Nobis vero libet exclamare cum Paulo. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.

Disputatio in Turri, & carcere Londinensi Anno 1581.

Euangelici vinctum Campianum aggrediuntur, sed verbo Dei, & Martyris constantia, confunduntur.

MINISTRI, & superintendentes Anglicanæ Synagogæ, tam Caluiniani, quam Puritani, cum Edmundum Campianũ virũ Dei, & quasi rediuiuum, pereuntis Angli Augustinum, tetro carcere, inedia, squalore, plurium dierum equuleo, omni reliqua ratione excarnificassent, peneq; enecassent, disputationem ad extremũ in carcere cũ homine semiuiuo instituerunt, arbitrantes fracto debilitatoque corpore, animi quoque robur, & memoriæ viriditatem perijsse, ac ita sibi omnes de illo Triumphos, & laureas pollicebantur: vnde & suis affectis, & ipsis Principibus videren tur doctiores, fierentq; venerabiliores. In dies quatuor instituta fuit disputatio, quæ ante meridiem ab hora octaua, vsque ad vndecimam, & rursum ab hora secunda pomeridiana, vsque ad quintam producebatur:

batur: Conditiones porrò longè iniquissimas præscripserunt, nimirum, vt non liceret Campiano quicquam ab illis interrogare, neque obijcere aduersus eorum placita: sed ad argumenta tantum, & obiectiones aduersariorum respondere, Anthagonistæ fuerunt, Doctor Dauid, Decanus, si dijs placet, Ecclesiæ Sancti Pauli Londinen. Beleus præterea quidam, & Vittakerus, qui etiam scriptum quoddam aduersus librum eiusdem Patris Campiani edidit, quod Ioan. Dureus Societatis Iesu, doctissimè verissimeque refutauit. Campiano assistebant M. Seruinus, & Bosgrauinus, Carceris, & ærumnarum Socij. Contigit inter disputandum Euangelium Rabbinos, quendam scripturæ locum admodum corrupte citare: cuius rei admoniti à Campiano proferri iubent Græca Biblia, quæ cum inspexissent, obseruauit ex eo esse genere, quæ Christi perduelles corrupta, & depranata, atque ad suam sententiam accommodata Geneuæ edenda curauerunt: locum itaque citatum, ex illo codice recitare recusauit. Hic Antagonistæ triumphare, nil nisi Græcè loqui, codices obtrudere, hominem deridere, & apud auditores traducere, tanquam Græcarum litterarum rudem, & ignarum; Illud per ludibrium suo more debachantes, Græcum est, legi non potest. Campianus verò patienter omnia tollerare, seque, & causam suam, Deo commendare non cessabat: occasionem expectans istius quoque maculæ detergendæ. In cursu disputationis contigit proponi, quendam locum Sancti Basilij. Allatus est codex Græcus, quem illi petulanter, & contumeliosè Campiano obtrudebant inuitantes, vt, locum designatum legeret, si modo Græcè linguæ micam teneret. Ille vero accepto libro, clara, & distincta voce verba omnia Græca legit, & Anglice præterea reddidit, hoc vnum magna cum modestia adijciens, vos ipsi mihi testes eritis, me legere posse literas Græcas. Incidit in altera collatione controuersia de Sententia Lutheri super authoritate Epistol. Catholicæ, S. Iacobi Apostoli: quam ille impie resecat de Canone scripturæ, Stramineam appellans: & quia scripta Lutheri quibus Angli, vtuntur à posterioribus sectarijs recognita, iterumque excussa discrepant ab ijs, quæ primumædita fuerunt; allato codice, & loco, quem Edmundus quærebat non inuento, mirum quàm aduersarij magnifice triumpharint. Quibus ille solummodo respondit, recentiores dogmatistas sententiam, de qua quæstio erat inde sustulisse, vt multas alias ex Lutheri, & Caluini scriptis, quod eas suæ sectæ minus congruere intelligerent, idque facile conuinci posse ex ijs exemplaribus quæ primo omnium in Germania prodijssent. Hæc, etsi ita se habere non ignorarent tamen ne hic quidem eis, quod dicerent, defuit, proterue Campianum irridentibus, velut qui libros aut aliud quodcunque subsidium, è Germania expectaret. Atque hic fuit exitus huius disputationis. In qua licet Edmundus abunde præstiterit quidquid in homine doctissimo desiderari potuerat, idque ea modestia, qua hominem, & Christianum, & religiosum, & Christi Confessorem esse præditum oportet, tamen totam defensionis laudem aduersarij contulerunt in Seruinum. Quod quidem profectum est ex odio singulari, quo in Campianum flagrabant, haud secus atque olim Pharisæi titulum Messiæ transferre voluerunt, ad Ioannem Baptistam: non tam quod ei bene vellent, quã quod Christum odissent. Quanquam non negamus immò veriss imè testamur Seruinum fuisse hominem eruditum cum primis, & in disciplinis optimè versatum. Quod autem ad Campianum attinet, ita ab eo in illa disputatione habiti sunt aduersarij, vt consilium cœperint deinceps, cum nullo Iesuita amplius de religione disputandi. Sunt vero hæ disputationes (vt fertur) suo tempore in lucem emittendæ: & fortè iam pridem typis mandatæ fuissent, nisi difficultas, & periculum imprimendi prelorumq; paucitas, & quamplurimi alij, qui iam ab Anglis Catholicis cuduntur libri impediuissent. Porrò aduersarij cum hac via nihil promouissent, adeoq; causam suam reddidissent deterriorem,

riorem, tandem suo crudeli ac fero ingenio conuenire iudicauerunt, vt ad extremum actum, ac totius Tragediæ Catastrophen progrederentur: ideſt, vt viros longè innocentiſſimos morte mulctarent, quod etiam ſine omni miſericordia fecerunt prout in Phalariſmis dicetur. O ſi viueres, Ioannes Apoſtole ſanctiſſime. Non pauca, vt ais, ſed infinita nunc haberes aduerſum iſtam mulierem, alteram Ieſabel, quę ſe dicit Propheten: & permittit docere, & ſeducere ſeruos Dei, fornicari, & manducare de Idolotitijs. Nã, & iſti, ſicut olim illi, de qua quereris, dedit dominus tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere, à fornicatione ſua.

Conuenticula Lublini Rakovv, Pinczovv, Leuartou, &c. In Polonia.

In Synodis Euangelicorum mira diſcordia de Mediatore, Tandem ad Machometanos mittitur pro Decreto, & Circumciſionis cœremonijs.

HABVERVNT alia quoq;, in diuerſis Regni Poloniæ locis Conuenticula ſua Euangelici, ſemper diſcentes, ſed nunquàm ad ſcientiam veritatis peruenientes Lublinij, Petricouiæ, Pinczouiæ, Brzeſcziæ, Rakouu, Leuartovv. Idem fuit exitus omnium, niſi quod quotidie ibant de virtute in virtutem, ipſo etiam teſte Czechouicio Archianabapiſta: qui, & hoc aſſerit, cum ea concluſione, è pleriſque iſtiuſmodi Synodis diſceſſum fuiſſe, vt quiſq; ſuam retineret opinionem. Duos etiam Conuentus in Leuartovv' commemorat, magno ſumptu D. Caſtellani Rauenſis, coactos: vt Caluiniſtæ cum Anabaptiſtis diſputarent: ſed illos, ait, diſputationem detrectaſſe, Anabaptiſtas vero, de victoria veritatis lætum pæana cecinisſe. In quodam ex his Colloquijs auſus eſt Stanislaus Sarnicius palam aſſerere, ſolam diuinam Chriſti naturam Pontificem eſſe, & Sacerdotem: ac propterea ratione officij minorem eſſe Patre Filium, etiam in natura diuina. Hãc etiam opinionem oppugnauit Stancarus Mantuanus, quem Pinczouienſes, Iudæum Circumciſum appellant, docens Chriſtum eſſe noſtrum mediatorem ſecundum humanam naturam. Quamobrem: Nobiles aliquot Poloni ad Geneueñ. & Tygurinos ſeductores miſerunt: vt Decretum ſuum de hac opinionũ varietate interponerent. Illi vero reſponderunt Chriſtum eſſe mediatorem ſecundum vtramque naturam in quo tamẽ Sanctarus nũquam acquieuit, immò vociferatur, in ſuo de Trinitate, & mediatore libro, ita ſe Geneuenſes, & Tygurinos in ſuis reſponſis geſſiſſe vt ex eis Poloni Arianiſmi, & Eutichianiſmi principium acceperint, idque res ipſa loquitur. Reuocet ſibi in memoriam Lector, quod iam diximus, de nobili quodam ad Turcas miſſo, vt ab illis Circumciſionis cæremonias perdiſceret: & in Regnum inferret. O cæcitatem Euangelicorum, Romanam ſedem iudicem non ferunt, cuius fidem in toto orbe laudatam, & prædicatam Paulus vas electionis aſſerit, & Geneueñ. Machometanorumque decretis, nobilia colla ſubmittunt. Quod dicit Papa verbum Sathanæ eſt, quod dicit Caluinus, & Machometes, verbum Dei eſt. Libet exclamare. Quo ruitis generoſa domus? male creditis hoſti. Simplex nobilitas, perfida tela caue.

Conuentus Rottemburgenſis.

1584.

In his quoque Comitijs apparuit, quod inter quos non eſt pius effectus, ibi non eſt fidus conſenſus.

CONVENERVNT nonnulli Principes Imperij Rottembergum, vt de tuenda reſtituendaque pace German. Conſilia conferrent, & ſimultas ſiue diſſidentia Principum ob diuerſita-

tem

tem religionum, quotidie magis atq; magis gliscens sopiri posset; sed cum nemo vellet de sua religione decedere, fieri quoque non potuit, vt inter dissidentes pax vlla coalesceret. Itaque sine fructu ex illo Conuentu discessum est, cogitauerunt enim consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Synodus Montis Albani Anno. 1584.

Euangelici, Synodi quoque decreto, mentiendi, & calumniandi facultatem suis tribuunt.

IN Synodo Montis Albani, se suosque ad omnem audaciam contra Catholicos armabant Caluinistæ, ministris eorum frigidam suffundẽtibus, & fas esse docentibus in omnium Catholicorũ sanguine luxuriari, scriptoribus quoque, & concionatoribus suis lege lata præscripserunt, vt in omni sermone, & Concione, vel apertè mentiantur, vel verum prætereant, modo id caussæ suæ conducere possit, & Catholicis nocere. Citat Genebrardus.

Colloquium Montisbelgardense. 1586.

Inter Bezam, & Smidelinum horrendæ contentiones, de Eucharistia, noui loquendi moduli, & odia acerbiora, quam ante excitata.

HABITVM est Montpelgardi Colloquium quoddam, inter Bezam, & Iacobum Andream Smidelinum; Zuinglianum, quod Osiander manu sua excipiebat. Eius acta edidit in lucem Iacobus, in quibus miras, & vtraque parte dignas contentiones, & tragedias videre licet, quarum nonnullas attingemus. Primo protestatus est Iacobus se nequaquam cõsentire vt acta, Colloquij, Publici Notarij exciperent: Beza vicissim in fide Notariorum volebat acquiescere. Tandem ab vtraque parte cõuentum est, vt ea omnia, quæcumque essent priuatorum calamis excepta, eorumque Protocolla nullam prorsus vim, & authoritatem haberent. Sic igitur ibi Smidelinum, quod ipse fatetur, exagitat Beza. Quid faceret Iacobus, si quis Gentilis in agone baptismum peteret nec esset Minister qui daret? Respondit Iacobus. Persuaderem illi vt credens acquiesceret sine baptismo. Tum Beza. Quid si inquam ille non acquiesceret? Iacobus vero, dicerem illi. Vade morere cum omnibus Diabolis. Tum Beza, subridens, esses profecto, mi domine Doctor, illius miseri miserabilis consolator. Ridet ibidem, & exagitat Beza Sextam quandam Virtembergensium Thesim, quæ sic habet. Per vocabula. In, cum, sub, nil aliud intelligimus, nisi hoc, quod ij qui in Cœna Dominica, panem illum comedunt, & vinum bibunt, simul etiam sumant re vera corpus, & sanguinem Christi: sicut etiam ipsa vocabula subsantialiter, corporaliter, realiter, essentialiter, oraliter, nihil aliud nobis, nisi veram præsentiam significant. Et infert. Si est Corpus Christi, non magis est, in, cum, sub pane, quam est ipse in rebus omnibus, ab ipso vnionis hipostaticæ momento. Lutherum quoque reprehendit, quod feruore, vt ait, contentionis extra omnes veræ Theologiæ limites progressus, non contentos illa definitiua Corporis Christi præsentia, ausus sit etiam repletiuam illam præsentiam Vbiquitariam comminisci. Et Paulo inferius, ad Iacobum loquens. Hæc exprimere te oportuit, Domine Doctor, vt tuæ, & tuorum calumniæ occurratur, qui Testamentum Christi à nobis euacuari, & nuda Sacra signa relinqui vociferaris. Nos denique ipsis Turcis deteriores, omnipotentiam Dei inficiari falsissimè declamitatis: quasi vero huius spiritualis quidem, & non imaginariæ, sed verissimæ, & efficacissimæ cũ Christo vnitionis misteriũ, quod propterea Paulus, magnum appellat, Ephes. 5. nõ sit multo admirabilius, & omnipotentiæ

tiæ Dei conuenientius, quam vestrum illud finitum, simul, & infinitum, visibile & inuisibile, vbiquisticum, & locale, corpus deni[redacted]e corporis definitione, omnima[redacted]m, quo, & hypostatica vnio, & Corporis Christi veritas tollitur, & cuius supra Cœlos ascensio indisparitionem, siue externum spectaculum, vsque ad nubes (vt ausus est Brentius totidem verbis scribere) commutatur. Addidit, & hoc Beza, vsum carnis Dominicæ esse Capharnaiticum si sumatur cum fide Smidelini. Ait deinde, Transubstantiationem Papisticam in Cœna, ijsdem niti fundamentis quibus, & consubstantiationem (egregius scilicet Concil. Nicæni defensor, quod se tamen aliquo loco habere, vult sæpè videri.) Accusat etiam Smidelinum, quod Vigilium P.P. eruditissimum, vt ait, scriptorem, & Martyrem dormilium appellauerit, argumentisque suis, & verborum fulminibus in eas angustias coniecit, vt Iacobus cogeretur, in disputatione Christiana illa, sed à Luthero reprobata diuisione vti, Veni alia, & mortalia peccata, quam Beza Sardonio risu excepit. Adhæc omnia Iacobus, furans, & iratus, Vulgo, inquit, à nostris Doctoribus iactatur Luth. sanctæ memoriæ sæpè dixisse Diabolum à Sacramento Cœnæ, tanquam materia ἐνδόξῳ initium cæpisse: vt per huius latus perque eius Doctorum peruicaciam, & obstinationem, reliqua doctrinæ capita, in quibus momenti plurimum situm est confoderet, sicut per Bezam cæterosque sui similes confodit. Rectè itaque Comes Fridericus, quamuis semper à Caluini dogmatibus abhorruit, expræsse tamen coram suis præterea Confessus est, se nunquam credidisse tantam impietatem sub dogmate Caluini latere: quò magis daturum se deinceps omnem operam studiose promisit, ne in hos labyrinthos incidat; Verbis itaque Bezam vetulum, cum fortè argumentis non potuit ægregiè castigauit, Hæreticus es, Caluinianus teterimus, negas omnipotentiam Dei, euertis Dei Testamentum, verbum Dei tuo sensui subijcis, Nestorianus es, de Christo non aliter iudicas, quam ipse Machometes. Summa huius acerrimæ, & maledicentissimæ disputationis erat, sicut testatur in ijsdem suis actis Iacobus, quod vtraque pars, post prolixissimam Logomachiam in suo sensu, & sententia perstitit. nec vlla ratione inter partes conuenire de Cœna Domini potuit, ac ita, vtrique parti suam fuisse consignationem, vt ait, restitutam, nec quicquam amplius de hoc articulo ad stabiliendam Concordiam tentatum.

Beza vero de Smidelino Faberculo in compedes compacto triumphans, Theses propositas, & contra Smidelinum, & eius cohortem defensas vt victrices in lucem edidit, quibus quinque Ministri in hunc modum subscripserunt, Theodorus Beza Geneuen. Ecclesiæ minister, Antonius Paius, Geneuen. Ecclesiæ minister, Petrus Huebnerus Græcè linguæ in Gimnasio Bernen. professor. Claudius Alberus Doctor, & Philosophiæ professor in Academia Lausanensi. Perorauit ibidem Beza ad sesquihoram de Prædestinatione, itaque de ea locutus est, vt ipsissimum saperet Manichæum. Sed nec Iacobus sibi causæque suæ defuit. In his enim vnde hæc excepimus actis, Bezam, & suos ita, vt merentur, lacerat. Sed ò iusta tua iudicia Domine. Cum Luther. cum omnibus suis Euangelicis eos loquendi modos, & formulas reprobasset, quibus vtuntur, ad propriam cuiusque rei vim exprimendam Scholastici Theologi, & ad solas scripturas omnem disputationem reuocaret: nunc vicissim ab istis inter se dissentientibus Euangelicis in aciem producuntur, & noua præterea, & inaudita fingunt, & excogitant vocabula. Alium esse dicunt vsum Cœnæ Oralem, alium naturalem, alium Sacramentalem vocant ritum, Sacramentalem Organicum, Omnimagestaticum, Corpus vt tangibile, vt quantum, vt circumscriptum, vt molem materiatam, vt realem effusionem, vt illocalitatem, vt tropum, vt relationem, & omni scientiam, vt omnipræsentiam, vt proprietatem corporis materiati, & organici, vt definitiuam sine circumscriprione, vt repletiuam sine definitione, vt actu primo, & id genus

alia

alia afferunt in medium, quæ isti Tartaræi Cacodæmones, nec ipsi intelligunt nec intelliguntur: Nonne istis dici quæso te, Lector, verissime potest, Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum? Sed præstat vt commendant inuicem, & consumantur ab inuicem, sicut per Dei gratiam, & Catholicæ veritatis potentiam quotidie consumuntur. Ex multis German. locis explosit Catholicos Lutherus, Lutherum Carolstadius, Carolstadium Zuinglius, Zuinglium Caluinus, Caluinum Puristæ, & Anabaptistæ, Trideistæ, Blandratistæ, hos explodet Machometes nisi respuerint, Machometem Diabolus, & tunc cognoscent, sed minis tarde, quod doctrinam veritatis collocauit Dominus in Cathedra vnitatis. Sed libet isto loco inserere Lucæ Osiandri Epistolam de actis huius Colloquij ad Polycarpum Leisserum Pastorem Virtembergen. DD. Iacobus Andreæ, & ego nuper vocati sumus Montpelgardum vbi DD. Iacobus, & Beza comparuerunt, & præsente Illustrissimo Principe Comite Friderico, & Gallis exulibus, circiter 30. disputatum est aliquot dies: sed pax nulla facta. Beza enim in his erroribus persistit. Quod Corpus Christi ante nouissimum diem tantum sit in Cœlo, & nusquam, (quacunque etiam ratione) in terris: Ideoque Corpus Christi, nec à dignis, nec ab indignis ore accipi posse, neque vllum modum mauducationis, nisi aut Spiritualem, aut Caphatnaiticum concedit: Communicationem Idiomatum in persona Christi nullam nisi verbalem concedit: & omnia quæ de communicatione proprietatum diuinæ naturæ, in Sacra Scriptura dicuntur, tantum de bonis creatis intelligit. Baptismum, à Paulo vocari, lauacrum regenerationis asserebat, & quidem innumerabiles pueros in Baptismo non regenerari. Et inter cœtera dicebat Bæza: Electos etiam in scæleribus contra conscientiam admissis, neque Spiritum Sanctum, neque fidem amittere. Et quamuis à DD. Iacobo, Dauidis Lapsus allegaretur, qui in summa securitate (ante correptionem Nathanis Prophetæ) vixerat, tamen asserere Beza non dubitauit, Dauidem in eo lapsu, nec Spiritum Sanctum, nec fidem amisisse. Quum illi afferretur distinctio inter peccata mortalia, & venialia, Sardonio risu eam excepit. In disputatione de Præd estinatione vltra sesqui horam locutus Beza, vnius tantum scripturæ testimonij mentionem fecit, idque incidenter. Dixit autem, Deum in æterno suo consilio ante conditum mundum aliam rationem ad declarandam suam misericordiam (quæ præsupponeret miseriam,) & ostendendam iustitiam non inuenisse, nisi esset, qui labi posset, & hac ratione notam faceret suam misericordiam erga electos, & iustitiam erga reprobos. Neque has propositiones suas quas in scripto illi obiecimus retractauit, aut explicare conatus est, quibus asseruit reprobos ad æternam damnationem destinatos, conditos, & ordinatos esse. Neque ille cessit Sacræ Scripturæ testimonijs, quæ illi opposita fuere, sed in impia sua sententia perstitit. Fuerunt cum eo Abrahamus Musculus Pastor Ecclesiæ Bernensis, & quidam Doctor Medicus Lauranensis, & alius professor Græcæ Linguæ: hi auscultarunt. Partes enim dicendi DD. Iacobo, & Bezæ commendatæ fuerunt. Itaque discessum est ab hoc Colloquio infecta pace. Tametsi enim fraternitatem nostram scriptis, & viua voce peterent, nos tamen assentiri nec voluimus, nec potuimus nisi errores suos abijcerent. Et quamuis Illustrissimus Princeps, Comes Fridericus semper à Caluinianorum dogmatibus abhorruit: tamen coram suis expressè confessus est, se numquam credidisse tantam impietatem sub dogmate Caluiniano latere: & se per omnem vitam suam studiosè operam daturum, ne in hos labyrinthos incidat.

Speramus etiam aliquem eius Colloquij fructum ad Gallos auditores redundaturum: attentissimè enim auscultarunt: & haud dubie animaduerterunt Bezæ tergiuersationem, qui postquam de Cœna Domini, & de persona Christi disputatũ erat, eiq; locus de pre-

destinatione proponeretur: supplici libello (cum suis adiunctis) petijt vt sibi domum redire liceret, prætendens ferias Paschatis quas tamen alias parum sollicitè obseruant. Hæc paucis R. T. referre volui, & spero hanc commemorationem R. tuæ D. non fore ingratam, Bene, & fæliciter vale.

Conciliabulum Posnaniæ.

1586.

Polonici quoque Ministri fidiculam struere, scribereque contenderunt, sed ob odium Papæ; & amorem propriæ sententiæ, non potuerunt.

POSNANIAM quoque sæpius conuenerunt Euangelici Pharisæi, sed Anno 1586. 300. fere animarum pyratæ fuerunt, qui vnam aliquam fidiculam cudere contenderunt, vt eandē sententiam de rebus fidei sequerentur, ne se amplius Catholicis ridendos ob perpetua dissidia, dissentientesque sententias propinarent. Dicitur eos diligentissime, & rogasse, & monuisse Palatinus Posnanien. iam defunctus vnam, vt aliquam opinionem simul omnes amplecterentur: in eaque perseuerarent; nec aliud stantes, aliud sedentes docerent. Sed eorum quoque deliberationes, & consilia non absimilem exitum acceperunt, illarum arborum consilio, quod inter se inijsse de Rege creando in libris Iudicum leguntur. Dixit Oliua, Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua, & dij vtuntur, & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixit Ficus, Nunquid possum deserere dulcedinem meam? Dixit vitis, Nunquid possum deserere vinum meum. Sic, & inter istos? Alius dicit, Nunquid possum deserere Lutherum? Alius, Nunquid possum deserere Caluinum? Alius, Nunquid possum deserere Seclutianum? Alius, Nunquid possum deserere Tomoczkum? Nisi quod ego in istorū morbos, qui toti sunt Patriæ notissimi, nolo tam grauiter inuehi, quam illi solent, in ea, quæ ignorant: Sanare enim eos potius, scit dominus, quam subtanare mallemus.

Colloquium Gedanense.

1587.

Ne in vna quidem Ciuitate pedecosi aliquot Ministri consentire de fide potuerunt.

LVTH'ERANISMO ad Caluinismum, & Atheismum tanquam pila ad suum centrum properante, magnaque Senatus Gedanen. parte cum Caluino sentiente. Cœteris, è populo Luthericolis frementibus, institutum tandem fuit ante biēnium Colloquiū quodam, in quo Magistratus Polyticus, sectarum collisionem, & inde seditionem metuens cum plebe simul, & paucis Rabinis Anno quasi integro deliberabat, de vtraque secta concilianda, si quo pacto potuissent ex Lutherismo, & Caluinismo tertium aliquem Minotaurum effingere, cui omnes dicerent Hic est, Deus meus: Sed cum Caluinum Magistratus, Lutherum plebs obstinate defenderent, vtrumq; Sacra Scriptura reprobaret: post varia cocta, recoctaque consilia, curam conglutinandarum sectarum, fingendæque fidiculæ, tandem omiserunt, & vnumquenq; in erroré viæ suæ ambulare permiserunt, ita vt iam publicè suos cætus, suaque templa habeant Caluinistæ. Nam per domos adhuc vagantur Anabaptistæ. Sic miser Lutherus, tanquam vetulus Saturnus, à filio Caluino, tanquam à Præpotenti Ioue, solum vertere, nouasque sedes quærere, ibi quoque iubetur: & tamen miseri Lutheristæ, ita succum stultitiæ, & superbiæ perbiberunt, vt nondum intelligant, Caluinistas, ab illis in mortem cogi posse, in preces, & palynodias non posse.

Synodi Vilnenses, Anno Domini 1583. & Anno 1588.

Vilnæ quoque Luthericolæ cum Caluinicolis dissident. Volanus Mediator oleum.

oleum,& operam perdit,& Ariomanitarum argumẽtis prorſus, ad Patrum antiquorum præſidium recurrit.

HABITA ſunt Vilnæ quoq;, Euangelicorum inter Euangelicos frequentiſſima Colloquia, ſeu Conuenticula, hoc eſt, Lutheranorũ qui valde pauci ſunt,& Zuinglianorum, ſiue Caluinianorũ: Arianorum,& Nearianorum: Samoſatenorũ, & Antiſamoſatenorum, Trinitariorum,& Antitrinitariorũ (mira eſt enim iſtarum peſtium in illam Ciuitatẽ colluuies) viuente Palatino Vilnenſi iam defuncto potentiſſimo, & audaciſſimo hæreticatum fabularum,& omnium Pſeudo Apoſtolorum fautore,& protectore, Miniſtri Sathanæ criſtis erectis frequentiſſimè Conuentus cælebrabant, Cœnas inſtituebant: de fidei capitibus, certaque credendi regula,& ratione laborabant, & Geneuam ſæpè, & Tygurum, & Baſileam pro Decretis, & Concilijs mittebant. Sed in vanitatibus ſuis magis atque magis quotidie deficiebant. Meminit vir mihi amiciſſim⁹ Pater Scarga Societatis Ieſu Theologus, & hoc tempore Sereniſſ. Regis Poloniæ Concionator, quod ille ipſe Palatinus Vilneñ. ſcripſerit olim filio ſuo viro Illuſtriſſimo, & Orthodoxæ veritatis ac pietatis amantiſſimo Nicolao Chriſtophoro Duci, in Olika, & Nieſſuiess, ſe tot ſectarum in Miniſtris, & nouarum ſemper monſtroſarumque de rebus diuinis opinionum, ac diſſenſionum multum pertæſum, vix ſcire quid nam ſequendum ſit in religione, neque ſe tantos diſcordiarum tumultus poſt relictam antiquam religionem in ea, quam ſequebatur expectaſſe. Auditæ ſunt aliquando Lutheromanitarum voces plenæ deſperationis, in illis ipſis Synodis,& Colloquis, quod ſi Caluiniſtæ nil de odio, & perſecutione remitterent, longe ſe libentius eo vnde diſceſſerunt ad Papatum reuerſuros, quam truci Caluino Colla ſubmiſſuros: Caluiniſtæ viciſſim, etiam ſi ſe eſſe germanam Lutheromanitarum Sobolem non negarent, nõ amplius tamen Patribus ſuis ſe debere fatebantur, quam ei debet viator, qui protẽſo digito viam oſtendit erranti. Nihilominus tamen, & ipſi, nunquam in eadem de Euchariſtia, ſententia,& opinione, nec in ijſdem decretis, & legibus, & cæremonijs, permãſerunt, ſed poſt mille mutatas opiniones, poſt ſexcentas ſcriptas, & reuocatas coctas,& recoctas confeſſiones, aſcẽdendo non volando, ſummitatem ſcalæ prænenderunt, eoque peruenerant, quo Sathanas initio cum Lutherum excitaret collimabat. Nam alij nouos ſibi deos finxerunt, alij ad Iudaiſmum defecerunt, ſeque circumciderunt, Sabbata Sanctificantes,& porcina abſtinentes. Conatus itaq; eſt miſericors ſcilicet, & ſalutem animarum ſitiens, Volanus in Synodo quadam Anno 1577. habita, aliquam inuenire rationem, qua ſtabiliri concordia poſſet inter Lutheranos,& Zuinglianos, quamobrem,& in omnia ſe optimus mediator vertebat,& nouas de Sacramento, tum credẽdi, tum enunciandi formulas, ex intima arte Caluiniſtæ ſuæ ſapientiæ excogitabat, quæ,& ſibi probarentur, & aduerſarijs ſatisfacerent. Conuocat itaq; vtriuſque partis Miniſtellos, Iudices porro cõtrouerſiæ, pleroſque Lithuaniæ Palatinos decernit: Lutheranoſque miſeros ſic decipit, vt ex animo rem agi putarent: Inclinant itaque ad fœdera: Inde ſtatim rumor exortus eſt inter partes conueniſſe, ſed nõ ita multo poſt Lutheranus, quidam Miniſter in Veſtphali Schola verſatus, dolos reprehendit, ſimulationes,& ſtrophas verborum detegit,& fucatam fore,& imaginariam præſtigijſque plenam aſſerit, eam præſentiam, quam Zuinglio Caluiniſtæ in ſua Cœna promittebant, Capitur itaque Volanus: Ardentibus vtrũq; animis diſceditur, multo etiam magis quam vnquam anteà, vitrea quippe Sphera, ait ille, non capitur vnguibus: Nec enim vt habet Gregorius Nazianzenus alio modo, nec aliter eſſe pro Chriſto laborandum, quam ipſe vult, Librum tamen artibus, & perfidia plenum edidit Volanus, in quo viſus eſt, & antiquis Patribus, & Concilijs quibuſdam, paulo plus quam cœteri ſoleant Caluiniſtæ tribuere, & ex ijs verba,& ſententias carpebat, vt perfidiæ ſuæ ſummorum virorum authoritatem obtẽderet: Sed nimis nihilominus, graues fue-

runt Budneiſtæ, Farnouiſtæ, Glirianiſtæ, &c. miſeris Volaniſtis, & Sudrouiſtis: hoc eſt Trideiſtæ, & Arianiſtæ; Zuingliſtis, & Caluiniſtis non in publicis ſolum Conuenticulis, & diſputationibus, ſed in omni congreſſu, cœtu, menſa, colloquio, vt coacti tandem fuerint Sacramentarij Miniſtelli, libellum quendam edere Anno 1583. in quo quiduis credendi libertatem, plenam periculi, plenam peſtis, errorum omnium, & Atheiſmorum matrem, oſtendere conati ſunt: & frenos tandem furoris, quibus vagabunda loquacitas aduerſariorum coerceretur, imponi voluerunt. Volanus autem verbi Caluini Satrapa, apertius etiam oppugnat, & improbat eam confederationem, quæ in Polonia ab Euangelica cohorte Interregni tempore ſcita, ſcriptaque eſt, Stephanumque Regem potentiſſimum, hortatur, & obſecrat, vt huius generis fœdera omnia, & conuentiones inducendas, & abolendas ſuſcipiat, ſi Regni ſui quietem, & ſubiectorum imperio ſuo populorum ſempiternam ſalutem charam habet. In Pareneſi vero Capitalem etiam pœnam, decerni vult in Ebionitas, & Anabaptiſtas, & gladium ſi non conuertantur, vibrari iubet, Leges namque ait, contra Magiſtratum ſtatuunt, & Magiſtratus ingeniosè ambiunt, Concilia nocturna agunt, artes varias excogitant, quas vocant diſciplinam Eccleſiaſticam, nouumque prorſus Papatum inſtruunt. In verſionem quoq; nouiTeſtamenti Czechouicianam mira verba fundit, Sapientia. Sed nec Budneus, nec Farnouius æquior eſt, & Volano, & reliquis Caluiniſtis: vocat enim eos milites Antichriſti: Ioanni Niemoievvski in quodam congreſſu tanquam Ethnico manum dare noluit. Budneus, Lublinenſiũ Anabaptiſtarum quoſdam Canones irridet, & Paradoxa vocat. Daniel Samoſatenſibus eſt Iudæo Trinitarius. Glirius Semi Iudæus, Franciſcouic, Pieskouic, linguas tantum Rabbinis ſuis accommodant. Teſtis eſt oculatus, earum contentionum Caſparus Vilkovvski Medicus olim Samoſatinianus in libello Vilnæ impreſſo, de cauſis ſuæ ad Catholicorum fidem, fœliciſſimæ conuerſionis, quem nos magna cum vpluptate legimus. Cechouicius vero in quodam Conuenticulo, tam ardentibus animis rem religionis actam fuiſſe teſtatur ab vtraque parte; vt poſt omnia meditata, tentataque remedia, hoc ad extremum concludere fuerit neceſſe, vt quiſque ſuam retineret opinionem. In altero vero Colloquio, cum Nobiles viri Miniſtris verbi improperarent, quod neſcirent quid crederent, quidue docerent, Auditæ ſunt iſtorum Pſeudo Apoſtolorum voces. Quamdiu Domini ſunt in Cœtu, nullus erit ordo: Domini vero reſpondebant: Quamdiu nos iſti Scholares docebunt errabimus: Quamobrem alijviciſſim ἀμνηστίαν ſanciendam cenſebant vt diſſimulatis vtrobique erroribus contentio tota tradatur obliuioni. Vltimam ſuam Synodum Anno ſuperiore 1588. habuiſſe dicuntur, in qua decretum audiuimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum adorandum, & colendum vt Deum, ſed non Trinitatem. Atri fuerint an albi iſti legumlatores, adhuc ignoramus: Confuſi enim ſunt, quia Deus ſpreuit eos.

Synodus Leuartouienſis.

1581.

Commemorabilis Diſputatio, inter Caluiniſtas, & Anabaptiſtas. Iſti vt victores triumphant, illi præ pudore gemunt.

GRAVES erant in Polonia, Filij Patribus ſuis Anabaptiſtæ, & Trideiſtæ, Lutheriſtis, & Caluiniſtis: verborumque flagellis quotidie caſtigabant, & altero adhuc pede in Papiſtarum Cœno hærere, & alterum oculum ad veritatis lucem claudere, & altera manu Papiſticas traditiones retinere pertinaciſſime vociferabantur. Has notas nomini ſuo inuri Virtembergeñ. & Geneuenſis ſcholæ Miniſtelli iniquiſſime tulerunt. Synodũ itaque inſtituendã putauerunt in qua palam

palam omnibus facerent se quidem liberæ, Anabaptistas autem esse filios adulteræ. Literas itaq; processus vocant, euulgarunt, & ad certamen aduersarios ad diē 7. Martij ad oppidum Leuartouieñ. quod hoc tēpore officinā incredulitatis in patria nostra recte dixeris euocarūt. Accurrerunt nouem ventripotētes ministri Caluinici Cacangelij baiuli, moribus, & ingenio peragrestes, Totidem ferè ex Nobilitate. Accurrerunt & Anabaptistarū duo Ministri ad certamen parati, & per fraternam charitatē rogantes, & obtestantes, vt Caluinistæ tandem aliquando ad tam rectè vtilem Ecclesiæ disceptationē descenderent, quam in literis processus desiderare videbantur. At Caluinistæ Anabaptistarum audacia, & garrulitate conturbati, moras vt poterant nectebāt: alijs dicentibus admittendos esse ad colloquiū, alijs rem periculi plenam ob verborum quibus abundant fulmina. Post lōgam Logomachiam concluſum est Colloquium cum Anabaptistis in aliud esse tēpus differendum. Abierunt itaq; excluſi Anabaptistæ. Caluinistæ vero nouas Synodales literas conscripserunt, & in diuersas Prouincias transmiserunt, quosdam etiā Germaniæ Principes per Epistolas appellarunt, vt verbi Ministros ad Synodū mitterent, qui Caluini Euāgelium, acerrimis telis Anabaptistarum, penè confossum, refouerent. Literas eas Scholæ Leuartouieñ. Tritaleparius Hipodidascalus Samuel Volffius Hirspergeñ. vt potuit, exarauit, cui nomē ad vnguem, ob immania ad vnguem quotidie exhausta cereuisiæ pocula. Ad diem Synodo dictam, Lutheristæ & Caluinistæ adfuerunt. Anabaptistarum quoq; cohors impigra, rursum accurrit. Cæterū vt Caluinistæ Anabaptistis, & numero, & pondere ministrorum essent formidabiliores, aliquot Ruthenorum rudissimos Poppos, nil præter Roxolanam grammotam scientes, opera Nobilis viri D. Mikiezki è terra Præmislienſi ab aratro, & bobus euocauerunt: rogas & pileos Euangelicos imposuerūt, Cathechismos Polonicos Biesaganos gestare iusserunt, vt si à quoppiam deredenda fidei ratione requirerentur, eos è sinu protinus proferrēt, & in ijs fidei suæ rationē contineri dicerēt: nec vllos alios sermones cū aduersarijs miscerēt. Descriptis ad eum modū, & ordinatis venerā dæ Synodi patribus, præsidiarij adhuc ministri ex Germania expectabātur: in quibus totam spem victorię miseri statuebāt Caluinistę. At Anabaptistę, vt in arenā descenderetur laborabant, sed nec illi, nec isti rationem vllā, modum, & ordinem, inuenire poterant, ad cuius præscriptū disputationē auspicarentur, & persequerētur: nec vllas certas controuersiæ Theses, seu capita proposita habebant. Nescio quis tamen Nobilis cardinē in eo totius disceptationis versari dixit, quomodo essent interpręandæ scripturæ, cū præsertim Anabaptistæ, vt suā statuant, Patrū, & Conciliorum authoritatem reijciant. Hac itaque de re ante oīa esse deliberationem instituendā, dictæ sunt in hoc genere sententiæ. Minister quidam è Kozako Nizouieñ. non ita pridem in verbi prędicē ordinatus, homo planè ἀναφαλβήτος, vsu receptū dicebat in Podolia, vt similes militi obloquerēt, aut verbo læderet, interprætandi verbi facultas penes illū ipsum staret, ita, inquit, cum scriptura agendū est. Qui scripturam scripsit, idē scripturā interprætetur necesse est, Deus. In eo labore mortales oēs, & oleū, & operam perdere: Deo itaq; interprætationem relinquendā dicebat, Hanc tam sapiēctem sententiā sermone suo subsecutus est Ioannes Kvviatkovvski viduæ cuiusdam minister, dicens, esse cōtra naturam suā de tanta re disceptare, Eā igitur se relinquere intelligentioribus: Subsecutus est omnium risus, quod minister cōtra naturam suam diceret, verbi ministerium exercere, nec plures dictæ sententię, sed allata sunt Bibliorū Regia volumina, quatuor linguarū, & in mensa tanquàm machina in aduersarios disposita. Admoniti itaque tres oppidi Scholarchæ, vt sese ad disputandum acuerent, & è Dialecticis disputationibus linguas aculeis armarent, quibus Anabaptistas pungerent. Augebat tamen Caluinistis, & timorem, & dolorem, quod nulli adhuc Sinagonistæ ex intima Germania videbantur: sed neque Cracouieñ. fratres, & ministri apparebant, Rufum enim quendam barbatum miserant, qui fratrum apud fratres absentiam excusaret, id autē cum faceret

in

in hæc deinceps verba erupit. Quid tot certaminibus cum hac infęlici Anabaptistarum turba opus est? Nõne manifestum est satis, superq; iam alias contra istos, & actum, & scriptum esse? solus istis opponatur Zanchius, de tribus Eloym, & illicò ora impiorum obstruentur. Huius sententiæ grauitate permoti aliquot ministri post tridui moram ad sua se receperunt, Enoch Posnanien. & Episcopius Grodzisceñ. animarum prædones, reliqui in eam abierunt sententiam, vt è primitiuæ Ecclesiæ consuetudine diem integrũ sine intermissione perseuerarent, in ieiunio, & oratione. Id itaque, vt fieret ab ortu solis vsque ad occasum statuerunt. Postridie conuentus factus est in Ecclesia, sermones habiti, & vulgares canciunculæ intermixtæ. Appropinquante meridie ventriserui Caluinicolæ esurire cæperunt, Eorum vnus in medio cœtu vocem extollens, Videmini, inquit, Papistarum iugum, velle in Ecclesias reformatas reuocare, id quicunque non vult reteſtetur, & me sequatur: ac ita sese è tẽplo furenti similis proripuit, Eum è media Concione ferè omnes auditores secuti sunt: sed Popina ventrem fefellit: ob indictum enim ieiunium nulli cibi parabantur. Eodem porrò tempore superuenit Staniſlaus Sarnicius, & Caluino olim, & Philippo notissimus, nõdum se tamen satis firmis præsidijs munitos arbitrabantur Caluinistæ. Diem itaq; de die ducebant. Anabaptistæ vero, & ieiunia Caluinistarum, & cãciunculas ministrorum nõ pietatis officia, sed disputationis effugia vociferabantur. Erat autem eorum duplex genus, alterum Trinitarij, seu Ariani, qui filium Dei natura Deum negabant: alterũ vulgo vocabatur Bideitæ, vel Deitæ, qui Spiritum Sanctum non Deum, sed Dei digitum credebant: cum vtrisq; ante separatim agere Caluinistæ decreuerant, nisi quod in arenam descendere metuebant. At Anabaptistæ moræ impatientes non expectata vocatione in medium Caluinistarum cœtum irruerũt: & quem quisq; poterat inter medios aduersarios locum occuparunt. Consternatis ad tantam audaciam Caluinistis summum secutum est silentiũ; Niemoiewski vero vir Nobilis, & lingua promptus, appellare cæpit Lutheristas, & Caluinistas, quod Synodales litteras euulgauerint, qđ ad disputationem prouocauerint, quod se fraternæ charitatis, & cõcordiæ appetentes ostenderint, id igitur re, & veritate illo ipso die præstarent, Sed si, inquit, dilectionem fraternam cordi habetis, cur nos in litteris impios, blasphemos, scelerибus coopertos, Deicidas, Christicidas, & quid non appellatis, cum hæc omnia vobis verius, quam nobis competant? Vos enim in Deum Iehoua blasphemi, vos cæci, vos ingrati, qui oblatam oculis veritatis lucem repudiatis, nec è Cæno Papistico euadere contenditis. Nos à vobis didicimus omnia in Papatu corrupta, si oĩa, cur non & Baptismus? si omnia, cur non, & ipsa de Deo doctrina? Vos vero Missam reijcitis, Baptismum retinetis, Sãctos honore indignos ducitis, & Christum Deo similem facitis: si Deus est Deus sequimini illum, si Baal est Baal sequimini illũ, si quid in Papatu boni putatis, Papatum vtraq; manu tenete, Si omnia corrupta docetis, Papatum per omnia damnate. At vos infælices, pedem vnum extra, alterum intra Babilonem tenetis, nec adhuc vel extra sepes Papatus processistis: idq; verissimum esse in hac ipsa hodierna disputatione, & vobis, & orbi ostẽdemus vniuerso. Consternati Caluinistæ loquentis audacia, & importunitate, cum aliquandiu vox hæsisset, per vnum è suis, nil aliud responderunt, quam quod fraternitas omnis de tota re diligentius deliberabit, & responsum dabit. Ita Anabaptistæ lætum canentes Pæana (na plvvavvszij bracziey vvkasze), vt prouerbium habet è fratrum Caluinicolarum cætu abierũt, secutus est istorum fletus, ita vt ipsę fabulæ Choragus Castellanus eiulasse ac propè rugijsse, præ dolore, & pudore videretur. Accesserunt multorum querellæ de Vatiniano fratrum, in fratres odio, neglectu, contemptu: diris omnibus, & Anathematismis. Post communes quærimonias conclusum est relinquendos esse in suo sensu Anabaptistas, neq; rem cum obstinatis habendam, idq; decretũ per duos è grege, expectantibus responsum, significauerunt. Erat autem è præcipuis Martinus Czechouic, Nicolaus Zithuo, Niemioe-

moievvskiVvilkovvski medicus, qui iam ab errore viæ suæ reuersus nobiscum in Cathol. viuit, & Italus quidam Zosimus, Hi responsum Caluinistarũ, ita interpretati sunt, quasi palmam tribuerent, scire se dicebãt disputationem ab illis propterea detrectatam, quod viribus suis non fiderent: sed è Germania verbi Duces expectarent, qui tamen cum primum venirent se ad congressum Lublino redituros, nec vllam cum quoquam pro veritate disputationem detrectaturos. Restabant adhuc Bideistæ, qui cum minus effrõtes, minusq; garruli viderentur, ad disputationem à Caluinistis admissi sunt, Farnouius sectæ fautor per vnam fere horam contra Spiritus Sancti diuinitatem declamauit. Ei respondit Craccouieñ. fratrum orator, Ioan. Ruffus, sed ita frigide, vt risum excitaret aduersarijs. Hunc porrò Sarnicius subleuare contendit, & illum locum Hebraicè è Biblijs recitauit, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinẽ nostram: sed omnia expeditè Farnouius refutabat. Adiecit nõnulla Casanouius senex, vbi ad scripturæ loca ventum est: allegabãt capita alij iuxta Septuaginta: alij iuxta Hebræam: alij iuxta Chaldaicam, & Syram interpretationem, alius in hoc, in illo capite alius: ita vt nunquam inuenirentur quæ citabantur, & mutuis clamoribus, vt fit in taberna Cereuisiaria omnia complebantur, quære hic, quære illic, procedente vsq; ad secundam noctis horam contentione, res in posterum diem dilata, & per duas, vel tres horas Farnouio cum socijs blaterante, & Sarnicio replicante, cũ alter alteri non cederet, nec verbum Dei, quod solum esse iudicem cõtrouersiarum voluerunt, vel pro hac, vel pro illa responderet, soluto conuentu, nec vllo facto operæpretio abierunt. Tertio post die venit tandem Regiomonte senex Vigandus eum quodam Hebraicæ linguę professore Campingio, sed cum nullam cum quoquã disputandi facultatem inueniret, libellos quosdam de choreis ducendis obtulit, & accepto à Castellano munusculo ad nidum suum redijt, & hic fuit Euangelicæ si Dijs placet Synodi exitus, sybillis pedisequorum dignissimus.

Disputatio Lauingensis.

1589.

Euangelici sicut ante opera, ita per quandam consequentiam ipsam etiam fidem esse necessariam, ad salutem negauerunt.

LAVINGENSIS disputatio, quamuis nullam, aut Synodi, aut Conuentus publici rationem habere videatur, quas hoc loco recensendas suscepimus, non possumus tamen prætermittere, quin lepidam Ministri cuiusdã, & superintendentis Euãgelici sententiolam ad hominũ memoriam commendemus sempiternam, affirmantis, nec fidem esse ad salutem necessariã. Proxime præterito Mense Octobri 1589. Gymnasiarchæ Scholæ Launigeñ. quod oppidũ Duci Neoburgensi paret, Thæses de bonis operibus ad disputandum proposuerũt. Ad eas vicinos suos Diligenses professores, vocauerũt, Profectus est Pater Gregorius de Valentia cum aliquot alijs è Societate Iesu: Doctor Heilbruner Superintendẽs Lauingeñ. & disputationis Præses in aduentu Iesuitarũ titubare statim visus est, reliqui, & animos, & oculos in nouos hospites coniecerunt. Expectarunt aliquandiu Iesuitæ, vt à Præside salutarentur, & ad disputandum inuitarentur. At ille alio atque alio sermonem, & oculos conuertebat, vt tempus extraheret. Pater autem interrupto cursu disputationis, impetrataq; oppugnandi facultate primo protestatus est diligenter, professores Dilingenses non fuisse venturos, nisi literis Lauingensium Scholarcharum fuissent euocati. Ad hæc multis verbis, & admodum serio Præses negare cæpit, quod vnquam Diligenses inuitauerit: nisi quosdam pastores ex agro vicino, Sed Patres parati erant literas producere Lauingã Dilnigam missas, Quas cum Præses exhiberi nollet, nec recusare disputationem auderet, capite magis, & humeris, quam voce annuit, vt disputarent: Diligenses itaq; pro necessitate bonorum operum ad salutem, talem syllogismum ex eodem Pauli loco Ephes. 2. Quem in Thesibus Lauingenses

genſes citauerant, ipſius enim factura ſumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, produxerunt. Omne illud, quod eſt neceſſarium homini Chriſtiano, vt perueniat ad terminum, ſeu finem ſupernaturalem, qui eſt beatitudo æterna, eſt neceſſarium ad ſalutem: ſed ex ſententia D. Pauli conſtant bona opera eſſe neceſſaria homini Chriſtiano, vt perueniat ad eum terminum, ergo, &c. At Præſes, & Reſpondens digredi cæperunt ab huius ſyllogiſmi forma. Pater tandem, bonis verbis, ab eis obtinuit, vt negarent minorem: Maiorem enim negare non poterant, ſed minorem probabat, Pater, hoc modo. Theſis, inquit, veſtra habet, ex verbis illis Diui Pauli cõſtare, quanta ſit neceſſitas bonorum operum: qualis autem, & quem in finẽ ſit hęc neceſſitas, ipſe D. Paulus ibidem explicat, cum de bonis operibus ait, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Neque vero vult D. Paulus neceſſaria eſſe bona opera, vt in illis ambulemus, nullum ad terminum, & quaſi in circuitum, ſiue in incertum, cum 1. ad Cor. 9. dicat, Ego igitur ſic curro non quaſi in incertũ: neq; rurſus ſignificat eſſe neceſſaria bona opera, vt in illis ambulemus contendentes dumtaxat ad terminum aliquem, non ſpiritualem, ſed ſæcularem, ſeu polyticum, Scribit enim ad fideles Chriſtianos, & ſignificat eſſe ijs neceſſaria, bona opera, vt in illis ambulent, & contendant, ad finem ſeu terminum ſpiritualem, & ſupernaturalem, in quem nimirum cõtendere oportet Chriſtianos, & quẽ alibi nobis oſtendit, cum 1. Cor. 5. ait, dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Et cum dicit ad Philip. 3. Ad deſtinatũ perſequor ſupernæ vocationis brauium, vult igitur D. Paulus eſſe neceſſaria bona opera, vt in illis ambulemus, vſq; ad viæ noſtræ terminum: qui eſt ſupernæ vocationis brauium, ſeu beatitudo æterna. Hæc autẽ fuit Minor in ſyllogiſmo aſſumpta, quare firma eſt etiam eius ſyllogiſmi cõcluſio, cum nec maior vllo modo negari poſſit. Hic vero cum Præſes, & Reſpondens titubarent, nec aliquid dicere poſſent, ad argumenti formam, rurſus Pater enthimemate illos vrgebat, Bona opera ex ſententia D. Pauli ſunt neceſſaria, vt in illis ambulemus, vſque ad viæ terminum: qui eſt ſalus æterna, ergo ex ſententia D. Pauli ſunt neceſſaria ad perueniendum in eum terminum, atque adeò ad conſequendam ſalutem æternam. Cõſequentiam, vt ab omnibus clarius argumenti vis perciperetur exemplo declarabat, nam hoc ipſo inquit, quod via & pedes neceſſarij ſunt ad ambulandũ Lauinga vſq; ad Dilingam, conſequens eſt, vt ſint neceſſarij, ad attingendum terminũ, qui eſt Dilinga. Si igitur ex illa ſententia D. Pauli conſtat (vt iam oſtenſum eſt) bona opera eſſe neceſſaria, vt in illis ambulemus, vſq; ad terminum qui eſt ſalus æterna, certè fatendum eſt, conſtare quoque ex ſententia D. Pauli neceſſaria eſſe bona opera, vt attingamus eum terminũ, qui eſt ſalus æterna: ſiue Diuus Paulus voluerit ea eſſe neceſſaria, vt in illis ambulemus tanquam in via, ſiue tanquã pedibus. Hic igitur Pater, cum auditores ſatis iam argumenti vim cernere viderẽtur, Præſidentem, & Reſpondentem rogabat, vt ſigillatim ad ſingulas argumenti propoſitiones, in forma reſponderent, oſtendebatq; ex dictis, neq; minorem, neque maiorem, neque conſequentiam prioris ſyllogiſmi poſſe iam negari. Sed illi, nimirum extra formam argumenti negabant, & dicebant primum bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem, tanquam ſalutis cauſas, aut tanquam merita, ſed eſſe effectus fidei. At Pater replicabat, nõ iam diſputari, quo nam modo, & reſpectu, opera bona neceſſaria ad ſalutem ſint, aliã enim eſſe eam quæſtionem, ſed an vere omnino ad ſalutem neceſſaria ſint, quocunq; tandem reſpectu ſint neceſſaria, negari ab illis abſolute in Theſi, opera bona eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſe autem ex D. Pauli ſententia ab ipſiſmet citata, demõſtraſſe, neceſſaria eſſe. Addebat, dubium etiam eſſe non poſſe, quin ſint neceſſaria, vt cauſæ quædam, quandoquidem ſunt neceſſaria, vt media ad finem, non ſecus quam pedes, & via, neceſſaria ſunt, vt quis ambulet vſque ad aliquem terminum, ſicut ex Diui Pauli ſententia perſpicuũ eſt. Dicebant deinde, bona opera non ad eum finem

nem fieri, vt ſalutem conſequamur, ſed quia debitores ſumus, & tenemur ex præcepto illa facere: ergo ne (aiebat Pater) propterea bona opera ad eum finem, vt ſalutem conſequamur neceſſaria non ſunt, quia illa facimus tãquàm debitores. Propterea inquit, Pręſes, & hoc eſt fundamentum noſtrum. Tum Pater ſi ita (inquit) eſt, ſequitur neque fidem eſſe neceſſariam ad ſalutem: cum maxime etiam ex diuino præcepto credere debeamus. At iſtud conſequens euertit totam religionẽ Chriſtianam. Ergo id etiam ex quo ſequitur. Obſecro, inquit, reſpondeant Domini, Cathegorice, & pedetentim, ad hanc argumenti formam. Alia eſt, inquit, Præſes, ratio fidei, fides non eſt opus. Contra Pater. Neque ego, inquit, neque Dominus Præſes, neque vllus alius, poteſt melius definire, num fides ſit opus, quam Chriſtus Dominus. At 15. Ioan. 6. deſcribens nobis, quid nam ſit fides, hoc eſt inquit, opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille, eſt igitur, & fides quoddã opus, Chriſto ita definiente. Præterea, quod nã, inquit, diſcrimen eſt, obſecro, inter fidẽ, & alia opera in propoſito? Nonne, vt operibus, ita etiam fide oporret nos ambulare, & currere vſq; dum conſequamur ſupernæ vocationis brauium, ex ſententia Apoſtoli? Nonne vt alia opera ita etiam, & fides, diuinitus imperata eſt? Sed vt hęc mittamus; quid quæſo reſpondent, Domini, ad formam ſyllogiſmi, quo probaui ex fundamento dominorum ſequi, nec fidem eſſe neceſſariam ad ſalutem? Repetantur, quæſo à Domino Reſpõdente, ſingulæ propoſitiones. Hic Præſes conturbatus, & oblitus etiam (vt videbatur) ſyllogiſmi propoſiti; concedimus, inquit, totum Argumentum: at in eo argumẽto, inquit Pater, aſſumpſi conſequens eſſe ex fundamento Dominorum, fidem etiã non eſſe ad ſalutem neceſſariam, hoc ne etiam concedunt Domini? Hoc etiam, ait Præſes. Neque enim fides, inquit, vt fides, neceſſaria ad ſalutem cõſequendam eſt, ſed vt eſt quoddam medium diuinitus ad eũ finem inſtitutum. Hic Pater, cum etiam ipſi auditores, ad hanc Præſidis reſponſionem horruiſſe viderentur, Non putabam, inquit, me hoc ex Dominis auditurũ. Primum enim de fide, proculdubio, vt fides eſt, loquitur Chriſtus Dominus, cum ait. Qui non crediderit condemnabitur, &, hoc eſt opus Dei, vt credatis in eũ quem miſit ille, vt iam alia multa teſtimonia, præteream, quibus clariſſime probari poteſt neceſſitas fidei, vt eſt fides: Deinde, ſi verum, inquit eſt, quòd Dominus Præſes aiebat, ideó opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem, quia ex debito facienda ſunt, ſequitur etiam, neque fidem, vt eſt medium quoddam eſſe neceſſariam ad ſalutem, nam etiam debitores ſumus, vt per hoc ipſum medium, vt medium eſt, nitamur cõſequi finẽ, qui eſt beatitudo. Quid adhæc, inquit, reſpondent Domini? Iam, inquit Præſes, reſponſum eſt, Sed nõ libet reliquas perſequi diſputationis partes. Illud nobis propoſitum erat oſtẽdere, quod iſti Euangelici Scioli, quotidie proficiunt in peius, & ſicut antea bona opera, ita nunc ne fidem quidem eſſe neceſſariã ad ſalutem putant. Satis eſſe ſtatuunt, quod Chriſtus pro nobis paſſus, & mortuus ſit, ſiue credas, ſiue non credas, neceſſe eſt nobis prodeſſe, Chriſti Paſſionem.

Diſputatio Badenſis.

1589.

Smidelinus, Heerbrandus, Gerlachius dialecticam diſputãdi cum Catholicis rationem reprobant. Huc & illuc vagabundæ ſuæ fidentes loquacitati. Ita confuſi ex diſputatione abierunt.

DVM in iſto hæreticarum fabularum, & crudelitatum compendio colligendo laboramus. Habita eſt præterito Menſe Nouemb. 1589. diſputatio Badenæ, inter Piſtorium Nidanum ex Euangelico factum Chriſtianum, & Tubingenſes Matteologos, Smidelinũ Heerbrandum, & Gerlachium, eius acta paulo poſt in lucem hominum copioſe proferentur, digna enim ſunt ad ſempiternã Euangeli-

gelicorũ, & omnium quorũ furijs agitantur cacodæmonum confusionem, quę manibus omnium terantur: vt iam tandẽ aliquando gens sine consilio intelligat, non esse consilium cõtra Dominũ, & amissam veritatem quæri extra Ecclesiã posse, inueniri nisi in Ecclesia non posse, interim nos disputationis successum, vt descriptũ accepimus, ad reliqua istius generis Euangelica colloquia adiungemus. Cum nihil minus quã venturos ad disputationẽ Tubingenses Ministros Marchio Iacobus, & D. Pistorius putarent, nam constitutum à Tubingensibus die Princeps Iacobus reiecerat, & alium sibi cõmodiorem indicere decreuerat, veniunt illi nihilominus, maxima manu Badenam, adducto secũ Comite Friderico Montbelgardico, quem sibi Præsidẽ delegerant. Mittunt literas ad Pistorium, qui in itinere erat, vt Friburgum proficisceretur, eum citant, & nisi compareat hoc sibi argumentũ fore, quod ipse disputationẽ subterfugerit, reuerso autem D. Pistorio Badenã, dicunt se minime disputaturos, nisi etiã adsit Iesuita, iussit itaque Illustri. Marchio statim vocari P. Rectorem Montschemensem, quẽ orat ne ire detrecte,. Reuerẽdissimus Argentineñ. re intellecta iudicat eundũ esse, in arce ergo Badeñ. conueniunt Illust. Marchio Iacobus director, à D. Pistorio Colloquij electus: & Comes Montbelgardicus, vna cũ duobus Consiliarijs Ducis Virtẽbergici, vna cum Prædicantibus missis. Pro parte aduersa, Colloquentes, ex vna quidẽ parte fuit D. Pistorius cui assedit Paulus Rector, ex altera vero Iacobus Smidelinus, Iacobus Herbrãdus, & Stephanus Gerlachius. Initium Colloquij dedit Marchio, asserens se id postulasse, vt quieti cõscientiæ suæ in rebus religionis consuleret: D. Pistorius, deinde nõnihil præfatus de sua cõuersione protestatus est, nec se, nec collegam suum publicã Ecclesiæ personã sustinere, in hoc colloquio: neq; si vincãtur, id debere Ecclesiæ Catholicæ præiudicari: Addit constitutum sibi esse initio inuocare gratiã Spiritus Sancti per cõmunem Ecclesiæ precẽ, Veni Sancte Spiritus, possent qui vellent secũ orare. Factũ, ideſt flexis genibus, post breuẽ Smidelini præfationẽ, secutus est in primis Marchio in terrã prouolutus, quẽ imitati sunt Protestantes, solo Montbelgardico excepto, hęc mane ante prandiũ, à prandio quæsiuit D. Pistorius à Smidelino (hi enim soli collocuti sunt) quorundam vocabulorum, quibus in suis Thesibus aduersarij vtebantur, expositionẽ; deinde examinauit illorũ quendam syllogismũ, ostendens, illũ quatuor, vel quinq; constare terminis: Tum demũ debachari in Dialecticã cæpit Smidelin⁹, dicens, eam prohiberi à S. Paulo, &c. Quæ postquã confutasset D. Pistorius, petijt ab eo definitionẽ Ecclesiæ. Verũ illo die impetrare nõ potuit. Quare sequenti die mane collectas à se 12. propositiones, quibus vera Ecclesię definitio cõtinebatur aduersarijs proposuit, paratur ex sacris literis statim probare si quã ipsi negarẽt. His lectis quasdã Smidelinus concessit, sed illã in primis negabat, qua Hæretici ab Ecclesia excludebantur, allatis duobus scripturæ locis vno Matt. 13. vbi per malũ semen Hæreticos, per agrum Ecclesiã, designari asserebat. Verum non solum D. Pistorius, Christũ interprætem attulit, dicens agrũ esse mundum, sed etiã Marchio Iacobus obiecit Smidelino aliter ab eo citari, quã textus haberet, quod etiã alias ab eodem Marchione factũ fuit, alter locus erat ex 1. ad Corin. 11. oportet hæreses esse inter vos. Quem locũ cũ docte explicasset D. Pistorius. Vt vis argumenti (ait) appareat, formemus hunc syllogismum. Quicumq; dicit hæreses esse inter fideles, idem dicit hæreticos esse in fideliũ Ecclesia. Atq; id dicit B. Paulus ergo &c. Huius maiorem propositionem negandã asseruit. Cum etiã Iudæi sint inter fideles, nec tamen in Ecclesia fidelium, hic syllogismus ita offendit Smidellinũ, vt planè recusaret dialecticè agere: & quantumuis cõuinceretur, e proprijs libris, à D. Pistorio: cogereturq; fateri Dialecticam esse donum Dei, quod olim scripsisset Carolstadium in hæresim incidisse, quod Dialecticè fuisset ignarus: nulla tamen ratione adduci potuit, vt disputare ex sola scriptura, forma seruata syllogistica vellet. Quare Marchio Iacobus eius pertinacia commotus, omnibus audientibus ex eo quæsiuit. Cur ergo ad disputationem venerit, cum ex suis, & D. Pistorij literis significatum fuerit nõ alia

ratione,

ratione, cum illis instituendam disputationem, quam syllogisticè, & ipsemet in id priuatim consenserit, cum de legibus ageretur? sed in sua pertinacia mansit Smidelinus, voluitq; Dialecticam ad scholas ablegare, suam autem Sueuicam garrulitatē admitti: quod recusans D. Pistorius, dixit astantibus omnibus, vt si quando ab illis quęratur, quæ causa sit dissoluti Colloquij, respondeant id fecisse damnatam Dialecticam; Illustris Marchio Iacobus concludens Colloquium, dixit se dolere hac ratione fructum, & effectum eius impediri, potuisseq; Tubingenses domi manere, si propositam iam inde, ab initio rationem disputandi acceptare noluissent. Cum etiam priuatim cum illis agēdo nihil Marchio efficere posset, hac verborum forma eos dimisit. Potestis ergo eo vnde venistis redire, deditq; per breues ad ipsorum Ducem Virtembergicum, quibus parum honoris illis accedet, literas. Auditores, inter quos prēter Catholicos multos, erant tres Comites Poloni, cum Pappo alijsq; Prædicantibus, egerrime tulerunt, illam Smidelini tergiversationem: Prædicantes, maxime initio Colloquij, qui collocaturi erāt porrectis dextris promiserunt se nihil præter Dei gloriam, in præsenti causa quæsituros, reliqui laici P. Rectori manum dederunt. Dum Badenæ essent Tubingenses, Smidelinus in publico confessu, quinque Principum egregie confusus fuit, dum enim assereret Catholicos docere hoīes non saluari meritis Chri, Præfectus aulæ Illustrissimi Marchionis Badensis, Eduardi fortunati (is defuncto Marchioni Philippo successit) palam negauit eam esse Catholicorū doctrinam, idq; se scire, licet Theologus non esset. Cum vero Smidelinus, qui putarat nullum adesse à quo redargueretur, pergeret, seq; mendacem haberi vellet, minimeq; Christianum si talis non esset canon Cōcilij Trident. allato codice mendax declaratus est esse, qualem se haberi petierat: neque aliud respondere potuit: quam quod per consequentiam ex Concilio illud colligitur. Libet etiā addere ipsius Pistorij, ad D. Velsium Epistolam: & alteram planè Christianā admonitionem ad Antagonistam Smidelinum. Scio magno desiderio, teneri D. T. cognoscendi exitum disputationis, de ea itaque inter summas occupationes ascribere aliquid visum est. Venerunt non vocati Tubingeñ. Badenam, nobis inscijs, & me quem venturum esse non putabant, euocarunt literis. Veni ergo celerrime, & post me P. Rector Montischemensis, de legibus conuenit. Cæpimus disputare. Ex tribus Tubingeñ. Doctoribus Smidelino Herbrando, & Gelarchio delectus vnus, qui loqueretur, Smidelinus. Ego ex nostris ad eam rem adhibitus. Vix initium fecimus disputandi cum Smidelinus statim meam Dialecticam colloquendi rationem accusaret, artem ipsam Dialecticam damnatam à S. Paulo diceret, ista ratione se mecum collocuturum negaret, obieceram illi quatuor terminos in syllogismo, qui est ad finem Antithesium: conuictus ex proprio libro, vbi Dialecticam contra Suenckfeldium laudat, confusus est, & non erubuit: progressi sumus ad Ecclesiam, solum duo obiecta argumenta, cum se vrgeri videret, relabitur ad priorem de Dialectica querelam, nec vult Dialectice disputare, diu tergiuersantem Princeps Iacobus interpellat, monet legum, & si aliter disputare non vellet, addit potuisse domi manere Tubingeñ. & tandem cum ille antiquum teneret finem colloquij facit: & ait, se alias quæsturum esse Theologos, qui mecum disputent. Sic magno cum risu domum in hospitium redeunt; postridie toto die agitur priuatim inter Principem, & illos, sed persistunt in suo responso: se libenter disputaturos, sed (schrift gegen schrift,) non syllogistice, nec Dialecticè, verum modo Theologico. Videt dominatio tua contradictiones innumeras, Princeps Iacobus, cum quid quærerent videret, accusans eorum impudentiam, discessit, protestatus se aliam initurum esse, alio loco, & per alios Theologos disputationem: Sic discessum vtrinque fuit, magno cum Tubingeñ. ludibrio. Tamen, cum Smidelinus diceretur spargere in publicum, quasi ego disputationem refugissem, nisi statim ex hospitio hanc Epistolam, legit, nihil respondit, discessit: Conque-

quęstus est me esse superbũ; Vt & in colloquio, cum bachantium, & rusticum illorum disputandi modum, & Anapapisticum etiam dicerem: & Baccalaureos esse Triburgi, qui contra illos disputare possent: non opus esse vel Patre Rectore, vel me, fatuos esse Tubnigeñ. tamen hęc omnia patienter deuorarũt miseri homines, immo asini: quibus ego vidi nihil vnquã indoctius, turpius, & ineptius. Non credit D. I. quam sint indocti indisputando, sed de his alias. Sequũtur literæ, ad Smidelinum eiusdẽ D. Pistorij. Audio te Domine Andrea pro consuetudine tua Trasonice gloriari, omnes æquas à me reiectas esse conditiones. Impudens es, si dixisti: immemor ruboris tui si confirmas. Quid cogitas cum ad oculos Curiæ: cum ad clarissimam lucem totius vrbis: cum in recessu conscientiæ tuæ, cum ad Tribunal Christi, cum ad factum iuramentum respicis? An igitur omnem exuisti pudorẽ? & hanc vis ad reliquas virtutes tuas, vel multorum annorum exempla accessionẽ esse maximæ impudentiæ? Quid dicis cũ acta diei Mercurij extrema cogitas? Non igitur spero tam immotæ bellum te indixisse veritati, vt sordidare extremã ætatem adeò turpi mendacio cõstitueris. Ne quæso, si hactenus peccasti, pecca iã senex: vicinus iudicio Christi. Habe ante oculos tuos Principis Iacobi, memoriã: optimorum hominum testimonia: ipse aer, & ipsi parietes, vbi ipsa verba effudisti, ante conspectum tuum obseruentur. Satis nobis illusisti, satis te in contemptionẽ proiecisti, satis ætatem tuam affectam dedecorasti, & ipse meministi, quod hic tibi accidit in cæteris tuis audacissimis iã obscuratis missionibus, & colloquijs non accidisse, vt te Dialecticum, & doctum esse negares, probares te idiotum esse, & cõfidere in vna Germanica garrulitate: Christus te, vel conuertat, vel certè verecundum in mundo faciat: vel sic premat, ne Ecclesiam inani tua loquentia aspergas, sed totum vomitum super inuisibilem Ecclesiam tuam infundas. Amen. Noli aduersus stimulum calcitrare, reuoca te ante extremum vitæ tuę diem, vel ad Christi Ecclesiam, vel certè ad Ethicam modestiam. Sic abi instructus isto viatico, cætera expediemus in proximo congressu, quẽ Princeps cogitat, vel literis publicis, nisi parces verecundiæ. Ne Christi nostri Saluatoris præcepta, ne Ecclesiæ consuetudinem, contemnas, perpende Ethica gentilium Philosophorum præcepta: exempla Germanorum, & consuetudinem Patriæ nostræ, ista in animo tuo, & ante oculos tuos pone, & satis esse puta, quod hactenus feceris, Deus te illuminet, si illuminari potes, quod certe opto: & fieret cũ animæ tuæ commodo. Scripsissem citius, nisi boni viri, quos istis inanitatibus compleuisti, paulò serius significassent. Audio principi optimo imponi contumeliam. Quod si verum est, doleo rabiem vestram non posse criminationibus, quas impie in me iacitas, exsaturari, & moneo vos, officij quod debetis, & ne fabellis vestris, Principum animos disiungatis. Celeriter Kal. Decemb. 1589.

Et hæc quidem nos Romæ cũ essemus, de Bactensi disputatione ex amicorum literis acceperamus. Cæterum in Poloniã reuersi incidimus in duo volumina iustæ magnitudinis, quorũ alterum sub nomine Iacobi Badensis Margrabij, Ioãnis Pistorij opera elaboratum, & publicatum, & Coloniæ apud Geruinum Caleniũ 1591. impressum est, in quo graues, & iustæ causæ recensentur, cur Princeps Iacobus Lutheranismo relicto, Catholicam fidem, & doctrinam sit amplexus, vbi multæ quoq; ex Colloquio Badensi causæ conuersionis afferũtur. Alterum eam habet inscriptionem Germanice, Acta Colloquij inter Theologos Virtemberg. & D. Ioannem Pistorium Badanæ habiti, & per Theologos Virtembergeñ. conscripti Tubingæ 1590. in quo plena omnia negationum, Amphibologiarum, Hiperbolorum, Parabolarum, paucorum & informium syllogismorum, negationum, abnegationum, excursionum malè contextarum, Thesiũ, pessimè cohærentium consequentiarum, & sophisticationum reperiuntur. Qui nõ credit legat hæc quæ dicimus, omnia ita se habere reperiet. Post multa tandem effugia Dialecticæ disputationis, quam tanquam nullo fructu futurã ob incapacitatem, scilicet, auditorum Tubingeñ Theologi subterfugiebant, hunc exitum accepisse

pisse Colloquium illud Badense illi ipsi testantur, vt habetur in eorum Actis fol. 374. Postquam aiunt, D. Pistorius tantus Disputator, vt hæc Acta indicant: ad disputandum nunquam fuit animatus: neque rem vnquam ad declarationem, sed ad sophisticam veritatis obfuscationem direxit: non est etiã dignus, vt veri Theologi cum eo disputent: & tempus, & sumptus cum tali Sophista frustra conterant. Sophistã autem propterea vocant Tubingeñ. illi & Virtembeñ. Beani, quod in omni disputatione vir intelligens prohiberet; ne reliquorum hæreticorũ more vna relicta ad aliam materiam sermonẽ conuerterent, aut longis ambagibus bonum tempus malè perderent, sed agerent inuicem Cathegorice, Syllogisticè, in forma argumentationum, vt Dialectici loquuntur. Smidelinus porrò ab hoc genere disputationis abhorrens, & laqueos veritatis fugiens, maluit abrumperè Colloquium, quam loquacitati suæ frænos Dialecticæ imponi, illud subinde crepans istiusmodi disputationes à Paulo prohibitas esse.

Synodus Vuilnensis.

1590.

HABITA est Caluinolatrarũ Synodus in Ciuitate Vilnensi 1590. Maio Mense. Nullum quoq; vt in omnibus alijs, secutum est operepretiũ: sed confusionis Babylonicæ omnia plena: Libet illius Canones, seu conclusiones posteritati propinare ridendos 1. Can. Statuimus, vt superintendentes. exequantur Constitutiones Synodi Anni superioris 1589 sine exceptione personarum: Quæ eiusmodi sunt. Vt Superintendentibus dũ cæteros Ministros visitant detur à Dominis patronis panis, & equis illorum auena (melius dixissent Ministris auena, & equis panis). Vt tam ministri quã Domini faciant Confessionem fidei Sandomirieñ. Vt Ministri bene de Trinitate sentiant, non tamen isto verbo Trinitatis vtãtur in Concionibus. Vt ne Mamseros, hoc est non ex legitimis parentibus natos, baptisent, & qui tales sunt, diligenter inquirãt. Vt Ministri omnes in Sacramẽto Cœnæ, vtantur forma Cathechismi Vilnensis. Vt Sacram. Cœnæ Domini stando accipiatur. Vt subditi cogantur à Dominis venire ad Zbor die Dominico, vbi instruãtur. Vt bona Ecclesijs antiquitus sub Papatu attributa, & à Dominis occupata restituantur, vt erigatur seminarium, maximè pro filijs Ministrorum, vt patribus suis in Ministerio succedere possint, vt Ministri, qui ad Synodum Generalem nõ veniunt deponantur. Et hæc quidem sunt Anni 1589. saluberrima decreta. Quæ vero sequuntur Anno 1590. sunt iterum euulgata. Vt Cathechistæ separatim aliquo in loco conditionem non habeant, sed penes Ministros habitent, vt eorum probatio sit tanto magis ordinata, & quã diu sunt Cathechistæ, non debet illis cõcedi dispensatio Sacramentorum: neque debent quenquam Matrimonio copulare. Vt Minister, distribuens Sacramẽtum Cœnæ, & ipse non sumens ab officio suspendatur. Vt qui libros nouos vult edere prius eos afferat ad censuram censoribus à Synodo deputatis D. Volano D. Danieli Belenio, Pastori Vilneñ. Cœtus D. Andreæ Chrczastovvski, & D. Andreæ Sichæo, & D. Ioannidæ, Vt ne seipsos Ministri ad conditiones mittant, aut loca sua deserant, sine magna, & vrgenti causa, & licet Patronus esset exorbitans, tamen cœtus ex seruis, & subditis coactus, non debet deseri: Patroni quoque non debent mutare Ministros, sine Synodo, aut sine magna causa, vt malæ, & scandalosæ vitæ, aut falsæ doctrinæ. Missio porrò Ministrorum debet fieri iuxta decreta Synodi Anni superioris. Vt Matthias Ioannides Ministri filius recipiatur à cœtu, pro alumno, & impensa pro Schola assignentur, si quid modo supererit supra necessitatem cœtus. De filijs Ministrorum, & eorum prouisione fuit propositum, sed ob absentiam Patronorum ad alium Synodum est dilata Conclusio. Vt reditus, & impensas cœtus Vvilnensis examinent, infrascripti deputati. Vt alij quoque D. Patroni ad necessitates cœtus Scholæ, & hospitalis conferant, sicut infrascripti se collaturos promiserunt. Vt

Cathechistæ, priusquam segregentur bene examinentur iuxta formam conscribendam. Vt Dominus Turcam à patria nostra auertat, & conterat: decernimus, vt Ministri in Magno Ducatu Lithuanię, toto die Dominico S. Trinitatis in ieiunio, planctu, & oratione in Templo sint perseuerantes. Et quia ad aures nostras peruenit, quod multi querantur de nobis, quasi è cætibns nostris eijciamus, Trinitatem, scriptores enim nostri præter mandatum, & decretum Synodi superioris in hac parte exorbitarunt, quo etiam nomine fuerunt reprehensi: declaramus, quod cum semel Confess. Sendomirien. receperimus ab illa non discedentes, & cum fratribus Polonis concordantes iuxta supradictam Confess. de Trinitate credimus, & tenemus, reliquum commisimus verbo fratribus nostris, quomodo se in munere sibi commiso gerere debeant, data illis instructione cum verbo Dei cõgruente. Hæc scilicet sunt illa salutifera duarum Synodorum decreta. Et audent nihilominus isti Euangelici Strutiocameli, & inter hos Apostata Vergerius, Oecumenicis Synodis, & Concilijs exprobrare, quasi tempus omne Orthodoxarum Synodorum in præcedentia, ritibus, litibus, & cæremonijs artibusque augendorum redituum consumant: fidei negotia solide non attingant, ne luce veritatis obruantur. Vide lector, si quid in hac, scilicet sancta Synodo operæpretiũ est ab istis illusoribus constitutum, nisi forte fidei summam in eo sitam putent vt ne spurij baptisentur, vt Ministrorum filij alantur, vt stando cænent, vt subditi ad perfidiam cogantur; & id genus quæ legisti. Et hæc quidem pauca è multis, de istorum Pseudo synodis, Conuenticulis, Disputationibus, dicta sufficiant, vt illorum multitudine, varietate, distractione, leuitate, pudefacti Euangelici (sic enim reliquos Euangelicos à se dissentientes vocat Caluinus) sordidas suas, vt Athanasius loquitur, comminiscentias tandem abijciant, & ab vlteriori veritatis suppilatione desistant. Nil enim illis Synodi curæ sunt, sed inanem speciem Synodorum prætexunt, vt istius nominis authoritate, ea, quæ in vera, & magna Synodo (Tridentina) statuta sunt, demoliantur. Quo enim (planè ad rem nostram prosequitur Athanasius) iure isti contra nos Synodum vllam constituere potuerunt, aut qua fronte suos Conuentus Synodos appellare audent? vbi Dux conuocat, Princeps præsidet Comes disputat, Burgi magister iudicat, Laicus approbat, vbi speculator apparet, & Carcerarius Diaconi loco ingredi volentes introducit? Quis ibi conuentus Episcoporum, aut confessus veri studiosus? Quis non Orthodoxorum inimicus? O si Papæ nolunt, vel Basilio saltem Cæsati, immò Constantino, immò Gratiano Valentiniano, Martiano Iustiniano obtemperarent, Laicos omnes, à iudicio rerum Ecclesiasticarum prohibenti. Basillj quidem verba sic habent.

De vobis autem Laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conuersamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hæc enim inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi, & ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt claues, non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Quantæcunque enim religionis, & sapientiæ Laicus existat, vel etiamsi vniuersa virtute interius polleat donec Laicus est, ouis vocari non desinet. Rursus Episcopus, quantacunque sit irreuerentia plenus, & nudus omni vertute donec Antistes est, & veritatis verbum prædicauerit, pastoris vocationis, & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est in ordine ouium constitutis? Pastores verborum subtilitatem discutiendi, & ea, quæ super nos sunt quærendi, & ambiendi habent. Oportet nos ergo cum timore, & fide sincera hos audire, & facies eorum vereri, (cum sint Ministri Domini Omnipotentis,

tentis, & huius formam possideant,) & nihil amplius qnam ea, quæ nostri ordinis sunt, requirere. Hunc autem, vt videmus, adeò multos malitia in insaniam accendit, vt obliuiscentes proprij ordinis, & quod pedes sint minimè cogitantes legem ponere velint oculis (non vt natura se habet) ficut ipsi cupiunt, & singuli ad accusandum quidem maiores, semper existunt promptissimi: ad corrigendum autem ea, in quibus accusantur, & criminantur pigerrimi. Et moneo, & exhortor omnes, qui tales sunt, vt maledictum, & alternum odium auertentes, & iudicare iudices desinentes attendant sibi, & secundum diuinam voluntatem conuersari contendant. Nam non quiescet supernum iudicium, sed contra dissidentes diuinus furor stillabit, & iustam vltionem opere cunctis ostendet.

Et in alio sermone. Omnes, ait, nouimus quod Laici estis, & non adduximus vos latrare; & sine ordine facere verba. Omnia enim vestra mendacia sunt, & seductio. Et hæc quidem Basilij Cæs. plena pietatis verba fuerunt. Num autem, & vestri vobis Cæsaris ò viri Germani, paterna monita defuerunt? Minimè gentium. Caroli V. leges, preces, curas, sollicitudines, & dicta, statuta isto loco prætereo. Ferdinandum fratrem eius audite modo, non illis ipsis maiorum, & anteceſſorum suorum verbis; tum datis ad Patres Consilij Tridentini litteris, quarum non paucas vidimus: tum missis ad Electores, & ad Conuentum Principum Numbrien. Oratoribus, quos noramus, vos appellantem.

Multa quidem his annis orbi Christiano luctuosa acciderunt, quæ adeò nobis traditum Imperium nostrum afflixerunt: sed præcipuum malum, & calamitatum arx est, hæc, quam suscitatam videmus. Ecclesiæ Dei tempestas, pax in exilium acta, & detestanda veteris ordinis dissolutio, iuniorum in seniores rebellio, inhonorati aduersum honorabilem superbia, & ex omni parte noxia status Ecclesiastici subuersio, amor prætereà principatus, & amor priuatus legum, pœnarum; seueritatisque nostræ contemptio, & contra spiritualem patrem rabies, & incredibilis insania, quæ profecto sic nostram turbabant, ac obtenebrabant animam, ita largos cogebant fontes exundare lachrimarum, vt ipsam diuinitatem in auxilium nostrum, mordentisque nos mœroris inuocare non cessaremus, si fortè veniret nostris temporibus auxilium ex alto. Nec vllum fuit mihi magis arduum opus, nulla grauior animo insidebat cogitatio, quam vt seriam possimus de Ecclesiastica curam gerere dignitate: scientes ad nos pertinere in concussum Ecclesiæ statum deffendere, vt, & nostrum Christi dextera deffendat imperium. Imperijque nostri profuturum, quicquid Catholicæ libertati nostræ benignitatis dispositione fuerit collatum. Postquam autem id perfectum videmus cooperatione Spiritus Sancti, & authoritate, Roma. sedis Patriarchæ quod plerique ante nos videre desiderauerunt: ex æquo autem omnes minimè consecuti sunt, vt in vnum Ciuita. Triden. locum cõueniret Deo dilectus Episcoporum cætus vnum adhuc nobis, & solum fuit desiderium atque ad prædictos iudices supplicatio omnia; vt prouiderent, ne quisque periret aut ab Ecclesia Dei si fieri posset proijceretur alia Canonibus Sacris, & his quibus imperium Synodi creditum est reliquimus. Interim vero eos qui curationis indigent, ac medela spirituali opus habent membra quondam viua Christi nunc nescio quomodo à malo Demone seducta, & a suo capite separata, monentes, vt suscipiant admonitionis nostræ sermonem non autẽ confundimur dicere etiam deprecationis vt intima cõscientiæ vestræ scrutimini. Certo enim inuenietis male vos ab Ecclesia esse diſiũctos longeq; proiectos iri ab eius gloria si præoccupati fueritis ab illius vnitate sequestrati. Nolite turpe docere morbum manifestare Synodo, & vulnus ostendere Sacerdoti, medicinamq; salutarem accipere, ne conuersionem confusionẽ arbitrando cõfusionis æternæ sumatis experimentum. Qualis. n. est confusio procedere Deo, & veniã expetere? Deo enim procidũt qui Ecclesiæ, & spiritualibus ipsis patribus procidunt, & si hoc ipsam cõfusionẽ

arbitramini, ego cui Imperij superposita est corona forma vobis efficiar humilitatis. Ego primus memet super pauimentum proijcio, purpuram, & dyadema paruipendens, vt serui Dei, & dispensatores Christi ministeriorum honorétur.

Ascendite ad genas meas, & per oculos meos incedite, nec reputetis magnum Imperatoris vestri calcare scapulas, neque vereamini tangere verticem, cui imponitur à Deo donata corona. Neq; enim in hoc gero curam gloriæ meæ. Sed tantum, vt videam communem vnitatem, & vnam Ecclesiasticam festiuitatem celebrantium. Deponite contentionem, resumite amorem fraternitatis, fugite dissensionem, vnitatem amplectimini, recipite diuinæ communionis gratiam, & nil ob sæcularia sitis solliciti, sunt enim apud compatientissimum Imperium nostrum modi gratiarum diuersi, per quos vos consolabimur, & ea quæ secundum sęculũ vobis opportuna fuerint faciem⁹. Non est autem tempus ad pœnitentiam, & receptionem præsenti tempore acceptius. Qui namque hodie docere, ligare, & soluere Ecclesiæ negotia possunt præsto sunt, & solutionem obligamenti verè conuersis dabunt. Romanum Præsulem cogitate Christi vos virtute damnãtem. An ad Anthiochenum pergetis? At is consentaneus Romano, & consonus factus est? An ad Alexandrinum, vel Hyerosolimitanum: sed, & illi vestræ damnationi consentiunt. An ad Constantinopolitanum? at scitis quam graui censura Augustanam perfidiam vestram perstrinxerit. Quomodo quæso aperire oculos, aut aspicere quempiam poteritis impugnandi, & reprobandi ab omnibus Sacerdotibus, & Patriarchalibus sedibus.

Synodum autem præsentem si receperitis dico vobis diuina mandata recipietis. Quicquid enim in sanctis Episcoporum consessibus instituitur ad diuinam refertur voluntatem. Nemo quippe potest datam eis potestatem à Christo Deo, & Saluatore nostro reprobare.

Ita maiores, & antecessores nostri, Imperij sui pacem non pacem putauerunt, nisi cum pace Sanctæ Ecclesiæ periclitantes. Exhortamur idcirco vniuersos Dei populos, & diuersas gentium nationes hanc fidem tenere, colere, deuoto corde adorare, quam Pius IIII. Beatissimus Pater noster vniuersalis prædicat Pontifex, & decretis prætereà Sanctæ Tridentinæ Synodi, tanquam Spiritus Sancti mandatis, & constitutionibus obtemperate. Sic nos verè Augusti, verè victores, verè erimus triumphatores, si subitos nostræ voluntatis habuerimus cooperatores.

Hæc quidem ad vos ex antecessorum suorum sententia Ferdinandus Imperator. Vos autem quid, ò plena vertiginis, & inobedientiæ capita? Qua Pontificis, eadem audacia Cæsaris quoque vestri paterna monita contempsistis, Conuentum Conuentui, Synodum Synodo, leges legibus, decreta decretis, arma armis opponere non dubitastis, ipsis etiam elementis, vt de Manichæis loquitur Theodosius, & Valentinianus, facientes iniuriam. L. Ariani C. sehæret.

At aliter vnitatis amatores orthodoxi. Ad vnius Pastoris vocem ex omni lingua, & natione tanqnam ex vna domo prodierunt. In vnam Tridẽtinam Ciuitatem vno eodemque tempore, simul omnes cõuenerunt, Episcopi ferè 300. Theologi penè innumeri, Ieiunijs, Vigilijs, Orationibus, Eleemosynis, gemitibus assiduis, gratiam Sancti Spiritus implorare contenderunt, vt quid illi de verbo hoc, quod Euangelici suscitauerunt, videretur, reuelare petentibus dignarétur: Triennio simul coniunctissimè vixerunt. In spiritu bonitatis, de sacrarum sensu scripturarum contulerunt. Non vt hic vel ille. Illa pars, vel illa, illa vel illa natio. Sed vt sola vinceret veritas, vt solus Deus coleretur veritatis, laborauerũt: omnibus ad sacrarũ scripturarũ ppẽdiculũ, ad paternarã regulã traditionũ, ad normã Canonũ Apostolicorũ, ad regulã Patrũ, ad orbis vniuersi Christiani sensũ, & consensum, accuratissima adhibita rõne, perpensis, trutinatis, examinatis. Decreta tãdẽ ipso Spiritu Sãcto dictante, saluberrima cõscripserũt, veterẽ orthodoxã approbarunt, nouam Euangelicorum doctrinã vno oẽs Spiritu, eademq; voluntate damnauerunt: oculum sibi pacis discedentes præbuerunt, nil vnquam retractarunt, nõ

ite-

iterũ, & tertio conuenerunt, semel placita, & Spiritus S. oracula rata habuerunt. Ad Principes, & populos suos retulerũt, hæc vbiq; docuerunt, pro his cruces, pro his equuleos, pro his mille oppetere mortes non dubitauerũt, Benedictus Deꝰ Veritatis. Fortis est Rex, fortis est mulier, fortè est vinũ, sed omniũ fortis veritas. Benedictꝰ Deus veritatis, in sæcula. Nos quidẽ in magna fælicitatis nostrę parte ducimus, quod nobis in illo Cõcilio tot simul venerãdos Chri cõfessores, plerosq; etiã videre contigerit, quasi quosdã viuos Martyres, patria eiectos, bonis spoliatos, truncatis manibus, effossis oculis, auribꝰ abscisis, ex viris Eunuchos factos, partim in Oriente ab infidelibus, partim in Occidẽte abEuãgelicis perfidẽ credẽtibus, quorũ & stigmata (sit hoc tibi nomine, Christe bone gloria) sumus exosculati. Istorũ porrò alij, sic ieiunijs vacabãt, vt secũdo tertio pleriq; die, extremã partẽ deficientis Spiritus, exigua sũpta, panis, & aquæ portione, retinerẽt: alij in orationibus dies cũ noctibus continuãrent. Scimus Episcopos quosdam, nonnisi post vespertinas decantatas præces, è tẽplo exire solitos, cum in illud pridie occidẽte sole sese recluſisset. Audiuimus plerosq; mendicos, quorũvis confluxerat maxima, nõ contemnendam pecuniã, ex eleemosynis collectã, ad suos retulisse, & integras coemisse possessiones. Scimus illis pedes à summis viris sæpè ablutos, veste donatos, osculũ etiã vlcerosis porrectum. Libet hoc loco cõmemorabile vnius Hesij Cardinalis, & Legati factum memorare, qđ nescio quomodo vitã eius scribentibus excidérat, Ofones, vigilias, lachrymas, elemosinas quotidianas prætereos; Ipla Parasceues nocte, cum post longã orationẽ, seueriſſimè corpus suũ flagris, acutius castigasset, vno, & altero adhibito familiari, vtroq; semiuestito, cũ domus suæ ianuã per speciẽ euocandi Medici aperiri curasset, intẽpesta nocte egressus ad Monasteriũ S. Dominici vltra Athesim abijt, ibiq; sese ante sacramentum in terram proiecit, ac per duas horas cordis sui sanguinem per lachrymas ex oculis defluentes Domino sacrificauit, Monasterio, & pauperibus singulis multos aureos nummos manu sua distribuit, & manum prætereà accipientium osculatus ipse est. Inde per suburbanos hortos, & vineas ad alteram ciuitatis partẽ lutosissima via progressus, eadem in tribus reliquis Ecclesijs quę in priore pietatis officia repetiuit: nisi quod deficientibus aureis nũmis, aureos cũ secretioribus suis signis annulos, Agnꝰ Dei, fabrefactos, & aliquot Portugaleñ. nummos egentibus, quorum singuli ferè 20. Floren. constituunt, distribuit. Cum ad S: Francisci templum ventum esset, absoluta oratione, quod egentibus daret non habebat. Tum ad nos conuersus. Date quicquid habetis pauperibus istis. Sed cum nil prorsus ad manum haberemus, ipse pallium suũ Cardinalitium, violaceũ in manus pauperum ex humeris demisit: & sola veste tectus inferiore sortanam, vocant, ad aliam Ecclesiam contendit. Ibi quoque à pauperibus ad sepulchrum Domini pro more vigilantibus, impensius rogatus, nostra illis vt daremus pallia mandauit: ipse seminudus in Monasterium secessit, dum currus, & Ministri pecuniæ ex Ciuitate, euocarentur, die penè iam illucescẽte, vestesq; aliæ portarẽtur.

Mille similia inter Patres exempla videbantur, puri in Christum, & sponsam eius Ecclesiã amoris pleniſſima: Sed nulla puto ita, Deo chara vt humilitas, (ò sublimis humilitas, ò humilis sublimitas,) cum nemo inflatus videretur sensu carnis suæ, nec alter inflaretur aduersus alterum pro alio, nec quisquam plus sibi sedenti arbitraretur reuelatũ, quam alteri stanti. Humilitas porrò traxit ad se Charitatem, Charitas Vnitatem, Vnitas Veritatem, cuius si vel micam haberent Euangelici, tot Synodos non facerent, in tot errores non caderent, quam quia habuerunt Catholici vnã solam hoc sæculo Synodum fecerunt, idem omnes senserũt, idem decreuerũt, Sit benedictus Deus veritatis in sæcula. Amen.

CAPVT SEXTVM.

Euangelicorum Magistrorum, & Ministrorum, de Euangelicis Magistris, & Ministris, mutua iudicia, testimonia, conuicia, maledicta, iræ, diræ, minæ, furiæ, proscriptiones, condemnationes, execrationes, & omnibus sæculis inauditi Anathematismi.

Ecclesiast. 3.

Synagogæ superborum non erit sanitas, frutex enim peccati eradicabitur in illis, & non intelligetur.

Prouerb. 13.

Inter superbos semper sunt iurgia: qui autem agunt omnia consilio, reguntur sapientia.

Isaiæ. 48.

Non est Pax Impijs.

August. in Psalm. 25.

Facilius vnus sanus fert duos ægrotos, quam duo ægroti, se inuicem singulos.

Idem August.

Bellum hæreticorum, pax est Ecclesiæ.

QVàm diuersa, quàm aduersa, quàm peruersa, quàm cõtraria, quam absurda, quàm incerta, q̃ dubia, de omnibus fidei christianæ capitibus, teneant ac docent Euangelicarum fabularum Præsultores, nec vllum adhuc exitum ad cõcordiam inueniant; ex ipsissimis illorũ scriptis, quàm fieri breuissime poterat, ostendimus. Nunc libet illud addere, quàm acerbis, & immortalibus odijs inuicem laborent, quę Elogia sibi tribuant, quo se se honore afficiant, quàm grauibus conuicijs, & maledictis alter alterum lacerer. Vnde videre quisque poterit, sicut fidem, ita fidei quoque sociam ipsam eos amisisse charitatem, & sibi inuicem plusquàm Hæreticos esse, nec vllam hac vna in omnibus illorum scriptis veriorem veritatẽ inueniri, quàm cum se se inuicem, Ethnicos, Paganos, Iudæos, Turcas, Machometanos, Acheos, & Diabolos incarnatos appellant. Præclarè sanè alicubi Plato, Ma-

lus,

lus, malo quò proprius adhæret, eò fit illi maior inimicus. Euripides quoq;.

Ὡς δεινὸν ἔχθρα μάθυρ οἰκείων φίλων
Καὶ δυσλύτους, ἰχούσα, τὰς δυαλλάγας.

Quàm dira res est mater inimicitia consanguineorum. Et quàm difficiles habet reconciliationes. Sed rem videamus.

Lutherus Zuinglianos, & reliquos Sacramentarios, ab Ecclesia alienos, Sathanæ veneno plenos, hæreticos, perdiabolatos, transdiabolatos, superdiabolatos, vocat, Germanicè, durchteuffelte, vberteuffelte, verteuffelte, Retzer.

Lib. cõtra Sacramentarios.

HAERETICOS serio censemus, ait Lutherus, & alienos ab Ecclesia Dei esse Zuinglianos, & Sacramentarios omnes, qui negant Christi corpus, & sanguinem ore carnali sumi, in venerando Eucharistiæ Sacramento. Et in Epistola ad Albertum Marchionem in Prussia Ducem, negat cum Sacramentarijs tractatus vllos habendos; quandoquidem ab initio, quà late patet Christianus orbis, vna fuerit, & concors omnium de hoc Sacramento sententia. Deinde testimonium contra eos fert, ipsa eorum opinio, cum in istius textus expositione sic inter se dissideant; vt septẽ propemodũ aut octo liceat interpretationes reperire. Quo circa prosequitur idem Lutherus, ac Ducem obsecrat; velim eiusmodi homines vitare, nec eos in ditione sua ferre. Nam illud necesse est, vt secum reputet, si permiserit in suis terris versari sectarios eiusmodi, cùm prohibere possit, q̃ multum grauabit conscientiam suam, ac vix eam vnquam tranquillare poterit. Et in libro quem inscripsit, Confessio de cœna Christi, monet homines, vt haud aliter caueant sibi omnes à Zuinglio, quam à Sathanæ veneno. Alio item loco vocat Sacramẽtarios, Durchteuffelte, Vberteuffelte, Verteuffelte, Retzer. hoc est, perdiabolatos, superdiabolatos, transdiabolatos hæreticos. Vide Aurifabrum tt. de Hæreticis.

Tom. 4. Lat.

In Epistola quoq; ad Iacobum Presbyterum Ecclesiæ Bremensis Doctorẽ 1546. Sic loquitur: Mihi satis est omnium infelicissimo vna ista beatitudo, Beatus vir, qui non abijt in consilio Sacramentariorum, nec stetit in via Zuinglianorum, nec sedit in Cathedra Tygurinorum. Habes quid sentiam.

In Apẽdice.

Brentius quoq; refert, Lutherum scripsisse, quòd Carolstadius, & Zuinglius visus fuerit Mersburgi; apud Hessorũ Principem, quodque Zuinglius palam lachrymis coram Landgravio, & omnibus rogasset hoc tantùm; vt fratres eos dignaremur appellare, & simulare concordiã: Sed nos, inquit, nolumus eos pro fratribus agnoscere.

Oecolãd. de Eucha.

Melanchton quoque aderat ibidẽ, sed neutrum voluit colloquio suo dignari, nec aue illis dicere, quasi hominibus è cœtu fidelium eiectis.

Lutherus Carolstadiũ fallacem Spiritum appellat.

IN Epistola Theutonica ad Argentineñ. ait Lutherus: Quòd me criminatur, D. Carolstadius, quòd expulerim eum, ferre possem, rem ita habere: vellẽ, & bene Deo volente excusare. Gaudeo autem eum abijsse ex terra nostra: opto quoque, vt apud vos non esset, eiq; consulendum fuisset, vt ab eiusmodi querela abstinuisset; vereor enim, ne excusatio mea, eũ perquàm duriter sit accusatura. Caueat à fallaci illo spiritu quisquis potest, hoc sua deo; hic nihil subest boni. Mihi ipsi sanè propemodũ persuasissem Ienę, propter quãdam scripturã, vt eius Spiritũ non cõmiscerẽ cum spiritu Alstetensi illo seditioso ac cædium auido. At vbi venirem Orlamundum ad Christianos eius Principum iussu; benè comperi, quid seminis ipse sibi seminauerit: vt gauderem me non lapidibus, & stercoribus eiectum fuisse, vbi

nonnulli ex eis, talem mihi dabant benedictionem: Abscede in mille diabolorum nomine, vt collum frangas, priusquàm oppidum exieris.

Lutherus, Zuinglianos, vt Suermeros, à sua Communione eijcit.

INTER Lutherum, & Zuinglium, eorumque sectatores, pax est sæpius tentata; sed malum potius quotannis increscebat. Quamobrem Lutherus, biennio ante mortem, Anathema contra illos in hunc modum detonauit: Quicũq; credere nolunt panem Domini, in Cœna illius, esse verũ ac naturale corpus, quod Iudas, & impius non minus percipiat, quàm Diuus percipiat Petrus, & Sancti omnes: Hoc, inquam quisquis credere nõ vult; is à me abstineat, epistolis, scriptis, vel sermone: neque vllam meam expectet Communionem; oleum enim operamque perdiderit. Ac paulo post: Suermeris, ait, nihil contulerit, quod circa Sacramentũ plurimum illi nugantur, de spirituali esu & potatione corporis, & sanguinis Christi, & de Christianorum Charitate atque vnitate: & frustra quoque illi in Deũ Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & Christi seruatorem credunt: omnia, inquam hæc, nihil illis prosunt, quantumuis sanè, & inculpatè ea mendacia blasphemo ore pronunciant: quando hunc vnum negant articulum, eumq; falsi insimulant, dum de Sacramento Christus ait: Accipite panem, & manducate. Hoc est corpus meum, &c.

In libello quod illa christi verba stant Hoc est Corpus meum.

Lutherus, Anabaptistas contẽtiosos, & præfractos appellat.

QVod dicunt Anabaptistæ, nusquá in scripturis haberi, quod aut habeãt fidẽ, aut baptizari debeant infantes, Fatemur nos id nulla scriptura probari posse, quæ clarè, & manifestè talib⁹ aut similibus verbis dicat: Deberis pueros baptizare, nam & ipsi credunt. Si quis nos vrgeat ad demonstrandã eiusmodi literã; huic nos tanquã victori cedamus oportet, nusquã enim scriptũ inuenimus. Boni autẽ, & ratione præditi Christiani, tale nihil à nobis exigunt: faciunt id contẽtiosi tantùm, & præfracti homines, vt esse prudentes videantur. Contra verò nullã ipsi scripturam proferunt: quæ dicat: Deberis adultos baptizare, nõ autem pueros. Mos ex Apostolorũ traditione sẽper in Ecclesia Dei obseruatus docet, paruulos esse baptizãdos, etiã si nulla scriptura id esse faciendũ prẽcipiat. Ac sicut nuper in Eucharistiæ Sacramẽto; ita nũc in paruulorũ baptismo defendendo, potissimũ nititur Ecclesiæ authoritate, quã tamẽ opponi sibi nõ vult, quoties ipse quacunq; tandẽ de re, quãuis diuturna multorũ seculorũ cõsuetudine recepta, scripturam à nobis exigit. In serm. contra Anabaptistas.

Lutherus suæ Sectæ homines, lõgè deteriores, & magis indisciplinatos, quàm in Papatu appellat.

MVndus, inquit, fit quotidie deterior sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis auari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti, & indisciplinati, multoq; deteriores, quàm fuerunt in Papatu.

In Postilla super primã Dominicã. Aduẽt. fol. 623

Alio tempore dixisse Lutherum testatur Aurifaber: Post reuelatum Euangeliũ virtus est occisa, iustitia oppressa, temperantia ligata, veritas à canibus lacerata, Fides clauda, nequitia quotidiana, deuotio pulsa, Hæresis relicta.

Lutherus Muntzerũ, & Carolstadium, corporeos uocat Dæmones.

MVntzerus, ait, Carolstadius, Campanus, & similes alij eorũ sectarij, sunt meri corporei dæmones. Et iterum: Qui Muntzerum vidit, dicere potest, se diabolum vidisse corporeum, in summo suo furore. Colloq. Mens. fol 153. Thom. 3. Geneñ. Germ.

Vir-

Virtembergẽſes, præceptorem ſuum Lutherum, Philauton, Philonicum, Eriſticum, Hyperbolicum ſomniatorem, & idgenus, vocitant.

IOANNES Spangenbergius, edidit libellum, cuius hæc eſt inſcriptio: Verax narratio beneficiorum per Doctorem Martinum Lutherum, piæ memoriæ Germa. præſertim diuinitus præſtitorum: & deteſtandæ ingratitudinis erga eiuſmodi ingentia beneficia, & munera. In eo recenſet, quemadmodum Virtembergeñ. & Lipſeñ. à Lutheri doctrina defecerunt in decem, aut vndecim doctrinæ capitibus: & quàm de præceptore ſuo, vt ait ille, peruerſæ improbeq; ſentiant; vocant enim Lutherũ Philauthon, hoc eſt, eiuſmodi hominẽ, qui non niſi, de ſe vno præclarè ſenſerit, ſibi vni plurimum tribuerit, cuiq; nihil arriſerit, præterquàm quod ipſe dixiſſet, & feciſſet.

Philonicum, & Eriſticum, id eſt, hominem vſq; adeò rixoſum, vt ſemper ſuam tueatur ſententiam, tanquã æquam: nemini quidquam concedere, nulli credere velit: ſuam duntaxat aucupetur gloriam, nec quenquam præter ſe ferre ſuſtineat.

Doctorem Hyperbolicum, hoc eſt, qui ex culice poſſit efficere Camelũ: qui mille iactitet, & vix quinq; cogitet: effutiat quicquid in buccam venerit; floccipendens num verum, vel falſum ſit, quod dicit. Deniq;, qui duplo plus aſſerat, quàm ipſa habeat rei veritas.

Polypragmonicum, hoc eſt, qui ſe procaciter, & petulanter negotijs omnibus immiſceat: qui plura ſibi expedienda ſumat, quàm ipſius poſcat prouincia, rebusq; omnibus, quæ tamen nihil ad eum pertineant, ſeſe ingerat.

Ingenij oſtentatorem, quòd nõ niſi ingenij acumen, præter neceſſitatem oſtentare, ſeq; venditare voluerit.

Stoicum durum, capitoſum, (ein Storkopff,) qui nonniſi ſuo vixerit cerebro, atque alios tyrannica continuerit, & compreſſerit ſeruitute.

Somniatorem, quòd nocturnas viſiones in ebrio capite natas, pro puro puto verbo Dei venditaret.

Eraſmus Lutherum Oreſte inſaniorem, odio Lympha tum, Philautia, temulentum appellat.

SCRIBIT Eraſmus, Lutherũ conuicijs ſuauiter animum paſcere, nulla maledicentia, ſaturabilem, conuicia furioſa in hoſtes iacere, Oreſte eſſe inſaniorem, præbibendum eſſe Luthero veratrũ, vt ſaniora ſcribat: Ait odij, & Philautiæ temulentia, quædam illum furioſa ſcribere, ideoq; habendum cenſet, nõ dicam, inquit, diabolum incarnatum (id enim iam Luth. Eraſmo exprobrauerat) furentium enim iſtæ voces dicuntur; ſed hominem odio Lymphatum. Laſcus certe eques Polonus, vocat Luth. hominem craſſum, & planè ruſticum. Citat Lynda.

Bucerus Lutherum imperioſæ, & acerbæ dicacitatis accuſat.

ACCVSATVR, inquit Bucer', paſſim ab omnibus imperioſæ, & acerbæ dicacitatis, & quòd nõ patiatur ſibi ab aliquo contradici: Sed ſi exigit Lutherus, ne quis à ſe vlla in re diſſentiat, probet ſe eſſe Deum. In vertendis certè, & explanandis ſcripturis manifeſti ſunt, neque pauci, eius lapſus. In Dialogo cõtra Melan.

Tygu-

Tygurini Lutherumpertinacem, insolentem, maligno Spiritu plenum affirmant.

TYGVRINI Apologiam ediderunt contra Lutherum. Confessionem Anno 1545. In ea sic de Luthero loquuntur: Propheræ aiunt, & Apostoli, Dei gloriæ, non priuato honori, nõ suæ pertinaciæ, & superbiæ, studebant; sed peccatorum salutem quærebant vnicè. Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & cõfestim Sathanæ tradit, quotquot illius sententiæ non illicò subscribere volunt; & in omnibus correptionibus suis, plurimum maligni spiritus, quàm minimum verò amici, & paterni animi deprehẽditur. In lib. quo Luther. conuicijs respondent.

Nicolaus Amsdorphius, Sacramentarios, & Anabaptistas impostores uocat.

ANABAPTISTAE, & Sacramentarij iam imponunt Germa. sua Sanctimonia, quemadmodum imposuerunt Monachi vniuerso mundo. Libello contra Sacramentarios.

Vvestphalius Sacramẽtarios Hypocritas, & falsos Doctores appellat.

In libro contra Caluin.

NVLLA falsa doctrina, tam latè dispergitur, nulla tanto conatu, & Hypocrisi defenditur, nulla tam multos homines abripit in errorẽ; quàm falsa doctrina de Eucharistiæ Sacramẽto.

Hortatur etiam Francofordien. vt consilium Luth. sequãtur, eiusmodi Prophetas fugiant, & è cætu Ciuium relegent. Morbida, inquit, ouis separetur, ne totum ouile corrumpat: Membrum corruptum resecetur, ne noceat reliquis: Separantur corpora hominum, ne immũda lepra, vel scabie inficiant sanos; quanto magis separari oportet immundos spirituali lepra, mente corruptos, ne oues Christi inficiant ac perdant: Apostolus prohibet in domum recipere, non afferentes doctrinã Apostolicam, ne recipientes cõmunicent ipsorũ operibus malis; quomodo admittendi sunt, in consortium populi Christiani, qui afferunt doctrinam Apostolicæ veritati repugnantem? Sæpius commendat scriptura hospitalitatem, præcipit misericordiæ, & charitatis opera exercere erga exules, & peregrinos; verùm ita, ne violetur, & ne aduersus multos lædatur Charitas. Vt enim Charitas est hospitio suscipere peregrinos, & his benigne facere, si pro hospitalitate, & beneficijs non malefacta repẽdant, si quieti nõ turbent Ecclesiam, & Rempub. ita charitati maximè repugnat, præbere hospitiũ ingratis, inquietis, & noxijs communitati: his parcere, hos fouere, non piæ charitatis obsequium, sed impiæ peruersitatis, exitiale monumentum, non misericordiæ est, sed crudelitatis.

In præfatione Cent. 6.

Magdeburgen. graues querelas contra Genuenses instituunt, quòd ipsorum historiam turpiter, nec sine fæda falsi nota in Gallicam linguam, ita vt ante Luth. Comment. in Epistola ad Gallatas, trãsfuderint.

Caluinus Vvestphalo, & reliquis Lutheristis tribuit, quòd nec Dei, nec Angelorum iudiciũ curent; diabolica superbia, canina improbitate, cæca temulentia laborent: Cyclopes præterea, Gigantes, latratores phreneticos, &c. appellat.

Cal.

CALVINVS edidit libellũ cũ hoc titulo: Vltima admonitio Ioã. Caluini, ad Ioachimũ Vvestphalium, cui nisi obtemperet, eo loco postea habendus erit, quo pertinaces Hæreticos habere iubet Paulus: in quo simul & Magdeburgeñ. & Bremeñ. & Heidelbergeñ. & alias quasdam Saxonicas ciuitates, quæ communi consensu dogma suum damnauerant, grauissimis probris, & maledictis insectatur: sic esse dicit errore suo fascinatos; vt qđ pueris in Cathechismo traditur, veterani Theologi non teneant. Quid valeat cœna, quorsum spectet, nunquã gustasse brutos istos homines: ne guttam quidem ingenui pudoris in eis esse, nimis largam esse, copiam cauillationum profluere, dum Lutheri sui hyperbolas proijciunt: modò plebeculam suosq; fraterculos fascinent, populari theatro contentos: nec Dei, nec Angelorũ iudicium magnopere curare. Tribuit illi furiosum impetum, nugatoriam leuitatem, cæcam temulentiam, caninam improbitatẽ, diabolicam superbiam, quòd eis superbia sit loco pietatis, quòd eos ferocitas omni humanitate spoliauerit, quòd obstinatio nil moderaminis reliquum fecerit. Vocat eos vertiginosos homines, Cyclopes, superbã factionem, Gigantum latratores, phreneticos, bestias, proteruos, fastuosos, pertinaces, & alijs id genus depingit coloribꝰ. Queritur de illis, ꝙ se suosq; indignos esse clamitent, quos terra sustineat, ita, ꝙ nisi repentè exterminentur è mundo, non posse cum eis mitius agi, quàm vt ad Lechitas, vel Indos ablegentur: accusare eos Principum segnitiem, quòd non exerto gladio protinus deleant Sacramentariorum memoriã. In libro contra Vvestphalium, & in Harmonia Euangelica.

Caluinus Lutherum, ait, inconsiderato, & minus excusabili zelo laborasse: Eliæ illi nomen tribuere sacrilegium putat.

SI quid vitij, inquit, permixtum fuit summis Luth. virtutibus, sepultũ esse velim. Certè, quęcunque fuerunt, ne ea exagitem, donorum, quibus præditus fuit, reuerentia & amor me retinet. Vitia autem pro virtutibus exoscularí, stultæ, ac præposterę affectationis est. Minus etiã excusabilis, incõsiderati zeli feruor, quòd scripturam turpiter, & pudendum in modum corrumpũt, vt D. Ioan. Baptistæ spolijs Lutherum exornent. Et paucis interiectis, atque vt Eliæ nomen Luthero concedatur: Sacrilegæ tamen est temeritatis asserere vltimum Eliam: ac si præcisa esset Deo manus, ne quem præstantiorem è cœlo postea emittat. Citat Lind.

Mencellius molles Lutheranos odio plenos, & prædicatorũ Tyrannos appellat.

EXTAT libellus Mencelij de pastoribus, impressus Islebij, quã Lutheristæ ob natiuitatem Lutheri nouã Bethleem vocant: in eius præfatione hęc verba leguntur: Postquam per sanctum Euangelium à Papæ tyrannide, & potestate liberati sunt, & assueuerũt omnes illius cõstitutiones reijcere; progrediuntur vlterius, & volunt prorsus eandem cõsuetudinem, in alijs quoque rebus omnibus, siue sint bonæ, siue sint malæ, retinere: volunt esse liberi, nec à quoquam prohiberi, quò minus arbitratu suo viuant, haud aliter, quàm si Euãgelium esset talis doctrina, quæ vnicuique concedat potestatem faciendi quod illi placet: quæ nullum ordinem, nec vllam disciplinã ferre possit. Quòd si quis ei fuerit ausus resistere, eò veniunt audaciæ; vt non solùm odia suscipiant erga suos prædicatores, eosq; cõmelijs afficiant, verùm etiã pro virili sua tyrannicè persequuntur: ac si quẽ volunt ordinem prædicatores constituere, statim vim esse dicunt minimè christianam, & nouationem quandam, & introductionem veteris papatus, per quam prædicatores

pro-

propriam suam potestatē, & dominationem in commissum sibi gregem stabilire velint. Qui, si pergant vrgere executionē eorum, quæ constituerant; non solū conuicijs afficiuntur, verùm etiam ad extremum expelluntur.

Flaccus, Philippum, Augustanæ, Confess. & Lutheri librorum, corruptorem & adulterum vocat.

LEGIMVS & nos, vel potius prælegimus ante annos ferè viginti, illi ipsi sanctissimo viro HOSIO, Flacci, Vigādi, Galli, Amsdorphij, Hesshusij libellos, tā Latinos, quàm Germanicos, plenos querimoniarum, quòd Cōfessio Augustana, à Philippo Melanchtone multis in locis versa, peruersa, conuersa, mutata, deprauata, mutilata sit: eiq; falsi crimen impingunt, quòd Lutheri libros plurimis in locis adulterauerit: quos tamen, vt aiunt, non alio loco, quàm Canonicam scripturam habere deberet, neque fas esse, vt vel iota vnum in illis mutaret. Meminit Hosius in Actis cū Maximiliano, tum adhuc Bohemiæ Rege, quæ inter nostra χαμαιλια asseruantur, & exhibuerit Maiestati suæ librum Ducum Vinariensium, in quo nouem, & alium Ministrorum Mansfeldēs. in quo vndecim sectæ sunt condemnatæ, Euangelicorum, ab Euangelicis.

Flaccus, definitiua sua sententia, Philippum vt Ethnicum, & publicanum habendum censet.

CVM videam, inquit, Philippum, & qui cum eo sentiunt, in sua impœnitētia manere, & præsentes Adiaphoricas constitutiones cōtra conscientiam promouere, pronuncio, impœnitentes Adiaphoristas esse, pro ethnicis, & publicanis habendos, id est, neminem pium debere cum ipsis vllam familiaritatē, conuersationem, amicitiam habere: & ei, qui præsertim nullo necessitatis iure adstrictus aliter fecerit, denuncio lepræ eorum contagium, & ita haud dubiè iram diuinam. Hosius in Act. Elbing. gen.

Osiander, verba Philippi, pro verbis CHRISTI recipi dolet, & ne ad scholas Virtembergenses liberi mittantur, à parentibus, hortatur.

NARRAT Osiander, neminem Virtembergæ, vel Theologiæ Doctorem, vel artium liberalium fieri Magistrum, nisi prius conceptis verbis, iuxta formulam sibi prolatam iurauerit, se tria Symbola, Apostolorum, Nicęnum, & Athanasij retinere firmiter, ac tueri, simul & defendere velle. Quòd si quid inciderit, quod in ijs tribus symbolis & Augustana Confessione satis determinatum non sit; nolle se quicquam de eo concluſiuè, quod vulgo dicitur, dicere, nisi re prius ad seniores doctores, qui constanter huic adhęrent Confessioni, relata: & consilio cum illis communicato. Seniores autem isti, cùm sint Philippus, & eius similes, si quid inciderer, quod in hac Augustana Confessione scriptum non sit, necesse habent, qui iurauerunt in Confessionē, nihil de eo statuere, nisi quod visum illis fuerit: ita, vt ipsi probauerint, id recipere sint adstricti; etiamsi diuersum aliquid in scripturis canonicis reperiatur: quandoquidem non in sacræ scripturæ, sed in Augustanæ Confessionis vnanimi consensu, se constāter esse permansuros iurauerint. Itaq; si scripturas potius sequerentur, periurij reatum non effugerent. Confessionem autem hanc Philippus ipse scripsit, penes quem etiam est interpretandi potestas. Ex quo consequitur, quòd omnes, qui iurarunt in eam Confessionem, neces-

necesse habeant illam eo sensu accipere, quem Philippus attulerit; vt sic reiecta scriptura, ad tria symbola tantùm, & ad Philippi doctrinam sint alligati. Hæc de Philippo Osiander, qui parentes etiã diligenter monet, vt etiam atq; etiam secũ deliberent, num suos filios Virtembergã mittere debeant, vt ibi magistri, vel Doctores efficiantur. Coguntur enim, inquit, abiurare verba Christi, & iurare in verba Philippi. Iurat enim, inquit, quilibet, & de grauioribus rebus, ad fidem pertinentibus, nihil velit statuere, nisi de sententia seniorum Confessionis Augustanæ, etiamsi contrarium dicat scriptura; quam si sequi potius voluerit, erit periurij reus. Ita secretò fit quædam, inquit, conspiratio, quæ magis hominum quàm Dei verba respicit, atq; ideo Christianæ Reipub. non parum adfert detrimẽti: Philippi verbum, plus apud eos ponderis habet, quàm Dei verbum. Sex & triginta scripturarũ loca produxi, quibus habitare Deum in nobis ostendi: creditum non est: simul vt Philippus paruam schedam scripsit, qua testatus est, ita se rem habere, statim creditum est. Hosius in Antibrentio.

Heßhusius Philippũ, & Virtembergen. Magistros, extra Ecclesiam esse pronunciat, & vbi fuit sedes Luther. ibi nihil esse reliquũ de spiritu Luth. testatur.

Citat Hosius.

HESSHVSIVS in his libellis, quos edidit posteaquàm à Magdeburgẽsibus pulsus est, Virtembergenses vna cum alijs eadem cũ illis sentientibus, extra Ecclesiã esse pronunciat, & eorum communione suis omnibus interdicit. Idem facit Flaccus cum vniuersa sua factione, Virtembergenses enim, quin & Ienenses, a verbo Dei, & Euangelio defeciſſe, quiritantur: ita vbi sedes fuit Lutheri, non ferè quicquam relictum sit ibi de spiritu Lutheri.

Ochynus Caluinum, & Geneuen. Tygurinosq; Magistros, nouos Papas, terrenosq; Deos vocat.

OCHYNVS inter alios Dialogos, vnum etiam edidit, cõtra Sectam terrenorum Deorum, siue Paparum (Geneuenses autem & Tygurinos intelligit) eosq; multo esse sceleratiores, & crudeliores quàm vnquam fuerant Papæ Romani pronũciat. Verba eius sic habent: Non ita nunc fit, sicut Paulus de iudicanda Prophet. doctrina monet: nam quod Minister vester, ò Tygurini iudicat, docetq;, id censetis alijs omnibus credendum esse, tanquam caput fidei. Quòd si quis citra vllam conditionem fidem non adhibet; is Hæreticus est: denique quod noctu somniarũt; id cartis mandant, excudiq; curant, suaq; scripta & verba pro oraculis haberi volunt. nec est, quòd putes eos vnquam recantaturos, aut se Ecclesiæ subiecturos: volunt vt Ecclesia ipsorum non ipsi Ecclesiæ arbitrio credant: id quod nil aliud est, quàm quòd se quosdam Papas, terrenosq; Deos esse velint; & in hominum conscientias tyrannidem exercere.

In Dialogo cõtra sectã terrenorũ Deorũ.

Bernenses Ministri, Valentinum Gentilem flamma, & fasciculis correxerunt.

GENTILIS, Serueti Symmistes, cùm articulos quosdã disputandos publicis in locis Bernæ affixisset, primùm in carcerem coniectus, nec ita multò post supplicio capitis affectus est; non scripturarum rationibus ad recantandum victus, sed articulis, & fasciculis ad perpetuum silentium coactus.

Ex libello Anonimo de supplicio Gẽtilis.

Beza,

Beza, Trideistas, & Anabaptistas Dei blasphematores vocat.

In Epistola ad nobiles Poloniæ

HORTATVR Beza Sigismundum Augustum Poloniæ Regem: Principem quoq; Transyluanum monet, & Regni Proceres: Trecios quoque Lasicios, Sarnicios, quos pastores appellat, obtestatur; vt in hãc curam toto pectore incumbant, cum his quos Genevа in Poloniã mittebat Synagonistis; ne Trideistas, & Anabaptistas Deum blasphemare in suis Regnis permittãt, irãq; Dei super suos populos coaceruent.

Flaccus, Philippum, Eberum, & horum Symmistas damnauit.

Vide Lindanum.

HABITVM est Aldeburgeñ. colloquiũ, cui nouo more nouus Pontifex præsidebat, Gulielmus Saxoniæ Dux, & Commissarij Principis Electoris. Tractabatur in eo de Cõcordia inter ipsos Lutheranos, quorum alij Flacciani vocabantur, alij Philippiani, vel Eberiani. Obiectum ibi fuit, falsi crimen Philippo, quòd adulterasset primã illam Confessionem Augustanam Anno 1530. Cæsari oblatam, quædã addidisset, nonnulla detraxisset, alia mutasset arbitratu suo: neq; negatum est hoc ab Eberianis. Quamobrem Flacciani Philippum, & Sectatores eius damnauerunt. Extant Petri Martyris cõtra Brentium minime fraternæ velitationes: Vestphalus Bezam egregiè excipit: Hesshusius Bezam, Beguinũ Clebitium exagitat, Caluinus vicissim Vestphalum, Hesshusium, & Magdeburgeñ. miris titulis exornat, & pro sua Pontificia authoritate anathemate conficit, & præcipuè Vestphalum, ac socios eius inter pertinaces Hæreticos, & ad superbam illam Gigantum factionem, refert. Extat Ioannis à Lasko, & sociorum peregrinatio, regnante in Anglia Maria, qui sese apud Hassniam, Vesmariam, Lubecum, Hamburgum, & alias Luthera. ciuitates commorari non potuisse queruntur.

Philippus Suencfeldium, Centimanum, & suos omnes fanaticos homines appellat.

SVENCFELDIVS, Centimanus est, habet milites passim, qui ipsius nomine non solùm scribunt, sed etiam seditiones mouent, iactitant afflatus, & abducunt homines à publico ministerio, & à lectione, & cogitatione doctrinæ. Ac nunc quoq; aduersus me editis aliquot pagellis, reperit ille κόκισμος, gratissima cantilena fanaticis hominibus non cogitatione scripturæ, & doctrinæ, Deum communicare se hominum mentibus, sed sine medio. Citat Hosius.

Bullingerus, Brentium, Aprũ Calidonium, Momũ mendacem, Logodædalum, Bachatorem, Sophistam, & doctrinam eius somnium, merumq; uocat delirium.

ANNO MDLXIIII. edidit Bullingerus repetitionem quandam, qua perstringit Brentij recognitionem, eiq; coronidem Apologeticã addidit, in qua dicit, Pios omnes concorditer censere, Brentium peccare enormiter edendis libris suis maledicis, & eum pedibus petulantissimè conculcare fidem Ecclesiarum, quarũ dogmata vocaret cacadoxa: dicit nullo bono spiritu doctum iudicare, quòd Bullingerus inanes, & sine fide voces profundar, & ceu aper Calydonius vineam Domini euertat. Dicit, quòd quisquis Brentij scripta omnia propius inspexerit, illum virurum apertè virulentis redũdare edaciſſimi liuoris morsibus. Dicit præterea Brentiũ tergiuersari, suf-

fugia

fugia latibula; quærere, seſe implicare, & quid dicat ignorare, deniq; ſimplices circumagere, & naribus trahere. Addit etiam Doctrina Brentij: ſomniũ eſt, merumq; delirium, & quidem Eccleſiæ Dei valde noxium. Et quia Brentius præmebat Bullingerũ Lutheri autoritate: Prouocamus, inquit, ab irato & furioſo Luthero. Ipſe quoque Brentius in ſua recognitione fatetur, quibus elogijs à Bullingero fuerit honoratus: Ego, inquit, Bullingero ſum rixator, ſpiritus inflatus, calumniator, ſcurrilis, luſor, momus, peruerſor, mendax, impurus, impudens, garrulus, Logodædalus, conuiciator, contumelioſus, iactator, eiector Chriſti è cæleſti ſuo throno, blaſphemator, vagabũdus, furens, leuis, leptologus, Eutychianus, ſophiſta, debacchator, & peior Suencfeldio ipſo: doctrinam autem quam profiteor, & librum quem de Maieſtate ſcripſi, vocat Brentianas nebulas, figmenta, nugas vanas, & futiles, ſcurriles ineptias, doctrinam diſſoluentem ſpem, de certa fidelium ſalute in cœlo, inſaniam, philautiam, artem ſophiſticam, ambages ſubdolas, commenta falſiſſima, elumbem ſpiritum, ſophiſmatum verſutias, librũ maieſtuoſum, librum perplexuoſum, Chymærã vbiquitariam, ſophiſticam, Aegyptum, nugas putidas, vbiquitatem prodigioſam, verba furioſa, ambages fallaces, fabulas, commenta, captiones, librum maieſtaticum, infinitarum quęſtionum labyrinthos, vbiquitarios, impudentiſſima mendacia, argutias Aegyptiacas, & alia id genus acerbiſſima excogitata.

Bullinger' de cœlo, & dextra dei, Brẽtius in recogn. Tubig. 1564.

Fickle-rus in Spõgia.

Brentius Bullingerum uocat virulẽtam excetram, ſcorpionem venenatum, Sophiſtam nequiſſimum.

BRENTIVS viciſſim, ait, Bullingerum huiuſmodi virũ eſſe, qui præter mẽdacia, & nugas nihil dixerit: qui homines pios, veramq; doctrinã horrendis calumnijs aſperſerit, & contaminarit. Queritur pręterea ſibi negotiũ eſſe, cum virulenta excetra, & cum ſcorpionibus venatiſſimis, deniq; cum homine effronte, cum ſophiſta, omniumq; mortalium nequiſſimo.

In recognitione Bren

Philippus, Flaccum, & Gallum mirabile hominum genus vocat, & minus tolerabiles, quàm Papa Romanus.

CVM iſto, ait, mirabilium hominum genere, agi nihil poteſt, qui ſuo arbitrio damnãt quidlibet, neque perſonis auditis, neq; diiudicatis rebus. Cogunt concilia, quando & vbi ipſis placet, & vendicãt ſibi maiorem magisq; intollerabilem, ac minus excuſabilẽ authoritatem & poteſtatem, quàm Papa Romanus vnquam: quæ quo tandem euaſura videantur, cogitetur. In præfatione verò quæ præcedit, in anarchiam quandam euaſiſſe rem iudicat.

In præfationẽ in corp' doctrinæ.

Heßhuſius Caluinum vocat ſycophantam, Epicureum, Sophiſtam, &c. Bezam verò beſtiam, Cyclopem, Martiale, & Catullo ſpurciorem.

HESSHVSIVS in defenſione ſua, tribuit Caluino crudelitatẽ, tyrannidem, dolum, perfidiã, contemptum Epicureum, garrulam, & ſophiſticam philoſophiam, futiles nugas, ieiunos cauillos, effrenem & impudentem ſycophantiam, & falſum in veteribus ſcriptoribus ab eo admiſſum: & quod ludat in enarratione diuinorum oraculorum, non aliter quàm ſi Ouidij Metamorphoſæos, vel Sibyllinos verſus explicaret. Bezam verò vocat beſtiam, & Cyclopem, atque adeò proſtitutum ſcortum, qui ob

fla-

flagitia, amores illicitos, & supplicio dignos concubitus, adeoq; adulteria, & infandas libidines, suis, etiã Sathanicis epigrammatis Martialis, & Catulli spurcitias superantibus, in prostibulo decantatas, cùm magis suppliciorum metu, quàm religionis amore aufugerit, ex Gallia, Losanna etiam pulsus; se tamen Christi martyrem iactat.

Stancarus Caluino vix vnã vnciã ueræ Theologiæ tribuit, Geneuen. & Tigurinos Ministros publicos hæreticos, imò & Atheos appellat.

STANCARVS in libro de Trinitate, & mediatore, deploratissimos hæreticos vocat Caluinum, Petrum Martyrem, Bullingerum, cũ reliquis Tygurinis, & Geneueñ. ministris: eisq; Arianam, Eutichianam, Apollinaristarũ, Acephalorum, Theodosianorum, Gaianitarũ, Macarianorum hæresim impingit: idẽq; iudicat, pluris esse faciendum vnum Petrum Lombardum, quàm centum Lutheros, ducentos Melanchtones, trecentos Bullingeros, quadringentos Petrus Martyres, quingentos Caluinos: qui si omnes in mortario contunderentur, non exprimi posse vnam vnciam veræ Theologiæ, præsertim in articulis de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, & Sacramentis. Esse ter miseros & infelices, qui nesciãt quid scribant, aut de quibus affirmẽt. Idem negat scire Caluinum, quid scribat, aut de quibus affirmet: monetq; omnes, vt caueant sibi à libris eius, præsertim in articulis de Trinitate, Baptismo, præscientia, prædestinatione, quia falsam, & prauam doctrinã habet. Idem notat horribilem, & Gentilianæ nõ dissimilem blasphemiam, quòd Christus, cùm tradiderit, iuxta Paulum, regnum Deo, & Patri, subiectus ipsi erit, secundum vtrãq; naturam.

Stancarus Geneuẽses, & Tygurinos hæreticos, & Atheos appellat.

VOCAT eos publicos, & manifestos hæreticos, qui non semel Polonos nostros scriptis, & epistolis suis seduxerint, conuincitq; eos esse Arianos, Apollinaristas, Eutychianos, Timoteianos, Acephalos, Theodosianos, Gaianitas, Origenistas, Donatistas, quin & ἀθεους vocat.

Nicolaus Amsdorpgius, Zuinglij, & Osiandri doctrinam hæresim uocat.

NOS, ait, Zuinglianam, & Osiandrianam hæresim, & errores, tranquilla conscientia amplecti non possumus: nec illorũ, qui se illi à Lutheri segregarunt secessioni, aut Nouatiani subscribere, & adstipulari.

Smidelinus, Sacramẽtarios, humana ratione, & suis cogitationibus, non uerbo Dei niti testatur.

LVTHERANOS, ait, nunquã dissimulasse schisma de negotio Cenæ: & doluisse illis semper, fuisse quosdam, qui plus rationi humanæ, ac suis cogitationibus, quàm simplici, ac aperto Dei verbo tribuerent: qui sicut disertè affirmat, Carnem suam verè esse cibum, sanguinem autem verè esse potum; ita virtute verbi sui, verè etiam, ac præsenter cum pane, & vino ea distribuat.

Hesshu-

Heßhuſius, Apologeticos Anglos, Deum conſpuere, & hominibus imponere ait.

FINGVNT, ait, iſti fraternam ſocietatem: at nos dicimus, vt prodatur veritas Euangelijj, vt errores nefarij diſſimulentur, vt Chriſtianorum hominum oculis imponatur, vt in Deũ apertè conſpuatur: non ea pax eſt, ſed iniquiſſima pactio ſeruitutis. Et ibidé ait, Se Deo & Eccleſiæ, & orbi teſtatũ facere, Heſshuſium non coluiſſe, vt nunc multi proditores veritatis faciunt, cum blaſphema, ac ſacrilega Caluiniſtarum ſecta, ſed in acie ſtetiſſe contra eam, & teſtamento filij Dei ſedulam nauaſſe operam.

Clebitius, de ruina Papatus Saxonici triumphat.

EDIDIT Clebitius libellũ, quem inſcripſit: Victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici, in quo Lutheranos omnes ad Synodum, & ad diſputationem de præſentia Chriſti corporis, & ſanguinis in Euchariſtiæ Sacramẽto prouocat, & eaſdem illis leges præſcribit habendæ Synodi, quas illi quoque Chriſtianis orthodoxis hominibus præſcribere conſueuerant.

Citat Hoſius.

Flaccus, à ſua Synodo vult excluſos Seruetianos, Oſiandrinos, Sacramentarios, Anabaptiſtas.

EDIDIT Flaccus ſupplicatorios quoſdam libellos, quibus inſtat, & vrget mirabiliter, vt in Germania Synodus habeatur, à qua tamen arceri vult, primò Chriſtianos omnes, quos per contumeliam, vocat Papiſtas, deinde Seruetianos, Suencfeldianos, Antimonos, Anabaptiſtas, Sacramẽtarios, & Oſiandrianos, neque cum alijs, quam cum Synergiſtis, Adiaphoriſtis, & Maioriſtis ibi rem eſſe vult.

Citat Hoſius.

Heßhuſius, Eberum vacillantem monet, vt ſuam ſententiã de Euchariſtia explicet.

VRGET vehemẽter Eberũ Heſſhuſius, vt quoniam cum Philippo de ſententia verborum Euchariſtiæ nutabat, non amplius æſtuaret; ſed ſuam de Euchariſtia ſententiam, nudè & apertè explicaret, quid ſentiret. Ac facit ille quidem edita de Cœna Domini, ſua quadam aſſertione: verùm ita vt ferendos potius, quàm tanquam hæreticos damnandos, & ex Eccleſiæ ſuæ ſocietate prorſus reijciendos cẽſeat eos, q. diuerſum ſentiũt.

Hoſius in Antibrentio.

Sturmius, rigidos Lutheranos crudelitatis accuſat.

ISTI, inquit, importunitate, & iniuſtitia ſua curſum Euangelij impediũt: ſine metu, vt ait, cruciatus, frigore in hypocauſtis caliduli, æſtu in vmbra frigiduli: quos volunt, & quæ volunt probãt; rurſus quæ volunt, & quos volunt improbant, vexant, condemnant, proſcribunt, palo propè, & cruci affigunt, in ipſas propè veſtibulas, & rogos impellunt. Quòd ſi magiſtratus, inquit, iſtis hominibus per triduum gladium ſuum concederet, crudeliſſima ſtatim eſſent ſecutura condemnationum tonitrua, fulgura, fulmina. Hoſius in Antibrentio.

Sturmius omnium Sectarum doctrina reprobata, suam stabilire cõtendit, quàm mediã viam vocat.

IOANNES Sturmius tantarum sectarum, & errorum perræsus, rem indignam sua dignitate putauit, vt sine exceptione in alicuius magistri verba iuraret. Quamobrem reprobatis omnibus Euang. Confessionibus, nouam quandam Sectam Argentoratum introducere conatus est, sub Annum Domini, 1578. quàm mediam viam appellabat, absque offensione tam Catholicorum, quàm Protestantium. Ad eam stabiliendam ex decẽ Circensibus Roma. Imperij Prouincijs, septem eligendos censebat, qui eiusmodi fidem scriberent, quæ vtrique parti non displiceret, exceptis ex Concilio Tridentino, quæ & illis 70. viris placerent, & reliquis hominibus placere possent, reiectis cæteris; adhibita etiam charitatis regula directa, non ad seueritatem, sed ad mansuetudinem.

Indices librorum Francofordien. ostendunt, quàm acerbè Magistri, & ministri Euãgelici dissidẽt.

PRODEVNT bis in Anno Indices librorum nouorum ex nundinis Francofordiensibus, iam ab aliquot annis obseruauimus, quòd triplo plures libri scribuntur ab Euangelicis contra Euangelicos, quàm contra Catholicos. Quos etsi omnes videre nobis non licuit, facilè tamen suspicamur, quòd acerbissimè vnus inuehatur in alterum, quòd sibi errores inuicem affingant, quòd è cœtu communioneque sua eijciant, quod igni atque ferro interdicant, quòd ad ima tartara deprimant, quòd in potestatem omnium diabolorum vnus alterum cõdemnet, & ableget. Libet eius aliquot generis libellos in medium adferre, in quos non ita pridem Norimbergæ incidimus.

De insigni, & manifesto crimine falsi à Philippo Morbachio perpetrato, emento nomine facultatis Theologorum Academiæ Heidelbergensis necessaria commonefactio ad Clangefurtensem Ecclesiam in Carinthia, in qua Stellio ille Rectorem Scholæ agit, 4. Heidelbergæ 1586.

Marci Brumleri Tygurinen. ad Iacobum Andreæ triplex scriptum: Index aliquot grauissimorum certaminum, & errorum Iacobi Andreæ, è postremis eius centonibus collectum, 4. Neostadij 1586.

Hieronymus Zanchius ad partẽ prodromi, Holleri, Guilelmi, 4. Neapoli.

Extat tractatus de omnipræsentia Christi, in quo ad inanem, & elumbem vbiquitatis, hoc est, maiestatis Christi confutationem, per quendam Christianum Valdensem institutam, respondetur per M. Andream Osiandrum Tubingæ in 4. 1587.

Virtembergen. Schola, Chytreum vocat Simiam Philippi, & Protheum.

VOCANT Chytreum, Simionem Melanchtonis, ex Simia verò Protheum factum affirmant, & mirabiliter irrident.

Philippus, Smidelinum, Grillum Homericum appellat.

PHILIPPVS Euangelicos suos, & inter eos Smidelinum Faberculum Ho-

Homerico Grillo comparat, qui à Circe in porcum mutatus, hominis formam recipere recusauerit. Adeò, ait, immundicia, sordibus, & omni diluuie delectatur. Idem affirmat Smidelinus querens, apud suos Euangelicos horrendam, Epicuream, & plane ferinam vitam cerni. Citat Hosius.

Caluinistæ librum Concordiæ Lutheranæ, lepido versiculo, errorum demnauerunt.

ER. HABET AVSONIVM LIBER
HIC, HABET ATQ. PELASGVM
ET HABET HEBRAEVM, PRAETEREAQVE NIHIL.

Protestantes Principes Lutherani impossibilem esse iudicant cum Caluinistis Concordiam, nec eos vnquam herbam esse porrecturos: Concordiam quoque Bergensem exsibilant.

Citat Hosius

EXTAT libellus Anno 1584. impressus, quo descripta habetur legatio Regis Nauarræ ad Imperij Principes, & ab illis ad legationem data responsio. In ea sic de Sacramentarijs, & ineunda cum illis Concordia loquuntur Protestantes. Quòd Rex Nauarræ sua nobis epistola scribit, se á puero, in ea qua viuit religione, fuisse educatum, quam quidem putat præcipuis in fidei capitibus cum Augustana Confessione conuenire: ac propterea petijsse, vt & maiorem eius Serenitati fidem habeamus, & concordes aliquando cum Sacramentarijs simus. Fallitur, & fallit bonus Princeps. Ecquis enim ignorat, illum, cùm post detectam eius, ac Principis Condei cum Admiralio conspirationem, & consequutam à Rege gratiam, ipsius Regis Galliæ sororem ante aliquot annos esset vxorem ducturus, Pontificiam fidem professum esse, atque Lutheranorum, & Caluinianorum dogmatum eiurationem feciſſe, per aulicum, ad hunc ipsum Romanum Pontificem missum, cum epistola, cuius exemplum, ne cuiquam ea de re dubium esse possit, hic habetis. Vnde facilè conijci queat (etsi postea redijt ad eos, qui illum Caluinismo imbuerunt) fore, vt si quid eo in Regno sibi secundius speraret, Caluinianos illicò, & nos ipsos esset desertorus, auitamq; suorum religionem amplexurus. Id quod statim, vbi de morte Alanconij accepisset, tanquam spe Gallici Regni certius iam concepta, instituere molirique visus est multis, qui dicunt & Regis, & Pontificis fauorem palam ab eo aucupari, Iesuitas eum prensare, totumque esse in eo, vt si possit, etiam Deo fucum faciat. Neque verò intelligit quid Geneuenses, & reliqui eius farinæ homines in animo habeant, cùm præcipua fidei capita sese nobiscum credere, illi, ac pluribus alijs persuaserunt. Nam & prædestinationis negotium, quod Caluinus è suo capite ad Dei ipsius bonitatem atque æquitatem euertendam inuexit, tanquam pestiferum dogma à nobis depellimus, ac præter id, quod Lutherus, & alij de Cœna Domini aduersus eos scripsere, scitis extare nostrorum Censuram, qui cùm Antuerpiæ seorsim à Caluinianis Euangelium nostrum docerent, hæc in lucem edi ipsa verba curarunt: Caluinistarum Liturgiam, non vno sacrilegio viciatam, contaminatamque esse, eaq; innumeras animas æterno exitio inuolui. De Iustificatione autem, totaq; illa materia, in tot, ac tantis ab ijs dissentimus, vt pudeat dicere. Illud certum est, quæ à quodam Pontificio Theologo discrimina ex Luthero, & aliorum nostrorum, alteraq; ex parte, ex Caluini scriptis colle-

cta sunt. Cùm nos, an ita illa haberent, in fontibus recognoſci curauiſſemus, prorſus inueniſſe veriſſima; adeò autem diſcrepantia, vt fruſtra de concordia laborandum ſit. Ea verò, ſi cui veſtrum libuerit attentius videre, ecce hic ſunt, quæ vobis relinquam. Porrò in ritibus, ac imaginibus, in reliquijs quoq;, vel Sacramentis, vel ſacramentalibus rebus, aliud quã ipſi ſentimus. Atque vt hæc omnia nõ eſſent, quæ veriſſima ſunt; quiſnam inter nos, & Caluinianos (ſi nouum colloquium indicatur) iudicium ferret? an rõ ante viginti tres circiter annos, in conuentu Luneburgenſi, noſtrorum ſententia damnatus eſt Albertus Ardembergius Caluinianus? an non triennio poſt in Mulbrunenſi colloquio, dum noſtris præeſſet Illuſtriſſ. Dux Virtembergicus, Caluinianis autem, qui tum erat Illuſtriſſimus Palatinus Elector, vlla potuit coire concordia? Quin verò conuentu ſoluto, quot vtrinque libri iniuriarum pleni per Germaniam volitarunt, nemo noſtrum ignorat. Sanè, Brentius poſt finem recognitionis ſuæ contra Bullingerum, appendicem publicorum teſtimoniorũ, nempe Lutheri, Melanchtonis, Lauatheri, Petri Martyris, oſtendit ſæpius à Zuinglianis actum fuiſſe; vt à Lutheranis pro fratribus ſuſcipierentur, manente illa ſententia de Cœna Domini: neque vnquam tamen ab illis extorqueri potuiſſe. Quòd ſi verò præter Sacra Biblia, quæ tamen apud nos nõ conueniunt cum Caluinianis, aliqui adhibẽdi ſint diuini verbi interpręs, ſolidæ auctoritatis, ex ijs, quibus Euangelij hoc ſæculo illuſtrati palmam tribuimus, obſecro, quoſnam ſumimus in manibus, cùm inter ſeſe ferè omnes maximè diſſentiant? Et recentiſſimæ ſunt, cum aliorum, tum ſingulorum Academiæ Francofordianæ ad Oderam Profeſſorũ, in nouam Concordiæ formulam, quam Illuſtriſſ. Dux Saxoniæ Elector procurauit conficiendam, confeſſiones, atq; ſubſcriptiones, quæ ita Caluiniana dogmata explodunt, ita ea impietatis arguunt, vt nihil ſupra. Et putatis hoſce herbam porrecturos, aut paſſuros, vt leges à Sacramentarijs in re Theologica præſcribantur: & leges quidem, quæ ſuæ dignitati, ac iureiurando aduerſentur? Augebuntur acerbitates potius, & odia accendentur. Dumque tot hydræ capita præcidere tentabimus, ſepties centena pro vnoquoque (vt re ipſa nimis experimur) enaſcentur. At verò, quid cæteri facturi ſint, incertum eſt. Nam, & Norimbergenſes, vt Caluiniſmum in ſuam ciuitatem nimis irrepentem procul amouerent, Academiam ad Auguſtanæ Confeſſionis capita pueros edocenda, non ita procul à ſua ciuitate, hoc eſt Altorfij, inſtituerunt. Quod ipſum alij quoque fecerunt. At interim, inter nos litigantes Pontificij gaudent, atque tacentes, quò magis vnanimes ſunt, vbique ſeminaria inuehunt: & adeò ſtupidi ſunt quidam è noſtris, qui putent, quin futurum ſit, vt quanto plus iſta tractabimus, tanto maiore impulſu, quicquid à noſtris hactenus ædificij apparebit, id non per tot ruinas paruò momento ſit ruiturum. Sed, & parum hoc fuerit, quòd noſtræ cum Caluinis componi cõtrouerſiæ nequeant: vtinam domeſtica compoſuiſſemus. Quid Vormaciæ huius ſęculi anno 70. ſupra 1500. actum ſit, pleriq; noſtrum adhuc recordantur. E duodecim enim noſtris qui de religione acturi fuerãt, quinq; expulſi ſunt, Nicolaus Gallus, alter Amſdorfius, alijque tres, quos poſtea rigidos Stoicosq; Lutheranos vocari, & ſcribi, nimio cum dedecore noſtro paſſim audiuimus. Inter Pontificios autẽ, nulla lis fuit, eadem cõſenſio, & numerus manſit. Biennio poſt, vndecim è noſtris ſectæ publico multorum Germanię, & Confeſſionis noſtræ principum iudicio, à cæteris reiectæ ſunt. Deinde quàm ſæpe Auguſtana Confeſſio noſtra immutata ſit, pudet dicere; vt poſtea mirum non ſit, ſi quaſi Crambem centies recoctam plurimi è noſtris euomant: & quiſque, quam primo nanciſcitur ſectam, ei adhæreat. Quod ſi qui noſtram Confeſſionem aliquouſq; præ ſe ferunt, corde tamen altum dolorem atq; indignationem aduerſus noſtros haud dubio præmunt; certè mortifero vulneri, quod nouiſſime in Concordia Saxonica procuranda inflictum eſt genti, ac nomini noſtro, nullum iam pharmacum inuenimus, quod ſanitatis ſpem prębeat. Neq; enim

enim ablegatus Iacobus Andreæ Tubingam, licèt bene numatus, & donatus ab Illustriss. Duce Saxoniæ, quam machinã dissensionum extruxit, potis est iam, vt destruat. Neq; octoginta talerorum millia, quæ Pastoribus Saxonicis, idem ille bonus Princeps sæpè euocandis, impendit, quidquam profuere. Et pagani, oppidaniq́ue eius subditi, dum varias fidei professiones, easq́ue discrepantes emere adiguntur, Iacobo Andreæ, & Selnecero, reliquisq́; illis sex viris, qui hanc nobis infaustam Concordiam texerunt, quotidie maledicunt. Interim ipsi inter se dolent sex viri: enataq́; sunt inter ipsos iurgia illa, quòd cùm ex æquo laborauerint, hanc tamen ex æquo inter se partiti sunt prædam; Iacobo Andreæ omnia secum asportante, & ex diuendita illa Concordia marsupium implente. Iam verò, dum subscriptiones illas, ac professiones nouæ Concordiæ tolli, curatum est, ecquid effecimus? At hoc minimum, nisi egregia illa ignominia notati fuissemus, quod pleræque omnes ciuitates, Augustaq́ue ipsa Vindelicorum, Confessionis nostræ mater, Concordiam tamen nostram abiecerunt: quodq́ue adhuc peius est, proscripserunt, varijsq́ue editis, & scriptis, & libris, vnà cum alijs ciuitatibus damnarunt. Et agamus, scilicet postea de ineunda cum Caluinianis concordia? & credamus iam, vel illis, vel nostris? Hucusque Protestantes.

Kemnitij de ineunda cum Caluinistis concordia iudicium.

EXTAT Epistola Kemnitij ad Ioannem Georgium Electorem Brandeburgensem. In ea, quæ sequuntur, quid de concordia cum Sacramentarijs ineunda sentiat, quove eos loco habeat, verba ostendunt. Quod igitur V. Cel. secundum altissimum intellectum, & Christianum zelum, ex grauibus, & varijs considerationibus, consultum non esse iudicat, vt cum Caluinistis generalis Synodus habeatur, eam ob causam, quod vti, proh dolor, experientia docet in religionis negotijs, ab aliquo iam tempore parum est effectum; sed plures turbæ, & dissensiones in Ecclesia, & religione insecutæ sint huiusmodi, Clem. Vestræ consideratio mihi etiam humillimè placet: neque enim ignoro multos hoc prætextu, insperatæ generalis Synodi eò negotia dirigere; vt punitionis officium contra Caluinistas interea tẽporis penitus quiescat; ipsiq́; absque impedimento venenũ suum magis, ac magis spargant, & multos asseclas vbique parent. Quod autem cùm hoc Clemen. vestra cõsiderat, quòd nihilominus Regia maiestas, vtpotè quæ instructionis articulo de sancta Cœna à nostrarum Ecclesiarum opinione non multùm distet, non omninò offendenda, nec pacifica colloquia, & tractationes penitus negandæ sint, eam ipsam Clem. V. clementem considerationem humiliter habeo pro bona Christiana, & salutari; præsertim ideò, & aduersa pars, multis abhinc annis, præcipuè verò in proximè diuulgato contra Concordiam scripto, perpetuò nobis inique obijcere solet, quasi lucem fugiamus, ac de componendis istis dissidijs conferre cum ipsis graue nobis sit.

Protestantium Principum, de Papissa Anglicana, & de Puritanis Caluinianis iudicijs.

ATQVE neque ab Anglica Regina quidquam est expectandũ, quã scitis, quantopere nostros emũxerit, quanta vectigalia, & portus Imperij auerterit, quantam Ansaticis ciuitatibus iniuriam intulerit: præter autẽ Caluinianos, & variarũ opinionum alios, Puritanos quoq; exortos eo in Regno videat, qui iã Caluinianos & nostros pessime oderũt, ne quid dicã de legibus ijs, quas de religione mulier tulit; quas, si nos repudiemus, vix vnquam illa accedet ad nostros, quæ femineo, & à seculis inaudito fastu, se Papissã,

& caput Ecclesiæ fecit: quæq; cum Turca commercio inito satis habet, vt dies expleat suos: ac præclaram deniq; sobolem, scilicet, relinquat, quæ amica nostri queat esse Imperij, & possit etiam nostras ruinas fulcire. Hæc igitur mea sententia est, hic sensus: vtinam idem omnes sentirent ipsum: nullus hac die nobis, & Imperio clarior illuceſceret.

Erasmus populum Euangelicum, ait portare iugum Diaboli.

ERASMVS in Spongia, aduersus Huttenum: Lutheranos, inquit, video multos; Euangelicos nullos, aut paucos. Circumspice mihi populum istum Euangelicum, & obserua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciunt hi, quos detestamini? Profer mihi, quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum? Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores. fieri potest, vt hæc mea sit infelicitas; mihi adhuc neminem contigit nosse, qui nõ videatur se ipso factus deterior. Nunquam eorum Ecclesias ingressus sum; sed aliquando vidi redeuntes à Concione, veluti malo spiritu afflatos, vultibus omnem iracundiam, ac ferociam præ se ferentes: sic opinor discedũt milites à Concione Ducis, ad prælium exhortati. Quis vnquam vidit in eorum cõcionibus quenquam fundentem lachrymas, tundentem pectus, aut ingemiscentem? Certè nec illis quidem diebus, qui lachrymis celebrandi sunt, quisquam vestrum suspirium edidit.

Idem alibi ad fratres inferioris Germa. Noui inquit, Apostatam Monachũ, qui pro vna duxerit tres: noui Sacrificũ, qui duxit vxorem, quam postea comperit alteri nupsisse. Similia multa de Monachorum, & Monacharum coniugijs referuntur, qui ductis repudiarunt, eodem iure quo duxerant: Sacerdotem Basileæ virgis cæsum, mox vrbe eiectum non nomino. Quid refert, quando desierit concionari? istius erat professionis. Is, vt publicus ferebat rumor, & in carcere, & extra portam, cùm à carnifice dimitteretur, publicè testatus est, se, postea quam se Lutheranæ sectæ addixerat, in omnes flagitiorum genus proruisse. Quid de tota secta dixerit, non referam.

Idem in libro de Pseudoeuangelicis: Populus, inquit, iste Euangelicus, etiam Turcarum Principi dicitur detestabilis, quê ait seditioni natum. Quos subinde tumultus excitat? quoties quàm leuibus de causis procurrit ad arma? ne suis quidem Ecclesiastis satis obtemperans, nisi dicant blanda auribus; profligandi etiam, si liberius in eorum vitam inuehuntur, aut ab opinione dissentiant. Initiò tantùm non Deus erat illis Lutherus, nũc ijsdem prorsus delirat, quòd nouum de Eucharistia dogma non recipiat.

Et in Hyperaspiste 2. Adeò per hoc Euangelium, ait, non corrigi homines, vt potius videantur deteriores, nec fieri, vt peccare desinant; sed, vt peccent impunitius.

Et alio in loco. Nonne Lutherus coactus est visitatores mittere, qui populum in omnem ruentem licentiam cohiberẽt? Nonne idem dixit se malle pristinum Papæ, & Monachorum regnum, quàm hoc hominum genus sub Euangelij prætextu in Lugdianorum vitam sese proripientiũ? Nonne idem suis ad me literis deplorauit Melanchton? Nonne idem in colloquio fassus est Oecolampadius?

Aliud Erasmi de Lutheristis Iudicium.

EXCVSSVM est, ait Erasmus, contra Euangelicos, iugum humanarum cõstitutionum: sed vbi sunt, qui submiserunt ceruicem suam iugo Domini? & interim constitutiones humanæ constitutionibus humanis, imò parum humanis, mutantur: titulus modò mutatus est;

est; Vocantur enim, Verbum Dei. Cæterùm res adeò nihilo est mitior, vt complures boni viri præferant vltroneum exilium, isti magnificæ decantatæ libertati, atq; adeò proceres quidam, & antesignani istius factionis, cùm nondum ad Episcoporum dignitatem, opes, & ditionem peruenerint, tamen eiusmodi specimen de se præbent, vt ego me malim in Episcoporum, quàm in istorum potestatem tradere, si detur optio; malimq; potentissimi Cæsaris ferre iugum, quàm quorundam magistratum Euangelicorum; quamuis humili sorte sic excutiũt iugum hominum, qui vestro Euangelio submittunt ceruicem: magis vereor, ne pleriq; pro graui iugo hominum porrent grauius iugum Diaboli. Excussa est obedientia Episcoporum; sed ita vt ne profanis quidẽ magistratibus pareatur. Olim Christiani sub Ethnicis principibus quietè viuebant, studiosè cauentes, ne quam seditionis occasionem darent, exhibentes honorem cui debebatur honor, vectigal cui vectigal, tributum cui tributum. Hortabantur Christo initiatos, vt idololatris etiam magistratibus obtemperarent, pro eorum incolumitate Deum quotidie orabant.

Basilienses, Carolstadium pestem Ecclesiæ, ac à Diabolo occisum affirmant.

AIVNT illi, Carolstadium fuisse pestem Ecclesiæ suæ venenosissimam, & occisum à Diabolo. Scribunt apparuisse ei concionanti virũ grandem ingressum in templũ, & iuxta quendam Consulem stetisse, rursusque egressum, in ædes Carolstadij intrasse, ibi solum filium inuentum, manibus eleuasse, quasi in terram collisurus, sed illęsum dimisisse, ac iussisse, vt patri diceret, se reuersurum post triduum, & ipsum ablaturum, quod etiam factum est. Nam subitis terroribus correptus, post triduũ mortuus est. Carolstadius verò interrogauerat antea Consulem, qui ille vir grandis fuerit, Consul dixit, se neminem vidisse.

Valentinus Gentilis, Caluino multos errores affingit, & ab eius decretis ad Cõcil. Oecum. appellat.

MONET Gentilis, in sua de Trinitate Confessione, vt agnoscant Caluinum hominem esse, neq; id omne suscipiendum esse, quod ab illo scribitur, vel dicitur, vel agitur; denique & errare possit. Et addit: quod si qui, vt Caluini famæ consulãt, reiecto Dei verbo, ex hominum decretis sententiam ferent; vel ex hac hora, de ea sententia tanqnam iniqua, & in verum Deum contumeliosa, ad verè liberum, & Oecumenicum Concil. appello. Notat etiam, in Prothesibus multos eiusdem Caluini errores. Genebr. Chronolog. lib. 1.

Stancarus, Philippum Arianum, & Antichristum septentrionis vocat: Gallus Adiaphorismos eius vitulo Aaronis comparat.

STANCARVS in Collatione doctrinæ Arij, & Philippi Melanchtonis, eum pro Ariano damnat, & Antichristum septentrionis, & perturbatorẽ totius Christianismi appellat.

Gallus Adiaphorismos eius, vitulo ab Aarone Hebræis excitato, comparat, & longam errorum, ac idolatriarum telam secum trahere asserit. In Themate de prauatę Cõfess. Anglic.

Illyricus in suo (Berichtt) damnat eum pro Apostata Lutheri, & adulatore Augusti. Confessionis: quin etiam anathema eum perinde, ac Ethnicum, & publicanum pronunciauit, & omnes Adiaphoristas.

Centuriatores, Magistratum Euangelicum minis sibi aiunt arrogare, falcem in alienam messem mittere, vt Osias: Verbi Ministros Ciuitatibus pellere, alios Carbonario curru lictoribus circumseptos extrahere.

ANTEQVAM, aiunt, in præfat. 7. Centuriæ, lux verbi diuini illucesceret in Germa. regnantibus tenebris Pontificijs, & Monasticis, vnicus ille Romanus Præsul, potestatem sibi sumebat, leges etiam polyticas non modò reformandi, sed etiam delendi, substitutis suis decretis, & decretalibus, id quod superis atque inferis notum est. Quid verò nunc fit? pro vno Pontifice, innumeri ex polyticis eminentia locorum suffultis, atque elatis, exsiliunt; qui vicem alternantes, nunc à foreſibus in Ecclesiasticas transcendunt: & non contenti suis metis, religionum formulas Ecclesijs, cum sceptro, gladijs, & fulmine Iouis, exhibent. Colores verò varij allinuntur, quòd magistratuum sit officium, custodem vtriusque tabulæ agere, altercationibus modum statuere, prospicere publicæ paci, remouere seditiosa capita; & quis potest omnes eos fucos connumerare, quibus conantur plurimorum animos fascinare; & faciunt quodlibet?

Et in præfat. 5. Centuriæ: Magistratus polytici, qui Euangelio nomen dederunt, plurimis in locis præstigiatoribus, & corruptelis, locum, dignitatem, præmia præbent, quos etiam ideo magis complectuntur, quòd eos vident sibi promptius seruire, conniuere, & adulari: confessoribus veritatis os obstruunt, pennas excutiunt, libros, ne typis excudantur, vetant. Adulteratoribus autē veritatis, vox libera est, præla laborāt, & oēs spiritibus malignis, eorumq; organa, vt quàm latissimè dispergantur pestiferi illi libri, inseruiunt: filij huius sęculi audacissimè formas religionum ex suo cerebro fundunt, & formulas præscribūt, quas ministris verbi imperiosè obtrudunt. In eas enim angustias iā Ecclesia Dei, proh nefas, redigitur, dormitātibus pastoribus, passim etiā prodentibus, & sponte tradentibus suū ministeriū, polyticis viris; vt nō raro tumidi Rabulę quidam forenses, sese non intra septa sua rerum mundanarū continentes, alijq; res ad pastorū officia pertinentes, nefariè, & impiè ad se rapiāt: & planè, sicut olim Pōtificij proceres, in Ecclesia sceleratè regna huius mundi inuaserunt; ita nunc vicissim polytici, illotis quasi manibus in gubernationem illam spiritualem virorum ministrorū Dei, legitimeq; suo officio fungentium, irrumpunt, seq; vtroq; gladio instar Antichristi accingunt, cùm ne vnū quidem suum rectè administrare norint. Hæc in præfat. 5. Centuriæ.

In præfatione verò septimæ. Inclinate parumper aures vestras ad vocē Regis cęlestis, quia ministros Dei ingenti fastu arcetis sæpè, ne vobis veritatē loquantur. Is hanc regulam præscribit, & sancit: Date Deo, quæ sunt Dei, & magistratui polyticō (nā Cæsar in genere accipi debet) quæ sunt magistratus polytici. Verba illa, qū inquit, Quę sunt, differentiā faciunt, inter res quæ conueniunt Deo soli, & quæ magistratui polytico propriæ sunt. Discernit ibi vnigenitus Dei filius, religionē complectentem verbum Dei, & cultū, & mandatum; & deinde leges atq; res polyticas: distinguit vocationem Ecclesiasticā, & polyticam. Insuper prohibet, ne confundantur, & cuilibet suū, hoc est, quod ei propriè competit, relinquatur. In nouo quidē Testamento semper distincta fuerant officia magistratuum polyticorum, qui corpora, & res externas atq; mundanas gubernāt, & doctorum verbi Dei, quibus cura tradendi verbum Dei, & administrādi sacramenta à Christo instituta est, & delegata. Et nihil habet perplexi ista sententia filij Dei: Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Proinde falcem in alienā messem mittunt, & alienam functionē temerè inuadunt, sanctumq; sanctorū intrant,

quem-

quemadmodum Osias: qui, cùm sint polytici magistratus, aut ipsorum serui; tamẽ magno supercilio nouas audent religionum formulas componere, easque Ecclesiæ ministris offerre tali cum imperio; ni applaudant sine contradictione, se suo sceptro ipsos expulsuros, aut punituros, id quod etiam factitant absque omni misericordia. Porrò hæc omnia Centuriatores experti loquuntur: Constat enim eos ex multis locis pulsos fuisse, Flaccũ præsertim, Vigandum, Matthæum Iudicem, & alios his similes. Hesshusius certè, quẽ Caluinus Seruetlanum, Beguinus Arianũ esse vult, & Clebitius graue nescio quod crimen obijcit, cùm à Beza obiectum sibi fuisset, quòd Goslaria, Rostochio, Heidelberga, Magdeburgo pulsus, & eiectus esset, tantum abest, vt iuerit inficias, vt etiã glorietur, quòd propter Dei verbum passus hæc fuerit à Lutheranis; qui etiam de illo hoc distichon prodiderunt.

QVAERITVR HESSHVSIVS, CVR SEXTA PVLSVS AB VRBE EST, IN PROMPTV CAVSA EST, SEDITIOSVS ERAT.

Quamuis hunc illi præ cæteris honorem habuerunt, quòd non sicut alios ministros carbonario curru, sed honoris causa tecto carpento noctu extra ciuitatem deportatus est, multis armatis circumseptus.

Caluinus Seruetum, vt hæreticum damnauit, & combussit.

DE Serueto, eiusque doctrina, tã bene sensit Caluinus; vt tanquam hæreticum cõdemnauerit, & admotis fasciculis egregie vstulatũ combusserit. Valent. Gent. scripsit historiam.

Bucerus, Caluinum, idolũ, impiè audacem, rabidum, fratricidã, vocat.

BVCERVS, ait, Caluinum in Idolum quoddam transformari, & sicut olim Titum Flamminiũ Græcia coluit; sic illum velle, vt se quoq; colat Gallia victimis, & sacrificijs, vt quos olim idolatras vocabant, eosdẽ nunc quoque vocare liceat Caluinolatras. Tribuit illi maledicentiæ morbum, quem nemo est, qui in scriptis illius non videat, quàm impiè audax, falsus accusator, rabidus fratricida habeatur. Citat Eberus.

Saxonici Prædicãtes, Smidelinum vocant Chameleõtem, Ceruisiariũ distillatorẽ, Interimistã, Cothurnificẽ, Ocrearium Poloni cum, &c,

FATETVR ipse Smidelinus, se à Saxonicis vocari Chameleontem, polypum, nundinatorem, campanificum, conflatorem, pharmacopolam, syruparium, ceruisiarium, distillatorem, mendacẽ, falsarium, confusorem, superbum, calumniatorem, dissimulatorem, vanum, nouum intermistam, cothurnistam, prẽstigiatorẽ, blandiloquum, rabulam, perunctorẽ, obliuiatorem, socium furum, sophistã, blateratorem, dealbatorem, hypocritam, lupũ rapacem, voracemq; Apostolum Diaboli, ocreariũ Polonicum, exsugatorẽ muscarum, camelũ deglutientẽ, emplastrarium, tibicinẽ, tiriacarium, vagabundũ, uenditorem indulgentiarũ, peregrinatorem S. Iacobi, seruulum Papatus, effrontẽ, omniscq; conscientiæ expertẽ, leuiculũ, conscientiam Dei timore vacuam habẽtem, saltatorem aerium, barbitonsorem nequam, manus cœno plenas habentem, vt omnia commaculet, neque oculis, neque corde præditum, mentis impotem, Christum, & Belial in vnam eandemque massam conflantem, Pandoram, leuisq; linguæ hominem. Lyndanus.

Eorundem

Eorundem de Smideliana, siue Bergensi concordia iudicium, Cancrino Tetrasticho expressum αὐτιργέφοντα.

Habet in suo Antipapa Sturmius. Et citat Batista Ficlerus in Spongia.

EXimij liber est fructus, nec formula pacis
Publica durabit tempus in exiguũ.
Vnanimi liber hic cõiũget pectora sensu
Dissona, nec gliscet plus graue dissidium.
Perpetuo tua laus viuet nec Sueuice doctor
Gloria decrescens te tua destituet.
Arbitriũ ad pacis traxit te gloria CHRISTI
Vnica, non turpis quæstus, & ambitio.

Petrus Martyr, Apologeticos Anglicanos, perstringit.

Contra Vnitonien. in epistola præfixa operi.

TENEOR, inquit, multos iam annos huius asserendæ veritatis mirifico studio; vel quòd causa ipsa per se inter religionis nostræ capita, maximi sit momenti; vel quòd in eo hallucinari ad omnem superstitionem, ac idolatriam sit fenestram latissimam facere.

Laskus, Vestphali responsionem, uirulentam uocat.

IOANNES à Lasko libellum edidit Basileæ, cum hac inscriptione: Responsio ad virulentam, calumnijsque ac mendacijs consarcinatam, Ioachimi Vestphali Epistolam quandam, qua purgationem Ecclesiarum peregrinarum Francforti conuellere conatur.

Heidelbergenses Lutheri, & Zuinglij Cathechismos, extra ecclesiam eijciunt.

LVTHERI, & Brentij Cathechismi, extra Ecclesiam eijciantur, & eorum scripta nullam habeant authoritatem. In ordinatione Ecclesiastica.

Christoph. Valterus, Aurifabro crimen falsi impingit, & Sathanicum propositum exprobrat.

RIXATVR Christophorus in breui suo libello, cum Aurifabro Concionatore de corruptis Luth. operibus, quòd Lutheri conciones depraua tè, & truncatim ediderit. Ait illum contra suam conscientiam palàm mentiri, conuicia probraque iactare, suumque istud Sathanicum propositum, & iniquitatem obstinatè tueri.

Flaccus, Philippum, & Vittembergenses Didascalos, CHRISTI Præceptoris oblitos ostendit, dum suas docent doctrinas.

EST verò id muneris, & officij mei, ait Flaccus, haud secus atque illorũ, vt veritati patrocinet, & ei contradicentes reprehendam, qualescunque demum sint illi, etiam si sit Angelus è cælo, adeoque persuasum habeo, hoc ipso plus me eis honoris, & beneficij deferre coram Deo, dum illos culpito, suorum errorum admoneo, atque ad pœnitentiam

eos

eos inuito, quàm illos ipsos adulatores, & etiam palpones omnes qui sua adulatione illos in erroribus confirmant, atq; in impœnitentia detinent. An verò persuasum habent eiusmodi se esse præceptores, vt ipsorum dictis omnibus necesse sit fidem commodare discipulos? aut id genus sanctos, qui errare non possint? Atqui sanè, nec apud Ethnicos quidem nouum istud est, vt interim discipulo diuinitus veritas patefacta sit, atque etiam num patefieri possit, præ illius præceptore, in qua etiam non dubitet à suo dissentire magistro. Vnde illa nata est sententia: Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas. Atque ante illos quidam insigni præditi sanctimonia errauere, & in errorem alios induxere. Tum quoque necesse est Lutherum itidem, vt sinat adhuc esse præceptorem, & præceptorem omnium præceptorum Christum, à quibus ipsi defecerunt, quemadmodum in hoc omni nostra disputatio superior acquiescit. Quibus ipsimet tam præceptoribus sese opponunt, planeque ingratos declarant, pro veritate manifesta. Pergunt interim, mittuntq; in errorem, & mittuntur, idque sub præceptorum titulo, perinde vt olim Iudæi sub legis, & Pontificij sub Ecclesiæ titulo. Atque illi lepidam hanc, & certam collationem (à Doctore tenebat tantuminodo) accipiant, qui sic dicere solitus erat: estq; sanè salutaris oratio, quam operæpretiũ sit, nõ ignorare modò Christianos pro sui fida commonitione. Quemadmodum Iudæi, ait, clamabant: Templum Domini, Tẽplum Domini; & Papistæ hactenus clamitarunt, & neque dum clamitare desinunt, Ecclesia, Ecclesia; ita nimirum etiam nostri iam crepitant, Magistri, & Scholastici Virtembergen. neque ex ipso fundamento quicquam norunt aliud, nisi Præceptores, Præceptores. Interim præceptoris Christi, cui testimoniũ reddit Deus, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite: tum quoque præceptoris Lutheri, cui & scripta, & opera testimonium afferunt, diuinitus illum, ceu postremum vltimi temporis huius Eliam, Ecclesiæ, & doctrinæ reformandæ excitatum; horum inquam præceptorum, tum Papistas, tum Adiaphoristas magna cepit obliuio. Huc etiam illud pertinet, quod nos nouos Pontifices siue Papas, & Ecclesiæ deformatores criminãtur. Atqui verò isthuc ipsum in illos equidem quadrare puto. Vt enim Romanus Pontifex, id sibi arrogat, se errare non posse, se esse vniuersalem totius Ecclesiæ Episcopum: quicquid ipse dicat ac statuat, id valere oportere, & mera esse diuina oracula, de quibus nemini ambigere, nec cuiquam contradicere fas sit; idque eò, quòd Cathedræ Petri ipse hæres sit, aut esse velit; haud aliter profectò Virtembergen. sese comparant, dum Luther. & spiritus eius, ex sede, hæredes esse volunt: cuius tamen spiritus, vt iam cœptum est, tantũdem propemodum apud illos residere videatur; quantũ spiritus Petri Romę apud Pontificem, Cardinales, Episcopos, & illorum gregem. Vide Hosium.

Ioan. Spangenbergius, testatur populum Euangelicũ, nil amplius credere.

ANNO 61. edidit Spangenber. libellum, cuius inscriptio est, Verax narratio beneficiorum, per Diuum Martinum Lutherum, piæ memoriæ præsertim Germanię diuinitus præstitorum; & detestandæ ingratitudinis erga eiusmodi ingentia beneficia, & munera, &c. Inter alia Lutheri beneficia numerat, & hoc, quòd Antichristũ reuelauerit. Quòd si nihil aliud feciſſet, vt vel hoc solo nomine dignum eum fuisse scribit, cui summus honos haberetur. In fine verò libelli, prophetias quasdam (sic enim vocat) ex libro Lutheri congerit, inter quas ponit, & hanc, de fructibus Antichristi. Vetus verbum est, & à multis doctoribus repetitũ, quòd post reuelationem Antichristi tam erunt homines feti; quòd iam deinceps nolent Deum agnoscere, nec vllam illius rationem habere: sed iuxta suam quisque volontatem faciet, quicquid Diabolus, & caro suaserit: hoc tempus iam impletum videmus. Posteaquàm enim admirabili quadam, & singulari gratia Antichristianismi seu Papatus horrenda mendacia, ac doli, deceptioneſque manifestatę sunt; incipiunt

ci piunt iam homines nil amplius credere : & posteaquam à vinculis Papatus se liberos esse vident; volunt etiam esse liberi, & soluti ab Euangelio, & à præceptis Dei, & volunt, vt deinceps rectum sit, & iustum, quicquid vnicuique visum fuerit.

Vigandus, Euangelicos Ministros Ecebolos, & Gnatones vocat.

REPERIVNTVR, ait, Vigandus, non pauci inter verbi ministros Ecboli, & Gnatones, qui pecata potentum contra ipsorum dicta factaque mira fraudulentia excusare, carbonesque ignitos supponere non verētur: quo fit, vt magis accēsi polytici ī doctores synceros (se intelligit, Illyricum, Spangēbergium, & alios) audentius sequiant, eosque è suis locis, & cathedris exturbēt, ita vt iam etiam plerique ex illis parturientium dolores sustineant. In libro de bonis & malis Germaniæ.

Vigandus, iuuentutem Euangelicam petulantem, intractabilē, in Ecclesiæ Doctores dira cōuicia vomentem affirmat.

IN eodem libello, ait Vigandus, iuuētutem Euangelicorum quotidie fieri deteriorem, intractabiliorem, eaque vitia audere perpetrare, quibus olim adulti vix erant obnoxij: resonare tristes querelas (passim, De iuuentutis petulantia, & malitia) ita, ut incorrigibilis planè videatur. Tribuit illi effrenem, & inauditā petulantiam, & maledicentiam, qua à Prosopolatris imbuta, magis atq; magis quotidie furere; dira conuicia in Ecclesiæ Doctores euomere: fœda, obscœna, crudelia, impia, & scelerata scripta, pasquilos, & picturas effundere: certare inter se impudentissimis mendacijs confingendis, qualia Diabolos ipsos puderet proferre: & vt quisque in his artibus magis excellit; ita suis esse præceptoribus gratiorem, & ad maiores honores euehi.

Vigandus, Euangelicum Magistratum, Cæsareopapatum erexisse scribit, Cothurnos gignere, doctrinæ articulos cudere: Ministros verbi, ut pedum habere scabella,

TREDECIMVM, ait, malum in Germania, Cæsareopapatus: Polytici enim principes, & domini suis terminis excedentes, pedem alterum superbè in Ecclesiam collocant, eam pro suo arbitrio regunt: ministros verbi, non tantum osculatores, sed mera scabella suorum pedum esse volunt: religionū formulas seu Cothurnos gignunt, articulos doctrinæ cudunt, eosque posteà cum imperio, & armatis minis, doctoribus ærumnosæ Ecclesiæ Christi (puta rigidorum Lutheranorum) obtrudunt; vt citra omnem contradictionem amplectantur: mādata affigunt, atque exhibent, quibus præscribitur, quomodo, & quatenus ministri verbi Dei, errores, & peccata reprehendere debeant; nempe, vt errores grassantes (Vittembergensium; & Lipsensium) non refutent, falsos doctores non iudicēt, nec moneant eos cauendos esse; peccata hominum, quantumuis in hoc mūdi fine, atrocia tantùm in genere stringāt; vt ne quis animaduertere queat, se peti, sibi scilicet agendam esse pœnitentiam. Neminem esse excommunicandum, nisi de sententia polyticorum. Nemini esse denegandum vsum sacramentorum, nisi ex arbitrio aularum,

larum, vel curialium, quæcunq; tandem illa causa sit. Quemadmodum autem, inquit idem Vigandus, Papa excommunicationis fulmen suæ tyrannidi attribuit; ita illi polytici suas minas de expulsionibus, de carceribus, de gladijs, audacissime subijciunt. Sic igitur exurgit, & indies excrementa sumit Cæsareopapatus, & versa vice Ecclesiasticus Antichristus, in polyticum degenerat.

Caluinus, Quintinum Copinum, & Libertinos, porcos vocat, & scripturas habere pro fabulis asserit.

IAM, inquit Caluinus, diximus, istos initiò apertè ridere solitos, si quis scripturas allegaret, hæc dissimulasse, quin eas pro fabulis haberent. Interim tamen non desinebant ijs vti, si quis esset locus, quem in sensum suum torquere possent, non quòd ei adhiberent fidem, sed tamen, vt perturbarent idiotas, atque ita concuterent, vt tandem eos ad se possent facilius adducere. Si quis locus ipsis objiceretur, respondebant, Nos literæ minimè obnoxios esse; sed spiritum, qui vuificat, sequi oportere: quin etiam porcus ille Quintinus, vnumquemq; Apostolorum, aliquo scõmate notauerat, veluti Picardico suo sermone, Paulum vocans Vas fractum, Ioannem, iuuenem stolidulum, Petrum abnegatorem Dei, Matthæum fœneratorem.

In Instructi: aduersus Libertinos c. 9.

Ioachimus Magdeburgicus, ait Sacramentarios nouũ Christum docere.

IOACHIMVS Magdeburgicus, librum quendam in lucem edidit, sub Anno 1658. quem hoc titulo inscripsit, De vetere, & nouo Christo: multisq; productis argumentis probare contẽdit, veterem Christum prædicari à Lutheranis, Nouum Christum à Berengario primò creatum, & excogitatum, doceri, & annunciari à Sacramentarijs. Citat Surius in Commentarijs.

Gregorius Paulus Brezinensis, Lutherum, & Zuingliũ Gabbaonitas vocat, illum ignem purgatorium, hunc Missam extinxisse, ait, vlterius non esse progressos.

HORTOR, & obtestor vos per nomen Dei, & eius filij Domini nostri Iesu Christi, ait Gregorius Paulus Brzesinensis, dispicite diligentius ea, quæ Dominus vobis nondum aperuit. Nõ dederat omnia Luthero, plura dedit postea Zuinglio, & post eum alijs, dat, & nunc cui vult (de se procul dubio loquitur) sibi quoque plus aliquid quam Luthero vel Zuinglio, vel alijs datum esse persuasum habet. Ac paucis interiectis: Cauete, inquit, vobis à Gabbaonitis, qui imponebant populo Dei laceris vestibus, mucido pane, &c. Sub nomine Dei nostri, se venire dicebant, & impositum esse ab illis populo Dei, Scriptura dicit, quòd non consuleret os Iehouæ. Non imponãt vobis Patres, Vetustas, Concilia. Vetusti enim sunt isti panni, quos vos primi laceraſtis in alijs articulis fidei. Vnus sit magister noster Christus: os Iehouæ consulendum, non hominum. Sunt etiam plerique hic Gabbaonitæ, qui vobis imponũt, amicos se profitentur, & nihil intereà optant, quàm vt populum ad Aegyptum reducant varijs modis, & Confessione Augustana, quod vobis Dominus posteà patefaciet. Et iterum: Cùm Lutherũ Deus excitasset, Ecclesiam Antichristi per eũ ita dirutam esse voluit, vt non à fundamẽtis inciperet; alioqui tam putrida domus, eum prius oppressisset sua ruina: sed eam à tecto aggressus (vt fit in diruendis veteri-

teribus ædificijs) vastare cœpit primùm indulgentias Antichristi, quibus negatur satisfactio Christi, & gratuita remissio peccatorum: posteà purgatorium aggressus, ignem illum Culinarum Papisticarum frigida verbi Dei penitus extinxit. Hinc inuocationem mortuorum, qui pro mediatore vnico funditus abolito regnabant, pessumdedit, deinde peregrinationes, &c. Cùm venit ad profundiora, & fundamento viciniora, vt ad Missam; Deus bone, quàm furebat Sathan? Extirpauit tamen Missam diu secum disceptans, & eius appendices retinens. Sed radices, ex quibus repulla scere potuit, non euulsit stirpitus; præsentiam eius in pane, carnis eius vbiquitatem, ac manducationem, quæ fit ore, retinēs. Hic iam hæsit Lutherus in doctrina de Sacramentis, nec Antichristum potuit funditus extirpare: eius etiam cæremonias Iudaicas, & gentiles pro legittimis vsurpauit. Surrexit posteà Zuinglius, qui tandē Missam cū suo Deo panaceo, & omnibus appē dicibus eius radicitus euulsit, ita vt nihil iam Antichristianismi in ea reliquerit: Sacramenta non includere in se Christū docuit: neq; etiam Sacramentis gratiam Dei alligauit: in cœlum nos ad Christū relegare Sacramenta, deducereque, & ad mortem Christi sub Pilato peractam fortissimè asseruit. Vbi verò iam suo ordine ad fundamentum ventum est, quod illis prioribus Athletis penitus repurgare, ab Antichristi, & eius Sophistarum putridis commentis datum non fuit; quā tum Sathan furit, & in quæ monstra se non vertit, vt suum Deum ignotum, Prophetis, Christo, Apostolis, Deum infinitum, Deum essentiam, Deum trinum, & alijs varijs, & monstruosis nominibus vocatum defendat? qui pro vno solo vero patre Domini nostri Iesu Christi, & pro filio eius vnigenito Deo vero, ex illo verò genito, tum vno Spiritu Sancto regnabat diu. Nobis verò quicunque Christi ministri sumus, & membra eius corporis, summa ope adnitendum est, quò penitus hoc fundamentum ab Antichristi sordibus, & dijs ficticijs repurgatum, tantùm ex lapidibus verbi Dei substruatur Ecclesiæ Dei, quò tandem contra omnes inferorum portas in neutram partem inclinans, stare semper possit. Quoad enim aliquid putridum in fundamento manserit; metuendū, ne putrefacto tandē fundamento, ædificium totum inclinet, & posteà ruat, sicut factum est in Papatu, & nunc à nouo Sabellio, & illi similibus, totam veritatem patefactā. euersam Sathan curat. Citat Hosius, ex αὐτογραφῳ hæc omnia.

Zarnouius, Lithuanicos Samosatenses vocat Antichristos, illusores mundi, Hystriones, Mahometanos.

ZARNOVIVS Arianus, sicut testatur Czechouicius, vocat Lithuanicos Samosateñ. Fotini mancipia, insolentes discipulos, Antichristos, illusores mundi, qui Dominum gloriæ hystrionem faciunt: hystriones, qui conantur peruertere vocem fili Dei: infelices homines, detrusos à Sathana: inimicos filij Dei, aduersarios filij Dei; qui ad interitum illius rapinas adhibent: fraudulentos prædones: scripturæ non credunt, verbis fidem, vim veritati ademerunt, filium Dei dudum contempserunt, denuò crucifixerunt, irriserunt: operarios pessimos, qui ad Antichristum, & Iudaismum ducunt, duces Babylonicos, verba Dei circuncidunt, incuruant, blasphemo ore polluunt, nimis audaces, & imprudentes Balami filij Mahometani. In Dialogis Polonicis, lib. 2. fol. 3.

Castallio, vocat Caluinistas Crabrones, superbos, feroces, elatos: Geneuam, Babilonem, Ministros, incantatores, Sodomæ, & Gomorræ filios.

Cæ-

CZECOVICIVS, Caluinico larũ hostis infestissimus, passim in suis libris Castallionis meminit, q Caluinistas vocat superbos, feroces, inflatos, vindictæ cupidos; ita vt tutius sit principes ipsos offendere, quàm Caluinisticos crabrones irritare. Enumerat eorũ vitia, turpem, & infamẽ vitam, calumnias, maledictiones, mẽdacia, tyrannidẽ, obstinationem, superbiã. Vocant, ait, Geneuam, ciuitatem sanctam, conuentum suũ Hierosolymam. At nos dicimus, O Babylõ, Babylon, ò Aegypte, ò sacrificuli Aegypti, & Babylonici incantatores, ò pollutissimi Sodomæ, & Gomorræ filij. Confiscant, ait, bona hæreticorum, & in illis helluantur: hæreticum autem statim pronũciant, si quis ab illis aliqua in re dissentiat. Seruetum combusserunt Geneuæ, sed catenã eius auream acceperunt. Castallionem hunc dicaciter & contumeliosè, vicissim subsannat Beza, In libro quem Sicophantem inscripsit.

Caluinus, extremam barbariem orbi vniuerso ominatur.

CALVINVS in præfatione Catechismi Geneuen. ad Ministros suos in Phrysia orientali. De posteritate inquit, ego sic anxius sum, vt tamen vix cogitare audeam: nisi enim mirabiliter Deus è Cœlo succurrerit; videre mihi videor extremam barbariem impendere orbi: atque vtinam non paulò post sentiant filij nostri fuisse hoc verum potius vaticinium, quàm coniecturam.

Centuriatores, post Euangelium Lutheri, periisse veritatem, & phanatismos pullulare testantur.

IDEM de suo Lutheranico Euangelio vaticinãtur Centuriarũ fabri, in præf. 2. Cẽturię. Maximè, inquiũt, in doctrina variationes, & inclinationes impẽdere videntur, & sic merentur hominũ peccata, quæ fiunt in dies atrociora; ac tẽpora quidẽ Germanici Prophetæ Mart. Luthe. cuius voce, & ministerio lux Euangelij, quasi è tenebris Aegyptiacis reuocata est propemodum Apostolorum ætati respondent, nunc verò ipso sublato, quasi alterã Euang. ætatem ingressi sumus, vbi plures fanatismi incipiãt pullulare, & paulatim regnare. Et in præfatione Centu. 5 paulò apertius. Perit iam, aiunt, idq; repente Veritas, patefacta Philosophia, Papismus & aliæ sectæ longè lateq; in templo Dei primam Cathedram occupant.

Vigandus, post Lutheri mortem, diabolum in eius Virtembergensi cathedra sedere testatur.

TV, inquit Vigandus ad Georgium Maiorẽ, Georgi, es vir, q turbas Israel, nõ nos qui te monemus de fœdis erroribus pugnantibus cũ verbo Dei; nã tu ista zizania, & tetros errores in Ecclesia Dei, libris editis longè lateq; disseminas, ac plantas. Nos verò Ecclesiã Dei hortamur, vt in vera, & semel agnita, atq; accepta puritate doctrinæ, à Deo per salutare organum Luth. restitutæ, perstet: Et infrà, Non sunt lana neq; linũ, de quibus hic disceptatur; sed de grauissimis doctrinæ Christia: capitibus, quæ à Maiore, & alijs fœde deprauantur. Et iterũ: Maior, inquit, ingenti audacia gloriatur, se, ne olim quidem de doctrina Luth. discessisse. Et iterum: Totam Luth. doctrinã de seruo arbitrio reprobæ menti, & Diabolo in Cathedra Lutheri sedenti attribuit. In lib. de erroribus Geor. Maioris.

Conradus Gesnerus, Lutherum impatientem, & oris impudentia plenum appellat.

ILLVD, inquit, non est dissimulandum, virum esse Lutherum vehementis ingenij, impatientem, & qui, nisi per omnia sibi consentientes, ferre nesciat. Et infrà: Dominus faxit, ne contentione, & impudentia oris obsit Ecclesiæ suæ, cuius olim crepundia tam feliciter promouit. In vniuersali sua Bibliotheca.

Smidelinus, à Saxonicis Euangelicis, peius Christum blasphemari testatur, quàm à Turcis.

VT totus mundus agnoscat, eos nõ esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorũ etiam operum nullum exercent penitus. Ieiunij loco, comessationibus, & perpotationibus, nocte dieque vacant: vbi pauperibus benignè facere oportebat; eos deglutiunt, & excoriant: precationes vertunt in iuramenta, blasphemias, & diuini nominis execrationes, idque tam perditè: vt Christus, ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur: demum, pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio, atque hoc vniuersum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur iustitutum. Concione 4. in Cap. 21. Lucæ.

Mennõ multos extinctos ait, quòd suum dogma reprobarent.

RECENSET Mennõ aliquot Lutheranos concionatores subitanea morte abreptos, propterea quòd suum dogma reprobarent, & infestarent. Vismaria, ait, Anno 1555. Vincentiũ quẽdam Lutheranum, cùm in suggestu profiteretur, sese Anabaptistas infamaturum, dum os sibi esset patulum, è vestigio obmutuisse, & domum fuisse deportatum. Alios in mensa narrat, cùm ipsi mortem minitarentur, subitò extinctos. Plurimos verò veritati factos æquiores. Citat Lyndanus in Dubitantio.

Vittegistus Anglus, Angliã suam, ait, reformatissimã: nec opus esse Geneuam currere pro doctrina.

SCRIPSIT Vittegistus opus quoddam contra Puritanos: In eo asserit Ecclesiam Anglicanam esse reformatissimam in tota Europa, nec esse opus pro reformatione aliqua Geneuam currere; sed posse ac debere Geneuam potius discere reformationem ab Anglia.

Puritani Angli, in doctrina Caluinistarum Anglorum, 150. Articulos reformatione dignos inuenerunt.

PVRITANI, Anglicæ mulieris regnum, ita valdè odiunt, ac detestantur, vt illud ferre non possint. Quamobrẽ sexdecim huius gregis ministri Geneuam se receperunt, vbi non iam mulier, sed sanctus ille Beza regnabat, teste Stapletono. Imò verò inuenerunt in ipso Reginæ suæ Ecclesiastico regimine, & praxi, ac in doctrina reformatæ Ecclesiæ Anglicanæ, circiter 150. articulos, quorum reformationem efflagitant, cùm viua voce, tũm multis libris editis: eamq; nisi obtineant, grauissima quæq; ac periculorũ plena minari nõ verẽtur: pro quibus etiã, ita seditiosis scriptis, duo ex illis sunt suspensi ab illa ipsa sua Regina, & Papissa, non ita pridẽ. Iuramentum enim quòd de primatu Reginæ in causis fidei exigitur, omninò recusabãt, & Geneuã potius profugere, quam in tali reformata Ecclesia diutius viuere proponebant. Stapletonus in suis principijs.

Ano-

Anonimus liber Geneuæ editus, de concordia laborandũ censet, sed ab ea vult excluſos Anabaptiſtas, Mennoniſtas, Suenkfeldiſtas.

EDITVS eſt Geneuæ 1566. libellus, De pace Chriſtianarũ Eccleſiarum conſtituenda, in eo author magna contentione vrget Synodũ. In ea porrò ſic agi vult, vt prius Papiſtæ de omnibus articulis inter ſe conueniant. Ex altera verò parte, eorum ſcilicet, qui Romanã Eccleſiam non ſequuntur, poſteaquã effecit Sathan, vt quædam ſit inter eos opinionum confuſio, iſta, inquit, potiſſimum ratione proſpici poterit, ſi cæteris ſemel exploſis, quorum manifeſti, & vtrinque ſint dãnati errores, veluti Anabaptiſtis, Arianiſtis, Mennoniſtis, Suẽcfeldiſtis, & alijs eiuſmodi; ij demum in delectum veniãt, qui vel Auguſtanam, vel Helueticam Confeſſionem, qui cum Anglicana, Scotica, & Gallica, prorſus in doctrinæ capitibus conſentiant, amplectantur. Et ſiquidem ne hi quidem inter ſe in quibuſdã ſatis conſentiunt; tamen etiam in ipſo Cœnę Domini articulo Romanã Eccleſiã oppugnant. Iudices autẽ vult eſſe Cæſarẽ, & Principes: In Anabaptiſtas porrò ante omnia gladio, animaduerti præcipit.

Comites Mansfeldenſes Iuniores, cum ſuis Lutheranis miniſtris, alios Lutheranos, Hæreticos ſibi ſimiles reprobant, excommunicant, dãnant, è cętu piorum eijciunt, Diabolo tradunt.

EXTAT Confeſſio Eccleſiæ, quæ eſt in ditione Comitum Mansfeldẽſium Iuniorum: aduerſus præcipuas hæreſes, errores, & ſectas, quæ hactenus à verbo Dei, & Cõfeſſ. Aug. ſiue repurgata per Lutherũ doctrina, diſcedunt, M. Zacharia Prætorio Mansfeldenſi Poeta Laureato, authore 1560. In præfatione ſic loquitur de ſuis Comminiſtris. Manifeſtum eſt, candide Lector, multas, & varias paſſim corruptelas doctrinæ Chriſtianæ, & hæreticorum ſectas de improuiſo, partim inſidioſè in Eccleſias noſtras irrepere, partim audacter, atq; violenter irrumpere. Cùm enim foris Eccleſia, Dei beneficio, agat Alcydonia, quædam inſidię Diaboli, ſpargentis, hinc inde Zizania, ſeu infrugiferum, & malignum ſemen in agro Diuino, minus aduertuntur: ab ignauis, & ſecuris auditoribus verbi, minuſq; cauẽtur. Intereà tamen ſtert entibus atq; oſcitantibus hominibus, hoſtis ille, & perpetuus colluctator noſter, non agit ceſſatorẽ, ſed vigilat, & circuit tanquam Leo rugiens, & excitat vndequaq; ſuperborũ hominũ, atq; fanaticorum ingenia, qui inficiãt gregem Dei peſtilentibus erroribus, atq; dogmatibus falſis, quibus tàm corpora noſtra quàm animæ in æternum exitiũ agãtur, Hæreſes autẽ quas in ſua Cõfeſſione dãnant, Principes, ſunt hæ, quæ ſequuntur.

Anabaptiſtas.
Seruetianos.
Stancarianos.
Ieſuitas. Quos tamen Catholicos Orthodoxos eſſe Sacerdotes conſtat.
Suencfeldianos.
Sacramentarios.
Oſiandrinos.
Defenſores liberi arbitrij'.
Aſſertores bonorũ operũ ad ſalutẽ.
Largitores rerum indifferentiũ, ſeu vt vocantur Adiaphoriſtas.

Miniſtri Danici, Lutheranæ factionis, miniſtros, ex Anglia profugos, Sacramentarię factionis, reprobãt, dãnãt, excommunicant, aqua, & igni interdicunt, Ciuitatibus eijciunt.

EXTAT simplex narratio de instituta, ac demũ dissipata, Belgarũ aliorumq; peregrinorũ in Anglia, Ecclesia, per Ioannẽ Vtenhouiũ Gandauũ Anno 1560. ædita. Cui Ioannes à Lasco suã præfationẽ præfixit. Narrat in ea Vtenhouius, quòd Lascus superintendens Ecclesiæ peregrinorũ in Anglia, Reginæ Mariæ tempore, regno abire iussus, cum hoc ipso Vtenhouio, & alijs 175. Belgis, Anglis, Scotis, filijs, & nepotibus suis Polonis, doctrinæ suæ asseclis, post multas tempestates, & reliqua nauigationis incommoda, Coldingã peruenerunt, supplicationẽque Christiano Regi Daniæ obtulerunt, qua petebant, vt vicem Ecclesiarũ nostrarum, (ipsissima sunt porrectæ supplicationis verba) in hac ipsarũ miserrima dissipatione clemẽter commiserari, illisq; pro sua pietate, sedem aliquã in Regno suo: ac publicum ministeriũ (quale hactenus in Anglia iuxta verbum Dei vsæ fuerunt) permittere dignaretur, paratos se ostendentes, & doctrinã suam, & ritus suos approbare verbi Diuini authoritate: Sed sicut in Anglia à Papistis, sic in Dania à Lutheristis impetrare Sacramẽtarij nil potuerũt. Verba responsi Regum sic habent.

Publicũ ministerium in nostris Ecclesijs permitti non potest, cum rituũ præsertim ac cæremoniarũ varietate, idque has potissimũ ob causas. Primùm, quòd Rex sibi persuadeat Regni sui cæremonias, verbi Diuini doctrinæ consentaneas esse, & proinde aliàs non permittendas. Deinde, quòd cùm tot iam annis quietè illis in Regno suo Rex vsus est, noxium id fore putaret, Regno suo, si diuersas ab illis cæremonias admittat; fieri enim non posse, quin homines visa earum diuersitate, commoueantur, quod sine periculo fortè fieri non posset. Proinde non posse Regẽ peculiare vllum ministerium vestris Ecclesijs permittere quoquo modo: nolleque ipsum, vt hac in parte vobis quicquàm omnino permittamus, præter voluntatem atque authoritatem Maiestatis suæ. Hoc à Rege accepto responso: supplicarunt vicissim Regi, & verbi Ministris, vt per hãc saltem hyemem, vno aliquo in loco electæ Ecclesiæ, verbi ac Baptismi possent exercere Ministerium. Sed responsum vicissim illis est à Cancellario, Regem certum esse, quòd verbi Diuini puram atq; syncerã habeat doctrinam, neq; sit admissurus vllas de religione disputationes, vllavè Colloquia: sed nec rituum mutationem, quos non ita pridem Ioannes Pomeranus, & alij magni nominis viri, ita, vt iam erant in vsu, instituisset. Lascus nihilominus cum suo electorum manipulo, præfidens in sua, & suorum dicaeitate, scriptum quoddam obtulit, in quo, non pauca ex concione Nouiomagi, Regis Daniæ Ecclesiastes, annotata repræhenderunt, & damnauerunt. Sed Rex, & Ministri, magis etiam in sentẽtia sua ejiciendorum exulum perstiterũt. Tres enim viri, a Rege missi ad eos venerunt, renunciantes nullum de Religionis Colloquiũ in Dania permissum iri, & absq; mora ipsis discedendum esse, nisi se, & doctrinæ, & receptis Regni ipsius Ecclesiasticis ritibus accommodarent, immò, & eorum socij, qui Hafniæ essent, reliqui, protinus, è Regno cum vniuersa illorum suppellectili pellerentur, sumptu nihilominus iu hospicijs persoluto, & addito dono Centum taletorum. Hic vicissim Lascus, cum suis pro Ecclesiæ suæ hybernatione supplex instituit, vel saltem, vt hominibus decrepitis, ac mulierculis partui vicinis, duobusque tantum superintendentis liberis Ioãnis à Lasco, Hyeronimo scilicet, & Ioanni, vnà cum ipsorum Pædagogo, hybernandi potestatem facere dignaretur, nihil tamen miseri pallantes Sacramentarij, à misericordissimis Lutheromanitis impetrare potuerunt; Postero namque die, benè mane iussit Rex totam illã cohortem, sine exceptione tàm decrepitis, quàm ægrotis, partuiq: vicinis mulierculis, præterquàm duobus Lascij liberis, & eorum Pædagogo, è Coldinga primùm, & ex vniuerso Regno, sine mora excedere, asperrima licèt hyems esset, & tãta niuiũ altitudo, vt eã, ipsius Regiæ arcis tecta sustinere vix possint. Coacti itaq; sunt optimi Sacramentarij, bonis Lutheranis obedire, & sine mora Coldinga, exire multis ministrorum, & reliquæ plebis Lutheranæ sanis, dicterijs, & sybilis, comitati. Talis est scilicet, nouorum istorum Doctorũ & Theologorum concordia. O quàm verissicè

rissimè, à Platone dictum diximus. Malus malo, quò propius adhæret, eò maior illi fit inimicus.

Petrus Palladius, Ecclesiæ Haffnensis superintendens Lutheranus, Lascum, & socios eius Sacramentarios damnat, & Ciuitate eijcit.

PALLADIVS Haffnensis superintendens, Lutheranus, iussit, vt Lascij cohors fidem suam enuntiaret: quod cum per Hermetem Backereliũ fecisset, diuersamque à Lutheranis de Cœna opinionẽ enunciasset, iussus est illicò, & Ciuitate, & Regno excedere. Illi vero supplicare vicissim, vt misericordia tãgerentur; tantam esse ventorum tempestatẽ, frigus acerrimum, altissimas niues, maris littora gelu concreta, vt vel extra portas Ciuitatis, cũ infantibus, & vxoribus suis, & decrepitis aliquot viris, grauidisque mulieribus, efferre pedem sine vitæ periculo non possent. Sed humanissimi Lutherani, supplicibus atque ad pedes adiectis Sacramentarijs, fraternæ scilicet charitatis memores, vim, pœnasque denunciant, nisi antè proximè diei vesperum, è Regno discederent. Excusare illi, quod multa vitæ præsidia coemissent, quæ nec secum auehere, nec ita cito distrahere liceret, sed neque sarcinos componere: Altius itaque supplicationem repetentes, per Christi Passionem rogant, vt infantium, & decrepitarum vxorcularum miserentur, saltemque vnius mensis spatium ad habitandum concederent. Negante hoc quoque Magistratu, iterum per Christi Passionem obtestantur, & per reuelati Euangelij dignitatem, vt saltem quattuordecim dierum indutiæ concederentur, sed ne hoc quidem Senatus permittit: saltem octo diebus subsistere liceret, ne hoc quidem: immò verò imperat minis denunciatis, vt tertia ad summum die, hora octaua manè ad vnum absint omnes à Ciuitate. Sacramentarij verò. In Turcas, aiunt, talis non designaretur crudelitas, cùm tamen à vobis pro Christianis agnoscamur: Sed si nostrum qui squam in vitæ suæ veniet dispendium, sciatis vos sanguinis illius reos, Dei vindictam euasuros non esse. Nequaquàm tamen his Euangelicorum fratrum misterijs, Euangelici Lutherani moti sunt; Vix vni ægerrimo, & penè animam agenti viro, tribusque partui vicinis mulieribus hybernandi potestatem concesserunt: partim igitur curribus, per asperrima frigora, & altissimas niues, cum suis vxorculis, & infantulis, partim nauiculis, boni illi Apostoli discedebant: ludibrijs, & calumnijs à Lutherano populo vndique lacessiti. Pauci quidem, discedentibus cœteris, prandium in hospitio sumebant; sed illi quoque à mensa surgere, cæleriterque ad nauem cum sarcinula quisque sua properare iussi sunt. Naucleris porrò sub capitis periculo denunciatum est à Senatu, vt quæcunque tandem eos præmeret necessitas, quæcunque tempestas impelleret, ad terram Danicam, amplius ne reuerterentur. Ita scilicet tractant Lutheristæ Caluinistas: Vtenhouius in Narratione.

Georgius Riken, Pastor S. Catherinæ Rostochij, Lutheranus, Sacramentarios, Diabolos vocat, ad Gehennam damnat, multis in ipsos iactis conuitijs, Ciuitate eijcit.

ACCVSAT, ait Vtenhouius, Pastor S. Catherinæ, Sacramentarios Christi exules, quasi Christũ í verbis suis mentitũ fuisse dicerẽt; errorẽq; vocat, tollere cæreorũ vsũ, in Cænę Dominicę administratione, cũq; in disputatione incal-

uisset. Diabolos identidē īgeminat, ad Gehēnā prorsus damnat, multis in hos iactis conuitijs exire ciuitate iubet, tandem etiam efficit, vt duodecimo à suo aduentu die, ciuitate pellerentur, cum cœlum esset alias inclementissimum. Quocunq; autem se vertebant, omnium conuicijs conspuebantur. Ibidem.

Menno Simonis, Vincentius, Pastor ad S. Georgiū, Henning⁹ Pastor ad Diuæ Mariæ, Hēricus Smedēstede, ministri Vismariēses Lutherani; Lascum, Microniū, & reliquā cohortem Sacramentariam, Hæreticos, Suermeros Diabolos, nebulones, & Ecclesiarū turbatores vocāt.

MICRONIVS cum Lascana Sacramētaria cohorte, Vvismariam veniens, supradictos Ministros Lutheranos ad disputationē de re Sacramentaria euocauit, eam initio detrectarunt, nolētes cū Suermeris Sacramentarijs, & Hæreticis sermonem miscere. Rogat vicissim Micronius, ne præter Christiani hominis officiū, incognitos, & inauditos homines, ità contumeliosè, & temerè abigant, & pro hæreticis condēnent: se Christianos esse, ac propter Christi Euangeliū, & nomen, in voluntario exilio durissimam crucē sustinere: Christianū, modestū, priuatum se Colloquium expetere, cum eius loci Pastoribus, vt veritas innotescat. Henningus verò Lutheranus, Immò, inquit, vos scio Suermeros, & Sacramentarios esse, vt qui nolitis realem Corporis Christi in Cœna præsentiam agnoscere: estis proinde Hæretici, nec ad vllum prætereà Colloquium admittendi, quandoquidem cū Hæreticis non est disputandum. Respondente Micronio. Sic Papa aduersus Luthe rum olim pugnauit: Iratus Henningus: Quid inquit, huc ad Lutheranas turbandas venistis Ecclesias? nisi improbi essetis, in vestra maneretis patria, nunc autem vos nebulones Diabolus huc adduxit, qui nostras benè pacatas, turbaretis Ecclesias. Et siquidem sic pergitis; Princeps noster suum in vos stringet gladium. Post habita igitur vltrò citroq; Colloquia, omnes nostri 22. Februarij die, dominica per publicos apparitores, iussu Senatus extra Ciuitatem educti sunt, multis ibi quoque Lutheranæ plebis conuitijs, & calumnijs onerati Tàm verò lamentabile, ait Vtenhouius, fuit mulierum, infantium, ac decrepitorum in tantis frigoribus oberrantiū spectaculum, vt vel saxea corda, ad lachrimas per mouisset; siquidem illo biduo tanta fuit Boreæ, frigorisq; asperitas, vt aliquot infantibus, ne q̄d de adultioribus dicam⁹, manus p̄ frigore tumētes, & genæ silicū instar induratæ, vix dùm sequente demū vere ad naturam redierint. Ibidē.

Lubecenses ministri Lutherani, ministros Sacramētarios damnant, & Ciuitate exturbant.

LVBECAM venientes Sacramentarij exules, Petrum Briccium, & Dionysiū Lutheranos Ministros, ad disputationem prouocant, dicentes, eos ad reddendum doctrinæ suæ rationē esse debere paratissimos. Non potestis, aiunt, nisi cum magna vestri ministerij infamia Colloquiū declinare: præsertim cū à vobis quotidie hæreseos accusemur & è vestris Ciuitatibus, veluti sacrorum omnium prophanatores absque vlla misericordia pellamur, & ad gehennam etiam, doctrinæ nostræ nomine, à vobis condemnemur. Quæ omnia nobis haud dubiè sunt acerbissima. Leue esset à professis Christi hostibus talia, aut etiam grauiora, propter Christum sustinere: Sed à vobis, quos pro nostris fratribus, & communis Euangelij Christi professoribus, hactenus duximus, istiusmodi

expe-

experiri, longè nobis est molestissimum; maximè cum (Deo teste) meliora ex verbo Dei, per iusta colloquia discere parati simus: nec tamen ad ea vsquam admittamur. Sed quicquid demum agerènt, dicerent, scriberent, quantumcunque plangerent Sacramentarij quantascunque tempestates, annique incommoda commemorarent, noua Colloquia postularent. Postera die manè, ait Vtenhouius, publicus apparitor iubet hospitem ipsorum, vnà cum omnibus peregrinis, hora pomeridiana ad Senatum venire, quò cum venissent, mandatum illis est, vt intra quadriduum ciuitate excederent omnes. Posteaquàm verò nullis precibus, vllam propter vxores, iusantes, & senes suos viribus iam exhaustos, dilationem impetrare possent, (quantum hic culpæ in pastoribus hæreat iudicabit Dominus) parent nostri, & Hamburgum petunt. Erant autem quo cunque veniebant, omnium ferè cachinnis expositi, omnibus grauissima quæque de illis suspicantibus. Ibidem Vtenhouius.

Vestfalus Hamburgensis, superintẽdẽs, Lutherozuinglianos cum reliquis ministris, Micronium, & eius cohortẽ Sacramentariã ridet, ad gehẽnam dãnat, nebulonem vocat, indignum quo eum tractetur, ad extremum ciuitate eijcit.

MICRONIVS cum sua cohorte Sacramentaria Hamburgũ veniens, habito cũ Ioachimo, Vestphalo superintendente Colloquio, millies est in suis responsis clarissima voce irrisus, ha, ha, ha, he, ha, ha, he, ad gehennam etiam condemnatus. Cumque diceret Micronius: Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt, ha, ha, he, ait, Vestphalus. Tu ne Propheta es? O Salue Propheta, ò Merdaceæ Propheta. Hæc autem dicens, simul etiam vtraque manu caput suum cachinans apperiebat, nec ad amicum Colloquium descendere cum eo voluit, dicens. Sub illius iam citatæ Prophetiæ prætextu, perpetuas ali in Ecclesia de doctrina dubitationes: Sed si libet in publicum prodire, tuamque doctrinam ad Ecclesiæ tuæ purgationem palàm approbare, libros conscribe, qui in multorum manus venire possint, aut certè redito in Angliam, vel etiam alia Papismi loca. Instante nihilominus Micronio pro Colloquio religionis, iratus Vestphalus. Quid nebulo iste cogitat? & frustra cum ipso tempus terimus? Abi, du Marthlerkeru. Et tu, & Lascus tuus, multas in libellis vestris immiscuistis blasphemias, quas omnes semel gladio Dei conficiam. Micronius tamen supplicationem Senatui porrexit, pro publica disputatione. Senatus verò habito cum Vestphalo, & ministris consilio: Decretum iam antea contra Sacramentarios latum, publicè in templis renouat, valuisque affigit. Concionatores porrò magis atque magis aduersus Sacramentarios vociferabantur, ita, vt coacti sint, citra morã vllam ciuitatem relinquere. Ex hospitio quoq; vbi diuerterant sub vespe rũ ex inopinato à loci Præfecto pellũtur.

Lascus cum suo Sacramentario cætu, ait, nec Lutherũ, nec Saxonicas Ecclesias, nec August. Confeß. haberi debere pro Catholica Ecclesia, nedũ pro Angelo aut Apostolo Dei: cum sibi, non perpetuo, neq; per omnia constet.

EXTAT Colloquium Lascij, & Sacramentariæ suæ factionis, ex Anglia eiectæ, cum Regis Daniæ ministris, & præcipuè cum Paulo Nouiomago Regio Concionatore. Dixit Nouiomagus, se sequi Lutherum, qui Sacramentarios, post contempta priora sua scripta ab illis, aliquot tandem vicibus condemnasset. Ad hæc porrò Sacramentarij responderunt. Quod ad Lutheri exemplũ productum attinet, dicimus. Lutherum, & Saxonicas Ecclesias, denique, & Augustanam Cõfessionem, non esse Catholicã Ecclesiam: tametsi non omnes, qui Augustanam profitentur Confessionem, in hac sanè causa Sacramentaria, modis planè inter sese omnibus consentirent. Nos quidem Lutherum, pro insigni Dei organo habere, memoriamque illius apud nos sacrosanctam esse: sed illi nihilominus Spiritum Sanctum, iuxta mensuram datum fuisse: & proinde eo loco habendum non esse, vt & falli, & fallere non potuerit. Hunc honorem solis nos Propheticis, & Apostolicis scriptis deferre, vt nihil contineant, quod non certa fide sit amplectendũ. Cæterum in scriptis Lutheri, luculẽta extare testimonia, illum sibi non perpetuò, neque per omnia constare: & proinde quandoque etiam falsum esse: nedum, vt pro Angelo aut Apostolo Dei (qui videlicet errare nunquàm potuerit) haberi aut debeat aut possit. Quare, & Lutheri scripta, & ipsam adeò Augustanam Cõfessionem, ad scripturæ regulam, & legittima Ecclesiarum iudicia reuocanda esse: neque ex Lutherani dogmatis, aut etiã ex August. confessionis authoritate, ita præiudicandum esse, vt scindantur Ecclesiæ: vtue Sanctorum communio in Catholica Dei Ecclesia, (contra fidei nostræ confessionem) violetur. In causa igitur Sacramentaria, nos, à Lutheri doctrina dissentire, eò quod nobis doctrina ipsius verbo Dei, & fidei analogiæ consentanea non esse videatur, nosque hic expetere cum omnibus modesta, pia, & Christiana Colloquia, vt aut nostra approbemus, aut meliora ex verbo Dei docentibus, cum publica etiam nostri pudefactione, cedamus.

Vestfalus, Luthero Zuinglianus minister, Lascum Sacramentarium superintendentem, vocat versutũ, Argum, Sinuosum serpentem, Momum, Diabolum, Patrem hæreticorum mendacem, calumniatorem, Vrsum Sarmaticũ, &c.

EXTAT responsio Lascij Basileæ 1560. impressa, ad Ioachimi Vestphali epistolam, quã inseruit. In ea his sparsim verbis vtitur contra Lascũ Vestphalus. Legi scriptum Polonici Baronis, in quo versutè contorquet sese, in modũ sinuosi serpentis; vt transformet in hæreticum sensum verba confessionis, & Apologiæ. Magno contemptu conatur eleuare, vtriusque scripti authoritatem. Nõ videt acutus iste Argus, se lucem in tenebras conuertere. Reprehẽdit scilicet Momus iste Episcopos veteris Ecclesiæ, qui fidem Nicenam collegerunt. Malè habet Diabolum istum patrem hæreticotũ, extare certam formam doctrinæ. Ideò vibrat venenata iacula contra Augustanã: Cõfessionem. Cui mendax iste calumniator hoc imputat quod facit pernicioſa secta Zuinglianorum. Et iterum. Hic videat vrsus iste Sarmaticus Hæc, & id genus in toto libello Vestfali leguntur.

Lascus Sacramẽtarius, Vestfalum Luterozuinglistam vocat, Aristarchum, Caipham, furiosum, eximium, Diaboli Prophetam, puritatem Apostolicam in doctrina, & legitimo Sacramentorum vsu impedientẽ.

IN

IN eadem, quã ante citauimus, respõsione, sic Lascus Vestphalum exagitat: opus Dei perturbat Diabolus, excitato Propheta suo Vestphalo, qui noua dogmata in Ecclesia sibi tuenda sumit, ad perturbandam eius tranquilitatem, & impediendam puritatem Apostolicam in doctrina, & legitimo Sacramentorum vsu: Vibrat venenata iacula, aduersus veram humanitatem Christi Domini, prætextu Augustanæ Confess. cuius doctrinã impudenter contra mentem, & verba illius detorquet. Et paucis interiectis. Hic mihi Caipham, in Vestfalo audire videor. Et iterum bilem hic suam cohibeat Aristarchus iste, qui nonnisi cauillis, sannis, & conuitijs agit omnia vt ne mutus videatur. Et iterum. Hic palàm ostendit. Hæc Erinnis non ab alijs solum, sed à semetipso etiam dissentire Non enim à nobis sed ab ipsomet Vestfalo horribile formatur idolum, cùm nouus hic Atlas Saxonicus, reales, corporalesque suas In, Sub, cum pane, cænæ delitescentias, connexiones ac distributione; per manus ministri Corporis Christi, suas item vbiquitates apptobare conatur.

Author libelli, qui collatio Stãcari cum Nestorio inscribitur. A. R. Lutheranus vocat Stancarum, carnificem Filij Dei, militẽ Sathanę, mõstrũ hæreticorũ.

EXTAT libellus anonimus, cum subscriptione A. R. Cui titulus. Collatio Nestorij cum Stancaro. Hæc in eo verba leguntur. Ecce Sathan prorsus milites prodit, & excitat monstra eadem, quæ prius, in Germania excitauit; post Lutherũ, Suencfeldium, Campanũ, Monetariũ, Anabaptistas, & alios impios. In Polonia nostra, in ipsis primitijs statim post iactum semen excitauit Gomesiũ, Serueti discipulũ, ex multis monstris hæreticorum conflatũ. Post hunc tandẽ Stancarũ. verùm Nestoriũ, & Sabellium planè per omnia Gomesio contrarium. Et paucis interiectis. Non metuat ergo sibi Stancarus à gentibus. Nam se Antichristo per legatum eius Cracouiæ, exhibita illi conformi confessione, & approbato Primatu Papæ commendauit. Causamque contra pessimos Arianos agendam constanter commisit. Nõ metuat, & à Iudęis, quibus potius permittendos esse cætus Sacros Pincouiæ, quàm pijs Euangelicis persuadebat. Et paulò post. An non ipse hinc videt, se esse carnificem Filij Dei, verbi incarnati, qui Christum diuidit, non distinguit.

Stancarus, Philippum Melãchtonem, & Franciscum Dauidis, Arrio cõparat, immò doctrinam Philippi peiorem ostendit quàm Arrij doctrinam.

EXTAT libellus Stancari cũ hac inscriptione Collatio doctrinæ Arrij, & Philippi Melanchto, & Franciſci Dauidis, reliquorumq; Saxonum, de Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, Φ vna sit, & eadem. Hæc in eo verba leguntur. Ex hac collatione diligenter facta, manifestum euadit, Philippi Melanchtonis. Caspari Helti, Franciſci Dauidis, & Mathiæ Hebler Plebani Cibinienſis cũ complicibus, doctrinam de Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, Arrianam esse, & perconsequens hæreticam, damnatam, & reprobatam à tota vniuersali Ecclesia, authoritate verbi Dei à mille, & ducentis annis, & ultra. Sicut autẽ Arrius, opera, quæ Christus faciebat secundum suam veram, & perfectam humanitatem, ad eius Diuinitatem transferebat, vt eam Patri consubstantialem negaret. Sic, & Philippus, & Franciſcus Dauidis, & Caspar Heltus, & Mathiar Hebler Plebanus Cibiniẽſis, & similes Saxones faciunt, cũ ea, quæ humanitatis Christi sunt, ad eius Diuinitatis iniuriã transferunt, imò verò hæc doctrina, quam Philippus, & Franciſcus Dauidis profitentur, hæresim Arrij in blasphemia longè superat. Nam quate

nus is, qui Saxones ministri (non Christi, sed Antichristi) dicunt, Christum dominum secundum Diuinitatem orare, supplicare, mediare, obedire, gloriã postulare; cum Arrio, & Arrianis planè conueniũt, & sic Arriani sunt, & perconsequens condemnati. Quatenus verò volunt Christũ secundum Diuinitatem æqualem, & consubstantialem esse (sicuti reuera est) Patri, & talia opera facere secundum eandẽ Diuinitatem, quam cum Patre, & Spiritu Sancto communem habet, noua blasphemia, & noua hæresis est in vnum Deum Trinitatem.

Heßusius superintendens in Helmstad, M. Vuolfangum Amelũgum ministrũ Caluinisticum in Zerbst, & reliquos eius consortes, vocat mẽdaces, impudicos, falsarios, qui nullam venam, ne vnicã guttulam viri boni, vel hominis Christiani, habent.

EXTAT exemplum cuiusdam epistolæ Tilemani Hesusij, ad quẽdam ex præcipua nobilitate, Anno 1591. In qua grauissimè queritur, quod infimus latus fuerit à Vvolfango Amelungo Caluinismi: id tamen molestè fert Hessusius vt exclamet. O vos mendacissimi, impudentissimi, peruersissimi Caluinistæ, qui in oĩbus venis vestris guttulã vnã nõ habetis, nedum fidelis Christiani, sed nec boni viri: Quomodo potestis calumniã hãc vestrã, qua dicitis, quod idẽ vos in Zerbst, quod Hesusius in Helmstad profitemini, corã Ecclesia Christi, corã populo fideli, corã bonis, & ingenuis viris defendere? In causis ciuilibus siquis, ita se puersè gereret, profectò pœnas nõ euaderet. Nũc Volfangus Amelũgus, & pdicatores in Zerbst in rebus Diuinis, fideiq; negotijs, ita agũt procaciter, & ipudẽter, vt nemo Christianorũ possit credere eos regi spiritu Dei: nisi quod Caluinistici Suermeni verbum Dei nõ magni faciũt, dũmodo malã suam causam excusent, & exornẽt verborũ ampullis, & simplices decipiãt: oĩ arte, fraude, dolo, vtũtur, & licet in falsitate deprehẽdantur, & conuincantur, non eos tũ pudet. Non possũ itaq; prætermittere, nec officio, cõscientiæ, honoriq; meæ deesse, sed profiteor & ego Hessusius, cũ Volfango Amelũgo, & eius complicibus in doctrina, & fide nõ conuenio. Sed habeo Amelũgũ pro falso Doctore, blasphematore, perfido & impio Sacramentario. Scio quoq; quod ille in corde mecum nõ sentit, in magnis fidei articulis, quodcunque tandem coram Principibus prętendat, iudicio etiam necessario. Vt omnes Deum timentes, ab isto blasphemo sibi caueant.

Extat præterea libellus Euangelici cuiusdã Satrapę paucorum foliorũ, Authoris & Impressoris nomen abest, nisi in fine A. R. ei author titulum dedit.

Collatio Nestorij cũ Stãcaro eius discipulo. In prefatione, Doctrinam Stancari his verbis describit.

IN Polonia nostra, ĩ ipsis Primitijs, statim post iactũ semen, excitauit Sathan Gomesiũ, Seruetij discipulũ, ex multis monstris hæreticorũ conflatũ. Post hunc tandem Stancarum, verũ Nestoriũ, & Sabelliũ planè per omnia Gomesio contrariũ: vt enim ille ita, cõfundebat Christũ, vt neq; homo, neq; Deus esset, mutatum enim verbũ in carnẽ, & carnẽ in verbum asserebat: ita iste diuidit Christũ vnum, eundemq;, vt aliũ faciat mediatorẽ hominem, aliũ authorẽ Deum, apperteq; scribit duas personas sustinere illum, Mediatoris, & collargitoris: Vnum scribit officia mediatoris exequi, alterum esse qui nihil horum officiorum mediatoris attingat. Excluditur enim ab illis, vtpotè, quę istavilia, & humana, vt summũ dedeceãt. Vnũ fingit missum à Trinitate hominẽ, alterũ qui nõ fuit missus, sed mittẽs. Vnũ humiliatum seu exinanimatũ carneũ. Alterũ qui sese nunquàm exinaniuerit, neq;

dines

diues existens pauper vnquàm factus sit. Propter nos, vnum Christum hominem orare. Alterum esse Christum Deum, qui hunc orantem exaudiat.

Stankarus vocat Caluinum Arrianum, à libris eius cauere iubet.

CAVE, Christiane lector; (Stankarus, ait in lib. de Mediat. & Trinit.) & maximè vos ministri omnes verbi Dei, à libris Ioannis Caluini, Cauete, & præsertim in articulis de Trinitate, Incarnatione, Mediatore. De Sacramento Baptismatis, de præscientia, & prædestinatione, (reliqua nunc omitto) quia falsam, & prauam doctrinã habet. Non possum prꝛterire antiquam Arrianã blasphemiam, quam scripsit Caluinus in Institutionibus suis cap. 7. paragr. 15. vbi dicit, Christum traditurum Deo, & Patri regnum, subijciendumq; illi secundum vtramq; naturam: quem locum arripuit Blãdrata, & volebat adigere quendam ministrum, Martinum nomine, qui nunc Plebanus Dubecensis est: vt illi paragrapho subscriberet, sed noluit. Ecce quid fecit Caluinus sua doctrina Arriana. Ille autem cum noluisset subscribere à Pinczouianis expulsus est.

Aliam quoque blasphemiam Arrianã scripsit in eodem libro, Institutionum, cap. 6. §. 10. in fine. Vbi vult (vel fingit) probare æternitatem filij, & facit eũ creaturam, & temporalem cum Arrio. Mihi verò, inquit, vnum hoc argumentum, ad confirmandã, de filij Dei æternitate, conscientiam, instar mille semper erit. Certũ enim est. Deum non esse hominibus patrem, nisi intercedẽte illo vnigenito filio, qui sibi hanc prærogatiuã iure solus vendicat, & cuius beneficio ad nos deriuatur. Atqui Deus semper à suo populo, suo patris nomine voluit inuocari. Vnde sequit, iam tum fuisse filium, per quẽ ista propinquitas conciliaretur. Hæc ille, in quẽ spiritus, Serueti combusti, secundùm Platonicos, remigrauit. Te itaq; Caluine, cum tuis, te inquam hortor, rogo, oro, atq; obsecro, vt hæc tua errata omnia, & has hæreses citiùs, quàm fieri potest retractes in gloriam Dei Trinitatis, & liberes Ecclesiã Dei ab istis blasphemijs, quibus ipsam contaminasti, & recipias verã, & Catholicam fidem, vt omnes simul veneremur, atq; colamus Deum, & Christum Iesum, & Ecclesiam eius ædificemus. Det tibi Deus Trinitas gratiam suam, vt hanc fraternam admonitionem non contemnas, sed grato animo suscipias. Amen.

Et paulò post.

PROBATVM itaq; est Caluine, me cum Ecclesia S. Dei, te subscribente (nisi rectam fidẽ retractaueris) rectè, iustè, & legitimè redarguisse Melanchtonem Arrianæ hæreseos, & tu immeritò calumniaris me, quod hoc fecerim. Dicis enim. At quæ te sic Stãcare excæcauit ambitio, vt non reputares in eius persona, totum Euangelium dedecore aspergi, & impijs prostitui ad ludibrium? Profiteri doctrinam Arrianam, & mundũ ea per libros suos replere est Euangelium docere, profiteri, & propagare? Vnde tu, & Tygurini, & omnes qui Euangelici appellari volunt, hausistis hanc Arrianam perfidiam in seductionem Ecclesiæ Dei, & damnationem animarum vestrarum? Non itaque in persona Melanchtonis Euangelium, sed Auangelion, hoc est prauum, & iniquum, atque hæreticum nuncium damnaui, & pijs cauendum proposui. Sed quis fædam, & hæreticam illius Antichristi Septentrionis recensere doctrinam posset? Non enim, in his tantum articulis de Trinitate, & Mediatore, sed & de Sacramentis, & alijs quoq; impijssimè scripsit, adeò, vt rectè, illi sui, loci communes, ideſt immundi, appellari possent. Quod tertio loco proposui aggredior. Scribis Caluine, an verò in illis partibus (scilicet Poloniæ) pullulet Arriana Hæresis? nobis nondum innotuit: neque enim fidẽ tuo testimonio habere, humanũ esset, quando non dubitasti Philippũ Melanchtonem publicè grauare eius criminis infamia, &c. Hic te volo Caluine si mihi credere noluisti, Pinczouianos esse

Arria-

Arrianos, præter Blandratam, statim nostro nuncio publico, qui verus testis erat, credere debuisses, ille enim seductus fuerat à discipulo tuo Pietro Statorio Gallo, qui in aures eius tres Deos, vti tres homines sunt, instillabat. Taceo Odam eius de Christo, quam composuit ex Propositionibus Arrianis, & illam impressam edidit. Ad hæc Ioannes Gallus, Petri Statorij Socius, hoc idem mihi narrauit, & quendam Andream nomine, natione Flandrum, Regis Poloniæ domitorem equorum fascinauerat, quem ego sanitati Christianæ restitui.

Hoc idem Georgius Niger, olim discipulus meus, qui mihi Confessionem fidei suæ exponens, inter alia, & Symbolum Nicænum. Et D. Athanasij quoque reijciebat, quod & appellabat Symbolum Sathanasij. Franciscus Lysmaninus hypocrita, & impius homo, non mihi tantum, sed & quibusdam Polonis nobilibus, alicuius authoritatis viris, confessus est, Papistas nunquàm habuisse, nec habere veram doctrinam de Trinitate, & Mediatore: quod mentitur in caput suũ.

Staniflaus Sarnicius, qui inter Polonos Pincouianos primatũ obtinet, in colloquio habito anno præterito, præsentibus duobus Senioribus Pincouianæ Ecclesiæ: qui astabant Sarnitio (illi illam totam Ecclesiam Pincouianam regunt) & multis alijs nobilibus; dum interrogatus esset, quid tandem de fide sentiret? post multas blasphemias (dictabat enim, alij autem scribebant) sic de Christo Domino dixit, Christus enim posuit animam suam à seipso, & mortuus est verè, & à seipso surrexit; hoc est (nota) non tota, & integra diuinitate à mortuis surrexit, sed tantum (nota) ea diuinitate, quæ est in ipso filio. Et in præfatione Franciscí. Verùm quoniam Tygurini, & Genuẽses, cum sint publici, & manifesti hæretici, & non semel scriptis, & Epistolis suis seduxerunt Polonos tuos, & admoniti resipiscere noluerunt, sed magis atq; magis, indurati, & obstinati, conati sunt eos in hæresibus confirmare, ac suadere illis, vt me cùm reliquis sectarijs, & hæreticis, è cœtu suo eijcerent: cùm puram, & verã fidem habeam: facere nõ potui, quin iusto, & pio zelo, Apostolorumq; more, arguerem, & increparem eos, vt & tam ipsi porrò, quàm & cæteri cauerent, ne perturbarent Ecclesiam Dei, nec simplices deciperent, vt isti fecerunt cum natione tua: Non enim simpliciter ex ignorantia (nisi horribili mentis cæcitate à Deo percussi sint) sed ex malitia, vt scripta eorum testantur, & in eorum confutatione videbis, peccarũt. Quare grauiore reprehensione digni fuissent, quàm ego reprehendo.

Extat libellus Germanicus Ihennę impressus 1558. cuius est hæc inscriptio.

Ad scriptum duarum vniuersitatum, & inuectiuam scholasticorum, responsum M. Fla. Illyrici in quo Adiaphoristæ ex ipsis eorum scriptis, & testimonijs, ostenduntur esse abominandi amatores Babylonicæ bestiæ.

Citat in eodem libello Illyricus verba Philippi, ex Epistola Vitembergæ nuper impressa, hæc quæ sequuntur.

Postquam alibi, & nata, & prolata est Sphinx illa Augustana, & in has terras aduecta est, suasi initio, ne Ecclesiæ vllius rei mutatione turbarentur. Sæpè etiam in aulicis deliberationibus dixi. Viros politicos considerare debere, quid obtinere sit possibile: Conari autẽ eos rem impossibilem, & de rebus magnis, de Missa, de Canone, cum doctis, & astutis hominibus, magna mihi fuerunt præcipuè certamina. Hic nobis obijcebatur nihil mutare volentibus, nos quærere nouorũ motuum occasiones, conspirare cum alijs gentibus, Patriæ noua bella attrahere. Et erant, qui nominatim nostrum cõsensum nuncupabant, Theologicam coniurationem. Et chartis aliquot interiectis citat iterum verba Illyrici, Philippus.

Quod verò attinet ad virulentissimum nebulonem, & calumniatorem illorum, qui sub titulo, & Sacratissimo nomine scholasticorum Vitembergensium, ac miseræ, & innocentissimæ iuuentutis, petulanti, ac mendaci lingua, rabiosam mentem effundunt. Quin aliqui non ausint sine huiusmodi operculo, aperto Marte congredi, & venire in publicum.

Ad hoc breuiter respondeo. Quòd facilè, & æquo animo fero, mi D. Mathia,

vt

vt meo testimonio, ita te munias, quemadmodum nosti me superiore anno, ad te scripsisse, imò quemadmodum etiam te assidentibus harum honestissimarum Vrbium legatis, viris grauissimis, ac doctissimis, coram Reuerendo ac clarissimo viro D. Doctore Pomerano, piæ memoriæ excusaui Vitembergæ, cum venerandus ille senex ab amiculis, scilicet, tuis, totus esset persuasus, te omnibus Arrianis peiorem esse. Cuius rei sicut, & totius Cossuicensis actionis, quam calumniatores, & nebulones illi, nũc exquisitis mendacijs, impudenter deformare conantur. Nõ verebor etiam coram toto mundo perhibere testimonium, si omnino furiosi illi homines, etiam quietos quiescere nõ patientur, nec vllam vllis Ecclesijs permittere pacem. Ego hactenus Dei beneficio non sum veritus, nec in posterum verebor veritati testimonium dare, etiam si mihi nõ tales tantum conuiciatores, verùm etiam totus mundus sit offendendus. Prouoco neminem, sed nolo ab alijs prouocari: sed sino illos agere, quod agunt: noli tu fran gi ipsorum calumnijs.

Articuli à mediatoribus Saxonicis, in Cossuicẽsi actione propositi, & à Magdeburgen. recepti; ab Adiaphoristis verò repudiati, vt etiam scriptum scholasticorum confitetur.

1 CONSENSVS constituatur in doctrina iuxta Biblia, Symbola, Augustanam confessionẽ, Apologiam, & Smalcaldicos articulos.

2 Reijciantur omnes contrarij errores Papistarum, Interimistarum, & omnium Conciliationum, ex Interimistis ortarum, Anabaptistarum, Sacramentariorum, Seruetianorum, Antinomorum, Schuencfeldij, & Thamerij.

3 Doctrina de iustificatione: de salute videlicet, quòd sola fide in Christum gratis, sine operibus legis, iustificemur. Et accipiamus salutem, & vitam æternam, retineatur pura, propter has graues causas, nimirùm, vt tribuatur Deo suus honos, & non obscuretur beneficium Mediatoris. Et sit firma promissio, & certa consolatio conscientiarum. Ideoq; tollatur corruptela de necessitate operũ ad salutẽ, cũ coniũctis.

4 Ecclesiæ Saxonicæ non possunt discedere à Confessionibus, quas ediderũt, tempore proximæ persequutionis: cõtra Papatum, Interimistas, & Adiaphoristas.

5 Ne fiat conciliatio cum Papistis. Nisi prius conuenerint de vera doctrina, & ipsi desierint esse persequutores, veræ doctrinæ.

6 Tempore persequutionis edatur in genere Confessio, & non admittatur seruitus pugnans cum libertate Christiana, siue in doctrina, siue in Adiaphoris.

7 Petimus quoque amanter à D. Præceptore, vt publico quodam scripto contestari vellit suam sentẽtiam de rebus Adiaphoricis, & necessitate operum, ad salutem, cum Saxonicarum Ecclesiarum Confessione coniunctam esse.

8 Si aliqua pars existimatur occultare aliquos errores, requiratur declaratio.

Nec volo de Adiaphoris aliquam nouam disputationem mouere, aut damnare nostros, quorum aliqui mortui sunt, qui retinere eos ritus, quos Lutherus retinuit, maluerunt, quàm pelli pios pastores, & miseras familias, & fieri vastitatẽ in Ecclesijs: nequaquam volo meo aliquo præiudicio, viros honestissimos, qui in illis deliberationibus fuerunt, grauari, &c.

Sub finem eiusdẽ libelli, sic loquitur, Illiricus, Accusant me Vitẽbergenses ingratitudinis; Ego verò respondeo. Non est ingratitudo, sed magno gratitudo, imò beneficium, peccatorem corrigere, & admonere, de tam graui peccato, & fornicatione, cum Babylonica bestia, & falsa doctrina: sed non sunt super terrã ingratiores homines, ergo Deum et homines, quàm sint Adiaphoristæ. Sunt. n. ingrati.

Primum erga Derm qui illos ex seruitute, & è tenebris Aegypti eduxit: illi verò sese, & totum Israel rursus in Aegyptum, sub Romani Pharaonis iugum patiuntur reduci.

Secun-

Secundo, ingrati sunt erga virum Dei Lutherum, à quo cælestem Dei veritatẽ didicerunt: cùm aliàs à nullo alio didicissent. Proclamant eum fuisse tanquàm rixosum, & inquietum Philonicum: & eius, imò verò Spiritus Sancti reformationem, spiritualesq; cantiunculas reprobarunt. Et in suis scriptis in Epicureo scilicet libro Phesingeri de traditionibus ita instruunt, & informant, quasi reformationes istæ essent merę perturbationes Ecclesiæ Dei, sicut supra ostensum est. Præterea hoc etiam in suis somnijs scripserunt, quod optandum esset, vt omnes libri Lutheri possint supprimi, & intercidere. Deindè verò iam apertè scribunt, contra illũ, cõtra liberũ scilicet arbitriũ, & contra necessitatem bonorum operum.

Tertio, ostendunt se omnium ingratissimos erga eos omnes, qui profectionem eorum in Aegyptum, & Antichristũ cum magno suo labore, & periculo impediũt, eosque ferè vi, & quasi obtorto collo, percapillos retro trahunt, atq; fideliſſimè à fornicatione cum Antichristo ad pœnitentiam reuocant.

Postremo ingratissimi sunt, erga Principem Electorem, qui Ecclesiæ multa bona fecit, & eorum Parochos defendit. Sed postea in eius cruce irriserunt eũ, & dam nauerunt, de qua re, si vellem tuſius loqui, & Rethoricè exornare, statim quisque inueniret, quisnã verus ingratus cuculus esset, & quis non, idq; illis fortasse citò eueniet.

Beza, negat Caluinum, vim vocalarum, à se, & per se, intellexisse: nec de cœna propriè loquutũ esse, & quod moriturus Caluinus, Bezã videre non potuerit.

BEZA, tribuit præceptori suo Caluino, quòd non solicitè obseruauerit, duarum vocalarum à se, & per se, discrimen: & ideo decreuit Christum esse Deum à se, cùm per se Deum esse dicere debuisset. De cœna Caluinus obstinatè negat, credere, esse Christi carnẽ manducare. Beza vicissim obstinatè vrget, cùm ait, apprænensionem fidei esse ipsam manducationem. Deinde verò testatur Sanctius, non eam fuisse inter vtrumque animorum coniunctionem, quæ esse inter Apostolicos viros, diuinæ veritatis vindices, debebat: sic enim Bezam alloquitur. Cùm Caluinꝰ ex morbo decumberet cum Beza, & qui à magistratu Nauarrico missi ad Caluinum fuerant, adierunt: vbi verò locum fuistis ingressi, ad tuum conspectum Caluinus exhorruit. Et quanta potuit vociferatione te interrogauit, an exploratum venires, quantum vitæ, & spiritus superesset? Vtrum illi more impatiens venisses insidiari, & successionem auidius occupare: & quod non quieuerit à clamore, donec te à se ablegasset. Hoc omninò moriẽs testificabatur sibi esse grauissimum, quod te habere cogeretur successorem, id scilicet innuens, non posse Episcopatum illũ Geneuensem ad alium magis tibi similem deuolui, quàm ad Antichristum.

Caluinus, Zuinglij, & Oeculampadij doctrinã, tanquàm imperfectã, reprobat.

ZVINGLIVS, & Oecolampadius (ait in libello de Cæna, Caluinus) ad vitium diruendum, conatus suos potius conuerterũt, quàm ad id, quod cognitu erat vtile stabiliendũ. Nam etsi veritatem non negarunt, eam tamen ita aperrè, vt decebat nõ docuerunt. Hoc intelligo, dum nimis studiosè, ac diligenter in hoc toti incumbebãt, vt assererent, Panem, & vinum; Corpus, & sanguinem Christi vocari, quod ipsorum signa sint, non cogitarunt, sibi hoc interea simul agendum, vt adiungerent ita signa esse, vt nihi-

nihilominus veritas cum eis cõiuncta sit; Nec testati sunt sese non eo tendere, vt veram communionem obscurarent, quam nobis hoc Sacramento Dominus in corpore, & sanguine suo exhibet.

Caluinus Cõfessionem Saxonicarum Ecclesiarum, futiles argutias, contorta sophismata, fidem hyperbolicam &c. appellat.

CALVINVS in vltima Admonitione contra Vestphal. pag. 115. sic de Saxonica Confess. loquitur Confessio Ecclesiarum Saxonicarum de Cœna Domini, futiles argutiæ, seruiles ineptiæ, Fides hyperbolica, nugatoria leuitas, contorta sophismata fumi calumniarum, crassum delirium, Scythica barbaries: Eius authores, & subscriptores, Antropomorphitæ falsarij, & corruptores, pessimi Theologi ex malis Dialecticis, superba Gigantum factio, ebrij Saxones. Eadem porro Cal. verba citat M. Conradus Slussenburgius lib. 2. Theol. Caluinisti.

Senatus Bernensis, cõtra Senatum Geneuensem, & contra Caluinum decretum fert, in controuersia Andreæ Zebedæi, & Ioannis Angelici, & cum eodem Caluino doctrinam eius reprobat.

EXTAT in responsione Sanctij ad Apologiam Bezæ, exemplum Bernensis Epistolæ, contra Caluinum, & Geneuenses, verba eius sunt propria.

Honorandi, docti, prudentes, periti, charissimi, & dilecti. Vt vos certiores reddamus, de rebus à nobis gestis, inter Legatos charissimorum conciuium Geneuensium, eorumq; Ministros, & inter Andræam Zebedæum, & Ioannem Angelicum, ministros: Nionensem, & Bursinianum, in hoc conuentu, & pacifica dicta, visum est nobis has litteras ad vos mittere. Principio notum facimus, Legationem illam coram nobis astitisse, & nominatim Henricum Rubertum, magistrũ Ioannem Caluinum, Franciscum Hamoisium, magistrum Reymundum Chauuer, à quibus conquestũ fuit, in præsentia eorundem Ministrorum Nionensis, & Bursiniani, de iniurijs, & contumelijs sibi absentibus illatis: & responsum fuit à duobus illis Ministris, multis verbis vltrò citroq; habitis, quæ breuitatis causa intermittimus. Auditis ergo singulis, & cõsideratis, ad tollenda eorum dissidia, abolenda & scandala, & Ecclesiarum, ac particularium offensiones, contentiones quoque, & tumultus, necnon ad conseruandam, & promouendam Christianã concordiam, & vnionem. Dicimus nos initio controuersiarum, ac disputationum, fuisse professos, ac pollicitos errorũ emendationem, si quis de his, nos per scripturam Sacram conuinceret, & informaret. Quoniam verò à nobis propositiones positæ fuerunt, & ex scripturis discussæ, ac defensæ, ad earumq; præscriptam, generalem reformationem confecimus, quæ hactenus obseruata valuit. Insuper quoniam posterius alteram Lozanæ habuimus disputationẽ primæ consentaneam, & vtramq; Ministris nostris mãdauimus, ac præcepimus sequi in suis concionibus, sermonibus, doctrinis, & scriptionibus, ad earumq; normam, reformationem, disciplinam, & omnia Ecclesiæ instituta dirigere. Attendentes præterea, quod nouitates, ac mutationes multa secùm ferunt pericula, & important dissidia: ideò in eadem permanemus, ac permanebimus sententia, ne qua fiat vlla omninò variatio,

tio, sed omnia seruentur, sicuti statuta ferunt, illibata. Quamobrem pronuncia-mus, atque amicè decernimus, vt controuersiæ inter litigantes exortę extinguantur, cessentq; sublatæ, ac funditus abolitæ, tanquàm si nusquàm veniissent in lucem: aut de ipsis nulla vnquàm facta fuisset mentio. Inhibemus verò vobis Ministris nostris, vt desinatis vituperare, lædere, aut detrahere vllis personis in Cathedris, aut publicis conuentibus, aut alibi: sed in concionibus, priuatis colloquijs, & compositionibus vestris tenete modestiam, quam commendat scriptura. ne quis offendatur, ne vlla occasio præbeatur motibus publicis, contentionibus, & scandalis. Interea rogamus, & admonemus conciues nostros Geneuenses videre, ac prospicere, vt eorum ministri, contineãtur intra modestiæ fines: ac cessent libros edere. Nec arcana Dei mysteria nimium inquirentes, quæ nostro quidem iudicio parum sunt necessaria, & generant lites, dissensiones, ac turbas magisq; destruunt quàm ædificant. Quam nostram sententiam adeò clementem, & modestam, pro responso redditam, & significatam, legati illi recusarunt approbare: rogantes nos, in hac parte ampliorem, & vberiorem ferre sententiam, & vt in primis doctrinæ M. Ioannis Caluini subscriberemus, eamq; nostris suffragijs confirmaremus. Id quod iustis rationibus in nostra illa responsione comprehensis, detrectauimus præstare: sed nostræ responsioni institimus, & monuimus legatos, illos, quod si contigerit libros eorum apud nos deprehendi, qui aduersarentur nostræ dictæ disputationi, ac reformationi, minimè nos perpessuros: sicut, nec vllas personas per nostrã ditionem iter facientes, quæ sermones sererent, aut libros spargerent contrarios, huic nostræ disputationi: ac reformationi: quin de illis sumeremus tale supplicium, vnde facilè intelligerent, minimè nobis ista placere, neque ferre velle. Dat. 3. Aprilis. Anno 1555.

Caluinus Sacramentarius, Valentinum Gentilem, Tritheitam, hæreticum, canem, proditorem, nugatorem, garrulum, virulentum, & id genus, vocat.

EXTAT historia Aretij, de supplicio Valentini Gentilis, 1567. Geneuæ edita, ad eam adiunxit breuem explicationem Caluini, de perfidia, & impietate Gentilis. Eum in diuersis locis, & folijs, vocat Caluinus, petulantissimum canem, fol. 34. phreneticum, & impudentissimum, logodædalum, voces emittentem per iugulũ redituras, calumniatorem, hominem nullius pretij, prodigiosis plenum commentis, plenum absurditatum nebulis, simplicium oculos perstringentem, flexuosum serpentem, ambagibus plenum, latratu suo contendentem, vt filium, & Spiritum Sanctum precarios, & titulares Deos faciat, Sathanam impudentia superantem, in reprobum sensum coniectum, solem è cœlo detrahentem, Deum nunquàm seriò inuocantem, Luciferum conuitia euomentem, Sycophantem, phræneticum dæmoniacum, canina improbitate plenum, à Sathana possessum, fætidis eructationibus plenum, bis cæcum, pedibus Christum calcantem, quasi vmbrã, deliræ speculationi deditum, spinositatis inuentorem.

Gentilis, Caluinum Quatritheitam facit, intensum veritati, crudelem, mordacẽ, execrabili errore fascinatum.

Extat

EXTAT historia Aretij de supplicio Gentilis. Insertæ sunt in ea aliquot eiusdem Gentilis confessiuæ supplicationes, ex carcere Bernensi ad Senatum scriptæ, in ea quæ est in ordine secunda his verbis de Caluino loquitur. Illustrissimi, ac verè pij Domini, si vos legistis illam meam confessionem, quã iussu vestro nudius quartus ex templo exarau i: non dubito, quin ex ea facilè intellexeritis, me sat disertis verbis ostendisse, sententiam D. Caluini, Quaternitatem statuere non Trinitatem. Cum verò nudius tertius ipsius Domini Caluini, præcipuæ partes essent, se tam execrabili errore expurgare, sciens se malam causam, apud hoc Sanctissimum Dei tribunal, minimè posse sustinere, (vt vos probè nostis) ne verbum quidem fecit, sed totum tempus terens in conuitijs, & nescio quibus nugis Seruети, artificiosè quidem, sed patum honestè elusit. Equidem bis cæpi rem (vt dicitur) acu attingere, sed ille sua mordacitate, & conuitijs, me semper deterruit. Insuper, & vos ipsi audiri potuistis, minatus est hoc in caput meum esse vertendum. Quapropter cùm satis apertè declarauit, se esse animo in me nimis offenso, peto à vobis Illustrissimi Domini, ne potentia, & volubilitate linguæ hominis, mea innocentia opprimatur: vt mihi Patronum, & Aduocatum concedatis, qui meam optimã causam, vt par est, tueatur, nam ingenuè fateor, me nõ posse tuta conscientia Quaternitatem Domini Caluini admittere: Exhibeat tantum ille, vt Dei ministrum decet, veram Trinitatem. Et nulla erit inter nos controuersia, siquidem, eo sum natus ingenio, Vt veritatem promptam in frõte geram, vt enim ipsam Quaternitatem pernego, sic veram Trinitatem, & vnitatem toto pectore amplector.

Pastores, & professores Ecclesiæ Geneuensis, rogantur Principem Radziuilum, & Polonos, vt sibi à Seruети, Blãdratæ, Gentilis, Alciati, Socini, doctrina, ac perfidia, æquè ac à Tartaris, & Moscouitis, caueant.

EXTAT Epistola Ministrorum Geneuẽsium de negotio Trinitatis, ad Principem Radziuilum, olim Palatinũ Vilnensem fol. 130. Quid verò, aiũt isti, discerpta in tres Deos, diuina essentia, integrum in religionis fundamẽto relinquent? Priuatos itaq; fratres, ac in primis Orthodoxos Ecclesiarũ Pastores, hortamur in Domino, vt aduersus istos animarum subuersores indefatigabili labore decertent, fortissimam quoq; illam nobilitatem Polonicam, ac te in primis Princeps Illustrissime, per ipsum Patrem, Filium, ac Spiritum Sãctum, vnum Deũ nostrũ obtestamur: vt sibi, ac patrię, ab istis vastatoribus, multo etiam studiosius, ac fortius, quàm ab vllis Tartaris, ac Moschouitis caueat: quod si fiet, tunc optima, & maxima quæq; florentissimo Poloniæ Regno ominamur: quoniam scriptum est, fore vt Deus honoret, à quibus honoratur: Sin minus (quod Dominus pro sua bonitate auertat) prospicimus maximo, cum animi nostri dolore, futurum, vt quibus olim cladibus cælestis ille Pater horrendas Arrij præsertim, Nestorij, Eutichetis, & aliorũ eiusmodi, blasphemias vltus est: ijsdem quoq; non dissimiliter peccantes inuoluat. Porrò quis homo sit Blandrata, & quæ infamis, ac periuri illius Gentilis impuritas, publicis etiam scriptis maturè, ac verè simul, sumus testati.

Caluinus, Stankarum Sophistam, Blandratam Gẽtilem, Alciatum, nouatores, & turbatores Euangelicæ doctrinæ appellat.

Extat

EXTAT Epistola Caluini. Generosis & Nobilibus Dominis Proceribus minoris Poloniæ, & ornatissimis viris Ciuibus inclitæ Vrbis Cracouien. qui Orthodoxam fidem constanter sequuntur, inscripta. In ea sic de Stancaro, & alijs loquitur. Porrò teterrimus hic error qui apud vos grassatur, fauorem obtinuit, ex immodico contentionis feruore. Nam cùm Stancarus, insulsus Sophista, & Rabula improbissimus, commenta sua ingereret, Christum mediatorem duntaxat esse, quatenus homo est, ideoque apud totã Trinitatem intercedere; optimum quidé compendium esse dixerũt, si responderẽt solùm Patrem verè, & propriè esse Deũ: ita effugium illud nimis cupidè multi arripuerunt, quod ita, putarent nullo negotio refutari Stancari ineptias: sicuti veteri prouerbio dicitur. Nimium altercando veritas amissa fuit. Equidem non dubito, quosdã insciticia, vel inconsiderata facilitate lapsos esse. Verùm conijcere simul licet, nonnullos astutè captasse occasionẽ, vt execrabile delirium, quod plausibile fore sperabant, simplicibus impunè obtruderent. Sunt enim apud vos impuri nebulones, Georgius Blandrata, Valentinus Gentilis, Ioannes Paulus Alciatus, & similes, quos furiosa libido nouandi, & turbandi præcipites agit.

Theodorus Beza, Alciatum, Gentilem, Blandratam, Ochinum, Zozinum, Gribaldum, phræneticos, improbos, vertiginosos, furiosos, excordes, appellat.

EXTAT breuis explicatio ex actis publicis, Senatus Geneuensis descripta, triplicis perfidiæ, & periurij, Valentini Gentilis: ei suam præfationem Beza præfixit, In ea bonus Caluinista, nihilo se meliores, Tritheitas, his encomijs onerat. Prodierunt è secreto, Senatus Geneuensis sententia, iustissimo supplicio affecti: tanquam è ludo quopiam discipuli non pauci, sui etiam Ducis, & insaniam, & impietatem penè superantes. Hi initio fuerunt apud nos: Paulus quidam Alciatus Mediolanensis, homo iam anteà planè phræneticus, & vertiginosus: Valentinus Gentilis, cuius, qui mores, quæ dogmata, quis denique fuerit exitus, ex ijs scriptis liquidò cognosci potest, in quæ nunc præfamur. Istis adiungendus est Georgius Blandrata, professione Medicus, Gentili, quidem indoctior: sed multò etiam impudentior, & sceleratior: Iuit quoque in hac cohortè, penè Veteranus Gribaldus Iurisconsultus, homo sanè improbus, vt cui nulla religio fuerit, dogma quod corde retineret, manifesto periurio abnegare. Fuit etiam illis, sed nimium ferè detectus Bernardinus ille Ochinus, impurissimus Hyppocrita, fuit quoque Lælius Sozinus Senensis, incredibiliter ad contradicendum, & varios nectendos nodos comparatus, nec nisi post mortem cognitus huiusmodi perniciosissimis hæresibus laborare. Isti igitur, cum neq; Serueti blasphemias, neque veritatis misteriũ, neque adeò seipsos nossent, prurirent autem incredibili nouitatis studio, cæperũt, & ipsi in receptam Trinitatis opinionem inquirere, quibus id statim cõtingit, quòd temerè in mari scopuloso nauigantibus solet, nempè vt nauem alius ad alium scopulum impingẽs, naufragium faceret. Facti sunt autem illorum plerique initio Tritheitæ, de quibus paulò ante diximꝰ, non quidem verbo sed reipsa, vt qui tres personas in totidem οὐσίας transformẽt; hæc intereà cum Arrio habentes communia, quod Patrem volunt ante filium extitisse, quod vniꝰ veri Dei appellationẽ ad Patrem restringunt, quod in Deitate imparitatem imaginantur: sed in eo certè ipso quoque impudentiores Arrio, quod malebat iste τὸν λόγον ἑτερούσιον atque adeò ἐξ οὐκ ὄντων creatum docere, quám eo vsque insanire, vt simplicissimã, & singulariſſimam essentiã numero multiplicaret. Isti cõtra, ne videantur Christum

ni sua dignitate spoliare istud, quàm illud affirmare malunt. De duarum autem naturarum vnione, idem prorsus, qđ post Eutichem Seruetus, sublata ἰδιωμάτων κοινωνία docent. Ochynus callidior dubitare de singulis, Academicorum more, videtur maluisse, quàm quicquam definire. Lælius in Samosaters partem clàm transijt, verbo Dei: vt ex quodam scripto eius nunc liquet, adeò veteratoriè, & planè verlutè, deprauato. Ac præsertim primo Euangelij Ioannis capite, vt mihi videtur omnes eius corruptores superasse. Cæterum ex illis tribus, quos primo nominaui, quiq; in hac Ecclesia tum versabantur, primus Valentinus Gentilis in iudicium à Senatu Geneuensi vocatus, simulata pœnitentia, non sine insigni periurio profugit. Sequutus est Paulus Alciatus, aut etiam præcessit, solo malæ conscietiæ vulnere adactus, Blandrata aliquãto post, cum sibi à D. Caluino satisfactum diu simulasset, tandem vanissimo timore, à semetipso expauefactus: quasi à Magistratu quæreretur, repente & ipse ex vrbe in vicinam ditionem refugit. Quid plura? post varias deliberationes, ita sors tulit, vt Blãdrata, qui medicinam diu in Polonia primùm, deinde in Transyluania apud Reginas fecerat, eò reuerteretur, vbi nimiũ facilis aditus ad nostros patuit, quan tumuis à D. Ioanne Caluino diligenter præmonitos: illum præsertim in Illustrissimi, & præstantissimi alioquin Principis cuiusdam gratiam, insinuãte Lysmanino quodam Corcyrensi, magnotũ apud Polonicas omnes Ecclesias auctoritatis viro: tum autem fortè Francisci Stanchari Mantuani petulantissimi hominis importunitate, (vt sanè fatalis videtur Polonis Italia) scissæ erant Polonicæ Ecclesiæ, recens admodum ex Papismo emergentes: cum ille Christum esse mediatorem secundũ humanam naturam: alij verò pro quibus Germanicæ, Helueticæ Ecclesiæ postea iudicarunt, mediatoris officium esse totius personæ: & quidem diuerso, vtriusque naturæ respectu, affirmarent.

Samuel Hueber, Parochus in Derendingen, Ducatus Vvirtembergensis, Caluinistas Gabeonitas vocat, dolisq;, & fraudibus in Ecclesias Dei irrepsisse testatur.

EXTAT libellus Germanicus, Huberi, impressus Tubingę Ann. 1590. cũ hac inscriptione. (Grundtliche vndt aus furliche berreysungk &c.) hoc est. Fundamentalis, & exacta elucidatio, quod Hedelbergenses Theologi malignis falsisq; meddacijs, horrendam suam doctrinam contra passionem Domini, & redemptoris Iesu Christi contegunt, & occultant. E contrario verò in alijs eorum libris palam fatentur, & diuulgant, & sic miseram Christianitatem falsa doctrina, & malignis fraudibus, vnico & summo solatio, (quod ex meritis Christi, & Sacramentis habere deberent) quantũ in ijs est priuant. In eius libelli præfatione, sic de Caluinistis loquitur. Si originem, & processum Caluinistarũ, atq; mirabiles, quibus vsi sunt, artes, penitus cogitatione indagem, multis me nominibus Gabaonitarum commone faciunt. Quomodo ij communitati Israelitarum astu, & arte se asciuerint. Accedebant scilicet Iosue, & reliquos primores, seq; pacis obtinendę gratia, amicos & subditos illius pronunciabant, sed insignem simul exercuerunt calliditatem, dum attrita, & pitatijs cõsuta calciamẽta. laceras vestes, antiquos vinarios, vtres, mucidosq; panes, quasi è longinquis venirent regionibus, asportarent; & sic Iosuè astutia circumuenerunt, fœdus pepigerunt, interq; Israelitas habitarũt, ac conquieuerunt. Certè nemo aliter diceret. Caluinistas, aut illorũ prædecessores Doctores Zuinglianos, mirabiliter in reformatam Ecclesiã peruenisse, & artificiosè se inseruisse, quicunq; maturo, & recto rem perpendit iudicio, cùm in primis

nullibi locorum tolerari possent, iã præcipuos quosdam homines, ad se pertraxerunt: & potẽtes admodum assectas defensoresq; acquisiuerunt. Dicã quid sentiam, à D.V. ita quoq; compertũ iri existimo. In initio tam submisse, tam modestè, leniter, blãdè, tam perfecta quasi sanctimonia, se insinuarunt: vt nullius penè malitiæ, & prauitatis nomine suspecti haberentur: de magna semper loquuti sunt tolerãtia, quomodo iniquas, immeritasq; calumniarum iniurias, sine inuidiæ desiderio pati non detrectarẽt: sed potius pro singulis non malum pro malo reddentes Deo supplicarent. Vnum tantummodo articulum de Sanctissimo duntaxat Sacramento esse, quem non intelligant, & cui subscribere nequeant. Cæterum sine cõtrouersia libentissimè Augustanę religionis consortibus, per omnia assentiri: nemi nem odisse, licet eis non adstipularetur, se velle affirmabant: de vno illo negociũ esse articulo, eoq; non toto, vt D. Heldesianus scribit, in Orthodoxo consensu: se se ob tam leuem causam profligari, & odio infestari, non debere: sed pro fratribus agnosci, qui etiam contra Cananitas decertare, & velint, & iubent. Hac ratione quorundam Dominorũ, & Magnatum corda deuicerunt, & ad minimum cõpati saltem fecerunt: vt manerent: idq; maximè propter spem, eos errorem suũ postmodum, cum in reliquis articulis omnibus, vt dictitabãt Christianæ se Ecclesiæ conformarent, agnituros, pœnitentiam acturos, & suam animorum demissionẽ, speratumq; zelum, ac pietatem in bonũ tandem cõuersuros. Tali principio in Ecclesiam, inter familiã Iacob irrepserunt: seq; tam mansuetos, & submissos multis in locis declararunt, vt (quemadmodum dicitur) sepimentũ in capite suo extruere passi fuissent; diligenter inuigilarunt, quoad commodiorem nacti occasionem, doctrina sua latius erumpere valerent: dum interim humiliter, ac tacitè, in angulis latitarent, & fuliginosam aurã prę-terlabi sineret. Mox autẽ, in angulis istis, quàm modestissimè, expergefacti, circa se sensim roserunt Christianos, Doctores, clam verbis pupugerunt, & infamarunt, doctrinã illorũ sinistrè interpretati, crassa in eam cõmentaria ediderunt, multis maculis, & falsitatibus aspersérunt: nullaq; interposita mora, an vllos inuenire possent Dominos prospexerũt, quos Caluinistico suo veneno, & hypocrisi imbuerent, & deprauarent. Quamprimũ id factum, Heuitæ isti omniũ suarum submissionum, & Sanctimoniarũ obliti, irruerũt in Cathedras, illicò prosilierunt, Doctores Christianos vocatione sua priuatos, ac è Cathedris expunctos, ab egerunt, & persequuti sunt, illiq; ipsi cõtra ascendentes, falsam suam doctrinã, & professionẽ promulgarunt, instituerũt Reformationem, Cathechismos, Agendas, Ordinem Ecclesiasticum immutarunt, abrogarũt, & noua omnia, suis delicijs accommodata introduxerunt.

Bernensis Magistratus, Institutiones Caluini, edi, & vendi, prohibet: & Andreas Zebedæus, & Ioannes Angelus, ministri Zuinglia ni, hæreseos condemnant.

TESTATVR Carolus Molineꝰ, in libello Gallico, quem pro sui defensione cõtra Caluinistas nomine Simonis Chaludri edidit, pag. 63. quod Andr. Zebedæus, & Io. Angelus, ministri Zuingliani, ille Nyonis, hic Bursini, oppidorũ Bernatensiũ, publicè in suis concionibus, & priuatis colloquijs hęresi notarent Io. Caluinum: ipse cũ suis quibusdã discipulis Bernã profectus Anno 1554. mẽse Nouembri in eos actionem calumniarũ intendit; illi cõtra collectos ex eius libris, Latinis, & Gallicis, articulos 5. de prędestinatione, & reprobatione, hæreticos esse pœua incendij, docendũ suscipiunt, & præterea conqueruntur quorundã Francorum exulũ, clãdestinis persuasionibus, suos Bernẽses Geneuã attrahi: vt illic Cęnã de Caluini manibus sumerent. Itaq; Senatus cõsulto Bernensi cautũ est, Anno 1555. 3. Non. April. ne Geneuẽses libros:

qui-

quibus huiusmodi articuli continerẽtur (qualis est Institutio Caluini) deinceps ederent, aut etiam venderent, vtq; formula Cathechismi Bernẽsis retineretur, repudiato Geneuensi.

Georgius Maior, Illyricum, vocat organum Diaboli, Architectum mendaciorum, sceleratum &c. Illyricus contra, Maiorem stultitia plenum, & Antichristiana corruptione.

EXTAT libellus Illyrici cõtra Maiorẽ, fol. 336. sic de eo loquitur. Maior in 3. parte suæ postillæ pugnat etiam pro Papistica Synergia, cui aliquid respondendum omninò est, vt eius stultitia in hac quoq; re toti mũdo innotescat: sicut & in illa tristi, ac planè Antichristiana corruptione Articuli Iustificationis, de operum necessitate ad salutẽ. Ac primum quod me aliosq; suorum errorũ aduersarios horrendis conuitijs, muliebriq; aut seruili iracundia inuadit, clamitans me esse sceleratum, Architectum mendaciorum, Organum Diaboli, & similibus planè nefandis cõuitijs me proscindens: nihil respondebo, nec enim quicquàm eorum probat, aut probare potest, multò minus conuitia conuitijs pensabo. Non enim id moris, modestiæque meæ est, aut etiam quidquàm ad veritatis inquisitionem facit: alioquin si liberet narrare eius virtutes, & facta, forsitan tinnirent ei ambæ aures, vt scriptura loquitur, & ille benè nouit, me aliqua præclara bene nosse.

Illyricus, Iustum Mennium, plenum iratis minacibus, & venenatis verbis, appellat, fanda nefanda loquẽtem, Cælum terræ miscentem, pluentem contentiones, tubam siue pusanum, non ad vnũ, sed ad multa bella.

EXTAT Apologia Illyrici, contra duo non Christiana scripta Iusti Mennij. Anno 1558. edita, in qua abominandæ falsitates Adyaphoristarũ, & Maioristarum ostenduntur. Præmissa præfatione sic loquitur Illyricus. Edidit Iustus Mennius (vt notum est) pessimum venenatum scriptum, imò inuectiuã contra me, quod tam plenum est iratis minacibus, & venenatis verbis, vt pagella nulla sit, quæ in se non habeat aliquid venenatum. Proclamat Mennius in eo scripto, fanda, atque nefanda, cælum terræ miscet, pluit vndiq́ue non necessarias contentiones. Summa est, est tuba, vel pusanum non ad vnum, sed ad multa bella, & seditiones, & libenter vellem pacisci, quod in viginti annis non prodierit liber, in quo plura essent conuitia, & maledicta, & tot rixarum occasiones, etiamsi multa Papistæ contra Euangelicos, vel nos, contra illos scriberemus.

Caluinus, Blandratam, Alciatum, Ochynum, Socinum, phanaticos, vertiginosos, sceleratos, hypocritas vocat.

CALVINVS, in breui admonitione ad fratres Polonos, ne triplicem in Deo essentiã pro tribus personis imaginando, tres sibi Deos fabricent, huius doctrinæ architectos, his elogijs exornat. Seruetũ, ait, secuti sunt, Paulus quidã Alciatus Mediolañ. homo iam antea planè phanaticus, & vertiginosus, Georgius Blandrata, Gentili ipso multo impudentior, & sceleratior, Guileus Iuris Consl. homo sanè improbus, vt cui nulla religio fuerit, dogma quodcumq; corde retineret, manifesto periurio abnegare. Bernar. Ochyn. impurissimus hypocrita, Lelius Socinus, incredibiliter ad contradicendum, & varios nectendos nodos cõparatus. Testatur Stancarus.

Heshusius, Illyrici doctrinã, blasphemam, portẽtosam, audacia, & Antilogijs plenã ostendit.

DE Illyrico, & assectis suis, ait Heshusius. Primò, quòd nihil est in ore ipsorum firmum. Secũdò, Audaciam peruertendi. Tertiò, Scripturas nimis licenter vsurpat. Quartò, Opera bona hominum, viam latronum vocãt. Quintò Horrendas blasphemias sine pudore euomit. Sextò, Portẽtosum dogma vocat. Septimo. Ipsissimum Epicureismum secum trahit, & vniuersam religionem à fundamentis euertit. Octauo, Spiritu vertiginis agitãtur, ita vt ex plurimis antilogijs constet. Nono, Immanem audaciam & impudentiam in mentiendo tribuit. Decimò, Subinde cumulat errores. In Antidoto contra impium dogma Illyrici, Ienæ, 1572.

Vestphalus, Micronium futilem, rixatorem, perditæ impudẽtiæ homine vocat.

NEC verò mihi nouum est, Micronium, Lasci, vel socium, vel Symmistam hominem perditæ impudẽtiæ, & futilem rixatorem, male de me loqui; cùm de omnibus Ecclesijs Saxon: loquatur pessime, cùm malus sit, nec didicerit, benè loqui, neq; vereatur falsare, & corrumpere Sacrosancta eloquia Dei. In Epistola ad Ioannem Tynianum.

Academia Virtẽbergen. Osiandrum dirarum, & execrationum plenum ait.

OSIANDER, aiunt, de iustitia essentiali, excluso nimirum à iustificatione, merito, & sanguine filij Dei, tãtis cum fulminibus dirarũ, & execrationum, tantoq; cum boatu, bellũ nobis inferebat; vt nisi bonitas causæ, ac veritas nos texisset, ac fulciuisset; tolleraturi impetus, atq; insultus tam violẽtos, & superaturi nõ fuissemus. Ficklerus in Spõgia.

Stankarus, Tygurinos, manifestos hæreticos, & seductores appellat.

VERVM, quoniam Tygurini, & Geneuenses, cùm sint publici, & manifesti Hæretici, & non semel scriptis, & Epistolis suis seduxerũt Polonos tuos, & admoniti resipiscere nolueruũt, sed magis atq; magis indurati, & obstinati, conati sunt eos in hæresibus cõfirmare, ac suadere illis, vt me cum reliquis sectarijs, & hæreticis è cœtu suo eijcerẽt, cùm puram, & verã fidem habeam; facere non potui, quin arguerem, & increparem eos. In Epistola ad Regem Poloniæ.

Hedio, Euãgelicos ad Atheismum labi testatur, Papatum reijci, & tamen Christo nomina non dari.

Con-

CONQVERITVR Hedio de multis inter Euãgelicos emergentibus erroribus, vt si quis, inquit, omnes numeret, ferè 128. inueniat, atq; ad Atheismum relabi Syneuãgelicos admiretur. Certè, ait, omnia plena sunt periculis, & neglectus religionis, vereq; honestarum disciplinarum, in primis Theologiæ, ex studiosis rarissimus inuenitur, qui se parabilem præbeat, vt Didacticus euadeat. Adeò omnes horrent hanc professionem, & causantur hoc dissidium, vt nescià quales posteritas sit habitura verbi prçcones. Papatus reijcitur, & Christo nomina non dantur. Iuuentus ferè nil Dei habet. In Epistola ad Melanchtonem.

Brentius, Bullingerum, & Zuinglium exagitat, Imperatorem inuictũ, Triumphatorẽ Gallicũ, Anglicũ, Polonicum, &c. vocat.

SED nec illud debet Bullingerus impune ferre, quod impotenti iactãtia cõmemorat, ad quam multa Regna Zuinglij dogma peruenerit. Nunquã, inquit, efficiet Brẽtius, vt multa illa hominũ millia, per Germaniã, Galliã, Angliã, Italiam, Poloniã, Lithuaniã, Hungariã, perq; alia Regna, quæ per gratiã Dei ex prædicatione & scriptis Zuinglij, veram Christi cognitionẽ hauserunt, nõ sint honore debito, digna gratitudine, virũ tantũ prosecuturi. Et mox: Cedo igitur Zuingliane, tot ne sunt Regna, quæ Zuinglius suo dogmate (quod Bullingerus pro sua sententia verã Christi cognitionẽ vocat) inuasit, & expugnauit? Quid ergo faciamus? Quid nisi vt veterẽ Zuinglij triumphũ renouemus? Spero autẽ vos Zuinglianos, mihi propitios fore, q̃ hactenus ignorauerim vestri Patriarchę maiestatẽ: putabã eum esse aliquẽ gregariũ bellatorem, iuxta vulgatũ versiculum, quẽ supra recitaui,

Occubuit patrio bellator Cinglisensis:
Et præssa est armis gẽs populosa suis.

Hunc autẽ intelligo, eũ esse inuictum Imperatorẽ, ac triumphatorẽ: Immane, quantus est hic heros? Quid cessant viri mulieres, minores, maiores, senes, ac etiã infantes, quin ad Bullingeri buccinã conclament? Cinglius triũphator Germanicus, Gallicus, Anglicus, Italicus, Polonicus, Lithuanicus, Hungaricus, & plus vltra, Calecutius. Sciamus igitur quæ sunt illa heroica stratagemata, quæ in tot Regnis peregit. Nõ tamen frustra tãti honoris titulos reportat. Ecce igiẽ tibi: docuit in Eucharistia, panẽ esse panem, & vinũ esse vinũ. An non hoc est insigne stratagema? Pergam: Docuit imagines, & statuas sanctorum non esse nisi fictitios colores, nõ nisi lapides & ligna, ideoq; luto cõsper gẽdas, aut è medio tollẽdas. O quantum hoc est beneficiũ! Quid amplius? Docuit Herculẽ, Theseũ, Socratẽ, Numã Pompiliũ, & alios Ethnicorũ Heroes cõmorari in cęlo cũ Abraham, Isaac, & Iacob, & alijs sanctis. Citatur in spongia Fickleri.

Caluinistæ, non sunt aliud quàm Iudæi, & Machometani baptizati.

PRODIIT quoq; libellus quidam Anonimus, anno 1586. à quodã Lutherano editus, & Ienæ impressus, cũ hac inscriptione: Admonitio ex verbo Dei, quòd Caluinistę non sunt Christiani, sed tã tùm Iudæi, & Machometani baptizati.

Theomorus testatur nouẽ infanda crimina, quę nõ licet homini loqui, Caluino obijci, etiam ab ipsis suæ sectæ hominibus.

THEOMORVS, quidam Caluinicola recenſet in libro ſuo, nouē maculas turpiſſimas, à ſuæ ſectæ hominibus Caluino inuſtas. Primam, fuiſſe, aiūt, non modò hæreticum, ſed quouis hæretico peiorem. Secundā, ambitioſum, & tyrannidis cupidiſſimum. Tertiam, vſurarium inſignem. Quartā, Numularium inſignem, ſeu trapeſitam. V. Auariſſimū. VI. Aleatorem. VII. Scortatorem libidinoſiſſimum, adeoq; manifeſtum; vt (cùm negare de Caluino infanda non poſſet, quæ nō licet homini loqui,) maluerit hiſtoricos Patriarchas traducere, quàm Caluinum turpem concedere: Ait, enim, neſcio quid deterius in domo Iacob, & Dauidis acciditſſe. VIII. Vindictæ appetentiſſimū, ſæuum, ſanguinarium, vix placabilem. IX. Immoderate bilioſum & iracundū. Citat Sanctius, & Ederus.

Molineus, Caluinum facit Atheorum Principem.

MOLINEVS in ſuo libro, facit Caluinum Atheorum Principem; propterea, quòd filij eſſentiam à Patre eſſe negaret; & perſonas in imaginarias proprietates, & accidentia transformaret, perſonarum propria confunderet, diſtinctionem inter Patrem, & filium tolleret. Vide Chronol. Genebr.

Illyricus, Caluiniſtarum Lyturgiam non vno ſacrilegio viciatam teſtatur.

CALVINISTARVM, inquit, Lithurgia, non vno Sacrilegio viciata contaminataque eſt, eaque proh dolor innumeras animas æterno exitio inuoluit. In defenſ. Confeſſ. Martiniſtarum.

Sarcerius, celerem ruinam Euangelicæ doctrinæ minatur.

SARCERIVS, cum ſuis manipularibus, in Confeſſ. Mansfeldeñ. Hactenus cauſas, ait, recēſuimus: quamobrem floreāt Hæretici, & Sectæ, ex quibus perſpicuum eſſe poteſt, quid tandem ſecuturum ſit, videlicet horribilis interitus purioris doctrinæ, quam ſubitò præter omnem expectationem amittemus ignorantes, quo tandem modo amiſſa ſit.

Sturmius, Concordiam Bergen. Dianam Epheſinā, Mammoſam Leſtricā, latrocinatricem appellat.

STVRMIVS Rector Academiæ Argentin. in libello, quē edidit 1581. Nauſtadij, & inſcripſit, Confeſſ. Auguſtana Argentinen. Sic de cōcordia Bergen. loquitur. fol. 15. Iam de re agam deinceps. De Horribili Hæreſi Vbiquitaria. De craſſa iſta māducatione, & plus quàm Capharnaitica, & oſtendam his quinque (Iacobo Andreę, paulò ante nominat, Pappum, Oſiandrum, Laonicum, & Bizantinum) me legiſſe iam tandem formulam Cōcordiæ, quę primo aſpectu virgo Epheſina, & Calcedoneñ. Concilij doctrina eſſe videtur; ſed non diu: ſtatim enim poſt principia apparet collocata Diana Epheſina: Mammoſa illa Leſtrica, illa latrocinatrix, illa hoſtis & profligatrix optimorum & doctiſſimorum hominum, quorum vxores & liberi, in ſordibus & ærumnis durè, & auidè, & acerbe ætatem degunt.

Sturmius, Oſiandrum, Caligulum, Vlyſſis nepotē, forma pulchrum, omnium horarū aulicū vocat.

Stur-

SIVRMIVS in Palinodia ad Lucã Osiandrum. Nunquam putaui, ait, ex Osiandrorum tam vetusta, & Græca stirpe talem posse nepotem procreari, tã formæ speciei pulchrum, tam multarũ linguarum, tam omnium horarum aulicum, hominem tam disertum; vt qua in re ego tres menses amplius consumpsi, tu eam quatriduo absoluas, idque tam copiosè, tam prudenter. Peto à te, vt hanc mihi venia des vnam, quòd te Hosiandrum nõ Osiandrum salutarim: non enim te Græcum origine, sed Sueuum putabam, nomenque te habere, vt re, & nomine sis Caligula à Caliga; quàm Germani Hosen vocant, non à religione, & sanctitate, quã in te non ita magnam esse existimaram. Nunc calculos reduco, teque non tantùm Osiandrum Græco nomine, sed etiã Græca stirpe non fabri nepotem, sed ab Vlysse progenitum esse, facilè assentior, maximè quòd fama sit vetus, teste Tacito, Vlyssem Græcum, & sapientissimum hominẽ ex longo per Oceanum errore etiam in Sueuiam vsque penetrasse. A quo, si Althamero licuit Ilsingos, quos honoris causa nomino, deducere, cur tibi, & mihi nõ liceat Hosiandros; (Osiandros dicere volui) sæpè enim aut linguæ, aut calami, aut etiam oculorum (quos, & tu, vt minus acutos, vno verbo in Antisturmio ferè extremo acutissimè notasti) vitio labor; cur nobis, inquam nõ liceat tuam stirpẽ Græcam dicere, ab eodem Heroè, aut certè eius comite Græco profectam? Vnde enim alioqui Græcum hoc nomen, Osiander, etiam inter fabros, & agricolas vsitatum, idque iam pridem ante Græcam linguam in Germania à Capnione, & Erasmo restitutam.

Puritani Angli, grauissimè queruntur de protestantibus Anglis: aiunt eos manifestè à Christo defeciisse, Papæ potestatem ex Italia in Angliam translatam: Polyticos Angliæ, Machiauellistas fratrum carnifices, &c. appellant.

PVRITANI in secunda sua admonitione, ad Parlamentum, & in eius præfatione, contestantur, eam religionem Protestantium, ad quam amplectendam legibus deuinciuntur, continere errores apertè intollerabiles, & manifestam defectionem à Christo. Præterea verò, à nouis istis magistratibus, non aliter quàm à Pontificibus Romanis, verbum Dei clamitant esse circumcisum, alligatum; vt nihil ex eo proferri possit, quod istorum placitis aduersatur. Prædicant Sacramenta esse impie contempta, & profanata. Statutas in Ecclesia preces nihil continere, nisi fœdos abusus, varias ac impias Battologias, mendacia aperta, sioliditates, vel manibus tractabiles, aliaque multa cum scripturis diuinis pugnantia. Papæ Romani nomen solùm mutatũ esse, cùm autoritas eius translata sit ex Italia in Angliam, à Romano Pontifice, ad Canthuarien. Episcopum, reliquos sub eo Pseudo Episcopos omnes, meras esse reliquias seminis Antichristiani, eosque bellum indicere Christo, omnique verè Christiano: ita de illis sentiendum esse, tanquam iuratis inimicis Ecclesiæ Christi, qui propter has fœdissimas religionis maculas, palam denuuciant Reipub. Anglicanæ rectoribus tolerabilius fore Sodomæ, & Gomorræ in die Iudicij, quàm illis: nihil aliud expectandum esse, quàm præsentem Dei vindictam, super vniuersam illam regionem, Quanquam Polytici isti Angliæ Machiauellani, cõtra Deũ ipsum satis se putant esse munitos: & quãdo cum Christo non sunt, perinde esse, ac si contra ipsum essent; ideoque iam siue partes tueantur Iudæorum, siue Turcarũ, siue hypocritarum Angliæ Protestantiũ, nihil esse discriminis: & propter syncerã veritatis confessionem, queruntur, multa fratrum suorum millia capitalibus actionibus inuolui, mulctis, crudeliratibus ad

extremam inopiam redigi, suffocari in carceribus, perire fame, grauissimas vexationes sufferre, istamque Reginam induci, ad persequendos Euangelij professores, non aliter quàm Pater eius Henricus 8. inductus est ad persequendos sui temporis Protestantes.

Postellus, ait Caluinistas, nil hominis, præter formam hominis habere, Catholicæ nuntium remisisse, belluarum ritu viuere.

CITAT Iordanus, in sua responsione, ad Danæum, Postelli verba ad Caluinistas. Vos, ait, q opiniones, blasphemas perenniter de Deo funditis; circa resipiscentiæ expectationem peccatis: qui Dei motum è conscientijs excutitis: qui Catholicæ nuncium perpetuum remisistis: qui Ecclesiæ iudicium ac auctoritatem nihili facitis: qui belluarum ritu, sine sacro, sine legitimis precationũ formulis, sine Christianis vllis ministerijs viuitis; qui Trinitatem vnum Deum negatis, & barbaram esse loquutionem prædicatis: qui denique nihil hominis præter formam geritis.

Oecolampadius testatur 77. mutationes, in explicatione scripturæ inter Lutheranos inueniri.

OECOLAMPADIVS in libro Germanico, Aequa responsio ad Lutheri præfationem. Si ad vestras, ait, dissensiones respiciendum est, certè inter vos 77. mutationes, non tantùm in explicatione scripturæ, sed etiam in quibusdam phantasijs propemodum inueniuntur.

Heidelbergenses Sacramentarij, Menistis, & Hutitis, diuisionem, & dissensionem exprobrant.

IN præfatione, quam Colloquio Franketalensi, Heidelbergẽses Ministri, præfixerunt, Anabaptistis expendendum proponunt. Si vobis, inquiunt, Ecclesiæ titulum, & nomen cõcedere vellemus; quænam inter vos secta pro Ecclesia Dei habenda esset, cùm in tam multàs partes secti, atque diuisi estis? Nam vos ecclesiam dici non ferent Hutitę, qui vos tanquam minimè Christianos, à communione sua per excommunicationem excludunt. Multò minus id ferent Menistę, quorum nonnulli (nam, & illi variè diuisi sunt inter se) eos etiam rebaptisant, qui à vobis baptizati sunt. Quòd si Hutitas ecclesiam appellare placeat; id neque vos, neq; Menistæ ferẽdum putabunt. Similiter neq; vos tollerabitis, neq; Hutitæ, vt Menistis nomen Ecclesiæ concedatur. Vt reliquas interim sectas nunc silentio prætereamus, quæ omnes rebaptizandi consuetudinem habent, quarum vna quælibet sibi soli titulum Ecclesiæ Christi vẽdicare nititur.

Sacramentarij, Lutherum vocant Ceruisiarium Papã, Antichristi nepotem, Lunaticum, Sophistã, crassum rusticum, &c.

VOCANT diuersis in locis Sacramentarij Lutherum, non virum Dei, non alterum Eliam, & quintum Euangelistam, sed duplicem Papistam, Gnatonem, & adulatorem Principum, natum sophistam, deceptorem, seductorem, Pseudoprophetam, nouum Papam, vel Antichristi proximum consanguineum, lasciuum, nitidum,

&

& comptulum ſophiſtam, ſuē cum ſanguine, Ceruiſiarium Papam, Papam ſtramineum, nepotem Antichriſti, crucifixorē, carnificē, & mactatorem Chriſti, inſanū, atq; Lunaticum ſophiſtam, indoctum, atque craſſum ruſticum, infęlicem ſomniatorem, præſumptuoſum, & obſtinatum hominem: in cuius ſcriptis nequitiam, malignas calumnias, & ſcurrilem ridendi modum inuenire liceat: In cuius moribus ſuperbia, faſtus, & intollerabilis propè ambitio deprehēdatur: cuius ſpiritus craſſis erroribus conſtrictus, contra veritatem atq; charitatem inſurgat, alijſque fine ratione inſultet, & impudenter mendacia venditet: qui præclaram Euangelij lucem, vel nunquam agnouerit, vel eius continuò ſit iterum oblitus: qui Dei verbū improbè tractet, & manifeſtè diuinas literas violet, atque corrumpat. Hæc omnia Epitheta inuenies lector, partē apud ipſum Lutherum, apud Ioannem Schutz in Serpente antiquo, Oecolāpadiū in Aequa reſponſione, Zuinglium contra Lutherum, Albertum cōtra Carolſtadianos. In charta quadam Zuinglianorum Anno 1527. edita.

Conradus Regius, Lutherum mendacem faſtuoſum, vno aureo malum Dæmonem à Carolſtadio emiſſe teſtatur.

DEVS, inquit, propter peccatum ſuperbiæ, qua ſeſe Lutherus extulit, quemadmodum pleraq; ipſius ſcripta teſtificantur, verum illi ſpiritum abſtulit, vti prophetis illis 3. Regum 22. atq; in eius locum, iracundum faſtuoſum atq; mendacem ſpiritum dedit. Neque id mirum eſt, cùm eum à Carolſtadio floreno aureo emerit, cuius rei nondum pœnitentia ducitur. Atque hic mendax ſpiritus, in omnibus ijs quoq; manebit, qui partes ipſius ſequuntur, niſi ad ſaniorem mentē reuertātur. Libro Germanico contra Ioannem Heſſum de Cœna B. 2.

Sacramentarij, Lutheranos, carnifices Chriſti, Antichriſtos, animicidas, cœcos idololatras, Epicureos, &c. vocant.

VOCANT Sacramentarij Lutheranos, Idololatras, diſſolutos, Epicureos, abiuratos Chriſtianos, veteratorijs artibus imbutos, doctores cœcos, & ex parte contumaces, atque obſtinatos, homines duplices, Papiſtas, abnegatores, mactatores, crucifixores, & carnifices Chriſti, cœcorum doctores, raucidos ſpiritus, ſophiſtas, Antichriſtos: nouos, veterarios, & ſophiſticos Papiſtas, hoſtes veritatis, Dei mactatores. carnis voratores, potatores ſanguinis, Thijeſtas, Capharnaitas, ſacramentārios, Neſtorianos, Eutychianos, animicidas, Apoſtatas, qui Chriſtianam fidem abnegarint, qui ex Chriſto atq; Baptiſmo idolum fecerint. Nullus impoſtor, aut circulator (inquit Caluiniſtarum quidam) tam audax, proteruus, aſtutus, & peſtilens eſt, atq; ſunt Lutherani, Eutyches, & noſtro ſeculo Suencfeldius, probitate, & integritate eos ſuperant. Doctrinam verò Lutheranorum, ijdem Sacramētarij ſomnium atque delirium noxium vocant: item commentitium dogma, quintum Euangeliū, Diaboli ſtercus, quo ſeipſum titillat. Imò Lutheranos, aiunt, doctrinam habere, qua magis abſurdam atque deteſtandam ſol nunquam viderit; quin admirantur etiam, adeò cæcutire Germaniam, vt hoc non animaduertat. Quemadmodum Beza in Reſponſione ad Acta Colloquij Montisbelgarienſis, quaſi exclamabundus in hæc verba erumpit: Et hæc portenta diutius audis Germania? Vide Toſtanum Schutz in Serpente antiquo, Georgium Hansfeldium in viæ monſtratore, Albertum contra Carolſtadium.

MEN-

Mennon Symonius, Lutheristas superbos, fastuosos, Turcis, & Tartaris facit abominabiliores.

MENNO Symonius, Lutheranos, inquit, dissoluta, carnalique doctrina sua, dissolutum, & carnalem populum, ad eam morum turpitudinem vitæque licentiam induxisse, & frenum, ita laxasse; vt vix inter Turcas, & Tartaros tam impij atque abominandi mores inueniantur. Ait ibidem, eosdem Lutheranos, preciosa morte, sacrosancta carne atque sanguine, tum salutifico verbo Christi, ad carnalem suam voluptatem, & contumaciam palliandam abuti, &c. Et iterum: Scio verè, inquit, quòd sunt extra Christi Spiritus missionem, & verbum, & quòd in doctrina sua, & actionibus, hominum fauorem, honorem, superbiam, reditus, splendidas domos, & iucundam, & voluptatibus affluentem vitam, non minus quærunt, quàm Papistæ. Et paulò post. Vos ipsi (ita Lutheranos, & Sacramentarios compellat) ij estis, qui dissolutam, carnalemque vitam inducitis, qui Christum crucifigitis. Iterum: Qui blasphematis spiritum eius, & gratiam eius contemptui habetis. Et alio loco: Cùm ad Concionatores eos peruenitur, qui se gloriantur habere verbum Dei, quosdam manifestè, & apertè mendaces, quosdam ebriosos, quosdam vsurarios, quosdam superbos ac fastuosos, quosdam calumniatores, & maledicos conuiciatores, quosdam persequutores, & proditores innocentum esse deprehendas. Quomodo etiam illorũ se gerant quidam, & qua ratione vxores suas consequuti sunt, quales etiam vxores habeant; id ego Domino, atque ipsis etiam committo. Vitam quietam, & iocosam, desidem, & iucundam ducunt, seductionibus, & adulationibus sese alunt: de rapinis Antichristi, id tantum concionantur, quantum terrenis, & carnalis magistratus ferre atque audire vult. Alio item in loco: Inutiles atque infructuosos Doctores eos nominat, qui sese à Sathanę spiritu impelli patiantur, quorum causa atque negotium, manifestè ac directè diuino spiritui, verbo vitæque repugnet. Doctrinam eorum carnalem, & seductoriam vocat. Sacramenta vero nempè Baptismũ & Cœnam Domini, ait, scripturæ fundamento carere, atque Idolatria esse, immò vitulorũ cultum. Citat Ederus, & Vlembergius.

Luteristæ, Caluinistas vocãt Suermeros, sues, canes molossos, Laruas Diaboli, Phanaticos, Moriones, Truncones, &c. Diabolorum capita, stercora, fœtores Sathanæ, doctrinam eorum ex secretissimo inferna lis aulæ abyssо prodijsse.

VOCANT Lutherani diuersis in locis, Caluinianos, & reliquos Sacramentarios leuissimos contemptores, & Svvermeros, sues, canes, idololatras, corruptores diuini verbi, calumniatores, mendaces, loquaculos, clamosos, vociferatores, irrationales asinos, tenebriones, laruas Diaboli, cœcorum duces, hæreticos, seductores, immundos, crassos, indoctos, impudentes, excœcatos, & miseros Svvermeros, insanos atque phanaticos moriones, aut scurras, imperitos, atque expertos homines in spiritu, progeniem viperinam, voratores animarum, animicidas, detractores, calumniatores, & capitales hostes Filij Dei, homines impios, qui blasphemijs in Deum, inauditis mendacijs, atque calumnijs referti sunt, Diabolorum capita, deceptores hominũ, summos calumniatores Christi Domini, impu-

impudentes, damnatos, verſipelles, teterrimos atque impios conuiciatores, vaferrimos deceptores, & corruptores, duplices fures, qui Chriſto non animas modò, ſed, & honorem furantur: ambitioſos, ſuperbos, tumidos, arrogantes, turgentes, temerarios, atque benè ſaginatos, mendaciorum architectos, adeoque mendacium ipſum: duplices latrones, corporis, nimirum, & animæ: hypocritas, canes ſanguinarios, lupos rapaces, infernales moloſſos à ſeipſis creatos doctores, craſſos aſinos, & truncos Germanicos, Turcas, ipſis etiã Turcis deteriores, caluos Caluiniſtas, Diabolicos impudentes atque infernales lupos, & Doctores à Sathana miſſos, &c. Quos ipſe Sathan obſeſſos tenet, & per eos loquitur: quorum corda plena ſunt abominationibus, atque odio in venerabilem Euchariſtiam: qui Chriſtum, & Deũ Patrem in verbis ſuis obtruncant: qui ſub bono prætextu verbiſq; ſpecioſis, Diabolum Dei loco proponunt: qui horrenda, Diabolica, hominibus indigna, atque inaudita conuicia, ex intimo virulenti cordis receſſu, contra Dei filium, eiuſq; verbum euomunt: qui Chriſto vehementer infenſi ſunt, eumq; minoris faciunt, quàm Arius, atque Mahometes: qui Chriſti nomen externa profeſſione præ ſe ferunt, propter ventrem, & in corde ſuo dicunt. Non eſt Deus: quos Diabolus additis calcaribus agitat: qui enormia, craſſa, pinguia, manifeſtaque mendacia docent, & contra conſcientiam agunt: qui ſummam diligentiam adhibent, atque omnes ea in re neruos intendunt, vt CHRISTVM Seruatorem addũcant in contemptũ, eiuſque honori detrahant; qui ſcripturas data opera peruertunt, atque corrumpunt, vt Chriſtum de gradu deijcere, atque à dextræ Dei throno deturbare poſſint: qui fidem in Chriſtum penitus abnegant, & tollunt: qui falſis ſuis, & venenatis dogmatibus, in vinea ouilique Domini, non ſecus atque agreſtes porci, & lupi rapaces, immò vti fures, & latrones graſſantur, & dilaniant, furunt atque frendent, furantur, & prædantur, occidunt, & obtrũcant, mordent dentibus: & latrant, quemadmodum canes, qui ob naturæ ſæuitiã, cathenis vinciri ſolent: quorum linguam atque calamum, malignus quidam, & virulentus Dæmon contra Chriſtum moderatur: qui Chriſto magna animorum virulentia grauiter ſuccenſent, eumq; ſciẽtes, & volentes, conuitijs atque calumnijs obruunt: qui Dei filium denuò crucifigũt, atque irrident, immò penitus abnegant, & famam de eo ſpargunt, quaſi neq; verax ſit, neque omnipotens: qui Chriſti teſtamentum ignominia, & contumelia afficiũt, quibus Chriſtiana religio cordi nõ eſt: qui cauteriatam habent conſcientiã: quorum nullus liber extat inter eos, quos hoc ſeculo ſcripſerunt, qui non horrendũ monſtrum, & blaſphemiam in filium Dei contineat: qui perdiabolatum, indiabolatum ſceleratumque cor, & mendax os habent: qui non ſecus cauendi ſunt, atque ipſe Dæmon, ad quos pertinent tonitrua, infernalis ignis, atque æterna damnatio: qui cum Diabolo partem habebunt, &c. Spiritus eorum (inquiunt ijdem Lutherani) atque gubernator, ater peſſimus, fugitiuus, lubricus, Diabolus eſt, falſus, mendacijs infamis, furioſus, verboſus, craſſus, cæcus, veteratorius, impudens, obliuioſus, prẽfractus, temerarius, proteruus atq; mendax ſpiritus, lucem fugiens, audax, malus, iracundus, odio flagrans Diabolus contra filium Dei, qui ex ſecretiſſimo abyſſo infernalis aulæ prodijt: ſupramodum aſtutus, verſipellis, doctus, eruditus, & per omnia ſcelerum genera, iterum atque iterum volutatus, ſapientiſſimus atque verſutiſſimus Dæmon, &c. Doctrina eorum (aiunt) eſt, & in perpetuum erit, à Diabolo, & nihil eſt aliud quàm leuis inefficax, claudicans, elumbis atque temeraria quædam loquacitas, & nequitia Diaboli, corrupta, fœtida, & hiſtrionica explicatio, craſſa ſtultitia, virulentum atq; hominibus indignum mendacium, ſcelerata doctrina, ſtercus, & fætor Diaboli, turpes næniæ, &c. Caluiniſmus (inquiunt) deterior eſt, atque Arianiſmum receſſu habet: Machometiſmus, Arianiſmus, & Caluiniſmus, fratres ſunt, & ſorores, tres caligæ eiuſdem panni. Sacramentariſmus, ait inter Lutheranos quidem, Camerina quædam eſt, in quam multæ hæreſes cõcurrunt, vltima Sathanæ ira, quam is furijs agitatus, contra Chriſtum eiuſq; Eccleſiam

cl eſiam exercet. Qui ſacramentariorum partes ſequitur, inquit idem Lutheranus, is manifeſtus, atq; eiuratus eſt hoſtis Dei, & fidei ſuæ, quam in Baptiſmate Chriſto dedit, oblitus. Hæc omnia Caluiniſtarũ epitheta, inueniet lector partim in Luther ri ſcriptis Polemicis contra ſacramentarios: partim in Alberti libro contra Carolſtadianos: partim in Serpente antiquo, & quinquaginta cauſis Ioannis Schutz: partim in Lupo excoriato Riuandri: partim in Selnecero, & his ſimilium Lutheranorum ſcriptis.

Lutherus, concionatores ſuos verum fundamentum ignorare teſtatur, Papæ maledicere probe noſſe.

DICO, per animam meã, inquit, quos ego vidi, & expertus ſum, tam cõcionatores, quàm ſcriptores, qui hoc tempore pro optimis volunt haberi, & debent, exceptis valde paucis, de hoc capite, quomodo per Chriſtum iuſtificemur, nihil omninò ſciunt. Et quanquàm interdum ſcopum obiter attingunt, tamẽ omnia quaſi per ſomnium dicuntur, & audiuntur. Papam, Monachos, & Sacerdotes, conuicijs proſcindere omnes nouerunt: ac verum fundamentum, quo Papatum, & omnia falſa dogmata, euerti oportet, profectò pauci eorum intelligunt. Tom. 6. Germ. Ienæ fol. 215. Matheſius in hiſtoria Lutheri, Conc. 11. pag. 123.

Riuander dolet Caluiniſtarũ excrementa, tanquam ſancta venerari.

DEFLENDA eſt, inquit Riuander, in Lupo excoriato, & deploranda noſtra leuitas, & negligentia. Leuitas noſtra quidem, quòd nos ab omni vento ita moueri, atque impelli patimur: adeoque lubrici ſumus, & turpiter inconſtantes: vt Caluiniſtarum excrementa cõtinuò tanquam ſanctum quiddam venere mur. Negligentia noſtra verò, quòd non diligenter frequentamus templa, neque Catechiſmum noſtrum diſcimus, neq, vi demus, quod noſtri Theologi ſcribant, ſed eorum tantùm chartas erroribus illitas le gimus.

Oſiander, contra Philippum, & Virtembergenſes Magiſtros, habere ſe tria A. A. A profitetur, vocat fratres ignorantiæ, Dei blaſphematores, Iudas, proditores, & quid non?

EXTAT libellus de Inducto Oſiandriſmo, 1586. editus, in quo, & Vigandus & Merlinus, animarũ in Regiomontana ciuitate Pyratæ, ex collectaneis eiuſdem Vigandi teſtantur, Oſiandrum fuiſſe hominem turbulentum, ſuperbum, inflatum, odioſum, factioſum, tyrannum, qui armata manu ad conciones, & lectiones aſcendebat: reliquos Theologos contrarium ſentientes, hæreticos, impios, nebulones, proclamabat, gladijs, & lanceis præfidentes, contra quos habere ſe tria A A A dicebat, quibus omnes protereret (Almechtigen) hoc eſt, omnipotentem Deum, Albertum Ducem, & Adamum carnificem. Quòd omnes, qui ſe illi opponerẽt, ſiue Virtembergenſes, ſine alij Theologi, non veritatis, ſed ventris, & luxuriæ id cauſa facerent, quos etiam appellabat ſuperbos, laudipetas, factioſos, cæcos, mendaces, indoctos, ſtupidos, aſinos, craſſos, coridones, fratres ignorantię, Dei blaſphematores, ſpiritus mendaces, malæ conſcientiæ homines, contra conſcientiam, Chriſtum, Apoſtolos, cõtra Spiritum Sanctum peccantes, à Diabolo excæcatos, in ſathanæ poteſtatem datos, nouos Iudas proditores, quos coram toto mundo, quàm diu ſtabit, velit ita diffamare, vt

inuſtam

inustam infamiam ad finem vsq; mundi nemo vnquam possit eluere: idque se facturum ita clarè, & manifestè profitetur, vt ipsi septennes pueri capere possint veritatem: & si lenis hæc & moderata admonitio, nil profuerit; necesse fore castris, armis, omnes aggredi, atq; gladio punire. Ait ibidem, quòd Lutherũ Philippus protraxerit ad hanc Aristotelicam Philosophiam: Nolle se ex libris Lutheri, sine libris vtriusq; testamenti doceri.

Sacramentarij, Anabaptistas extra Ecclesiam collocant.

EXTANT Acta disputationis in Frankental, In ijs Sacramentariorũ hæc verba conrra Anabaptistas leguntur. Si vos, inquit, Ecclesia Dei eritis, sequetur Deum sine populo,& Ecclesia fuisse, vsque ad Annum 1522. in quo Nicolaus Storck, & paulò post Thomas Muncerus, prima doctrinæ vestræ fundamenta posuerunt: Nam si vel omnes historias perlegatis, nullum ab exordio mũdi populum inuenietis, qui Confessionẽ fidei vestræ similem habuerit. Quia verò neque Deus à principio sine populo,& Ecclesia, neque sempiternus ille Rex Iesus Christus sine Regno fuit, vestra autem congregatio primum Anno 1522. cæpit; sequitur vos veram Dei Ecclesiam atque populum esse non posse.

Budneus Ebionita, Czechouicium Samosatenitam, & Græcæ, & Latinæ linguæ ignarum profitetur.

BVDNEVS in annotationibus suis, in versionem Noui testamenti Polonicam, super primum caput Actuum Apostolorum, loquens de illis Lucæ verbis: Primùm sermonem feci, &c. Cùm, inquit, ista meus aduersarius non intelligat, fit vt nesciat quid loquatur: cuius hoc loco mentionem non facerem; nihil enim interest, nisi & me, & alios omnes interpretes laceraret,& apud magnos viros traduceret, apud hos præsertim, qui præter Sclauonicam, & Russicam linguam alias ignorant:& quia ipse plures non nouit, alios quoque deterret, à Latina præsertim, dicens: Omnes errores ex Latina versione proficisci, quam solam, nisi illi discipuli offendissent, fortasse adhuc Idolis sacrificarec. Illud certè ridiculum, quòd iste tam doctus Doctor, Gregorium Theologum, & Ioannem Chrysostomum pro Sclauis habet, Platonem autem, & Aristotelẽ Græcos Philosophos, scribens ad quendã Senatorem, pro Latinis reputat. Ita miser in minimis errat, neque tamen primas cuiquam concedit, Cùm tamen consultè faceret, si Iacobi consilium audiret: Nunc iste vix Alphabetum Græcum est assequutus, & iam vult haberi Demosthenes.

Budneus, Bezam Diabolo seruire, & seruos Dei trucidare ait.

BEZA reprehendit Erasmum, quòd alicubi dixerit de loco illo Pauli 1. Timot. 3. Magnum est pietatis Sacramentum, &c. Mihi subolet Deum additum fuisse hoc loco, apud Græcos aduersus hæreticos Arianos: Et ait Budneus: Ipse miser Beza, in hoc Diabolo seruit, non Erasmus, qui manifestam veritatem conatur extinguere, & falsitatem substituere, qui etiam cum Antichristo Romano seruos dei interficit, sicut ante annos aliquot Valent. Gentilem virum pium, & accuratum diuinæ veritatis indagatorem ad supplicium adegit, & paulò antè, Caluinus præceptor eius, Michaelem Seruetum. In Annotationibus Noui Testam.

Lu-

Lutherus, Caluinus, Musculus, populum Euangelicum, Diabolos vocant incarnatos, Epicureos, beluas.

LVTHERVS in Colloquijs, folio 234. testatur, Scholæ suę discipulos magnam partem Epicureos esse, metiri conciones ex suo cerebro, & hoc quærere, vt bonos dies habeant. In Papatu talia nebulonum portenta non inueniri: vocari reformatos, cùm re ipsa potius incarnati dæmones esse videantur. Decerpere ex Euangelio, quod ipsis allubescit, atque interea voluntatem Dei conculcare pedibus, immo Deum ipsum blasphemare: superbos esse nebulones, & nũc magis auaritiæ deditos, quàm vnquam auteà fuerint in Papatu: atque eò rem redijsse, vt si cui libeat cœtum aliquem nebulonum, vsurariorum, dissolutorum, rebellium, atque fraudulentorum hominũ, intueri; futurum, vt is ciuitatem aliquam Euangelicam ingressus, eius farinæ complures inueniat. Vix inter Paganos, Iudæos, Turcas, aut infideles alios homines adeò contumaces, reperiri, apud quos omnis honestas, & quicquid est virtutum penitus interierit, neque vllius peccati ratio habeatur. Nullam isthic morum emendationem animaduerti, sed Epicuræam, & omninò belluinam vitam transigi. In locum ieiunij, noctes atque dies comessandi, & pergræcandi consuetudinem succesisse. In locum eleemosynarum, oppressionem, & expilationem pauperum. In locũ humilitatis, superbiam, elationem, & luxum in vestitu fædissimum, &c. In locum orationis, blasphemias in sanctum Dei nomen. Caluinus ser. 10. & 30. in Episto. ad Ephes. Musculus in libro de Prophetia CHRISTI.

Zuinglius furores Lutheri describit fumo, & flammaplenos, Trotz, Plotz, &c.

ZVINGLIVS in responsione A. V. a. depingit Lutherum præiracũdia mente motum, sursum deorsum cursitantem, micantem oculis, fumum flãmasque spirantem, & conuicia proteruius euomentem, quæ etiam in vnum veluti fasciculum collegit, Suermemus, Diabolus, Nebulo, Hæreticus, latro, seditiosus, Hyppocrita, Trotz, Boltz, Plotz, Plitz, Tonit. Po. pu pa. Plumb. & id genus furiosas voces.

Gallus testatur, non de minimis, sed de maximis articulis inter Euangelicos disceptari.

NON sunt, inquit, in Thesibus, & Hipotesibus, vtiq; inter nos parua certamina, neque de rebus minutis, sed de sublimibus articulis doctrinæ Christianæ, de Lege, & Euangelio de iustificatione, & bonis operibus, de Sacramentis, & Cæremoniarum vsu, quæ nullo pacto componi, vel reticeri aut dissimulari possunt; sunt enim meræ contradictiones, quæ concordiam non ferunt.

Selneccerus, de omnibus propè fidei Articulis, inter Euãgelicos controuerti testatur.

NICOLAVS Selneccerus in Psalmũ 131. De publica, inquit discordia in Ecclesia, non est quod interroges: loquor autem, non de ea discordia, quæ nobis necessario de fidei doctrina, cum Papistis, atque alijs hæreticis intercedit; sed de ea, quæ inter nos ipsos est, qui puram noui Euangelij doctrinam habere gloriamur. Mota enim sunt certamina atque rixæ, de rebus Adiaphoris, de bonis operibus, de iustitia nostra coram Deo, de libero arbitrio, de præsentia, & participatione Corporis, & Sanguinis Chri-

Cbristi in Cœna, de humanitate Christi, de proprietate humanæ naturæ, in Christo, de maiestate Christi, de eius Ascẽsione, & sessione ad dexteram Dei, de vbiquitate, deq; rebus alijs. Ibi rixandi atq; contendendi, neq; finis est, neque modus vllus: quilibet in hoc laborat, vt iustam habere causam videatur, atque aliũ opprimere nititur. Et quisquis noui aliquid proferre potest, vnde nomen venetur, is facit liberè.

Scotici ministri, Heluetic orũ Ministrorum Confessionem reijciunt.

EDITA est confessio quædam Tigurì cum hac inscriptione 1566. Confessio, & expositio simplex Orthodoxæ fidei, & dogmatum Catholicorũ synceræ religionis Christianæ, cõcorditer ab Ecclesiæ Christi Ministris, qui sunt ĩ Heluetia, Tiguri, Bernæ, Sacphusij, Sang. Galli, Curiæ Rhetorum, & apud Confœderatos, Milchusij, itẽ & Biernę: quibus adiũxerunt se, & Geneuen. Ecclesiæ Ministri (ò magna Ecclesiæ victoria,) edita ĩ hoc, vt vniuersis testentur fidelibus, ꝙ in vnitate veræ, & antiquæ Christi Ecclesiæ ꝓstent, neq; vlla noua, aut erronea dogmata spargant, atq; ideò etiam nihil consortij cum vllis sectis aut hæresibus habeãt: hoc demũ vulgata tẽpore, quo de ea æstimare, pijs omnibus liceat. Ea porrò cùm ad fratres ipsorum missa esset in Scotiã, reiecta fuit à Ministris illius Regni, æquè Caluinistis, vt ipsi scriptores testãtur, immò verò teste Niniano Vinzetho, ne inter ipsos Ministros distraheretur, seuerè interdictum.

Stãkarus, Pinczouiẽses, apud quos primũ Rabinũ agebat, hæreseos conuincit: & è cõtra Pinczouiẽses Stankarum expulerunt, relegarunt, condemnarunt.

EXTAT examinatio Stãcari super Cõfessionem Pinczouianorum, Cracouiæ Anno 1562. edita, in qua cõuincuntur hæreseos. Sic in ea, de se, & de discipulis quondam suis, Stancarus loquitur: Quærendum est imprimis, nũ Pinczouiani approbent hanc suam editã Confessionem fidei per omnia, an non? si non approbant; cur eam ediderunt, pro vera, & pura doctrina fidei, contra Stancarum, propter quem illam impresserunt, vt in illa apertè loquuntur? Si autem eam approbant, interrogo eos, quæ nam sit eorum Confessionis Summa, de Trinitate, & mediatore Christo Domino? Si dicunt Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnum esse Deum, vnam voluntatem, vnam operationem, & mediatorem esse Christum secundùm humanitatem, & non secundùm diuinitatem; rectè cũ Catholica Ecclesia sentiunt, & sic immeritò publicarunt me Stancarum esse hæreticum, & contra iustitiam me expulerunt, & in exilium relegarunt, fidemque quam profitentur Catholicam, in me cõdemnarunt, & ob id, grauiter puniendi, nisi seipsos retractauerint.

Stancarus, Bullingerum, Martyrem, Caluinum, Geneuẽses, Tygurinos, Hęreticos, Arianos, & Manichæos vocat.

EXTAT libellus Stankari de Trinitate, & Mediatore Christo, aduersus Henricum Bullingerum, Petrũ Martyrem, Caluinum, & Geneuenses reliquos, & Tygurinæ Ecclesiæ Ministros, Ecclesiæ Dei perturbatores. In eo verbis quæ sequuntur vtitur: Omnino mihi nunc ita negotium est cum Tygurinis, Arrianis, & Eutichianis, sicut olim erat Augustino cum Manichæis hæreticis. Nam eodem modo, licèt stilo diuerso, vt illi tunc, ita isti nunc, diuinam naturam in conditionem seruilem conijciunt, & è

throno

chrono Maiestatis suæ deijciunt. Et paulò post aliquot in locis. Hæc Caluinus, Arianus, hęc Tygurini Manichęi: Et iterũ, Videat Senatus Geneuen. qualẽ Theologũ habeat, & quàm accuratè scripturã, & patres interpretetur iste, si dijs placet, Magnus Theologus.

Casimiriani Matheologi, Caluinicolę, queruntur se à Smidelino, & alijs Lutheromanitis condemnari, & hęreticæ, impięque doctrinæ accusari, vocantque suos, Anathematistas.

CALVINICOLAE de Luthericolis sic in sua Admonitione Cap. 1. loquuntur. Ac principiò quidem, apud omnes caret controuersia, librum eum, in quo hæreticæ impięq; doctrinæ accusantur, & condemnantur illi, qui de omnibus Christianæ religionis capitibus, nihil extra scripturam Propheticam, & Apostolicam, nihil extra symbola Christianorum Catholica, nihil deniq; extra consensum apertissimum totius purioris, & antiquioris Ecclesiæ, neque sentiunt, neque profitentur, neque scribunt, neque loquuntur, normam docendi, & iudicandi in Ecclesia Christi, constitui nequaquã oportere. Tales verò cùm sint Anathematismi istius libri, hanc solam causam, ad auctoritatem tanti iudicij illi abrogandã sufficere arbitramur. Condemnantur autem in illis hæreseos, quos illi vocant Sacramentarios, hoc est, qui de Cœna, & persona Christi ab ipsis dissentiũt. Quod nam verò ob crimen? ob quem errorem? ob quam blasphemiam? quia carneam & osseam, verè humani corporis Domini nostri Iesu Christi substantiam, in omnibus locis, & creaturis existere: in pane autẽ, Cœnæ Dominicæ, carnem, & in vino sanguinem eius, piorum, & impiorum ore comedi, & bibi non credunt. Hoc est illud grande nefas, & morte piandum, quòd si nõ committeremus, iam exempti essemus anathemati. Nam in alijs doctrinæ nostræ partibus, quod cum colore aliquo reprehendant, ne ipsi quidem Anathematistæ habent. Idem in Cap. 4. De autoritate Confess. August. Postquam, aiunt, à nobis solidissimè, & clarissimè ostensum est, in vtraque controuersia, de persona, & de Cœna Christi, Sacram scripturam, symbola, & antiquitatem Ecclesiæ, stare à nostris partibus: neque ab ipsis hoc refutari potest, vt semel se à disputatione liberẽt, & expeditiorem ad nos condemnandos viam ingrediantur huc tandem redeunt, vt nos pertinaces, & spinosos sophistas esse dicant: qui doctrinam scripturæ, & Ecclesiæ Orthodoxæ, versutis interpretationibus deprauemus: cùm quibus non sit amplius disputandum: ad quorum dicta, & scripta, non tantùm aures, & oculos, sed etiam regiones, & vrbes claudi oporteat; partim, ne cui subtile nostrum venenum adhærescat, & obrepat; partim, quia sumus iam dudum condemnati hæretici, qui veræ Christi Ecclesiæ nunquã fuerimus membra, & socij. Atrox sententia, sed quæ illius est ratio? Exhibita est, inquiunt, Anno XXX. Carolo V. Imperatori Romanorum in Comicijs Augustanis, Confessio Principum, & Ordinũ Imperij, qui tum repurgatam Euangelij doctrinam contra Papatum profitebantur: ea Confessio summam, & normam continet omnis veræ doctrinæ in scriptura Sacra, Symbolis, & Orthodoxis veterũ scriptis traditæ: Ab hac igitur Confessionis forma, quicunque vlla in parte discedũt, à veritate, & à verbo Dei aberrant, & tanquam alieni à vera Dei Ecclesia, iustissimè condemnantur, vitantur, & velut Lupi à Christi ouilibus arcẽtur. Inde pronunciant nos, quia Confess. Augustanæ non assentiamur, crimen hæreseos effugere non posse. Hæc est illorum pro confesso sumpta oratio, qua multos bonos, fidẽ illorum sequentes, à veritatis inquisitione abducunt: sed iam dudum à nostris gemina responsione satis luculenter sunt refutati. Vtrumque quòd ipsi sumunt negamus. Qui enim discessionis à Scriptura,

&

& Symbolis conuinci non potest; is propter dissensionem ab Augustana Confessione nullo iure damnari potest hæreseos. Et nos à Confessione Augustana rectè intellecta non dissentire, candidis, & veritatis ac pacis studiosis iudicibus abundè est demonstratum.

Theologi, & Ministri verbi Caluini, in ditione Casimiri, Augustanam Confessionem, ex nouem causis imperfectionis arguũt, & malè prospectum fore Ecclesijs putant, si ex illa sola pẽdẽdum sit.

OSTENDIMVS hactenus, aiunt Casimiriani Satrapæ, quare nulla particularis Cõfessio debeat: æquari Symbolis, vniuersalis Ecclesiæ si autem res diligentius expendantur, etiã peculiares in Augustanę Confessionis formula, rationes videre nõ est difficile, quare non debeat in illũ vsq; gradũ extolli, & omnes aliarũ Ecclesiarũ Confessiones, auctoritate sua abolere, vel obscurare.

Primum ex illis, quæ diximus, intelligi potest, quàm non sit æquum, vnam, aut aliquas Ecclesias particulares, præscribere sentiendi, agendi, & loquendi formulã omnibus in mundo Ecclesijs, hac autoritate; vt omnes, qui non sine exceptione in eam formulam iùrare velint, habeantur pro hæreticis, ab Ecclesia Catholica, & fraternitate Christiana, ac societate pacis polyticæ alieni: & velut catharmata, & alastores exterminandi, nulla præsertim interueniente legittima ossidij cognitione, & dijudicatione. Nec igitur Augustanæ, nec alteri Confessioni particulari, hoc defferendum est; vt omnibus Ecclesijs, nisi quatenus vltrò, & salua sua libertate, eam acceptant, obtrudatur.

Secũdò, Augustana Cõfessio scripta est annis, non ita multis, post reformationis initiũ, in quo præsertim controuersijs variis, arduis, & difficilibus, post tenebras tam diuturnas, & densas, quàm fuerũt sub Papatu, non subitò omnia rectissimè perspiciuntur, & explicantur. Nihil autẽ neque imprudentius, neq; iniquius fuerit, quàm non permittere Ecclesiæ, & pijs Doctoribus, vt successu temporis proficiant in veritatis cognitione, & explicatione, vsu rerum, & ipsis certaminibus admoniti: quędam plenius, purius, dexterius tradant, & declarent.

Tertiò, Scripta est Augustana Confessio paucorum Theologorum consilio. Notum est enim, paucos Imperij ordines eã exhibuisse. Paucos illic secum habebant Theologos in Conuentu Augustano: & inter hos ipsos pauci erant ad Confessionẽ scribendam idonei, ita vt labor scriptionis, & defensionis vni Melanctoni incumberet, vt patet ex iam recitata ipsius adiutorum descriptione, & ex verbis ipsius in eadem Epistola.

Quartò, scripta est in festinatione, & tẽporis angustia: Augustæ in diuersorio, in Comitijs, vrgente Imperatoris postulatione, & calumnijs improbissimis Pontificiorum, quibus erat opponenda; vt testatur illud votum eiusdem authoris in eodem loco.

Quintò, scripta, & exhibita est, in maximo metu præsentium periculorũ, quæ creabant profitentibus Euangeliũ, apud Imperatorẽ, & alios Principes, aduersarij Papistæ, atrocibus calumnijs, cruẽtis cõlijs, & incitationibus. Idcircò studiũ fuit Confessionis authoribus, omnia Papatus vlcera, & idolomaniam, in ijs articulis, de quibus tum scribendum putarũt, quàm parcissimè, & lenissimè attingere. Ita factum est, vt de multis articulis, qui erant odiosi, nulla fieret mentio: & illa tantùm repræhenderentur, quæ neq; Imperator acriter tuebatur, & quorum cordatiores etiam inter aduersarios pudebat ob manifestam absurditatem, & de quibus cœptũ erat, à Luthero disputari: atque hæc ipsa etiam capita, multò parcius, & mitius,

quàm res postulat, sint expositа.

Sextò, illi ipsi, qui Confessionẽ Augustanam scripserunt, approbarunt, & ediderunt, aliqua subinde in ea, correxerunt, addiderunt, declararunt, vt satis ostendit editionũ diuersitas: deniq; totã retexuerunt, & repetiuerunt, meliori, & pleniori forma; vt testatur præfatio Saxonicæ Cõfessionis, quædam in ea narrari plenius: quandoquidem re satis sunt testati, ne sibi quidem satisfacere illam primam formulam, tumultuariè collectam: tantũ abest, vt eam omnibus alijs Confessionibus quæ scribi possent, anteferri, ne dum de omnium Ecclesiarum doctrina iudicandi normam esse voluerint.

Septimò, Sunt quædã in Augustana Cõfessione, & Apologia, quæ ne ipsi quidem acerrimi eius propugnatores probant aut recipiunt, neq; nos sanè probanda aut recipienda simpliciter existimamus. In editionis Germanicæ, decimo articulo, qui est de Cœna Domini, dicitur verũ corpus, & sanguinẽ Christi, verè sub specie panis, & vini, in Cœna esse præsentia. Hęc verba sonant, non substantiam, sed dũtaxat speciem panis, & vini adesse, & operire corpus Christi, latens sub vtraq; specie per concomitantiam carnis, & sanguinis. Propterea sunt à Papistis acceptata, tanquam cum sua opinione congruentia, vt testatur confutatio à Papistis oppositа Confessioni, in historia Confessionis Augustanæ, à Theologis edita. Neque tum contradixerunt auctores Confessionis, siue ex metu, siue ex hæsitatione.

Octauò, Etiã non desinũt in Augustana Confessione, quæ illã profitentes non eodem sensu accipiunt, nec eodẽ modo declarant; vt in doctrina de libero arbitrio, & de Cœna Domini est manifestum. Re ipsa igitur ostendunt, quædã in esse obscura, imperfecta, & ambigua, & declarationem requirentia, quod tamen potius temporum, quàm autorum culpæ tribuendum est. In nostris Confessionibus nõ est, quod nos quidem sciamus, de cuius sensu, vel in nostris, vel in alijs Ecclesijs ambigatur, quia scapham, scapham dicimus.

Deniq;, si hoc etiã libet considerare, nõ ad præferendas, hoc nomine nostrorũ Confessiones Augustanæ, sed ad iudicio-

In admonitione Christia. de lib. Concordiæ.

rum duntaxat asperitatem mitigandã, referunt se ad Confessionem Augustanam, pleræq; in Germania Ecclesiæ, & quæ illic ad Septentrionẽ sunt, neq; tamen sine dissidijs, teste libro Concordiæ. Interea verò Confessiones, seu Confessionem potius nostrã (absit inuidia dicto) nõ pauciores, nec minores, nec sanè deterius cõstitutæ: nec paucioribus, doctrina, pietate, & omni virtutum genere, præstantibus viris & omni ætate, sexu, & ordine, fortissimis Christi Martyribus, ornatæ Ecclesiæ, mnitorum regnorũ, & gentium cõstanter, & cõcorditer amplectuntur, quos cũ multis millibus subscriptorum libri Concordiæ conferre, nec iniustum, nec indignum fuerit.

Theologi, & Ministri verbi Caluini, in ditione Casimiri, aiunt, Lutherum non fuisse Prophetam, non Enochum, nõ Eliam, non Euangelistam, non Doctorẽ Ecclesiæ miraculis probatum, sed professorem tantùm Academiæ Virtembergẽsis.

Scripta eius nolunt esse normam dogmatum, & Librum Concordiæ Bergensis, nil nisi errores continere testantur.

IN Admonitione sua, de Libro Concordiæ Bergẽsis, sic de Luthero loquũtur Theologi Casimiriani Cap. 6. de auctoritate Lutheri. Hic verò nobis Theologi postremam suam machinam admouent, in qua spem omnem victoriæ collo-

locant, cùm alia ipsorum tela, omnia iam ab aliquot annis sic sint excepta, confracta, repulsa, & in ipsos retorta; vt etiam in puerorum fabellas abierint.

Quicquid alij Confessionis Augustanę Socij senserint, Doctorem Lutherum tamen aiunt, aliter eam intellexisse, qui sit habendus prę cipuus author Confessionis, & omni exceptione maior interpres: & cuius libri debeant esse norma, & commentarius, & intelligendæ Confessionis, & doctrinæ in omnibus Ecclesijs, & decisionis controuersiarum. Ab huius ergo sententia de corpore Christi, & Cœna Domini cum discedamus; etiam à scriptura, & Confessione Augustana, & Ecclesia Catholica nos dissentire, ac proinde hæreseos, iustè condemnari cõcludunt: suumque librum, quia cum Luthero faciat Augustanæ Confessioni congruere, nos autem à Luthero dissentientes, cum ea pugnare subinde inculcant, atque idcircò, cùm libri Bergensis dogmata, sine valido aliquo ferrumine, cum Augustana Confessione, & Apologia connecti, & cohærere non posse animaduerterent; excisis è corpore doctrinæ libris, à Philippo scriptis, Cathechismos, & articulos Smalcaldicos Lutheri, in locum eorum reposuerunt; vt per illos libro suo aditum in Cõfessionem, & nouum doctrinæ corpus parrarent. At hic possumus rursus vno verbo respondere, frustrà Deo opponi homines. Antequã igitur Theologi ostendant, nos à Deo dissentire, & condemnari, nihil agunt, opponentes nobis opinionem, & condemnationem Lutheri; sed propter illos, quibus fucum faciunt, de auctoritate Scriptorum Lutheri, de Cęna Domini, coegerunt, & nunc iterum cogunt nos admonere viros pios, & cordatos in Germania, qua cautione opus sit in lectione librorum Lutheri; quandoquidem Lutheri nomen præcipuum, imò solum est ipsorum doctrinæ fundamentum: quæ enim alia eius firmamẽta afferũt; ea dicis causa potius prætexunt, quàm quod illorum robore confidant.

Respondemus igitur huic Theologorum argumento, quod ante hac toties responsum est, sententiam, & scripta Lutheri, præsertim de humana natura Christi, & de Eucharistia, nequaquam oportere normam esse exponendæ, vel scripturæ, vel Augustanæ Confessionis, vel iudicandi de doctrinæ veritate, & discernendi Orthodoxos ab hæreticis. Deinde verò, ex his omnibus, non potest, nec debet colligi, Luther. & ipsius scripta pro norma doctrinæ Ecclesiasticæ habenda esse; cum qua, quicquid congruit, Orthodoxum, à qua, quicquid discrepat, hæreticum pronuncietur. Principio enim, ad intelligendum rectè articulum fidei, Credo Ecclesiam Catholicam est, scitu, & obseruatu necessariũ ingens discrimen, quo differunt à Prophetis, & Apostolis, omnes alij ministri, & doctores Ecclesię. Nulli prorsus alteri doctori, præter Apostolos, & Prophetas, cõpetit auctoritas illa iudiciaria, vt ipsius doctrina sit regula fidei, & religionis. Cùm ergo Lutherus non fuerit Propheta, vel Apostolus, non sunt ad dogmata, & verba ipsius, alligãdæ Ecclesiæ, & conscientiæ, mentes & linguę omnium, quasi ab illis discedi non possit, sine discessione à Deo, à veritate, & ab Ecclesia. Et paulò inferius: Scimus istos Theologos, qui malunt subsistere in Cathechismo Lutheri, quàm scrutari scripturas: magnis clamoribus regerere, Lutherum esse Prophetam, quia & ipse sit immediatè, & extra ordinem à Deo excitatus, ad officium Propheticum videlicet, repurgationem Ecclesiæ, quia miracula fuerint res ipsius gestæ, & successus: & multa futura prædixerit; ideoque sine exceptione tanquam Prophetam audiendum, qui errare non potuerit: nec desunt, qui Lutheri vaticinia collecta ediderint. Ne illudant nobis ambiguitate vocabuli. Prophetæ in veteri Testamento, fuerunt Doctores, vt dictum est, immediatè, & per extraordinariam vocationẽ missi à Deo ad declarandam, & repurgandam doctrinam legis, & illustrãdam nouis miraculis promissionem de Messia, habentes testimonia diuina, quòd non errarent in doctrina. Sed etiam in nouo Testamento nominantur Prophetæ, qui habebant donum prædicendi res futuras, quale est Pauli vaticinium, de postremis tẽporibus, & secundo aduentu Christi: quale item Agabi de captiuitate Pauli. Aut qui habent donum

explicandi, & ad vſus Eccleſiæ accommodandi doctrinam Prophetarum, non autē accipiunt à Deo noua oracula, quibus ali quid patefactionis diuinæ addatur olim traditis, & confirmatis; ſed ad vocē Prophetarum, & Apoſtolorum alligati ſunt. De hoc dono Prophetiæ dicitur 1. Cor. 1. 4. 3. Qui Prophetat, loquitur hominibus, ad ædificationem, exhortationem, & conſolationem.

Si hoc tertio ſenſu nominant Prophetam, loquuntur quidem cum ſcriptura. Sed hoc genus Prophetiæ, habuerunt, & habent, & noſtræ, & ipſorum Eccleſiæ, vt ad ſolum Lutherum non ſit reſtringendū: neque hoc donum eximit Doctores Cenſuræ, & periculo erroris Sed hic eſt quæſtio, de prima vocis ſignificatione, quæ ſola facit doctrinam irreprehēſibilem. Hāc Prophetiam, qui Luthero arrogant, ſe & alios fallunt.

Teſtantur libri ipſius, teſtatur hiſtoria vitæ ipſius, in ſcholis inſtitutum fuiſſe, didiciſſe linguas, & bonas artes, & qualis tū erat, Theologiam: Legiſſe autem diligenter ſcripturam, & Auguſtini atq; aliorū libros, ex quibus hauſit initia illius lucis, quæ poſtea diſputationum vſu, & ſtudio, aucta in ipſo paulatim, & confirmata eſt. Fuit etiam vocatus ad docendum ordinarie, à principe ſuo, & ab Academia Virtēbergenſi. In hac vocatione, debuit veritatem agnitam non reticere. Et ſi autē Deus ipſi oſtendit corruptelas Pontificias; quas plerique tum nondum videbant, tamen hanc lucem in eo accendit non immediato inſtinctu, ſed per media ordinaria, lectionem Sacræ ſcripturæ, meditationem, & ſententiarum collationem.

Miraculum autem quod ediderit, nullū audiuimus: nā fortunatio, & defenſio cutriculi ipſius, fuit beneficium Dei ordinariū, ſecundùm promiſſiones datas ipſum timentibus, ipſi fidentibus, & ipſum inuocantibus in labore vocationis. Quæ autē prædixit de pœnis ingratitudinis pro luce Euangelij donata, vel ſimilia, nō ſunt noua oracula, ſed veterum oraculorū ſcripturæ, ad noſtra tempora accommodatio, quam facere poſſunt, & debent etiam alij fideles, & prudentes Eccleſiæ Doctores, & miniſtri; pertinent enim ad Prophetiam tertio modo dictam, ſicut, & quod de functione Prophetica dicunt. Nam eſt fidelium omnium Doctorum, ſi doctrinæ, & cultus diuini corruptelas ex verbo Dei deprehenderint, in Eccleſiam irrepſiſſe, illas detegere, & ſuo loco dare operam, vt corrigantur.

Hinc tertium quoque patet, quòd ipſius doctrina examini non eſt exempta. Nunquam enim Lutherus ſibi arrogauit hoc priuilegium Propheticum, & officiū aliquid addendi ſcripturæ, neque vllum aliud argumentum protulit, aut proferre debuit, quare ipſius doctrinæ credendū ſit, niſi quia cum voce Prophetarum, & Apoſtolorum congrueret. Non igitur ipſe eſt norma, ſed ad normam ſcripturæ examinandus, non minus quàm alij Doctores.

Neque verò eſt æquum, anteponi, & opponi Luther. ſolum omnibus ſcriptoribus antiquis, & recentioribus, & ex ipſius ſcriptis de omnibus ferre ſententiam, ne dum hæreſeos damnari omnes, qui cum illis non conſentiunt: Veteres enim, tot ſeculis ante, quot vixerant, Orthodoxos agnouit Eccleſia vniuerſa; nec recentium veteribus, ſed potius veterum conſenſus recentibus auctoritatem conciliat; ideoque veteres etiam aduerſarijs opponi poſſunt, non autem Lutherus vel alij. Neoterici, habuerunt, & habent alij quoque ſua dona, alij alia, quæ variè Deus diſtribuit, nec Luthero vel cuiquam alteri dedit omnia: fuerunt etiam inſtrumenta alij Dei inſignia, & Eccleſiæ ſalutaria: nec minora, & noſtræ ſaluti minus neceſſaria certamina, pro Chriſti gloria ſuſtinuerunt olim pij, & ſancti illi viri, qui furores Samoſatanicos, Arianos, Neſtorianos, Eutychianos, Macedonianos, Pellagianos, Manichæos, & Donatiſticos, & ſimilia monſtra profligarunt ab Eccleſia: quos omnes, quia nobiſcum de Chriſto, & de Cœna contra Lutherum ſentiunt, ex Eccleſia, quam Chriſtus per illos conſeruauit, tanquam hæreticos eijcere, quàm portentoſa fuerit audacia?

Et iterum: Etiam his tēporibus pugnādo contra Papatum, & alias hæreſes, ſcripturam, & controuerſias explicando, Ec-

cleſias

cleſias conſtituendo, ſunt aliqui non minus benemeriti, quàm Lutherus. Extát Eccleſiæ ipſorum opera conſtitutæ, quæ nec multitudine, nec ordine, & pietate, nec intelligentia, & puritate doctrinæ Euãgelicæ (abſit inuidia) cedunt ijs, quæ Lutheri opinionem de Cœna Domini ſequũtur.

Quòd ſi etiam inter iſtos omnes, nullus eſſet, qui cũ Luthero conferri debeat, ſaltem plures vel omnes coniuncti, non erũt ipſo minoris ponderis. At neq; ſinguli, neq; omnes ſimul iuncti, tam veteres quã recentes Doctores Eccleſię, ſunt norma iudicandi de veritate doctrinæ. Multò minus ergo ſolius Lutheri hæc erit auctoritas, vt ipſius ſcripta non ſint ſubiecta fidelium cenſuræ, ſecundùm normam Prophetarum, & Apoſtolorum de illis, ſicut de aliorum ſcriptis, agendæ.

Et paucis interiectis: Manifeſtum eſt ergo, illos peſſimè de tota Chriſti Eccleſia mereri, & ſe ſuaſque Eccleſias, aduerſarijs iugulandas, & deridendas propinare, qui Lutherum in Catalogum Prophetarum referunt, tertium Eliam faciunt, examini, & cenſuræ Eccleſiarum eximunt, & libros ipſius regulam iudicandi de veritate dogmatum Eccleſiaſticorum conſtituunt,

Quid exiſtimabimus, ò Domini, & fratres nunc dicturum Lutherum, ſi reuiuiſceret, his, qui illum tertium Eliam faciẽtes, nec Monachum, nec hominem eſſe meminerunt? Et iterum: Non difficile eſſet ex libris Lutheri proferre non pauca, in quibus hallucinatio tam eſt manifeſta, vt & ipſe Lutherus, ea deinde retractauerit, & iſti immodici ipſius laudatores, ea non poſſint defendere. En exemplum: Tom. 7. Virtemberg. fol. 402. ſic ſcribit: Nos in Deum fiduciam noſtram ponimus, quià Maria corporaliter, & ſpiritualiter in lucem hanc eſt editus, nec tamen corporaliter nec ſpiritualiter ab ea manducari, & bibi voluit. Quis vnquam dixit Chriſtum ſpiritualiter eſſe in lucem editum a Maria? Quis poteſt aſſeuerare. Mariam nunquam in congreſſibus Eccleſiæ poſt Aſcenſionem Filij ſui in Cœlum, vſam eſſe Euchariſtia, eique pro ſuis in ipſa ſingularibus beneficijs egiſſe gratias? At ſecundum hanc Lutheri ſententiam, aut nunquam communicauit cum Eccleſia, aut hoc faciens, non manducauit Chriſtum corporaliter. Cur igitur tota Eccleſia manducat carnẽ eius corporaliter, quæ cauſa diſcriminis? cur ſoli matri non vera fuiſſent verba: Hoc eſt corpus meum? ſed verum eſt quòd eum non manducauerit corporaliter, cùm ſic eum manducet nemo. Quòd autem non ſit manducatus à Maria ſpiritualiter, quomodo excuſari poterit, Domino dicente: Amen amen dico vobis, niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis?

En aliud Tom. Ienæ 3. in prima parte contra Cœleſtes Prophetas. Primũ dico, ſecundùm legem Moſis, nullam aliam imaginem prohibitam eſſe præter imaginem Dei: Crucifixi, autẽ vel alterius ſancti imaginem habere, non prohibitũ eſt. Sicut Gallia non curat ius Saxonicũ: ſic, ne ingeratur nobis Moyſes, nos in Nouo Teſtamento Moſen nec videre, nec audire volumus.

Item mandatum de ſtatuis, & ſabbatho, ſunt cęremoniæ, quę ſuo modo ſunt ſublatæ. At quomodo conueniunt hæc cũ toties repetitis ſeueriſſimis Dei præceptis Exod. 23. 24. & 34. 13. Nume. 35. 52. Deuter. 2. 24. & 12. 3. Altaria eorum deſtruite, ſtatuas confringite, lucos ſuccidite? Quomodo cùm exemplò Hizkiæ confringentis ſerpentem æneum? Et paulò inferius: Plura eius generis poſſunt ex Luthero colligi, ſed non delectat nos collectio, mallemus illa ſepeliri ſilentio; niſi aduerſariorum improbitas cogeret nos, quædam pijs hominibus, quos ſuis clamoribus faſcinant, monſtrare; ex quibus conſtaret, non omnia ſua Lutherum ſcripſiſſe ſpiritu Prophetico, ſed fuiſſe hominem, qui & errare potuerit, & errauerit: & ſuper fundamentum Apoſtolicum non ſemper aurum, & argentum, ſed aliquando etiam ſtipulam, & fœnum ſuperſeruerit, cuius aliàs partes citius, alias ſerius, alias in fine demum vitæ depoſuerit.

Damnant hæc Theologi Bergenſes, & tamen ad libros Lutheri tanquam ad regulam doctrinæ àſtringi volunt omnes Eccleſias. Magis autem probandum eſſet

exemplum Theologorum, quòd à Lutheро discedunt, vbi causa discedendi manifesta est, si libertatem hanc, quam ipsi licentiùs quàm nos vsurpant, nobis nõ adimerent, & non Lutherum vbi placet ipsis, Deum facerent, vbi non placet, æquè ac cæteros conculcarent.

Cum itaque Lutherus, aiunt illi ipsi Casimiriani Sacramentarij, non fuerit Propheta, non fuerit Elias, non fuerit Euãgelista, cùm in multis errauerit, cùm in controuersia Cœnæ pro norma habuerit non verbum Dei, vt ipse gloriatur, sed inueteratam opinionem Papatus, & figmenta Scholasticorum: cùm multa in libris eius Eristicis, nimis inconsideratè effusa Sophismata, calumniæ, conuicia, hyperbolicè, præter pietatem multa, & modestiã, confidenter & arroganter dicta, scurriles in rebus serijs lusus, mimorũ sannæ, & infacetæ facetiæ, cum multa acerbè, & iniurioſe scripta, non tantum in Christi Ecclesias, in viros doctissimos, sanctissimos, innocentissimos, sed etiam in magnos Principes contumelioſa, & omninò Theologi Christiani, & tanti viri persona indignissima reperiantur; Non debẽt, non debẽt inquam, (Audite Euangelici, & vestrorum Euangelicorum dicta deuorate.) Non debẽt, inquam, Lutheri libri, Lutheri sententiæ, Lutheri opiniones, esse norma Confessionis Augustanæ, aut doctrinæ de Cœna Domini. Hactenus Casimiriani.

Sacramentarij, librum Concordiæ Bergensis, à Smidelino, & sex alijs Lutheranis conflatum, cũ Scriptura, Symbolis veteris Ecclesiæ, & Confessione Augustana pugnantem ostendunt.

HACTENVS, aiunt, in Epilogo suæ Admonitionis, demonstrauimus, tam pietatem ac Ciuilem iustitiã: quàm salutem Ecclesiæ, & Reipublicæ hortari, ne liber Bergensis habeatur pro regula, doctrinam, & Ecclesiam veram à falsa discernendi, vel de nobis aut nobiscum sentientibus Iudicium faciendi, neque ex eius libris decretis, piam, firmam, & salutarem Ecclesiarum concordiã vnquam constitui, aut sperari posse: idq; his rationibus, quia doctrinam cũ Sacra scriptura, cum symbolis Catholicæ Ecclesiæ, cum Orthodoxa antiquitate, deniq; cum Augustana Confessione congruentẽ profitentes, multis calumnijs oneratos, non conuictos, non auditos, hæreseos condemnat; quia noua dogmata continet, cũ Scriptura, Symbolis, veteri Ecclesia, & Confessione Augustana pugnantia: quia sibi in suis assertionibus non constat: quia cõtra omnem diuini, & humani, Ecclesiastici, ac polytici iuris, æquitatis, & ordinis rationem, operatione Theologorum Bergensium, congestus, obtrusus, & extrusus est: quia denique plurima, & grauissima damna, ad Ecclesias, Scholas, & Respublicas, ad omnes denique pios magistratus, & subditos, ex illius exequutione reditura essent.

Faustus Socinus, Trideista, Andream Volanum, Zuingliocaluinistam probris, maledictis, conuicijs plenum testatur, & rudem stolidũque censet.

MONVERAM ego, ait in lib. de Christi essẽtia pag. 270. fratrũ noĩe, Volanũ, vt post hac in scriptis suis aliquantò modestior esse vellet, nec ita, vt instituerat nos conuicijs, & maledictis impetere, ac onerare pergeret: sed paruitnè Volanus tã sanctæ admonitioni? Nihil minus: quin immò in hoc posteriori scripto suo, nil aliud egisse videtur, quàm, vt nostros homines, me verò potissimum

simũ probris, & maledictis proscinderet, ac contumelijs præmeret. Pag. verò 17. eiusdem libri, Miror, inquit, te tam parũ in rerum diuinarum cognitione profeciss; vt multi, qui alioqui præ te rudes, stoli diq; censeri debent, & vix dum sacrarum literarum volumina euoluere cœperunt, tibi iam palmam præripuerint, & iam ad diuini templi adyta propius accesserint, cùm tu adhuc in ipso atrij limine consistis. Et pag. 12. ait Volanum, & suos vltra initia tam excellentis, & salutaris viæ nunquam esse progressos, & in medio cursu Christi Regni promouendi turpiter defecisse. Et pag. 37. Non est igitur, cur tantopere nostros irrideas, atque omni non Christiana modò charitate, sed humanitate etiam deposita, eos nisi sententiam mutent, crudelissimo quouis mortis genere necandos censeas.

Ioannes Schutz Lutheranus, Mahometanos, Arianos, & Caluinianos, fratres, & sorores vocat.

MAHOMETISMVM, ait, Schutz libro 50. Causarum cap. 48. Arianismum, & Caluinismum fratres, & sorores voco, & tres caligas eiusdem panni. Et in Serpente antiquo pag. 155. Sacramentarij, inquit, duplices sunt latrones. Non enim sufficit illis, quòd animas falsis dogmatibus occiderunt, verùm vbicunque pacem externam perturbare possunt, & efficere, vt corpora etiam occidantur, nil faciunt reliqui ad summam diligentiam.

Hactenus istorum inter istos contentio. Tu lector nullam in omnibus eorum scriptis veriorem veritatem putabis, quod quod hic alter obijcit alteri.

At non sic Catholici, Orthodoxi Doctores, sed iuxta Pauli præceptũ honore inuicem præueniunt, charitatem fraternitatis diligentes, nec vnus supra alterũ inflatur. Cyprianum vocat Nazianzenus totius orbis eximium decus: cineribus eius tribuit dæmonum profligationem, morborũ depulsionem: Basilium virtutis legem appellat, fidei fulcimen, veritatis Canonem, Ecclesiæ characterẽ, fidum ministrum, Sacerdotem magnum, Spiritus Sancti habitaculum: Basilius vicissim Gregorio tum rectæ fidei, tum zeli incredibilis laudem tribuit: Ambrosium hominem Dei, Athanasium Ecclesiasticarum, vocat, infirmitatum medicum: Augustinus Hieronymũ, fratrem dulcissimũ, in Domini membris valde honorandum: Hieronymus Augustinum Episcopum toto orbe notissimum, sanctum, ac venerabilem Papam: Sed hæc vetera. Hoc ipso sexcentesimo sęculo, supra millesimum, quo isti caupones Euangelici, vt canes rabiosi inuicem comedũt, sicut iam dictum est; nonne summa videtur inter Orthodoxos scriptores, & Doctores consensio, non solum in tradenda fidei ratione, sed in eo prorsus honore tribuendo, & in conseruanda charitatis fraternitate, quam Paulus requirit? Ekiusvocat Roffensem vita, & eruditione admirabilem, Roseum, Emserum, Fabrum, Catarinum, Albertum Carpensem, Clichtoueum, Cochleum, Titelmanum, Vicellum, fortissimos Antagonistas, veros verbi Dei interpretes, Pighium omnium disciplinarum peritia exercitum. Illi vicissim Ekiũ Atletam Christi, Pauli linguam, Lutheri mortem, & id genus appellant. Scirletus Osium Hæreticorum malleum, Osius vocabat Scirletum Spiritus S. Bibliothecam: Osorius Hosium omnibus virtutibus ornatissimum, summæq; sapientiæ disciplinis instructissimũ appellat; Hosius Osoriũ Christianum Ciceronem, Theologiæ dignitatẽ verbis exæquantẽ vocabat: Canisius Hosiũ scriptorem elegantissimum, Theologum præstantissimũ, & Episcopũ optimũ appellat: Hosius Canisium Hæreticorũ malleum, & nouum Augustæ Apostolum: Cromerus Hosium Sanctũ, & piũ Episcopum, Hosius Cromerum prudentẽ, & oculatum scriptorem: Socolouius Toletum, & obseruat, & dilaudat, Toletus Socolouium omnibus Encomijs exornat: Pouodouium Scarga, Scargam dilaudat

Pouodouius : Belarminus Gregorium de Valentia, Gregorius Belarminum, vt Spiritus Sancti Amanuensem suspicit. Sed difficile est omnia sigillatim recensere. Videantur libri omnium nostræ gentis Catholicorum Scriptorum, Hosij, Cromeri, Orichouij, Patricij, Socolouij, Solicouij, Pouodouij, Scargij, Gorscij, Vagrouicij, Nouicampiani, Herbesti, Varsauicij; oculis quiq; suis perspiciet, quàm magna sit inter illos, & Canisios, Lindanos, Tapperos, Fabros, Staphilos, Eberos, Surios, Phlugios, Sonnios, Germanicæ nationis Theologos, voluntatum, & sententiarum consensio: quàm humiliter dona Spiritus S. alter admiratur in altero. Sic eriã Pamelij, Vigorei, Sanctij, Democharis, & Genebrardi Galli, Sotos, Alfonsos, Canos, Medinas, Maldonatos, Fontidonios, Torrẽses, Polancos, Nauarros, Canos, Hispanos admirantur. Sic Osorij, Payuæ, Casalij, Forrerij, Lusitani, Polos, Sanderos, Stapletonos, Alanos, Copos, & alios Anglos suspiciunt, omniq; dignos honore, & reuerentia putant: sic alij alios. Quare id? quia in diuersitate linguarũ oris, est vna lingua cordis: quia Christũ sequuntur colligentẽ, non Luth. aut Caluinũ dispergentem: quia non sunt alta sapiẽtes, sed humilibus consentientes: quia nõ quę ruunt quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi: quia vnus aduersus alterum non inflatur pro alio. Amat iu Nauarro Toletus absolutam Sacrorum Canonum, totiusq; iuris Ecclesiastici cognitionem. Amat in Toleto Nauarrus S. Theolo. profundissimam interpretationem. Admiratur in Belarmino Lyndanus exactissimam hæreticorũ refutationem, Belarminus in Lyndano zeli, contentionisq; magnitudinem. Inuicem laudant, inuicem honorant, suspiciunt, fouent, vt par est, vnius corporis mẽbra non dicit caput pedibus, non estis mihi necessarij. Corpꝰ ipsorũ, vt habet, D. Iob, quasi scuta fusilia compactũ, squammis se præmentibus, vnus vni coniungitur, & nespiraculum quidem incedit per eos. Vnus alteri adhæret, & tenentes se nequaquam separantur. Inde porrò fit, vt libros suos, mutuò sibi examinandos corrigendosque offerant: doceri cupiunt, admoneri volũt, cor recti lætantur, reprehẽsi gratias agũt. Plus quisque alterius quam suo iudicio tribuit: plus alteri quam sibi reuelatum credit. Ita vas electionis Paulus, ascendit Hierosol. & contulit cum Apostolis Euangeliũ, quod prædicabat in gentibus. Ita post annos tres venit Hyerosol. videre Petrum, & mansit cum eo diebus 15. Ita August. Hyeronimum, de quæstionibus cõsuluit. Ita Hieronymus ad Damasum retulit: ita Hosio quoq; nostro suas lucubrationes examinandas, & corrigendas obtulit Osorius, & Andreas, & Casalius è Lusitania, Fontidonius, Medina, & Maldonatus, cuius pleraſq; quæstiones in manibus tenemus, ex Hispania: Sãderus, & Alanus ex Anglia, Roseus è Scotia Staphilus, Lyndanus, Heselius, Ederus, Eyhingrenius ex Germania. Ita Scirletus, Latinus, Posseuinus, ex Italia. At Euangelici scriptores, sensu carnis suæ inflati, alter alterum contemnit, despicit, mordet, lacerat, irridet, comedit, consumit, damnat, anatematizat: sibi reuelatam, alijs omnibus absconsam veritatem putat. Illi scribentes siue in Meridie, siue in Septentrione, in eadem pixide Spiritus S. calamos suos intingebant: isti in tetri cacodæmonis schola, e Megeræ pixide, ira, & odio tincti, vbi sempiternus horror inhabitat, tanquam, è machina, horridos stridores, & fœtores, vnus in alterum euomit: ac ne quid cum Paulo, & Catholicis hare commune videantur, Cacangelia sua secum non conferunt, sed immissiones per Angelos malos verba Dei putant, & nocturna somnia, Euangelia. Vidimus Gallicam disputationem Parisijs habitam 1566. inter Vigoreum, & Sanctium Doctores Catholicos, & Barbas Espinam, & Oulbras Ministros hæreticos: qui cùm interrogarentur, sensum Sacræ scripturæ vnde petendum putarẽt, responderunt, quòd in corde quisque suo sensum scripturæ haberet, ex Spiritus S. inspiratione, qui neminem vult perire. O Suisticos Doctores? De Caluino quoq; scribit vir Doctissimus Genebrardus, in sua ad Daneum responsione, quòd erat inflatior, quàm vt per alios proficere publicè cerni vellet. Optimos enim authores, nullo loco, & honore dignabatur: Bibliothecam habebat, Beza teste, minimè

exæ-

exæquantem 200. libellarum precium. Quaſcunque autẽ per vim in vrbibus, Monaſterijs, Eccleſijs, Regum, & Principum palatijs, ſatellites ſui occuparunt; eas furore barbarico dilacerarũt, diſcerpſerũt, incenderunt, perdiderunt: nomen præterea, omnemq; Orthodoxorum Patrũ memoriam, quos omnis antiquitas admirata eſt, & per quos ſolos ſapimus, blaſphemijs, conuicijs, maledictis proſciderũt, Patraſſos, Papæ Palpones, Regum, & Imperatorum adulatores, culinarum aſſeclas, quæ poſtea in cap. 10. copioſius proſequemur, appellantes. Quare te, mi lector, per Chriſti paſſionem oro, & obſecro, vt ſi dignum Cyprianum, Auguſtinum, Hieronymum, Thomam, HOSIVM, Cromerũ, Belarminum, Toletum, Sanctium, Alanum, Heſelium, Socolouium, non putas cui docenti fidem adhibeas, & Euangelici, Hæretici, & Antichriſti ſint, quodq; doctrinas dæmoniorum doceant; ſaltem ipſis Euangelicorũ Protomagiſtris, mutuò ſeſe perfidiæ nomine condemnantibus, fidẽ indubitatam commodes: quorum propria iudicia, mutuaq; teſtimonia propterea collegimus, vt nõ ſolùm oculis ipſe tuis videas, ſed manibus etiam palpes, quàm acerbè inuicem mordeãt. Neq; dubites, & ab inuicem citò conſumentur. Ecce tibi oſtendi Zuinglium à Luthero damnatum, Lutherum à Zuinglio reprobatum, Bucerum à Caluino correctũ, Caluinum ab Ochyno irriſum, Volanum a Budneo, Budneũ à Czechouicio anathematizatum: Lutheriſtas à Caluiniſtis, Caluiniſtas ab Anabaptiſtis, Anabaptiſtas à Trideiſtis, Trideiſtas ab Atheiſtis, nigro Cacodamoni traditos. Atheiſtas, omniũ calculis, & in terris, & in cælis reprobatos, & damnatos. Et iſtos quidem, vt peſtem præſentem, cane peius, & angue fugias: Catholicos autem, & Orthodoxos Doctores, & ſcriptores, in diuerſitate linguarũ oris, vna lingua cordis loquentes & ſcribentes, ob illud, quod nobis Chriſtus tantoperè commendauit, amoris & vnitatis vinculũ, quo vnus adhæret alteri, & vnus (vt ait Iob) vni coniungitur, ob eã, quàm Paulo præſtãt obedientiam, dum vnus contra alterum non inflatur, idem docentes, idem ſentientes, idem ſapientes, vt homines ſpiritu Dei plenos ſuſpicias: illosq; tibi vitæ duces diuinęq; volũtatis interpretes adhibeas. Narro tibi lector, non errabis, ita mihi propitium precor iuſtum illum viuorum, & mortuorum iudicem, Chriſtum Deum noſtrum: non errabis: per eorum enim veſtigia ad eam cathedram vnitatis peruenies, in qua Dominus, vt loquitur Auguſtinus, doctrinam poſuit veritatis. Illam dico, in qua Chriſtum Romanis Petrus annunciauit, vbi Paulus prædicauit, quos literis appellauit, & fidem probauit, vbi ſanguine, quã vterq; tradidit, doctrinã obſignauit. Cui ſoli hanc laudem Irenæus tribuit, quòd in ea perpetuo conſeruata fuerit Apoſtolica traditio: cui totam Chriſti doctrinã Apoſtolos cũ ſanguine profudiſſe, Tertullianus ait: quam matricem, ac radicẽ Eccleſiæ Cathol. vocat, nec ad eã acceſſum habere potuiſſe vllam perfidiam, refert Cyprianus: quam matrem, & caput omnium Eccleſiarum appellat Athanaſius: quam viſere, videreq; ob beatos Petri Pauliq; cineres, cupiebat Chryſoſtomus: quam incorruptæ Patrum doctrinę ita fuiſſe tenacem, teſtatur Hieronymus, & Ambroſius; vt quoties Romana fides diceretur, Catholica intelligeretur, vbi ſemper Apoſtolicæ Cathedræ, viguiſſe principatũ, narrat Auguſtinus: quam hæretici fœtoris expertem permanſiſſe, Apoſtolicamque gratiam inuiolatam cuſtodiuiſſe, teſtis eſt Theodoretus: cuius fidem non poſſe ſentire defectum ſcribit Bernardus: quã magiſterij ſui primordia ex apice Apoſtolico accepiſſe teſtatur Lanfranchus: nec hæreticum pronunciare dubitat, omnem hominem, quiſquis à Romana Eccleſia in fidei doctrina diſcordat. Quam tibi mentem, vt ille inſpirare dignetur, qui neminem vult perire, ſed omnes cupit ad cognitionem veritatis peruenire, Chriſtus IESVS Dominus noſter, precor, & opto.

Augu-

Augustin. contra litter. Petiliani.

DISSENSIO vos, & diuisio facit hæreticos. Pax vero, & vnitas, facit Catholicos.

Plato in de Repub.

CONSTAT sapientiores, meliores, potentioresque ad agendum, iustos esse: iniustos autem, ne inuicem quidem tractare quicquam posse.

Idem in de amicitia.

QVI simile simili amicum esse dicunt, id significant, quòd solus bonus, soli bono est amicus; malus autem, nec bono, nec malo vnquam re vera amicus effi-cie.

CAPVT SEPTIMVM.

Euangelici, cum sint omnium errorum amici, non possunt esse, nisi solis non errantibus inimici. Vnde fit, vt tam Iuris Cæsarei, quam Ecclesiasticorum Decretorum, sint hostes teterrimi, Regum perduelles, legum pestes, subselliorum euersores, legitimæ potestatis contemptores, Bonarum quoque artium, & Academiarum euersores.

1. Petri. 2.

Subiecti igitur estote, omni humanæ creaturæ, propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.

2. Petri. 2.

Nouit Dominus, pios de tentatione eripere, iniquos autem in diem iudicij reseruare cruciandos: magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemq; contemnunt, audaces sibi placentes, sectas non metuunt, introducere blasphemantes.

Tit. 3.

Admone illos, Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos: omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

Judas in Canonica.

Similiter, & hi, carnem quidem maculant, Dominationem spernunt, maiestatem autem blasphemant.

VOD his Apostolorũ præceptis, omnes in vniuersum Ministri vbi possunt, re, & veritate vbi non possunt, spe tamen, & animo repugnent: quod suis Regibus, & Ducibus subiecti esse detrectent: quod dominationem non solũ spernant, sed etiam oppugnant: quod omnem sicut antea Ecclesiasticam, sic postea sęcularem politiam euertant, leges, Reges, Iudices, scholas subsellia, Tribunalia pessundent, libet isto capite ex eorundem scriptis, dictis, & factis ostendere: vt plane nil ab illis in Orbe Christiano nõ suo loco, statuq; dimotum; nil non labefactatum in vtraq; Repub. appareat: ad perpetuam illorum confusionem: & omnium Orthodoxorum, in auita retinenda, maiorum nostrorum fide, & religione, illorumq; sanctissimis legibus, & decretis, atq; in ea Regni, & Reipub. forma, quam per manus nobis tradiderunt conseruandã atq; confirmandã constantiam. Ac ante omnia quidem ex ipsius Lutheri Euangelicorum Prothoplasti testimonijs ostendemus, omnes in vniuersum sectarios seditiosos esse,

Ait ille, sicut ab Aurifabro eius discipulo in Symposiacis scriptum legimus. Tit. de sectarijs. Certum est quod quilibet hæreticus, aut sectarius est seditiosus. Nã posteaquàm mendacia docuit, & sparsit, ea deinde homicidijs obsignat. Et iterum fol. 367. Seditiones, & homicidia hæreticorum, imò Diaboli veluti sigillum quodam sunt: quod natibus ad mendacia sua obsignandum imprimit.

Menno quoq; Symonius Sacramentarius eundem seditionis spiritum Lutheranis tribuit. In lib. de Cruce Christi, quam peregrinas, inquit, & sanguinolentas seditiones Lutherani, etiam ad introducendam, & comprobandam doctrinam suam, annis aliquot proximis cõcitarint, id illis ipsis expendendum relinquimus. Nihilominus nos quanquàm præter culpam, seditiosos hæreticos vocant ipsi vero pij iusti, & pacifici Christiani esse volunt.

Post latam itaq; à Carolo V. Cæsare contra Lutherum sentẽtiam in Comitijs Vormatien. Anno 1521. Lutherani omnia audenda tentandaq; putauerunt, vt contra Cæsaream Maiestatẽ, & reliquos Imperij principes seditionem concitarent, Vlricus Huttenus; & Hermanus Buchsius, famosis libellis, & carminibus, quemcumque poterant impetebant, Cæsarem esse puerum vociferabantur, & Monachorum consilijs gubernari. Excutiendã istorum authoritatem, & Cæsarem in ordinẽ cogendum, Coniurationis nomina in libellis omnibus, & in valuis Ecclesiarum, affixa videbantur. Cochleus, & Surius.

Ipse quoque Lutherus, Tom. 6 de secular: potestate. Inter Christianos, inquit, non debet esse vlla potestas, sed æqualiter vnus alteri est subiectus.

Idem, in libello, quem Xenij loco pro nouo Anno retribuit Sedi Apostolicæ. Martinus Lutherus, Sanctissimæ sedi Romanæ, & toti eius Parlamento, meã gratiam, & salutem imprimis, Sanctissima sedes, crepa, & non frangere, & ob hãc nouam salutationem: in qua meũ nomen primo, & in supremo loco pono; osculandorumq; pedũ obliuiscor, nec timeo,

Nam

Citat Cochleus.

Nam qui prę minis moritur ad eius sepulturam cõpulsari debet, crepitibus ventris.

Ibidem, ad 6. Bullæ articulum, excommunicat, ait, Papa omnes, qui Turcis, aut Saracenis ferrum, & arma bellica asportant, aut vendunt, Sed ad quid conducit prohibere Turcam? Quid mali facit Turca? occupat Prouincias, & gubernat temporaliter, At hoc ipsum à Papa, & Tyrannis nos pati oportet, qui & corpus, & vitam nobis excoriant: quod Turca nõ facit: & tamen si Turcam expugnare vellemus, à Papa incipiendum, nobis esset.

Idem, in lib. contra Regem Angliæ. Quis est iste Henricus? nouus Thomista, discipulus dumtaxat, tam ignaui mõstri, vt virulentas eius blasphemias honorem? Ego aduersus dicta Patrum, hominum, Angelorum, dæmonum, pono non antiquum vsum, non multitudinem hominũ, sed æternæ Maiestatis verbum Euangelicum. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic insulto, Papistis, Henricistis, Sophistis, omnibus portis inferni, Diuina Maiestas mecum facit, vt nil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Henricianæ Ecclesiæ cõtra me starent: dogmata mea stabunt, & Papa cum Henricistis cadet, inuitis omnibus portis inferi, & potestatibus aeris, terræ, & maris.

Et ibidem, contra Cæsarem loquens, Apparui ego iam tertio coram eis, Vormatiam ingressus sum, etiam cum scirem mihi violatam esse à Cæsare fidem publicam. Iam enim didicerunt Principes Germaniæ, olim de fide gentis laudatissimæ, fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam.

Idem in lib. de potestate sæculari, In Misnia, inquit, in Bauaria, in Marchia, alijsq; in locis promulgauerunt, Tyranni, edictum, vt noua Testamẽta mea, hinc inde in præfecturas tradantur. Ego vero sic dico, vt subditi sic agant, Non foliolum, non literam, vnam sic tradant, sub periculo salutis æternæ. Quisquis enim sic fecerit, is tradit Christum Herodi in manus, Hoc namq; Tyranni agunt, sicut agere debent Principes mundani; Et scire debetis, quod ab initio mundi rara admodum auis est Princeps prudens, adhuc multo rarior Princeps probus, sunt communiter maximè fatui, ac pessimi nebulones super terram. Et ipsi sunt lictores, & carnifices Dei, & valde pauci sunt, qui non habeãtur pro fatuis, ac nebulonibus. Videcochleum fol. 63.

Et iterum, in eodem libro, Sęculares Domini debent Prouincias hominesque gubernare extrinsecus, Hoc omittunt, nõ plus scientes, quam excoriare, ac deglutire: Vnum vectigal super aliud, Vnum tributũ super aliud imponere, hic vrsum, illic lupum emittere. Ad hæc nullam fidem, aut veritatẽ apud se retinere, agunt itaq; peius quam prædones, ac nebulones agerent, & sæculare eorum regimen tam profunde iacet, quam iacet Ecclesiasticorum Tyrannorum regimen, quapropter Deus tradidit eos in reprobum sensum, vt agant perversè, volentes spiritualiter dominari super animas, quemadmodum illi volunt dominari sæculariter, vt confidenter alienis sese onerent peccatis, Deiq;, & omnium hominum odio, donec intereant simul cum Episcopis, Præsbyteris, ac Monachis vnus nebulo cum altero.

Et in Prefat. cõtra duo Cęsaris mãdata. Turca decies, & prudentior, & probior est Principibus nostris. Quid enim huiusmodi fatuis dominis contra Turcam prosperè succedet? Conqueror ex imò corde, cunctis probis Christianis, vt mecũ commisereantur, super huiusmodi stolidos, fatuos insanos, & amentes Dominos mo. riones.

Idem contra Epitomen Syluestri: Mihi vero videtur, inquit, si sic pergat furor Romanistarum, nullum reliquum esse remedium, quam vt Imperator, & Principes, vi, & armis accincti aggrediantur, has pestes orbis terrarum, remq; iam non verbis, sed ferro decernant. Quid enim latrant, perditi homines, etiam communi sensu priuati, quam id quod Antichristus facturus prædicitur, si fures furca, si latrones gladio, si Hæreticos igne, plectimus, cur non magis hos magistros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Sodomæ colluuiẽ, quæ Ecclesiam Dei, sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus nostras in sanguine istorum lauamus?

Et

Et iterum. Turpe quidem est Cæsarem, ac Principes manifestis agere mendacijs, sed turpius videtur eos simul, & semel cõtraria euulgare mandata. Eos profecto, & ebrios, & stultos Principes esse oportet.

Idem in lib. contra Regem Angliæ. Tu ne, ait, causam fidei sæculari Principi cõmites? At ego video protestatē Dei, quod oportet super verbo Dei, non solum Papam, Episcopos, & Sophistas, verum etiam Reges, & Principes fieri mendaces, ac seipsos traducere. Nam, & porci, ac asini, videre possunt, quam cæci, ac obstinati sint.

Et iterum, in eodem loco, Me quoque, inquit, pœnitet quod Vormatiæ Cæsari, eousq; me submisi, vt vellem pati iudices super doctrina mea: atque audire, si quis vspiam mihi errorē ostenderet. Non enim debuissem, tam stultam exhibere humilitatem; cum de ea certus essem, & tamen apud Tyrannos me nihil iuuabat. Tā certos enim nos hac de re esse oportet, vt si vel totus mundus contradiceret: in ea tamen vnusquisque nostrum perseueraret.

Et in libro. Contra statum Ecclesiasticum. Ego vero, inquit, neque Papæ, neque Imperatori, sed ne Angelo quidē de Cælo doctrinam meam amplius submittere iudicandam volo: sed quoniam de ea certus sum, per eam iudex esse volo, non modo hominum verumetiam, cunctorum Angelorum: vt siquis doctrinam meam non acceptauerit, saluus esse non possit: quia Dei est, & non mea; idcirco, & iudicium meum, Dei quoque est, non meum.

Et iterum, in eodem libro. Quicumq;, inquit, dant operam, Corpus, bona, honorem; suum sic exponentes, vt Episcopatus destruantur, regimenq; Episcoporum deleatur, ij sunt dilecti filij Dei, ac vere Christiani obseruantes mandatum Dei, repugnantes ordinationi Diaboli?

Idem lib. 2. Contra Zuinglium, & Oecolampadium. Ego, interim, ait, neque Papæ, neque Principibus per omnia parco, Quippe qui nuper in vltima Confessione fidei meæ adhuc dixi, Papatum veram esse Tyrannidem, & Regimen Antichristi, & Principibus interea non vnum dedi per varios libellos camillum. Nam mox edito in Rusticos libello, eos rursus dixi Tyrannos, atque Euangelij persecutores: atq; vt magis inuisos plebi redderem, dixi eos supra modum crudeliter agere, cum misero populo: nõ sanè ad corrigendam seditionem: sed vt immitti, ac iracundo animo suo, quem forte diu habuerunt in plebeios, locum darent, ac satisfacerēt: quin etiam vbi narrassem vxorem Munceri à quodam ad stuprum compellatam, ita subiunxi, quid de huiusmodi suibus, & porcis scribam? Scriptura vocat eos bestias, hoc est animalia fera, vt sunt Lupi, Apri, Vrsi, Leones, Neq; igitur ego, ex ijs homines faciam: ferendi tamen sunt, si Deus per eos plagis nos vult afficere. Vtrumq; sanè timui, Si prævalerent rustici, Diabolus foret Abbas: Si verò prævalerent eiusmodi Tyranni, mater eius foret Abbatissa.

Idem subiunxit, post duo Imperialia mandata, In fine, inquit. Oro cunctos pios Christianos, dignētur simul rogare Deū, pro huiusmodi miseris excoriatis Principibus, quibus nos Deus proculdubio magno iræ suæ furore corripuit: ne vllo pacto sequamur eos, vel in militiam iræ, vel dare aliquid, contra Turcas: Quandoquidem Turca decies prudentior, probiorq; est, quam sunt Principes nostri, Quid talibus fatuis, contra Turcam prospere eueniat: qui Deum, tam alte tentant, ac blasphemant?

Idem in præmonitione, egregiam obedientiam subditorum erga Principes concionatur, Idcirco ait, ad Cæsarem, siue Principem tuum, te ad bellum vocantem, sic dicito, Bone Cæsar, Bone Princeps, quando seruas iuramentum, promissumq; tuum, quod in Baptismo iurasti, charus es mihi Dominus, eroq; tibi obediens ad bellandum, quandocunq; volueris, Sin minus, alium tibi quære qui obediat. Cochleus fol. 224 vitæ Lutheri.

Idem in libello contra Siccariū Dresdæ, inter cætera seditiosa, sic loquitur, Nihil curo, quod quæritur, nominari in meo libro, ferè mera maledicta, atq; infernales Diabolos, hoc debet esse mea gloria, meusq; honor, sic, & habere volo, vt deinceps dicatur de me, quod plenus sum maledicentiæ, criminationisq;, & execrationis, in Papistas, volo de cætero aduersus nebulones istos, me exercitare, exe-

execrationibus, ac maledictis, vsque ad sepulturam meam, nec vllum verbum bonum amplius audient ex me, Ego meis tonitruis, ac fulminationibus sic eis ad sepulturam compulsabo.

Extat eiusdem Bulla, siue Reformatio, vt vocat, contra falso dictum ordinem Ecclesiasticum inscripta, & Tom. 2. Ienen. Germanico inserta. In ea hæc verba leguntur. Nunc attendite, inquit, vos Episcopi, imo laruæ Diaboli: Doctor Lutherus vult vobis Bullam, & reformationem legere, quæ vobis non bene sonabit. Doctoris Lutheri Bulla, & reformatio. Quicumque opem ferunt, corpus, bona, & famam in hoc impendunt, vt Episcopatus deuastentur, & Episcoporum regimen extinguatur, hi sunt dilecti filij Dei, & veri Christiani: obseruantes præcepta Dei, & repugnantes ordinationibus Diaboli, Aut si hoc non possunt, tamen illud saltem contemnant, ac vitent. Contra verò, quicumq; manutenent Episcoporum regimen, eisque obediunt, voluntaria obedientia, hi sunt Diaboli Ministri proprij, & repugnant Dei ordinationi, ac legi. Et iterum, Euangelium quocumq; venit oportet, vt tumultuetur, nisi id faciat non est verum, Rom. 4. Ienen. Germanico, & in colloquio Mensali. Ego Martinus Lutherus inquit, in bello rusticano omnes rusticos occidi, iussi enim eos trucidari: omnium eorum sanguis in meis humeris est, verum ego onus illud in Deum reijcio, &c.

Thomas porro Muntzerus doctrinã Lutheri, de libertate Euangelica, primus in rem conferre cæpit, discurrens per multas Prouincias, & Thuringiæ populos, cõtra suos Principes concitans inter alia multa, hæc eius verba leguntur, scripta è Milhausen ad Rusticos Thuringię. Non oportet nos diutius dormire, chari fratres, Deus enim, sicut olim Moysi Deuther. 7. Sic manifestauit, & nobis: Sollicitate ergo, in pagis, & oppidis, præsertim Metallarios, aliosque bonos compotores pariter, qui ad bella valebunt: Nolite obedire, nolite adulari diutius peruersis fatuis impijs nebulonibus. Incipite, & bellate bellum Domini, tempus est valde. Pergite, pergite, & nolite misereri.

In Epistola quoque ad tumultuantes fratres, hæc quæ sequuntur eius verba leguntur. Chariſſimi fratres, quamdiu dormitis? Quamdiu diuinam voluntatem nõ agnoscitis, aut illi repugnatis: propterea quod vos Deus reliquit, vt vobis videtur. At quoties dixi vobis, quomodo oporteat esse, &c. Quapropter cauete vobis, nolite pusilanimes esse, vel ignaui, nolite peruersis istis, phantastis, & impijs, ac sceleratis nebulonibus (Principes hoc loco intelligit, & Magistratus) diutius adulari. Incipite, & pugnate prælium Domini, iamdudum tempus est. Adhortamini fratres vestros, ad hoc, vt diuinum testimonium non irrideant, alioquin omnes peribunt. Tota Germania, Gallia, & Italia commota est, Magister vult ludum ludere, pereundum est sceleratis nebulonibus, &c. Verum agite, agite, agite, tempus est, Nebulones isti valde vecordes sunt, vt canes. Incitate fratres, vt ad pacem veniant, & commotum testimonium teneant. Supra modum valde, valde necessarium est, agite, agite. Ne moueamini misericordia, etiamsi Esau bona verba vobis proponat, Gen. 33. Nolite curare miseriam impiorum. Rogabunt vos tam amice, deprecabuntur, flebunt, vt pueri. Nolite misericordia moueri, quemadmodum Deus per Moysen mandauit, Deuter. 7. & nobis quoque idem manifestauit, Commouete in pagis, & ciuitatibus, imprimis vero metallorum fossores, cum alijs bonis socijs, qui vtiles adhanc rem erunt. Non est nobis diutius dormiendum. Oportet vos incipere, Agite, agite, tempus est, agite, agite, agite, dum ignis calet. Curate ne gladius vester à sanguine frigescat, fabricamini. Non est possibile, vt liberi sitis à timore hominum, quamdiu viuunt isti. Non potest vobis aliquid dici de Deo, dum illi vobis dominantur, Agite, agite, agite, dum lucem habetis, Deus ante vos graditur, sequimini. Res hæ descriptæ sunt, & declaratæ Matth. 24. Quamobrem nolite deterreri Deus vobiscum est, vt scribitur. 2. Par. 2. &c.

Anabaptistæ, quos Fratres amoris vocant,

Cochl. is Act. Luthe. Anno 1527.

cant, ex Niekielſpurgo obtulerant articulos aliquot ad diſputandum, inter quos erant hi. Inter Chriſtianos nullam poteſtatem, aut magiſtratum eſſe. Chriſtianis omnia eſſe inter ſe communia, Diem extremi iudicij poſt biennium futurum eſſe.

Anno 1560. Habitum eſt Geneuæ cõſilium, de Francorum Rege, Regina vxore, Regina matre, eius liberis, proceribus, & Catholicis Magiſtratibus ad certum diem per inſidias trucidandis, Beza Principe, Caluino auctore, Ottomanno ſubſignatore, Spifamio ſuaſore, omnibus Galliæ prædonibus, & laniſtis conſcijs, Huius Conſilij, & conſpirationis inuenta eſt, & impreſſa Epiſtola Caluini, ad Viretum Lauſannæ, ſicut habet Boleſcus cap. 21. vitæ Caluini, Neque tamen erubeſcunt ſcelerati laniſtæ, fidem ſuam in Regem perpetuo deprædicare, etiam excogitato illo, melle lito Symbolo, Viuat Rex: quod vexillis omnibus, & labaris imprimebant, vt latentem gladium occultarent.

Genebrar. Chron. 740.

Extat libellus Ioan. Lenſaei Louanien. profeſſoris, de vnica religione. In eo teſtatur Robertum Stephanum, illum Pauli locũ, in editione noui Teſtamenti, corrupiſſe. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem Dei ordinationi reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt, Et illũ: Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolũ propter iram, ſed etiã propter conſcientiam, Hic itaque Robertus, vt frena ſuis Euangelicis ad omnem audaciam laxaret, omniq́ue metu poteſtatis ſolueret, & ad ſerẽdas ſeditiones faceret audaciores: ad illa (ſed etiam propter conſcientiam) addidit, in margine, alienam, eorum nempe, qui non credunt: ne ſi viderint Chriſtianos Magiſtratui non obedire, dicant religionem valere ad ſeditiones excitandas.

Genebrard. Chron. 757.

Launeus lib. 2. Apologiæ ſcribit, Miniſtros Euangelicos, Baſileæ conſilium habuiſſe, vt Turca contra Pontificem, & Reges accerſeretur.

Budneus in Lithuania ſcribit, qđ Anabaptiſtæ, cum ſuo PP. Czechouicio Paradoxa quędam ſiue Canones emiſerunt his ſimiles, quos olim in Papatu reprobarunt.

I. Ne quis libros vllos edat antequàm à Senioribus examinentur.

II. Non licere vlli Chriſtiano homini eſſe Principem, aut vllum Magiſtratum gerere.

III. Nec bona terreſtria poſſidere, nec iure agere, nec debita exigere.

IV. Arma domi non aſſeruare, in via non portare, prædonibus ſe nõ defendere.

V. Non debet quiſquam ad immerſionem accedere, qui Magiſtratum gerit.

Huius doctrinæ obſtinatiſſimum ſectatorem, virum quendam grauem, & Nobilem in Comitijs Lublineñ. Sigiſmundo Auguſto regnante vidimus, habitu valde ſimplici, & abiecto, ſine gladio, ſine pera, ſine comitatu paucis ante diebus rebaptizatum. Cum quo HOSIVS Cardinalis ſemel, & iterum multa eſt collocutus, vt ab inſana mente auerteret. Ille vero nihil aliud afferebat in medium, niſi quod ſibi dictaret Spiritus Sanctus, eam quàm profitebatur doctrinam, eſſe veram, & diuinam, Vox, inquit, Patris de Cælo audita eſt, Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit.

Prodierat olim, exhortatio quædã ad Regis Galliæ Conſiliarios, cuius authorẽ Bezam fuiſſe exiſtimant: inter alia prætexit docere ſe velle, quo pacto obuiam poſſit iri ſeditionibus ob religionem ſuſcitatis: ſublatis ſcilicet è medio Principibus, qui ſuæ factionis non eſſent, promittitq́ue futurum, vt exiſtant aliqui Scæuolæ, qui ſe putent ſacrificium exhibere Deo, ſi vnius, aut alterius Principis nece, qui contrarium ſuaſerit, ſocijs ſuis parentauerint. Profert deinde Minardi caſum, qui cum, vt fuiſſe dicitur vir magno quodam Catholicæ fidei tuendæ zelo præditus, contra ſectatores quoſdam Caluini, duriorem in Cõſilio ſententiam protuliſſet, egreſſus inde, ſtatim fuit ex inſidijs à quodam proditore trucidatus. Non diſſimile, quidã Iuliano Imperatori ſcribit accidiſſe, quaſi conferre cũ Chriſto Caluinum, cum Iuliano Apoſtata Regem ſuum velit. Similiter, & Regi Galliarum Sigisberto, ac propemodnm tale, quid

quid etiam accidisse Regi Macedonũ Alexandro, ac ne videatur absque scripturis rem agere, quo magis incitet homines ad eiusmodi parricidia designanda, simul Magistratui terrorẽ incutiat, ne suæ sententiæ contradicere deq; Hæreticis supplicium sumere audeat, exemplum etiam Petri Apostoli producit, quod is manum armis admouerit ad resistendum Iudaici Magistratus ministris, qui ad capiendum ipsius Magistrum venerant. Adfert etiam Assasinorum siue Beduinorum exemplũ, qui proposita sibi spe, voluptatis paradisi, à se consequendæ, solenni voto spondebant, se in Principes omnes sequituros, qui secte ipsorum aduersarentur. Deinde Colam quendam Mantuanum, literarũ Mediolani professorem, qui prædicabat eos, & in hac, & in futura vita fore beatissimos, quorum manibus aliqua Tyrannis opprimeretur. Quæ sententia sic inhæserat animis quorundam Nobilium, vt conspiratione facta, Mediolani Ducem Ioannem Galeatium in medio templo frequenti populi conuentu, quamlibet multis stipatum, interficere non dubitarent.

Sanctius in responsione, Bezam, & Bezitas appellans. Vos nisi per discordias Regna vestra propagatis, & aliena occupatis, vestramq; doctrinam promoueri prídem declarastis, ex insigni ense, quem libris vestris Geneuæ impressis initio appinxistis cum isto Elogio. Non veni pacem mittere, sed gladium; & iacta fuisse in Gallia per bellicas strages religionis tuæ, in campis Druidum fundaméta gloriaris. Addit paulò post. Tu primi serpentis artibus infandum illum Pultrotũ ad cædem innocentissimi, atq; inuictissimi Guisiani Ducis, non solum à toto orbe Christiano, sed ab insulis quæ procul sunt deploratam impulisti. Nam cum exceptus, ac victus humanitate, & liberalitate Principis, à tanto scælere deterreretur, & tibi Aureliam reuersus dixisset, horrori, & conscientiæ esse tam indignũ facinus aggredi: eum es adhortatus ad audendum, eadem ferè oratione qua Diabolus primos parentes ad se necandos, & iugulandos incitauit. Nequaquam morte moriemini, sed eritis sicut Dij, vt tu ibi serpentem egisti, ita Pultrotus tuus hominem. Cum enim equis distraheretur te, atque alios authores, & impulsores execrabatur, & accusabat, & se hominem aliquando fuisse detestabatur, qui tantum nefas admisisset in vita.

Euangelici in Angliæ, præter subsidia rebellibus Flandris contra legitimũ Principem Philippum Hispaniarum Regẽ Catholicum subministrata, consilio, equitatu, peditatu, armis, pecunia, quendam etiam Siccarium Egremundũ Ratelissum submiserunt, & instruxerunt, nobilissima quidem familia natum, sed audacissimũ, & proiectissimi pudoris iuuenem, qui Ioannem Austriacum Principem in Castris suis per insidias tolleret, qui tamẽ statim comprehensus, & Namurci capite diminutus est.

Quam fidem seruauerint, quaq; perfidia vsi sint Euangelici Ministri in Regem suum, & Reginam Scotiæ Mariam, Henrici Stuarthi Scotorum Regis viduam relictam in Phalarismis Scotiæ dicimus.

Meminit quoque Alanus Copus in primo suo Dialogo, Angli cuiusdam hominis seditiosissimi, qui vt subditos in principem irritaret, & armaret, locum illum Petri, Regem honorificate, sic interpretatur, vt ex eo vellet statuere quemlibet in sua Repub. Regem, & caput Ecclesiæ esse, & haberi posse.

Cum ciuitatem Lugdunensem occupassent Euangelici Hugonistæ: & omnia fanda nefandaq; patrassent, nouum Senatum reprobato priore instituissent: noua Consistoria, noua iudicum Regiorũ subsellia erexissent: diuina, & humana iura euertissent: admoniti sunt Christianissimi Regis sui literis, & mandatis: vt ab omni vi, & tumultu abstinerent, militem nullum scriberent, è Ciuitate primo quoque tempore excederent: Has literas optimi, & obsequentissimi Euangelici publicè lectas indespectum Regis sui in mille minutias partes discerpserunt: & eum qui attulerat, in malam crucem agere voluerunt, nisi vt vitam redimeret, tres cistas obtulisset Ecclesiasticos auro, & argento, sanctorumque reliquijs refertas, quas domi suæ ab illorum furore occultauerat.

Georgius Buchananus olim Minorita,

Iacobi

Iacobi Scotiæ Regis Præceptor, & Poeta, libellum edidit seditiosissimum, in quo docet quomodo Reges imperare populis suis debeant, & quatenus illis obedire vicissim subditi teneantur, quæve esse causæ possint vt Reges, & Principes Catholici, Orthodoxi, à subditis suis, loco suo moueantur, deijciantur, in carceres compingantur, & mactentur, & quales in eorum loco reponantur: Ei doctissimè respondit Vinzeius Abbas apud Scotos doctissimus.

Stephanus quoque Iunius Brutus Celta, libellum edidit, quem inscripsit. Vindiciæ contra Tyrannos, siue de Principis in populum, populique in Principem, legittima potestate, impressum Anno 1580. In eo decem ponit. Quæstiones, quarum prima est. An vt Deo, sine exceptione obedire Regi suo subditi teneantur. In reliquis hoc vnum agit, vt in Regiam authoritatem subditos irritet, Principum autem potestatem certis cancellis, & legibus, circumscribat, extra quas, si quo casu sese efferat, liberum esse vult subditis, Principem suum omni dignitate, & authoritate spoliare.

Caluinus, scribens in Caput. 6. Danielis. Abdicant se, inquit, potestate, terreni Principes, dum insurgunt contra Deum, immò indigni sunt, qui censeantur in hominum numero: Potius ergo conspuere oportet in illorum capita, quam illis parere: vbi sic proteruiunt, vt velint spoliare Deum iure suo. Addit paulo post: Nisi omnes superstitiones aboleantur, Deus ius suum minimè obtinebit.

Idem, in Cap. 4. eiusdem Prophetæ: Hodie Monarchæ semper in suis litteris hoc obtendunt, se esse Reges, & Duces, & Comites Dei gratia. Sed quam multi, falso nomen Dei prætexunt in hunc finem, vt sibi asserant summum Imperium. Quid enim valet sæpè in Regum, & Principum titulis, Dei gratia? nempè ne agnoscant superiorem, quemadmodum dicunt: interea libenter Deũ, cuius Clypeo, se protegunt, calcarent pedibus, tantum abest vt serio reputent, se habere eius beneficio, vt regnent. Merus igitur fucus est, quod dicunt se, Dei gratia, pollere dominatione, cum ita, fit, facile hinc iudicium fieri potest, quam superbe contemnant Deum prophani Reges, etiam si non abijciant eius nomen fallaciter, quemadmodum isti nebulones, qui palam Deum subsannant, & ita prophanant nomen gratiæ.

Et iterum. Hodie (ne repetamus veteres Historias) vt Reges fere omnes fatui sunt, & bruti, ita etiam sunt quasi equi, & asini, brutorum animalium. Quo igitur quisque audacior est, atque proteruior, eo plus authoritatis consequitur in Aulis. Meritò nobis deflenda est, hæc Regum socordia, qui superbe contemnunt Dei dona, in optimis quibusque, qui possent præesse in maximam vtilitatem populi, & interim habent, in delitijs homines stupidos, & sui similes, & non efferunt, nisi suos lenones, & scurras, & homines nihili, quos Deus ignominia notauit.

Ministri Ecclesiæ Gallicanæ, prætensæ reformatæ, multos per vniuersum Regnum seditiosissimos libellos, partim Latinos, partim Gallicos conscripserunt, & euulgarunt: vt homines contra legittimam potestatem incenderent. Inter hos recensentur, Concilium Sacrum, Alithia, Francogallia Othomanni, de furoribus Gallicanis, Epistola Theodori Bezæ, sub nomine M. Bruti, Le Tusain des Massacreurs, Resueillematin, & similes alij.

Extat generalis Confessio, quam Regi suo Carolo, IX. Hugonistæ obtulerunt, in Gallia. In ea articulus, 39. talis habetur. Affirmamus parendum esse legibus, & statutis: soluenda tributa, & reliqua onera perferenda, subiectionis denique iugum voluntarie tollerandum, etiam si infideles fuerint Magistratus, dummodo Dei summum Imperium integrum, & illibatum maneat.

Habita est Synodus Euangelicorum, Bernæ Anno 1572. In ea Decretum est Canone 3. vt in singulis Ciuitatibus omnes iurent, se suosque posteros, ea quæ sequuntur capita, rata, & inuiolata seruaturos, Canone 4. Donec placuerit Domino, in cuius manu sunt corda Regum,

mutare cor Tyrannis Gallicanis, & statum Regni in meliorem ordinem constituere: aut exuscitare Principem aliquē vicinum, quem cognoscamus (per virtutem suam, & notas insignes) esse liberatorem huius calamitosi populi, Interim singulæ Ciuitates, singulis annis eligent sibi Prætorem, qui illos regat, tā in bello, quam in pace.

Canone 5. Illi adiungetur consilium 24. prudentium, qui ex Nobilibus, & ignobilibus eligentur promiscue.

Canone 6. Eligetur præterea consilium 72. quorum in rebus grauioribus vbi de morte, vel vita agitur in primis requiretur consensus.

Sed ciusdem Synodi Canon vltimus, longe dignissimus est, cuius verba Catholici Principes, alta mente reponant, de illorum enim pelle agitur. Habeant, ait, Duces, & Præfecti omnes, hoc Axioma instar indubitati, & certissimi cuiusdam oraculi, nunquàm, vt fidant ijs (Regi, & Regijs), qui toties, tamque insigniter, fidem violarunt, quietemque, & pacem publicam: nec vnquam arma deponant, quamdiu viderint eos persequi doctrinam salutis, aut eiusdem doctrinæ discipulos. Quod si agatur aliquando de pacificando, primum omnium illud constituatur, quod gloriæ Dei promouendæ conuenerit, Deinde diligentissime caueatur, securitati Ecclesiarum, ne deinceps exponantur immisericordiæ luporum, & Tygrium: & si Deo placuerit mollire corda Tyrannorum, eosque mutare, tum bona cum voluntate omnes, se submittent ijs, quos Deus nobis dedit Principes naturales, quibus omne obsequium præstabunt; Sin verò malum sit insanabile, & diuinæ voluntatis sit eos exterminare, tum si Domino placuerit aliquem Principem Christianum suscitare ad peccata istorum vlciscenda, & populum suum liberandum, ei se Principi subiectos tradant, tanquàm alteri Cyro, diuinitus ad eos misso. Interea his regulis se gubernent, quas nos illis tanquam leges præscripsimus, &c.

Zuinglius quoque Martis, & Bellonæ sacerdos, lib. 4. Epistolarum fol. 186. Romanum, inquit, Imperium, immo quodcunque Imperium, vbi synceram religionem opprimere cæperit, si nos illud negligenter patimur, non minus cōtemptæ Religionis rei erimus, quam ipsi oppressores. Exemplum est Hierem. 15. vbi exterminationem comminatur Deus Israeli, quod Manassen permisissent impune esse pessimum.

Et alibi, paulò manifestius. Quando Rex perfide, & extra Regulam Christi egerit, potest cum Deo deponi: cum autem in manifestè impios, & delinquentes non animaduertit, extra regulam Christi ambulat, magis verò cum sceleratos prouehit, & innoxios prægrauat, &c. Dum hæc, inquam, facit, præter regulam Christi facit, Quod autem deponi ab offitio possit Saulis exemplum manifestè docet 1. Regum decimumquinto, & decimumsexto. Quin dum flagitiosi Principes, & Reges loco non mouentur, totus populus à Deo punitur, vt patet Hieremiæ 15. In summa. Si Iudæi Regem suum non ita impunè conscelleratum esse permisissent, à Deo non tam grauiter fuissent puniti, nec filij Israel, si exauthorassent Manassem. Oportet oculum offendentem effodere, & abijcere, sic de manu, & pede, &c.

In Præfatione libri, quem Geneuæ edidit Goodmannus principalis Anglicanæ apud Geneuen. Ecclesiæ Minister, quemadmodum superioribus Magistratibus obediendum sit, &c. his verbis ad seditionem, & rebellionem contra Catholicos prouocantur subditi. Quamdiu Principes Magistratus, etiamsi coram Deo impij sunt, scelesti, & reprobi, exterius tamen curant Dei leges custodiri, & obseruari, ab alijs, tamdiu debemus illis obedientiam: sin vero audacter, & ipsi leges Dei transgrediantur, & alijs idipsum præcipiant, tum perdiderunt, eum honorem, & obedientiam, quam alias subditi eis præstare tenebantur, neque deinceps habendi sunt, pro Magistratibus, sed puniendi tanquam priuati homines.

In eodem libro, in cælum vsque laudibus Vuiati perduellis rebellio tollitur,

cap. 14. Nulli, inquiunt, nisi Papistæ, vel perduelles accusare possunt Vuiatum perduellionis, & inobedientiæ. Erat officium Vuiati, aliorumque omnium, qui inter vos Euangelium Christi profitebantur, illud bellum suscipere, erantque illi verè perduelles, qui Vuiato fidem non seruarunt, aut partes eius non iuuarunt. Et quanquam illius conatus, non ita fælicem habuit successum, quam nos sperabamus, sic tamen nostra ignauia, & indignitas merebatur. O nobilissime Vuiate, tu quidem iam cum Deo viuis, optimique illi viri, qui recum in ea causa occubuerunt, fælix, inquam es, & quicunque tecum in illa hæreditate æterna sunt collocati. Tu tuique stabitis aliquando iudices, contra inimicos vestros, ad eorum æternam condemnationem, &c. Quinimo ò Proceres, & Consiliarij, nonne vos ipsi damnastis, tanquam seruili animo, & manifeste proditores, non modo contra Vuiatum, verumetiam contra Deum ipsum, Hiccine amor ille est verbi diuini, quem præ vobis tulistis, ò Euangelici? Siccine Euangelium didicistis?

Ioannes knoxius primarius Patriarcha Euangelicorum in Scotia, edidit Geneuæ libellum, quem vocat, Appellatio ad Nobilitatem, & populum Scotorum, In eo plena sunt omnia seditiosissimorum consiliorum, contra Catholicos, sed præcipuè in Mariam Angliæ Reginam Catholicissimam, acerrimè subditos incendit, his verbis. Illud audacter affirmauerim, debuisse Nobiles, Rectores, Iudices, populumque Anglicanum, non modo resistere, & repugnare Mariæ Iezabeli, quam vocant Reginam suam, verumetiam, de ea, & Sacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt mortis supplicium sumere, vt primum aperte cæperunt Christi Euangelium supprimere.

Scribit author, Responsionis ad persecutores Anglos, pro Catholicis, quod cum rebelles subditi in Regem, & Reginam Scotiæ nefaria arma caperent, Ministri Euangelici, totius seditionis præcipui authores, & fautores extiterunt: & initio contra Regem in Ciuitate Sterlingi consilio; postea, & in acie gladijs, & bombardis armati, cum Comitibus Anguriæ, & Marræ steterũt; turbatoq; Patriæ suę statu, pelli suæ metuentes, in Angliam profugerunt; vbi in summo adhuc otio, & securitate viuunt. Talis fuit Patricius Gallouarus, in vrbe Sãcti Io. Minister, Andreas, Polardus, Subdiaconus Glascuensis, Iacobus Carmihel minister Haddinctoniæ, Andreas Harus Rector Renfroensis, Andreas Meluinus Theolog. professor.

Testatur etiã Petrus Carpentarius Iureconsultus, in suo de armis consilio ad Dominum Lemaniũ Baronem: quod in primo tumultu Gallico, Tholosæ fuerunt duo Ministri, Barrelius, & Nortus, hic pacis, & pacientiæ, ille armorum, bellorũ, & seditionum authores Ego, inquit, tũc temporis, iuuenili errore ductus, me Barrellio addixi, & putans me Christo militare, arma apertè foui, & tractaui: & ea opinione armorum semel imbutus, eam mentem vix vi excutere valui: cumq; nullis humanis rationibus ad abdicationem armorum persuaderi quieuissem, tandem diuinæ scripturæ præceptis atque medicamentis adhibitis, facilem, & expeditã rationem valetudinis comperi ex assidua lectione, Euangelij (ad quam serio, & si nimis sero me contuleram) me in persequutionibus, quas appellabamus, nihil minus, quàm Christo, & suis auspicijs militasse didici. Sicq; cum singulari Dei beneficio respuissem, & signa mea à Barellio ad Nortũ transferre cogitarem, vide quanta sit facta rerũ vicissitudo. Nortus, qui antea Tholosæ tolerantiam, & patientiã mihi frustra cecinerat, postea Rupellæ Classicũ canebat: bella omni ratione cõmouebat: totusq; in illis erat: mei tamen maleuoli, qui tibi etiã qđ me ames, & audias, minus sunt amici, in eadem re causaq; Norti factũ, qui ex pacis pręcone, belli tuba factus est, laudãt, & me qđ eiurata humana militia, ad Christi militiã defecerim, incõstantiæ nomine notãt. Et paulo inferius, ait. Post punitionẽ seditiosorũ die Bartholomei Lutetię habitã, quę magno cum Regis dolore, & luctu, vltra auctores vagata est: expectabamus aliqua illorum scripta, modestia Christiana di-

gna, quo eos tergere vel excusare, (ex veteri suo more, perditis patrocinandi) conarentur. Sed ex reliquis seditiosorum, qui pro supplicio affectis, defensionem susceperunt, omnes exteræ gentes apertè cognouerunt, & mortuos maiore supplicio dignos fuisse: & eos qui supersunt omni exterminio, è vita exterminandos, esse: furore namque illis verba ministrante, apertè, & sine circumitione verborum, quod anteà simulationis frondibus texerant, scripserunt se Regium iugum, & legittimum eius imperium detrectare: & non contenti in bonum, & optimum Principem, omnia opprobriorum, & conuitiorum genera coniecisse: omnes suos subditos, & defectionem, & seditionem publicis scriptis adhortati sunt, & formulam illam, qua abrogatum est imperium Vencenslao Imperatori, sequuti, vbique significarunt suis subditis, illos esse solutos ab omni fide, & Sacramento, Regi præstito: & illi nullum ius Regium in posterum præstandum esse. Et tunc veterem tesseram, seditionis Pean, quàm anteà religionis, conscientiæ, boni publici prætextu variè adumbrarunt apertè, publicè, & in omnium oculis protulerunt.

Meminit Cochleus, Iacobi cuiusdam Kautij, Euangelici Ministri, qui docebat omnem potestatem ac regimen Principum ex vero Diabolo, non ex Deo esse: & his præterea verbis contra Ludouicum Palat: Rheni, & Electorem vsum fuisse memorat. Non expelles, me, inquit. Non permittam me à te expelli: Immò si velis me expellere, non permissurus sum ego: etiam si mille capita propter hoc perire debeant. At dicis, me nil aliud, nisi quod ad seditionem potestatumque oppressionem, tendat, prædicasse ac docuisse: Ob id nimirum, quod dico tibi. Regimen, ac potestatem tuam, esse contra verbum Dei: & non ex Deo, sed ex viuo Diabolo esse. Non igitur expelles me hinc, nisi prius hæc Regio tota, ac Regna insuper aliquot, propterea deuastentur, dico tibi, quia huc à Deo destinatus sum, ad te docendum.

Talium Ministrorum, & aliorũ istius farinæ hominum, adeo fuerunt seditiosa, & inquieta ingenia, & consilia, vt Regnum illud Scotiæ, necesse habuerit in publicis Comitijs trium ordinum, leges sancire, quibus Ministrorum insolentia reprimeretur: & Episcopi quisque sui. Iutisdictioni, & authoritati subijcerentur, quæ tamen cũ in foro Edenburgensi, per Fecialem Regium promulgabantur, ausi sunt illi ipsi Ministri, Regis, & Comitiorum authoritati, sese opponere. Iacobus enim Lausonius, Robertus Pontus, & Gualtherus Bacaquellus, multis, & contumeliosis verbis, leges latas prosciderunt; contra eas protestati sunt: & audaciam præterea suam, seditiosissimosque conatus à Georgio Notario in acta publica referri voluerunt.

In alijs præterea Regni, eiusdem, Comitijs, insolentissimè efflagitarunt vt ipsi quoque in Regium Consilium, Parlamentum vocant, admitterentur: tanquam Episcopis suis, & Superintendentibus pares: cum Episcopi diuina lege reliquis Pastoribus, & Ministris non præsient, sed eiusdem sint omnes, & authoritatis, & potestatis, quicumque ad verbi ministerium accesserunt. Quam eorum præsumptionem, vt frangeret, omnium supremus Superintendens, qui se Archiepiscopum Sancti Andreæ vocat, multa conatus est, & in Angliam præterea profectus, vt illius Ecclesiæ sectarios de hac quæstione consuleret: neque tamen adhuc quicquam profecit. Inter eos autem articulos, quos pro sua authoritate, & potestate defendendos, ordo ille Sathanæ Ministrorum edidit, quam pleni sint seditionis spiritu, quam cædibus, & seditionibus delectentur ostenderunt. Aiunt, enim posse Regem à suis Ministris excommunicari. Immò, & à Regali solio deijcere, idque etiam in altero Superintendẽte Roberto Montgomeron, quem Archiepiscopum Glascoensem vocant, re ipsa executi sunt. Nam à sede sua toto biennio vi, & armis excluserunt, publicè excommunicarunt, ob hoc solum, quod non illorum authoritate, & approbatione, sed Regis solius potestate, & denuntiatione illorum Archiepiscopus fuerit constitutus.

Quam-

Quamobrem etiam Ninianus Vincetus Abbas Scotus teſtatur in ſuo flagello, quod illius Regni Miniſtri ſeditionũ Architecti, tam in Scholis, quã in Cathedris nullam quæſtioné ſæpius, & vehementius agitent, quam hanc, Deo ne magis, an Principibus obedire oporteat, Citat etiam hæc illorum verba, è vulgari quodam libello, Latina facta, Vtrum ſubditi debeant ſuo Principi obedientiã præſtare: quando quicquàm contra mandatum Dei præcipit, hoc eſt. Vtrum Deo, an Cæſari, ſiue Regi in rebus fidei, & religionis magis obediendum ſit: Deliberatum eſt oſtendere; non ad excitandos vllos in populo tumultus, ſed ad homines ab errore liberandos, &c. Et addunt. Videtur quidem quaſi non eſſet neceſſe, præſentem quęſtionem tractare, ſiquidem expreſſum Dei verbũ habemus, Deo nos obedire magis oportere, quã hominibus. Attamen mundus hic improbus, & ſceleratus, ita affectus eſt, vt cum doctrinæ huius mentio fit, ſtatim anſam arripiat calumniandi: quaſi homines hac doctrina contra legitimum Magiſtratum, & poteſtatem à Deo conſtitutam turbandam, & euertendam incitentur, operepretium, vt in hac quæſtione, verus inueſtigetur ſcopus, & intentio, vt limites æquitatis, non tranſiliantur, neve minus, neve nimium agatur, neq; ſub libertate Euangelica pacis turbatores, & manifeſtos hoſtes Reipub. neque rurſus ſub obedientia, erga Reges, & Magiſtratum, inobedientiam contra Deum quæramus: ſed Chriſtiane, & modeſtè ſecundum doctrinam Chriſti, dentur Deo, quæ Dei ſunt, & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; Et paulò poſt. Quatuor Propoſitiones aſſerunt, quaſi in Regum capita quatuor diſpoſitas machinas. 1. Neque ſolus partus, neque ſanguinis propinquitas eſt qua efficitur, vt Rex legitime imperet populo, Chriſtum Ieſum æternamq; eius veritatẽ profitenti: ſed, & in eius electione, quem ordinem inſtituit Deus, in inferiorum Iudicũ electione, obſeruari oportet. 2. Nullus manifeſtus Idololatra, neq; notorius Sanctorum Dei præceptorum trãſgreſſor, promoueri debet ad quoduis publicũ regimen, honorem, ſeu dignitatẽ: in quodcunque Regnum, Prouinciam, aut Ciuitatem, quæ ſe Chriſto Ieſu, Sacroſanctoq; eius Euangelio ſubdiderit. 3. Neq; poteſt iuſiurandum, votum, ſeu promiſſio conſtringere quenquam populum, vt Tyrannis obediat, eosque in Deum, & agnitam eius veritatem tueatur. 4. Sed ſi, vel in circũſpectè promouerint quemlibet manifeſtè impium, vel ignoranter delegerint talem, qui poſt indignum ſe prodat, authoritate in Dei populum (quales ſunt omnes Idololatræ, crudelesve perſequutores) æquiſsime poſſent ijdem deponere, & caſtigare etiam eum, quem inconſulte ante nominauerant, & delegerant. Recte itaque in eodem libro, ait Ninianus, Miniſtros iſtos, non Miniſtros, ſed Iudices, ſed vindices, ſed rerum dominos, ſed Reges Regum, & Dominos dominantium eſſe velle, ob eam poteſtatem, & authoritatem, quam ſibi Luciperico faſtu arrogant, non ſolum in omnia ſacra, ſed in Reges, & Principes, quos ponendos, amouendos, obtruncandos, cenſent, ſi non iuxta verbum Dei dominentur. Vtrum autem iuxta illud, an contra illud ſtet, penes ſe eſſe volunt iudicandi, decernendique facultatem. Libet adhuc ipſorum verba, proſequi. Quemadmodum, aiunt, Vaſſallus, cum ſe Principi ſuo opponit, vel Regnum eius affectat, hac ipſa noxa, ius amittit, & extremam incurrit pœnam; ita quoque Reges, & Principes, quando viris ditionem diuinam violãt: & ſuper animas, & conſcientias hominum, dominium arripiunt, ius ſuum amittunt, & in iram Dei incidunt, & indignationem. Quando enim Princeps quiſpiam, tacitus ſecum cogitat, vt eſt in Iſaia, decimoquarto capite. Aſcendam in cælum, & ſolium meum ſuper ſydera collocabo, & ſimilis ero altiſſimo. Huic reſpondet Deus. Ego contra te inſurgam, teque euellam, & extirpabo, cum omnibus poſteris tuis, immo ad inferos te deturbabo, & ſceptro ferreo te comminuam. Nec his contentus addit. Et quando Pharao dicit, Exodi 5. & 8. Quis eſt Dominus Deus, qui mihi mandat, vt dimittam populum ſuũ, vt ipſi ſeruiant? Non noui dominum. Tum deniq;

venit Dominus Deus, & præcipitat eum in mare rubrum, vt se agnoscere eum doceat, Scriptum est enim, qui me glorificat, hunc, & ego glorificabo, qui vero me spernit, spretus esto. Ex quibus omnibus, ait, non solum Principes, & Potestates discere debent, quousque potentia illorũ præcipuè in rebus Dei, & conscientiæ sese extendat, sed etiam subditi, quousque ipsi Principibus obedientiam præstare debent, nimirum non vltra, quam quousque nihil fit contra verbũ Dei; alioqui Deo hoc præcipiente pro se, illud vero pro persona Cæsaris, illud quod Cęsaris est, postponendum erit illi, quod iubet Deus pro se, ne seruus præponatur Domino, Vasallus suo Principi, & licet hac in parte accusetur quis, crimine læsæ Maiestatis, ipsemet tamen intelligit, multo maius crimen læsæ Maiestatis diuinæ esse, quàm humanæ.

Eandem ferè seditionis, & rebellionis cantilenam occinit in Polonia, Christi, Principisq; sui perduellis Stankarus, cũ in Præfatione suorum Canonum, & Reformationis in Regno institutæ, sic ad Sigismundum Augustum Poloniæ Regem loquitur. Quod si Maiestas tua, hoc Sacrosanctum, & necessarium Reformationis officium neglexerit, Nobiles tui, qui & ipsi gladium gestant, authoritate diuina tenebuntur, & debebunt, Sathanæ, & eius religioni valedicere, atque Christo, & verbo eius se totos consecrare. Immo quilibet à Deo mandatum habet, vt inuito etiam toto mundo (in causa religionis loquor) doctrinam filij Dei amplectatur, attestante voce illa cælitus delata. Hunc audite. Vnde Apostoli dixerunt Principibus Sacerdotum. Obedire Deo magis oportet, quam hominibus. Est enim Christus Rex Regum, & Dominus dominantium, Reges autem, & Principes, & Magistratus locumtenentes eius, Quod si supremus Rex nempe Christus præcipit populis suis, vt Euangelium audiant Idololatriam abijciant, & purum cultum amplectantur. Contra Reges hæc prohibent, nonne supremo magistratui, nempe Christo parendum est magis, quam locumtenentibus, qui in supremum Regem suum sunt rebelles? Maxime.

Lepidum quoque est illud exemplum, quod Hessusius Magdeburgi accidisse scribit, inter ipsos Sathanæ verbi Ministros. Eungebatur Hessusius Superintẽdẽtis munere, multaq; in Senatum seditiosa verba pro Concione, more suo vomuit. Rem eam, quidam ex verbi Ministris probabãt, quidam improbabant, coactus est Senatus Hesusium abdicare, ne tumultus fieret in populo, eo abdicato; Capellanus ad D. Iacobi, nulla præmissa priuata admonitione, Ministros omnes Hessusio contradicentes, & cum illis Senatũ Ciuitatis pro Concione excommunicauit, Diaboloq; tradidit. Aderat tum præsens concionantis Capellani Pastor, qui fulmen excommunicationis vibratum audiens, admodum, vt habet Hessusius, commotus est, plenisq; faucibus voce quãtum potuit intenta clamauit. Mentiris, mentiris, sceleste, nebulo, fur, defendes te in domo Senatoria. Quin, & cultro euaginato, ad suggestum properauit, vt Capellanũ suũ Bartholom. è Cathedra deturbaret, verum ciues quidam eũ tenuerunt, & è templo duxerunt, In lib. Germa. quem Necessariam admonitionem inscripsit, contra Senatum Magdeburgen.

Surius Cõmentario.

Geusij Brabantici sumptis armis cõtra legitimam potestatem, tam Ecclesiasticã, quam sæcularem, Symbolum tamen suæ coniurationis, tale esse voluerunt, Fideles Regi vsq; ad manticam, Nummos præterea cuderunt, hac inscriptione notatos, (Nũmus Vianẽsis,) ex altera parte, (flamma ferroq;.)

Quę externa exempla, propterea fusius à nobis commemorantur, vt Lector intelligat, tam esse proprium, ac peculiare Ministris Euãgelicis seditiones mouere, bella suscitare, flammas Regnis, & vrbibus inferre, imma summis miscere, vt existimare debeamus, ne Polonicos quidẽ Ministros ab eodem seditionis, & proditionis periculo censeri posse liberos: nec propterea, non armatum gerere in Catholicos Principes animum, quod nondum armata gerant corpora. Occasionem illi turbandi, & perdendi omnia expectant, vel potius quærunt: & erumpent aliquando, nisi legitimæ potestatis authoritate, & Consilio, impijs eorum conatibus obuiã

itum

situm fuerit, Sed iusto quodam Dei Iudicio fit, vt ij potissimum Principes de sua potestate, & authoritate in dubium veniant, qui Dei Maiestatem, & authoritatem conuitijs, & blasphemijs lacerare, diuinasq; leges omnes conuellere, labefactareq; permittunt.

Egregium eius rei specimen edidit Synagogæ Zuinglianæ Archiflamen Volanus in Lithuania, cum huiusmodi in vniuersam Suetorum gentem, & per eius latus Sereniſſimum, & pientiſſimũ Principem Sigismundum Regem nostrum mordaces versiculos edidit, alludens ad nomen Sueonis.

Sus Suinia Sarmaticum est, onos est bene notus asellis:
Quid tibi cum suibus, quid tibi cumq; asinis:

Georgius quoque Paulus Cracouien. Synagogæ Archiministe, omnem, & ipse lapidem mouebat, vt in Patria bellũ Ciuile excitaret, interim ipse anguillas, vt aiunt, in aqua turbida caperet, Sed cum Euangelica cohors, debilior adhuc videretur, quam, vt esse terrori posset Catholicis, tantisper à seditione abstinendum putauit, dum Euangelicæ suæ cohorti, plus virium accederet, sicut & Dominus infantes recens natos ante diem octauum circumcidere vetuit, ne nimis tenera, & imbecillis ætas puerorum, sectione, sanguinisque missione læderetur.

Hosius in Censura.

Gregorius quoque Zarnovviecz, Euangelicus Præco, & in Rakovv Minister, ediderat Cracouiæ duos Postillę thomos, plenos hæreticarum blasphemiarum, & seditiosissimorum consiliorum: inter ea, quæ notata habemus, hæc quoque verba legun tur, impietatis, & seditionis pleniſſima. Non magis peccabimus faciendo ex Ecclesijs Papistarum Cloacas, quam peccauit Iehu: destruendo ędem Baal, & faciendo pro ea latrinas.

4. Reg. 10.

In Comitijs quoque Regni Poloniæ Petricouien. Anno 1564. ausi sunt Euangelici Ministri, è superiore loco prædicare, quod Regem non habemus, nisi Crucifixum, & spinis pro nobis coronatum, vt subditos ad rebellionem irritarent.

Narrat Hosius, quod in Conuentu Cabilonensi, quem appellare Synodum voluerunt, Decretum ab illis est cõstitutum, vt cum primum liceret, vniuersi fratres coniunctis viribus ad tres orbis terrarum pestes, siue quisquilias, exterminandas concurrerent, nimirum Pontificiam Ecclesiam, Nobilitatem, & Iuris disciplinam. Papisticum enim esse, & à pura religione penitus alienum, vt quidam in Repub. dignitatum gradus, personarumque ordines, ac discrimina ponerentur. Quandoquidem Deus cunctos homines, Rege vno dempto (hũc enim ad aliquod tempus excipiendum putauerunt) potestate pari, & iure optimo esse voluisset. Itaq; non ita multo post, in Matisconensi solo, nonuullas Nobilium virorum ædes, ipsi Clientes eorum, huiusce Synodi opinione imbuti diruerunt, & complures exusserunt.

Libet producere seditiosissima doctrinæ capita, quæ vir Zelantissimus, & nobis olim amicissimus Ederus, in secunda sua Euangelicæ inquisitionis parte, ex libris, & doctrina Flaccianorum collegit, plena blasphemiæ in Deum, Ecclesiam, & eius Ministros, & seditiosissimorũ consiliorum in omnem à Deo constitutam potestatem.

Rebellio in Papatum.

QVICVNQVE vult saluus esse, is debet recedere, seq; in omnibus planè segregare, à Romana Ecclesia, & doctrina, à Papa, & Papatu, qui à diabolo fundatus, plenus est abominationibus, & peccatis.

Rebellio in doctrinam.

DOCTRINA Papatus, est doctrina plena corruptelarum Sacræ Scripturæ, plena erroribus, mendacijs, blasphemijs, & hæresibus.

Rebellio in Religionem.

VNIVERSVS Dei cultus, est plenus Paganicæ Idololatriæ, & excogitatorũ ab hominibus operũ.

In vitam Catholicorum.

EORVM vita est tota meretricia, plena Sodomiticæ, & brutæ turpitudinis, plena crudelitatis, & effusionis innocentis sanguinis.

Rebellio in personas.

OMNES in Papatu, nihil aliud sunt, quam abominatio falsorum Iudæorum, & infidelium Paganorum, in hæc vltima mundi tempora simul conflata, Omnes proprie sunt Regnũ diaboli, Populus dæmonis, horrendæ, & immites bestiæ, & Archinebulones.

Rebellio in Pontificem Maximum.

PAPA est verus Antichristus, Babylonica meretrix, draco venenatus, diaboli administrator, homo peccati, filius perditionis.

Rebellio aduersus Episcopos.

EPISCOPI sunt serui Antichristi, Laruati Monachi, & Sacerdotes sunt Dei blasphematores, & interfectores, Deorum serui, Animarum piratæ, Sodomitæ, & meretricij.

Rebellio aduersus Imperatorem.

CAESAR, & Reges quando sunt à Papa, vel eius Episcopis coronati, tunc accipiũt, Antichristi signũ.

Rebellio aduersus Magistratum.

MAGISTRATVS istorum locorum addictus, & obstrictus est religioni falsorum Prophetarum, quamobrem non potest in honore haberi, sed coguntur omnes contra eum agere, & loqui, nec possunt propter iram, qua sunt excæcati intermittere.

Rebellio contra mandata Principum.

QVOD diabolus eradicare non potest, per hæreticos, hoc eradicare conatur, per infidelem Magistratum, & eorum seuera mandata: dato casu, quando præcipiunt, ne quis aliter doceat, credat, orer, Deo seruat, Sacramenta accipiat, ieiunet, quam fert consuetudo Ecclesiæ Romanæ, talia mandata, reputari debent contra Deum.

Rebellio contra fidem.

QVICVMQVE sublimiori potestati promisit, quod vult in religione Romanæ Ecclesiæ perseuerare, is oblitus est eius fidei quã in Baptismo professus erat, impium Iuramentum fecit, quod debet frangere, quantum illi Deus, & æterna salus chara est.

Stimulus ad Rebellionem.

QVANDO inferior Magistratus, in Prouincia, vel aliqua Ciuitate, ad veram Dei cognitionem peruenit, tunc non debet expectare, dum superior Magistratus falsam, & Deo cõtrariam doctrinam euellat, aut Euangelium publicè profiteri, & Sacramenta iuxta Christi instituta ministrare, permittat: poterit quidem superiorem Magistratum humiliter petere, Sed si is non fecerit, aut facere non permiserit, debet ipse inferior Magistratus falsam doctrinam, & falsum Dei cultum abrogare, & Ecclesiæ de veris verbi Ministris prouidere.

Summa Summarum.

QVICVNQVE huic Antichristi cætui (Papistas intelligunt) nõ ex toto corde, & ex tota anima inimicus est, is nulla ratione potest Christum ex corde amare.

Hæc

Hæc ex Vigando, Heſuſio, Spande bergio, Syluano Flaccianorum ſcribentibus, & clamantibus, collegit Georgius Ederus.

Ioannes Schutz, Lutheranus: In libro quinquaginta cauſarum, cur Lutherani ſe coniungere Sacramentarijs non debeant, Capit. 47. Sacramentarij, ait, in brachio ſæculari confidunt, & plerunque homines ſeditioſi ac turbulenti, & pacis perturbatores ſunt, cauſamque ſuam armata manu tueri volunt. Intentio, voluntas, & deſiderium eorum eſt, (inquit idem Lutheranus alibi) omne genus infortunij meditari, ſeditionem atq; diſſipationem concitare, demũ occidere, & perdere.

Et paulò poſt: Sacramentarij duplices latrones ſunt: Non enim ſufficit illis, quod falſis dogmatibus, animas hominũ occiderunt, verum vbicunq; pacem externam turbare poſſunt, & efficere, vt corpora etiam occidãtur, nihil faciunt relin qui ad ſummam diligentiam.

Commemorabile fuit, factum illud optimi Principis Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis, quo teſtatum eſſe voluit, vniuerſæ poſteritati, quam ſint turbãdis, & euertendis Regnis, ſerendiſque ſeditionibus idonei Euangelici, quod iſto loco Gorſcij viri doctiſſimi, & præceptoris noſtri, ijs quibus in eius Cruſio legun tur verbis, libet adducere. Anno à nato Chriſto Seruatore noſtro, niſi me memoria fallit 1571. Sigiſmundus Auguſtus Rex Poloniæ, finitis inter ſe, & Moſcum inducijs Legatos ſuos, viros ſanè Principes, ad ipſum Moſchum, eas ipſas inducias repetiturus, mittebat: inter quos non nemo erat, è numero eorum, qui Euangelicos ſe eſſe profitentur, qui veſtri iſtius quinti Euangelij propagandi cupidus Miniſtros ſuos, & Doctores Euangelij iſtius veſtri, ſecum ducebat: idque non inuito Auguſto Rege, qui quantùm mali in Moſchouiam immiſſurus eſſet, ſi Miniſtrorum iſtorum ibi doctrina recepta eſſet, non ignorabat. Experiebatur ipſe in dies audaciam eorum, qui eo morbo à veſtris infecti in ſuo Regno viuerent: qui ſemper vt aduerſus Eccleſiam, ita etiam aduerſus ſuam Maieſtatem aliquid molirentur, & auderent, nouaſque leges, & à Pontificibus, & à ſe flagitarent, diſcordiaſque inſanabiles excitarent. Hoc igitur malo infici Moſcorum genus cupiebat, vt ij libertate Euangelij veſtri deguſtata, legibuſq; ſoluti, Principi ſuo, ad cuius nutum omnia agerent, rebelles fierent; iugum, quo premerentur exuere tentarent; & diſſidijs inter ſe proſeminatis, diſcordes, & Principi non obedientes redditi, minus idoneum bellis gerendis, & Liuonia oppugnanda, Principem eum redderent. Cum illa Concordia, & obedientia, ſubditorum eius, inſolentiam, & arrogantiã, & crudelitatem, pluſquam Tyrannicam eius aleret, & ad bella inferenda vicinis inflammaret. Hunc igitur impetum eius, Auguſtus, vt erat Princeps ingenioſus, aliud agendo inhibere, & conſilia hoſtis interturbare, & curſum eius impedire voluit, Permiſit igitur Miniſtros in eam regionem à Legatis ſuis duci, & Caluini veneno eam conſpergi, inſolentem, & Principi minus parentem reddi: Minimè enim dubitabat, ſi Moſchouia Euangelium iſtud veſtrum admiſiſſet, inermem illum Principem, hoſtemq; ſuum ſtatim fore. Ducuntur igitur Hugoniſtæ iſti, in Moſchouiam, ac ſe Moſchum tyrannum molituros, & purioris doctrinæ capacem reddituros profitentur, Confeſſiones nõ diſſimiles veſtræ, quam Patriarchæ eorum Oecumenico Paſtori miſiſtis ſcribunt; ac ſalutato Principe Moſcho, eas vt aurea dona offerunt, & commendant; ſcripta illa eſſe, quæ afferrent vitam æternam, & Euangelij lucem aſſerunt, continere: gentem ſuam in perpetuis tenebris errare, ſe vt illis lumen veritatis accenderent veniſſe: petunt libros illos legi, & ad cætera ſuam operam ſedulam prolixè Principi, & eius populo pollicentur: Accepit Princeps ille Confeſſiones illas, lingua Schlauonica ſiue Polonica ſcriptas, ſe lecturum pollicetur, & quod ſibi videretur reſpon ſurum: Redeunt Miniſtri ſpe pleni in Diuerſorium, Regni, & Imperij Moſchouiæ, iam ſpe certa deuorata, ſe Pontifices, & Patriarchas ſtatim fore ſperantes: Reſponderat enim eis Princeps ille, præmorem ſuũ humanius, ſeq; lecturũ rece

perat:

perat: vnde isti in magnam spem veniebant. At illis digressis, in diuersoriumq; reductis, Princeps Moschus, suos Pontifices aduocat, legi Confessiones illas eorum iubet: quarum doctrinam vt audiuit, & audatiam istorum admiratus, & impietatem detestatus, tanquam præsentem pestem imperij sui, & Ecclesiæ suæ, statim à suis amolliri iubet, librosque illos notatos, & mendacij Hæretici damnatos remittit: ne extra limen Diuersorij pedem efferant denunciat: ac ne in diuersorio quidem ipso, etiam apud suos Euangelicos, de religione concionentur, grauiter edicit, ac præsens flammæ supplicium, si vel hisce auderent commina tur: statim eos crematurus: nisi legatorum authoritate tegerentur: ne enim in eos statim animaduerteret legationis iura, quæ ille inuiolata, seruari voluit, obstabant. Inclusi igitur ita Diuersorio vt nec limine egrederentur, nec vllum verbum de religione facerent, ne vel attractu vel aspectu, vt Basilisci facere dicuntur, suos inficerent. Nullum igitur illi deinceps in ea regione verbum de Euangelio vestro fecerunt. Hæc Gorscius.

Illa quoque Caluini seditiosissima Cōsilia præteriri non debent, quæ statim initio sui, si dijs placet, Geneuen. Apostolatus, repugnante Ciuitatis Magistratu, susceperit. Vt primum enim, ait Bolescus, in vita illius, ad Ministrorum numerum ascriptus est, conciliatis sibi reliquorum studijs, inter quos præcipui erant Farellus, & Coraultus consilium iniit audaciæ, immanitatis, summi in omnem antiquitatem contemptus pleniſſimum. Decreuerat enim diem Dominicum in Feriam Sextam, dies Veneris vocatur, commutare: vt ea quæ debetur diei Dominico festiuitas, Feriæ Sextæ tribueretur. Cœnam præterea Domini in pane fermentato ministrare, non in azimo, sperans istiusmodi nouationem magnum incommodum Papatui vniuerso allaturam. Quamobrem supplicationem ea de re conscriptam Magistratui Ciuitatis porrexit. Is porrò cum Bernensi Ciuitate rem totam communicauit; Coactaq; Lausanæ Synodo abstinendum ab ea nouatione censuit, atque, ita Caluino, & Farello edixit. Illi vero contra Magistratū bacchari, populum ad seditionem concitare, res nouas alias atque alias moliri occiperūt: quale est vt Feria quarta, vsque ad finem concionis ab omni manuum opere abstineretur, idque deinceps Bernenses ludibrij causa Festum Caluini vocabant: vt festa Natiuitatis Christi, Circumcisionis, Resurrectionis, & Ascensionis, abrogarentur, vt ne die Natalis Domini Cœna distribueretur, sed die Dominico proximè sequenti, & prima Dominica Mensis Septembris. Hoc genus nouationum cum Senatus prohiberet. Henrico præterea Mario negotium dedisset, nevllam, in administratione Cœnæ nouationem introduci pateretur: & maximè omnium, ne Cœna fermentato pane distribueretur, mira Conuitia, & maledicta Caluinus pro Concione in vniuersam Magistratus authoritatem vomuit. Ad extremum ipso die Paschatis, cum frequens populus ad Cœnam conuenisset absoluta Concione discessit è templo, nec vllam omnino Cœnam distribuit, quare populus exacerbatus, miras tota Ciuitate egit Tragœdias, Senatus autem post multas præces, & admonitiones, cum Caluinus omnia noua quotidie moliri non desisteret, eum Ciuitate eiecit, vbi quibus dolis, & artibus vsus posteà redierit, non est huius loci, & tempotis recensere.

Sed in ipsa quoque Iura, & Decreta tam Ecclesiastica, quàm Cæsarea, quibus in otbe Christiano hominum inter homines pax, & concordia conferebatur, lites, & contentiones per multa sæcula dirimebantur, offensiones sopiebantur, iræ odiaque placabantur, quam acer fuerit, quāque iniquus Lutherus, & ex eius lumbis descendentes Euangelici, pauca è multis afferemus. Negat is inprimis hominem Christianum vllis subijci posse humanis Decretis, & legibus. Sic enim, ait in libro de Confessione ad Franc. Schickink, Dico ego Martinus Luther quod neq; Papa, neq; Episcopus, neq; vllus hominum habet ius vnius Syllabæ cōstituēdæ super Christianum hominem, nisi fiat eiusdem consensu: Quicquid aliter fit, Tyrannico spiritu fit.

Et

Et in li. de Capt. Babylonica. Recte per gitis fratres cõtra leges, & traditiones se se opponere. Turpe est enim, & iniquiter, seruile, Christi hominem, qui liber est, alijs, quam cælestibus, ac diuinis legibus subiectum esse.

Iura itaque Cæsarea, Codicem, Pandectas, irrisit, & contempsit, Ecclesiastica vero à prima, vt ait, litera, vsque ad nouissimam funditus delenda censuit, præsertim vero Decretales. Facinus etiã audaciſſimum, & omnibus retro sæculis inauditum attentauit. Sacros enim Canones, & Sãctorum Patrum decreta, totumque ius Pontificium simul, Decretũ, Decretales, Textum cum Bullis Papalibus, literisq;, & sigillis Indulgentiarum aliorumq; Indultorum Papaliũ publicè damnauit ad ignem, & in foro Virtembergeñ. cõbussit, de quo non pauca scripsit Epigrammata Heliodorus Axiacus in Iuris Canonici incendium, collectis prius ex Decretorum volumine 30. Articulis, quorum impietatem, & absurditatem adeo magnam esse vociferabatur, vt non nisi flamma, & igne corrigi potuisse viderentur, his deinde verba, quæ sequuntur subiunxit. In his, & eiusmodi articulis, quorum innumerabiliter plures sunt: omnes tamen Papæ, ipse solus nemini mortaliũ, sed ipsi omnes, etiam Deus, & Angeli sint subiecti, vt Papæ discipuli dicantur: Papam esse rem mirabilem, non esse Deum, & non esse hominem, fortassis Diabolum, & Sathanam ipsum.

Extant in Tomis Luth. Acta exustionis Antichristianorum Decretalium. Hæc in illis verba leguntur. Anno Dominici Natalis vicesimo, vltra sesquimillesimum, decima die Decembris, conuocata est affixis schedulis omnis scholastica iuuentus Virtemberg. fore, vt Decretales Antichristiani, concremarentur, in horam nonam. Id horæ agminatim est itum ad exustionis locum, quod post ptohodochiũ erat parandum. Atque ibi magister quispiam haud incelebris rogum extruxit, ac succẽdit, impositis Antichristianis Decretalibus, per eximium D. Martinũ Lutherum, addita est, & Bulla Papistica nuper exhibita, quam idem Martinus Lutherus cõijcit, hisce verbis prolatis. Quia, inquit, tu conturbasti Sanctum Domini, ideo te conturbet ignis æternus. Quo facto redijt in vrbem D. Martinus, maximatum Doctorum, tum magistrorum, aliorumq; literarum Candidatorum caterua, comitatus: & de hoc facto suo tale Decretũ edidit. Quod extat in lib. Quare Pont. Rom. & discipulorum eius libri à Luth. combusti sunt. Ego Mart. Luth. dictus Doctor Theologię, notifico in vniuersum omnibus, mea voluntate, consilio, & opera, die Lunæ post Natalem S. Nicolai, Anno Domini 1520. exustos esse Pontificis Romani libros, & nonnullorum eius discipulorum. Si quis vt mihi futurũ persuadeo admirabitur, interrogatus quibus de causis, & quo mandato hoc fecerim? his ipsis sibi responsum permittat.

Summa, inquit, Summarum totius Iuris Canonici hęc est, Papa est Deus in terris, superior omnibus cælestibus, terrenis, spiritualibus, & sæcularibus, & omnia Papæ sunt propria, cui nemo audeat dicere, Quid facis?

Et in lib. de formula Missandi, Ego vero, & si Romanæ Ecclesiæ iampridem valedixi, eiusq; Canones, & decreta publicè combussi, coactus sum tamen propter leues, & fastidiosos Spiritus, qui ceu sues immundæ, sine fide, sine mente irruunt, & sola nouitate gaudent, atq; statim, vt nouitas esse desijt, nauseant: alios Canones, aliamq; Missandi formulam prescribere, ac sic agere, vt non amplius solo verbo doctrinæ corda regerem, sed manum quoq; apponerem, & publica administratione in opus perducerem.

Et in lib. ad Nobilitatem Germaniæ. Ferunt, inquit, nullum esse regimen sæculare, vsquam, pulchrius, quam apud Turcam, qui tamen neque Canonicum, neque Ciuile ius habet, sed solummodo suum Alcoranum. At nos fateri oportet nusquam esse turpius regimen, quã apud nos, per Canonicum, & Ciuile ius, quod nullus status incedit amplius rationi naturali, taceo Scripturæ Sacræ, conformis.

Et in Captiuitate Babylonica, de Matrimonio, Scio equidem nullã Rempub. legibus fæliciter administrari. Si enim prudens fuerit Magistratus ductu naturę, omnia fælicius administrabit, quam legibus,

bus. Si prudens non fuerit, legibus nihil præmouebit nisi malum.

Et alio in loco ad Nobilitatē Germanię sic ait. Prudentes Magistratus simul cum scriptura Sacra satis superque nobis ius essent: Sicut ait, Paulus 1. Corinth. 6. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare causam proximi, vt necessarium sit coram gentilium iudicibus litigare.

Et in 500. Articulis, articul. 391. Nulla est ergo remedij spes, nisi reuocato libertatis Euangelio, secundum ipsum extinctis semel omnibus omnium hominum legibus, omnia iudicemus, & regamus.

Et in libro de 10. præceptis, cap. 8. Sed habent Iuristæ Priuilegium magnum, vt nulli contra eos loqui, aut eos iudicare liceat. Id autem est, quod nemo rectè arguit, quod non intelligit. At Iuris intellectus est infinitus, & inexhaustus, neque est repertus Iurista, qui omnia norit. Idcirco si non antè de eis liceat iudicare, quam eorum omnia intellecta fuerint, nunquàm licebit iudicare: semper enim dicent, non esse intellectum, quod arguitur.

Et in libro, de potestate sæculari. Vbi Princeps ipse non est prudentior Iurisconsultis suis, nec amplius intelligit, quam in iuridicis libris continetur, is proculdubio reget, secundum illud Prouer. 28. Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam.

Et iterum, eodem in loco. Quomodo faciet Princeps, qui tam prudens nó est, & necessario regitur per Iuristas, & libros iuris? Respondeo. Ideò dixi statum Principum esse statum periculosum, & nisi, sit ipse tam prudens vt per sese, & ius & Iuristas regat, ibi succedit iuxta Salomonem. Ve terræ cuius Princeps puer est.

Aurifaber in Sermonibus Conuiualibus fol. 554. Scribit Luthero sæpè dixisse. Ante me nullus vnquàm Iurista fuit, qui sciret, quid sit ius coram Deo. Quicquid posteà didicerunt, à me didicerunt. Coram mundo volo aliquid eos esse, coram Deo volo omnes mihi subesse. Si possum ipsum Moysen iudicare; & mihi subijcere, quid faciam de Iuristis. Et fol. 556. Res est periculi plena, vt Iuristæ saluentur, nam quod aliqui ex illis credunt in Christum, hoc non ex sua arte, nec ex suis libris habent, sed quia ego in Christum eos credere docui.

Et paulo post, Iurista nihilo plus est, quam Sutor vel Sartor, Iurista si nihil aliud est, quam Iurista, res est valde misera, & ridicula. Quid est ius Germanicæ: (Suppen:) hoc est iusculum, ita Iuristæ nil aliud sunt nisi, (Suppenfreser,) hoc est, iusculi voratores. Nihil enim aliud tractant, nisi mendacia negotia (dreckchendel,) de furtis, de adulteriis, de cloacis, &c.

Idem in responsione ad condemnationem Theolog. Louonien. fol. 4. Rogo vos crassos (pene effluxisset) desistite Lutherana aut iudicare, aut tractare: impares estis huic rei, tam in Aristotele, quam in Sacris litteris. Sumite Copulata vestra, & vestris viribus materiam æquam. Satis, in Reuchlino, & Petro Rauēst, & alijs ostēdistis, quam nil sciatis, & temerè omnia audeatis.

Et in Disputationibus Circularibus, Tom. 1. fol. 395. Deus perdat, & Canones, & Canonistas, qui putant Ecclesiam Dei, gubernandam hoc dicto, Consuetudo est habenda pro lege.

Composi tola, tese, tentiq; soci, bate.
Qui vis excluſum crimen per temporis vſum.

Testatur Conradus Brunus Iurisconsultus Doctissimus lib. 2. de Hæret. quod Euangelici quidam in Germania, conabātur priscas Imperatorum leges in quas iurare Cameræ Imperialis Iudices consueuerunt, vel abrogare vel saltem mutare: & aliàs pro nouo suo Euangelico spiritu constituere: fuisseq; libellos nouis legibus, & practicis repertos, huius Cōsilij testes affirmat. Cap. 6,

Luth. in libro contra Latomū. Meum, ait, consilium est, vt adolescentes vitent Philosophiam, & Theologiam Scholasticam, vt mortem animæ suæ, Thomas multa hæretice scripsit, & author est regnantis Aristotelis, vastatoris piæ doctrinæ. Quid ad me, quod Bullarum Episcopus eum Canonizauit? Ideò meo Consilio qui volet: cautus sit. Facio quod debeo, & ite-

& iterum. Moneo, eum Apostolo, Videte ne quis vos decipiat, per Philosophiam, & inanem fallaciam.

Idem. Vniuersitatem Parisiensem, vocat, studiorum parentem, & ab antiquo Christianissimam, & in Theologia florentissimam. In iudicio de votis.

Idem vicissim homo leuissimus, vt habetur in Apolog. Philippi, contra iudicium Parisiense, contrarium scribit. Academia Parisiensis in suprema parte, est à vertice vsque ad plantam, mera, & vt nix alba Lepra, veræ nouissimæ, Antichristianęq; & capitalis Hæreseos, Mater omnium errorum in Christianitate, maxima meretrix spiritalis, quam sol nunquam vidit, & vera postica inferni, Prophetatum est tempus Antichristi Omnes hæreses, quæ vnquam fuerunt in vnam Camerinam confluxuras, mundumq; perdituras. Id ego, inquit, ostendere intendo de Parisiensi Academia, Papæ veri Antichristi, maximo fornicationis cubiculo, atque probare eos esse peiores Montanis, Ebionitis, & omnibus, quoscunq; commemorauerunt, hæreticis, Deo volente ipsi sunt, quos iam pridem desiderauit.

Idem in libello Theutonico, ad omnes Senatores Ciuitatum Germaniæ. Seria, inquit, intentio, præcatioque, ac petitio mea est, vt hæc Asinorum stabula, ac dæmonum Gymnasia, vel in abyssum demergantur, vel in Christi Scholas commutentur.

Idem, in libro contra Ambrosium Caterinum, Duodecima, inquit, & vltima facies Antichristi, est Chaos illud, & ianua patens inferni, incredibili faciè spectabilis, Vniuersitates inquam; in quibus periuria, & abusus nominis Dei sunt introitus, deinde conuersatio in omne scælus libera, & licentiosissima: Quid autè præstant tandem, primũ electiores Christiani populi adolescentes, hic prostituuntur, & in patens guttur inferni proijciuntur, vt per Idolum Moloch, præfiguratã putè hanc perditionem, cui filios, & filias olim dilectissimos lustrabant, per ignem: vt videatur ad Euangelium funditus extinguẽdum, nec astutius, nec efficacius inuenisse Sathan commentum: quam Vniuersitatũ erigendarum: Atq; ex his lustris, & spelũcis in gubernacula Ecclesiarum vocãtur, si quando vocare optimos visum est: Et mihi sanè hæc facies vltima omnium nocentissima esse videtur.

Et in libro de abrogãda Missa priuata: Academias, inquit, per Idolum Moloch figuratas puto, in quibus optima, & electior pars iuuentutis Christianę offertur, quasi in holocaustum Deo, vt ibi eruditiantur, & toti diuini fiant. Nemo enim huc filium mittit, alia opinione, quam quod non possit, vsquàm melius mitti: summũ Deo obsequium præstant, quod filios offerunt, formandos ad eruditionem pietatis, vtiles futuros Sacerdotes, Prædicatores, Rectores, qui toti fiãt peculium Dei, Deo, & hominibus necessarij: Huc pertinet nomen Moloch, quod Regem, vel Regium significat, quod hoc genus studij faciat insignitos grandibus promotionibusque, & idoneos ad regendum cæteros. Videmus enim ex Academijs sumi omnes qui ad gubernacula admouentur: & non vident Parentes, nec qui vident curant, adolescentes hic pessimis moribus perdi, nullo prohibẽte. Iam Scortacio, Cõmessatio, & alia manifesta flagitia mitius perdunt. At quod imbuuntur Philosophicis Gentilibus, humanis, impijs, & Sacrilegis opinionibus, hic est ille ignis Moloch, nullis lachrymis satis deplorabilis. Cũ per eum hi maximè deuorentur, & pereant, qui sunt studiosissimi, & pudicissimi in Academijs iuuenes. Tantus est furor Dei super istam vallem Iaphet, & Hynnam, vt qui peius pereant, qui plurima discunt & modestè viuunt, quam ij, qui nihil discunt, & libidinibus corrumpuntur.

Idem in lib. contra Theologos Louaniẽses, & Colonienses. Dicitur, inquit, Euangelium Christi apud Turcas non licere prædicari, at si istis doctrinalibus damnatoribus, sua fiducia, & tanta arrogantia Bulla constiterit, quæ Tyrannis Turcarũ poterit ei conferri.

Et infra. Prima igitur fiducia pronunciandi Magistris nostris, siue veris siue personatis adimenda est, ostendendumq; quãtis opus sit firmamentis vt credatur ijs, qui raro pronunciauerunt non bene, frequenter autem ac fere semper pronuntiauerunt male. Quin, cũ semel malus sem-

per

per præsumatur malus, iuxta iuris regulam. Nunquam credendum in vlla re erit, Magistris nostris quibuslibet; quorum iudicium constat iam a multis annis fuisse, non modo inconstans, & præceps, sed, & erroneum, hæreticum, temerarium, & cæcum: cui nemo debeat fidere, tuto, nisi quem Deus iratus operationibus erroris mandet illudi. In cuius rei fidem adduxit, & quædam exempla, nempe quod iniuste damnauerint Vuilhelmum Occam Scholasticorum Doctorum, sine dubio Principem, (inquit,) & ingeniosissimum Ioannem Picum Mirandulanum Comitem, Laurentium Valensem, quem ait, Ecclesiæ primitiuæ, vel reliquam scintillam, vel nouum fomitem. Et post hos Ioannem Reuchlin, in quo deprehensos, ait, quinque Vniuersitatum Theologos, quid sapiunt, quid cernant, quid quærant. Atq; vt adhuc magis extenuaret illorum authoritatem, in alijs quoq; libellis eos sæpè conuitijs, & lædorijs irrisit, adijciens alicubi in margine libri, si quid ineptius videretur dictum, hæc ridicula, & à sese inuenta aduerbia Louanialiter, Colonialiter, Nostraliter, &c.

Idē in libello ad omnes Senatores omnium Ciuitatum Germaniæ. Sim ego qualiscunq;, verè tamen coram Deo, cū vera conscientia gloriari possum, quod non quæ mea sunt quæro, quæ tacendo multo melius possem acquirere: Sed ex corde fideliter intendo, & vestrum, & totius Germanicæ bonum. In quo me destinauit Deus, siue credat, siue non credat, quisquis velit, idque charitati vestræ libere ac confidenter dixerim. Quisquis obedierit mihi, is proculdubio non mihi, sed Christo obedit. Et qui mihi non obedierit is non me sed Christum contemnit. Ego enim scio vtiq;, & certus sum, quid, & quorsum ego loquor aut doceo, vnusquisq; item per se bene sentiet, si doctrinam meam rectè voluerit intueri.

Et infra. Nonne præ oculis est, inquit, quod nunc intra triennium sic institui potest puer quispiam, vt in 15. aut 18. ætatis suæ anno, plus sciat quā hactenus omnes Vniuersitates, & omnia Monasteria sciuerunt. Immò quid didicerunt hactenus in publicis Gymnasijs, & Cœnobijs, quā vt fierent asini, stipites, & trunci? Quispiā 20. aut 40. annis studuit, & tamen nec Latine nec Theutonice loqui sciuit; vt taceā turpem ac sceleratam vitam, in qua nobilis iuuētus, tam miserabiliter perdita est. Verum quidem est, antequam velim Vniuersitates, & Monasteria permanere, sicut hactenus fuerunt, vt non alius modus docendi, ac viuendi, pro iuuentute acceptaretur, mallem omnem puerum esse mutū ac nil vnquam discere: seria enim iutentio præcatioq; ac petitio mea est, vt hæc asinorum stabula, ac dæmonum Gymnasia vel in abyssum demergātur vel in Christianas Scholas commutentur.

Carolstadius, itaq; & Melanchton præcipui Lutheri discipuli, & Symmistę, studiosis adolescentibus persuasere, non esse dandam operam Philosophiæ, Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & alios, nōnisi mera scripsisse commenta, & impostura: eosque libros Vulcano consecrandos. Vni Sacrorum Bybliorum lectioni vacandū, neq; fas esse hominem Christianum dedi tam literis acitare vitam: faciendum omnibus quod in Genesi dictum est. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, Carolstadius itaq; ex Archidiacono factus est agricola, in rure quodam agri Virtembergensis, habens, vt ait, Cochleus, equos indociles, & arare nescientes: vno equo hac, altero illac trahente, aut vno plerumq; præcedente, & alio retrocedente, ita, vt ille miser arator plurimos ad risum prouocaret. Melanchton vero in pristino artē pistoriam meditabatur: pleriq; adolescētes cōbustis artium liberaliū libris, mechanica opificia complexi sunt, eoq; res in multis Germaniæ Ciuitatib⁹ perducta est, vt aliquot annis, Scholæ clausæ tenerentur. cochle⁹ Surius Hosius, & alij.

Philippus Melanchton in suo Dydimo, sic loquitur. Sed ne vllæ essent in Christianismo Scholæ: Academiæ generalium studiorū, quas modo Vniuersitates vocāt conditæ sunt. Atq; hoc consilio mirū est, quā placeant sibi, quam salutare putent: quo non aliud reperirent, neq; perniciosius neq; magis impiū, & quod video non Pontificibus, sed ipsi deberi Sathanæ.

Et alio loco. Hunc quidem sapientē virum fuisse iudico Vicleffum Anglum, qui om-

omniũ primus, quod ego sciã, vidit vniuersitates esse Sathanę Synagogas, & quid dici vel pium magis, vel sapiẽtius potuit?

Edoardus Angliæ Rex instituit visitationem Vniuersitatum Regni, Collegiorumque omnium, in qua Sãctissima fundatorum decreta ad religionis conseruationem, & Ecclesiæ disciplinam institutra abrogabantur. Libri Theologici, quibus solida, & methodica doctrina continebatur è studiosorum manibus, & è Bybliothecis excutiebãtur, Lombardi, Aquinatis, Scoti, & aliorum Doctissimorum Scholasticorũ scripta, de barbarie, scripturarũ ignoratione, deq; fraudibus, & artibus traducebantur: adeò, vt petulantiores quidam adolescentes collectam hinc inde eiusmodi scriptorum struem, feretro impositam in ludicro spectaculo, per vrbem circumferrent: ac demum, in foro publico, adhibitis lugubrioribus canticis concremarent: idq; appellabant funus seu exequias Scoti, & Scotistarum.

Videsãderũ de Scismate Anglicano

Fuerunt etiam Sectarij quidam Biblistæ, docentes nil proponendum in Ecclesia populo; vel in Scholis iuuẽtuti, præter Byblia, nec discendas vllas Philosophiæ artes Genebrar. Chronol. 1560.

Hæc fuerunt, & sunt Euangelicorũ Magistrorũ, & Ministrorũ Scithica Barbaricaq; consilia. Scytarum enim propriũ est, bonas literas odisse. Quid autẽ consecutum est? Ob istorum ignorãtiam, isti, quos recensemus, errores innumeri nati sunt: quia quæ nesciunt, scire se putant: & quæ non didicerunt, docere non dubitant. Nã qui ignorantiæ suæ, ait Plato, conscij sibi sunt, alijs se committunt. Sic omnes in vniuersum Euangelici, & eorum præcipuè Doctores, & Ministri, penè sunt, ἄμουσοι vt diximus, καὶ ἀναφαλβιτι rudes, indocti, trunci, Bardi, stupidi, grossissimi Coridones, propterea quod nullius Præceptoris Scholam ad discendum S. Scripturæ intellectum ingrediendam putant, timentes ne quid honesti in Scholis honestis in oculos, aut in aures incurrat. In Theologia nudi sunt prorsus, & inermes: Logicæ expertes, Philosophiæ hostes, rerum non intelligentes, verborum captatores, nil scientes: ita vt rectissima sit, & planè Apostolica illa consecutio, Minister Euangelicus est, ergo indoctus, sic enim Paulus Apostolus argumentatur 1. Tim 6. Si quis aliter docet, & nõ acquiescit, sanis sermonibus, Domini nostri Iesu Christi; & ei quæ est secundum pietatem doctrinæ: superbus est, nil sciens, & languens circa quæstiones, & pugnas verborũ: Salomon quoq; hæresim in prouerbijs depingens, mulierem stultam vocat, clamosam, plenam illecebris, & nihil omnino sciẽtem. Quo fit, vt qui hodie in Ecclesiæ Catholicę Schola diligentius instituuntur adolescentes, ad omnes Euangelicorum Rabinos, & Præceptores, quamuis, & ætate, & maturitate aspectabiles, erudiendos, refutandos, instruendos, omnium sint validissimi. Testis est Martyrum (vt dicam) magna Mater Anglia, vbi imbelles adolescẽtuli, vix è pueritia egressi, Ventripotẽtes Euangelicorum, si Dijs placet, Archiepiscopos, Episcopos, & Decanos doctrinæ soliditate, argumentorũ pondere, rationum vi, eloquendi elegãtia, vt passeres cõstrinxerunt, & falsitatis, mendacij, Tyrannidis & Idololatrię conuincerunt, proq; Orthodoxæ doctrinæ veritate mori potuerunt, vinci non potuerunt. Quare, id, quia sicut sensus multo præstantior atq; nobilior est in homine, quã in bruto, propterea quod cũ ratione cõmunicet, ita ratio, & intelligentia, cæteris paribus multo excellẽtior perfectiorq; est in Christiano, quã in Turca, Pagano, Hæretico, & Euãgelico. Quare id, quia ratio cum lumine fidei participat, & gratia Dei prędita est, naturam hominis exornante, & perficiẽte. Et sicut in Cœlo multo absolutior est atque liquidior intelligentia, quam in hac vita mortali. Lumen enim fidei, lumine gloriæ perficitur, numerisq; suis omnibus expletur, ita dubium non est, quin Christianus vberioribus Dei donis perfusus, Ethnicis, & Euãgelicis, omnibus, cognoscẽdi, & intelligendi vi facultateq; antecellat. Cum itaq; Christiani, cũ maiore fidei lumine, quo sunt destituti hostes Christianorum Euãgelici, cõmunicẽt, quia copiosiore gratiæ dono, naturæ nostræ imbecillitas pficitur, fit vt Catholici, cæteris paribꝰ, Euãgelicis sint ingeniosiores, acutiores, doctiores, promptiores, elegãtiores, in omni prorsus literarũ, & professionũ genere: præterquã

in

in mentiendi, & maledicendi artificio, in quo videre licet Grammaticos, & Poetastros Euangelicorum, & infimum quemlibet, è Triariorum cætu Ministellum, eruditissimis quibusque, & absolutissimis Doctoribus excellere, siue sint illi in Parisiensi Schola, siue in Bononiensi, siue in Louanienſi, siue in Salmaticensi, siue Cracouiensi ab ipsis crepundijs ad extremum vitæ cursum educati, & instituti.

Testatur in sua risponsione ad ædictum Elisabethæ, Andreas Philopater, quã insolens; quanque rudis facta sit iuuentus in Anglia sub Euangelicis Præceptoribꝰ, posteaquam scilicet antiquas Academiarum, Collegiorumque leges, veteremq; studiorum rationem reprobarunt. Verba eius sic habent, in tertia edicti sectione. Primum enim, cum Rectores isti vestri, contra expressam Fundatorum mentẽ, & voluntatem, & contra scriptas, receptasq; Collegiorum leges, vobis dispensantibus vxores inducãt, et mulierculis omnia impleant, vtrum nam ista adolescentibus, maiora sint futura, vel adiumenta ad litteras, vel ad lasciuiam incitamenta, omnes facilè iudicabunt. Deinde verò his initijs cætera ferè sunt conformia Clausura nulla, nullus ianitor, vestitus genus, quod quisque vult, aut etiam potest. Idem ferè de victu permittitur. Hinc habitus studiosorum varij, peregrini, vanissimi, demẽtissimi, pro cuiusque iuuenis, aut pueri voluntate, & affectu, vel copia etiam, & facultate, hinc tabernę vinarię, scholaribus perpetuo oppletæ cernuntur, hinc Lanistarum, ac Saltatorum Scholæ publicè frequentatę, hinc contentiones, rixæ, & armata etiam manu non rarò cõ certationes sanguinariæ, hinc furta, hinc latrocinia, & maximè lenocinia, hinc opulentissimorum sæpè patrimoniorum decoctiones, & dilapidationes: ita vt vniuersitatis iam vestræ, (Cecili,) non tam litterarum sedes, & domicilia, quam vitiorum sentinæ, & helluationum popinæ videri possint. Si dicas ad hæc omnia, fidem tamen quæ satis est, habent scholares hi nostri; respondet tibi Iacobus Apostolus, quod dæmones etiam credunt, idque hac eadem tua, ruorumque fide, quæ opera nõ habet, sed mortua planè est, & sceleratæ vitæ conscia. Hinc etiam coniectura sumi potest, quinam litterarum prouentus apud tuos fiant, cum Academiarũ vestrarum, tum Doctores, tum etiam auditores, Magistri, discipulique istiusmodi discipli naviuant. Sed est, & illud quoque insigne improbitatis vestræ, stultitiæque argumẽtum, quòd omnẽ doctrinam Scholasticã, id est, pulcherrimam illam difficillimam explicandi rationem, & methodum tanto studiosorum beneficio antè annos propè quingentos inuentam, vt præclaris deinceps doctissimorum hominum ingenijs, studijsque excultam, et amplificatam, è Scholis vestris pueriliter eiecistis, quòd minus eleganter scilicet loquerentur Latini eius scriptores, tanquam pueri planè ineptissimi, qui auri venam ideò proijciunt, quòd testa minus ornata videatur, & vt piscatores stolidi, qui margaritas deserunt, quòd rudioribus conchis inclusæ se offerant. Hac enim margarita proiecta, quid vobis Doctoribus vestris remãsit in Scholis, præterquam verborum quædã inanitates, Scientiarum cortices, Syllabarum litigia, loquutionum, & Phrasium, & linguarum nonnullæ rixæ, gloriolæque, & ineptissima quædam vanitatis superciliã? Hinc fit, vt adolescentes nostri vestris senibus, & viris vestris, pueri nostri, in rebus Philosophicis, Theologicisque longissimo interuallo sint litteratiores. Hinc ẽt fit, vt Magistri, & Graduati vniuersitatum vestrarum, cum ad nos tranierint (quod frequentissimè contingit) admirentur vel dè iuuenum nostrorum in Scholis respondendi, tum acumen, tum etiam scientiã; & ad grauissimam eorum in rebus difficillimis intelligentiam planè obstupescant, quarum ipsi ne terminos quidem cognitos habent, cum tamẽ apud vos se aliquid esse existimarent. Hucusq; Philopater.

Ad eandẽ porrò sententiã pulcherrimè sanè olim quoq; Lactantius. Qui rationẽ diuinitatis ignorat, is verè elinguis, & mutus est, licet omnium disertissimus. Lingua enim cum verum loqui cœperit, id est, virtutem Maiestatemque Dei singularis interpretari; tum demum officio naturæ suæ fungitur: quandiu autẽ falsa loquitur, in vsu non est, & ideò infans sit necesse est, qui diuina per [illegible] qui non põt.

Er

In. De anima.

Et Cassiodorus. In Schola Christi, cor non potest indocile inueniri : quoniam qui se et tota mentis integritate, nec tradiderit, nec ignorare potest, quod quærit, amittere quod pia remuneratione susceperit.

Quam quia Euangelicorum Ministri non frequentant, fit vt Scriptores, & Doctores habeant, vt testatur Genebrardus, Pallephatos, Doctores Pallemones, Magistros Thesallos, & Ministros Logodedalos. Sed eloquens, ait, erat Lutherus, acutus, & elegans Caluinus, ingeniosus Bucerus, excellens Brentius, vehemens Smidelinus. At vbi, quæso te, eloquentiam, vbi vehementiam, vbi ingenium, si modo quod habuerunt acceperunt? Nonne in Catholicorum Scholis? Nonne in Monasterijs. Nonne in Academijs? Quæ postquam sustulerunt, euerterunt, deleuerunt, tantum deinceps, in suis Euangelicis ludis profecerunt; quantum tenuis in alto mari nimbus. Cor sapientis, quærit doctrinam, ait Salomon. Os stultorum pascitur imperitia. Cor itaque stultorum Euangelicorum, contemnit doctrinam, & doctrinæ sedes, & Cathedras euertit. Lepide olim Ioannes Oczieski, re, & nomine magnus Regni Poloniæ Cancellarius, summi Consilij vir, Euangelicorum Ministros, Triobolares Theologos appellabat : quod ex solo Lutheri paruo Cathechismo, aut ex eius compendio, aut è Philippi Grammatica vel Dialectica, in qua plerumque pauculos Syllogismos contra Ecclesiæ Doctrinam admiscere solitus est, duobus teruncijs coempta, aut è Seclutiani, & Rey Postilla, Summi subdito Theologi, acres disputatores, absolutissimi oratores sibi videbantur euasisse. Nostra memoremus, videtur sibi Volanus apud nos arcem eloquentiæ occupasse, magnam enim rerum Grammaticarum cognitionem sibi vendicat. Iurgeuitius noster obseruauit, tam acrem Euangelicorum patronum, nondum è Solecismis emersisse: In Sintaxi non se præclarè gerere, loquendi formulas minimè latinas, & bonis authoribus ignotas vsurpare, consueuisse: Exempli causa. An non veri Iesu mastigiæ censendi sunt, &c. Et. Naula musica siue organa. Et associare in cultu : Et defluere in conuitia. Et caulas Molossorum. Et accersere vitium. Testem ferre, colorare tenebras, facem præferre luci, manducationem facere, haurire progressus, ludere cum nomine, & his similia. Quid vero Symmistes eius Sudrouius : cui carnificinæ, & Arianismi infamiã, Saxo Vlricus tribuit? Testatur idem Iurgeuitius : Plus eum in omni vita sua ventri, quem Bachi instar distentũ ægrè portat, quam Grammaticæ dediſſe operam : Vidi, ait, ternas literas quas ipse propria manu ad suæ factionis Ministros, exararat, dissolutam verborum congeriem, nec vlla omnino Orthcgraphiæ vestigia tali Pastore, si dijs placet, dignissima legi. Tale est. Quia Illustr. D. Palat. Vilnens. in bona Keidanov sese breui tempore properat. Et illud. Forsan aliquo in loco conditioni iustæ fenestra aperietur. Et, ego nullibi nunc per tres Septimanas pedem meum efferam: Sed & pro Concione, plenis buccis stentorea voce. Prisciano grauem non ita pridem infregisse Colaphum testatur, ita, vt pueris risum mouerit, cũ illud Pauli recitaret, donec corpus nostrum corrumpatum erit. Et quemadmodum Petro creditum est: Euangelium in præputios. In altera porrò Concione, profundam suam eruditionem coram Hædis suis ostensurus, protulit contra Catholicos Alexandrum Octauum Summum Pontificem; qui nunquàm fuit in rerum natura. Sed ista sunt Popinarij, & ventri serui ministelli errata.

Daneus in Gallia tantum sibi tribuit, vt ne illud quidem ignorare se putet, quomodo Iuppiter Iunonem duxerit, vehementer is tamen, non ipsis tantum vniuersæ Theologiæ Sacrosanctis Mysterijs. Sed in Logicis principijs sæpissime que labitur. Qua de re, sic illum appellat Iordanes. Nescis credo (nam nihil videris in Logica institutus, vt qui eius prima vocabula, & terminos plane ignores, latam esse differentiam, & sensu, & verbis, interesse, & subsistere, apud Latinos, atq; vt apud Græcos inter ὑπάρξειν, & ὑφίστασθαι dicimus credo, idq; latine, hominem esse in honore, non autem subsistit in ho-

nore, debuisti quoque discere antequam ita belle philosophareris, aliquid esse in aliquo, vt docent Philosophi, & communes dicendi formulas dici multis modis, quod vt facilius memoriæ mãdes, hoc disticho complectar.

Insunt pars, totum, Species, genus, & calor, igni,
Rex in Regno, res in fine, locusque locato.

Qui omnes modi non dicunt substistentiã sed modum essendi in aliquo.

In Anglia quoque, & rudes, & ineruditos esse Ministros fere omnes, bonarũque literarum inimicos: cum aliàs legimus: tum etiam in hesterna rerum piarũ collatione, quæ post diuina peracta officia in honorem S. Martyris Thomæ Cantuarien. postque refectionem in Collegio Anglico, quod esse Martyrum seminarium existimatur: sumptam, inter amplissimos viros, vitæque, & eruditionis laudibus illustrissimos Paleotum Archiepiscopum Bononien. & Alanum Anglum S. R. E. Cardinles habebatur, audiuimus. Dicebat Alanus quendam, è Ministris Anglicis, hominẽ inter suos nõ postremi nominis, ad examen olim Euangelicorum superintendentium accessisse: ac vt ad verbi ministerium admitteretur petijsse. Obtulerunt illi Examinatores, Latina Biblia, vt ex illis aliquid recitaret, & interpræta retur. At bonus ordinandus cum vel vnũ Iota, Latinum ignoraret, & librum abiecit, & Examinatorum facies modo non conspuit, iratus quod sibi liber Papisticus, Exotica Lingua scriptus ad legendum, & interprætandum offerretur, Anglica, inquit, Biblia vera sunt Biblia, & verum in illis veri Dei verbum continetur. Hæc itaque offerri sibi postulabat, vt quantum in scriptura profeciſſet ostenderet. Alius quidam Minister rogatus, vt transactionem quandam inter ciues manus suæ subscriptione approbaret, eum effingere, vel vnicam syllabam nunquam didicisset, aliquandiu detrectabat, verisimiles excusationes pertexendo, ne suam rusticitatem propalaret. Tandem tamé Iudicis authoritate coactus, cũ omnino necessaria esset Pastoris attestatio, signum quoddam suum applicuit, quò vtebatur ante verbi Ministerium, cũ equorũ ephippia consueret: dicens artem scribendi esse Papistarum propriam: à qua summo sem per animo abhorruit. Neque enim à Domino dictum est. Ite scribite, sed, ite prædicate Euangelium. Producta ergo in Tribunali Londinen. tam præclara Pastoris attestatione, & risum simul excitauit, & pudorem incussit, quod ijs Ministris, & Pastoribus conscientiam suam fingendã formandamque offerrent, qui tres digitos ad vnam longam literam effingendam, formare non valerent. Mille suppetũt huius ignorantiæ, & rusticitatis apud Euangelicos exempla, quæ prætereo. Illud iterũ à Paulo doctus affirmo. Si quis non acquiescit sanis sermonibus, Domini Nostri Iesu superbus est, & nihil sciens, hoc est. Si Minister Euangelicus est, eruditus non est. Qui Papista non est, Coridonista est. Videat verbum, qui volet, Latinam & ornatam dictionem, Latinæ Ecclesiæ hostes, & inornati Ministri non merentur: Lenius verbum nolo, vilius non inuenio, hoc contentus vix sum. Si quis seuerioré sententiam tulerit, sententia mea nulla esto, sententia illius rata esto.

Finem hic capitis facerem, nisi mihi circum linguam, calamumque verba volitarent Primogenit i Megeræ in Scotia, filij Buchanani, Apostatæ seditiosissimi, planè dignissima, quibus præsens caput hoc obsignetur. Deo, & hominibus, ait quod etiam Arcimboldus in sua demonstratione testatur, habẽdos inimicos, Principes, iuris septa relinquentes, aut eadem ingredi nolentes dico: eosque in luporum alioue noxiorum animalium genere potius, quam hominum, habendos putẽ, quæ qui alit, & sibi perniciem alit, & alijs: qui occidit non sibi modo, sed publicè vniuersis prodest. Quod si mihi legem ferre liceret: iuberem quod Romani in monstris procurandis facere solebant: id genus hominum in solas terras deportari: aut in alto procul è conspectu terræ demergi: ne contagio quidem mortuorum hominibus officeret, interfectoribus autem præmia decerni, non ab vniuerso tantum populo, sed à singulis. Quemadmodum vulgo fieri solet, ijs qui lupos aut vrsos occiderunt, aut catulos eorum deprehenderunt.

runt. Neque enim si quod huiusmodi mõstrum inferretur, etiamsi vocem humanã funderet, faciem hominis, cæterarumque partium similitudinem haberet, mihi cũ eo societatem esse crederem: aut si quis hominem exuens in talem immanitatẽ degeneraret, nolletq; cum cæteris hominibus nisi in eorum perniciem conuenire, hominem appellandum cẽseo, nihilo certè magis, quam Satyros, Simias, aut Vrsos: quamlibet vultu, gestu, & sermone hominem mentirentur. Hucusq; ille: Si quibus autem ista nitantur fundamentis, audire vultis: iterum eundem verbis suis loquentem accipite. Reges, (inquit,) nostri cum publicè inaugurantur, populo vniuerso sanctè promittunt, se leges, & maiorum ritus, veteraq; instituta, seruaturos: eoque iure, quod à maioribus acceperũt vsũros, ostendit totus ille cæremoniarũ ordo, primusq; regum aduentus, in singula oppida: ex quibus omnibus facile intelligi potest qualem, à maioribus acceperunt potestatem. Non aliam videlicet, quã quà suffragijs electi in leges iurent, hanc regnãdi conditionem Dauidi, & posteris eius Deus exposuit, tãdiu eos regnaturos promittit, quamdiu illi legibus ab eo datis parerent: hæc quidem faciunt, vt verisimile sit, non immensam, sed intra certos terminos constrictam, & finitam potestatem reges nostros à maioribus accepisse: accessit præterea longi temporis confirmatio, & perpetui iuris à populo vsurpatio, nullo vnquam decreto publico reprehensa. (Et alio loco.) Nos autem id contendimus, populum à quo reges nostri habent, quicquid iuris sibi vendicant, regibus esse potentiorem: iusq; idẽ in eos habere multitudinem, quod illi in singulos, è multitudine habent, omnia aliarum gentiũ, quæ sub legitimis regibus degunt iura, nobiscum faciunt. Omnes nationes quæ regibus à se electis parent, hoc communiter sentiunt, quicquid iuris alieni populus dederit, idem eum iustis de causis posse reposcere. In quibus verbis, ait, Arcimboldus, nemo est profecto, qui nõ istorum in Reges suos perfidiam manifestè perspiciat. Primò, quod Principem ab æquitatis, & iustitiæ regula aliquando deflectẽtem, non hominem sed Leonem, Vrsum, Lupum, in humani generis hostem habendum esse dictitãt. Secundo. Si quid iniustè designasse deprehensus fuerit, seuere in eum esse animaduertendum, cogendumq; vt de capite causam dicturus, non publicis modo, sed priuatis etiam iudicijs se sistat. Tertiò, quod non solum cuiuis, è populo interficiendi Principis potestatem facit, sed præmia quoq; interfectori constituit, edicitque, vt illi tum ab vniuerso populo, tum à singulis honor præclari facinoris ergo deferatur. Hactenus Arcimboldius.

Tu Lector iudicabis, an ista sint Euangelica, an Auangelica; an boni, an mali nuncij; an pacis, an seditionis; an amoris an odij; an dissensionis, an reconciliationis consilia. Mihi quidem in Schola Nabuchodonosor nata videntur, qui cum Regem Arphaxad deuicisset, & Ciliciã præterea Damascũ, Lybanum, Galileam, Samariam, Hierusalem oppugnare, expugnareque decreuisset: illæ vero Prouinciæ omnes illi vno animo contradixissent, iurauit per thronum, & Regnum suum, quod defenderet se, de omnibus regionibus his. Offensionem parabat, & defensionem vocabat. Aliena appetebat, & propria se defendere prætendebat. Sed ad alia progrediamur.

CAPVT QCTAVVM.

Euangelici, vt doctrinæ suę fidem stabiliant, Orthodoxorum Patrum, & Oecumenicorum Conciliorum fidem, & authoritatem, eleuare non dubitant.

Deuter. 32.

Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.

Deuter. 17.

Si difficile, & ambiguum iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & non sanguinem; inter lepram, & non lepram; ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, & ipsi tibi iudicabunt iudicij veritatem.

Actorum. 15.

Surrexerunt autem quidam de hæresi Phariseorum, qui crediderunt, dicentes. Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruari legem Moysis: conueneruntque Apostoli, & Seniores videre, de verbo hoc.

SI VERITATEM amarent Euangelicorum Prædicantes, veritatis Doctores non reprobarent, charum haberent omne quocunq; veritas propagatur. Veritas enim adhæret veritati; falsitas, & ab inuicem dissidet: Veritas omnibus communis est, omnes amatores suos sine inuida recipit, omnibus proxima est, omnibus sempiterna, copiam sui facit, & tamen plena est, non fit minor in tempore, non euacuatur à multitudine, non excludit venientes, non deserit abeuntes, vna vis est eius, vnaq; facies: non sic est a primis occupata, vt ad posteros non perueniat, multũ ex illa, nostris quoq; relictum est temporibus: nullæ in ea angustiæ, nullus defectus: nemo dicit alteri, recede vt accedam, & ego: remoue manus, vt & ego amplectar; omnes illi inhærent, omnes illam tangũt; cibus eius nulla ex parte discerpitur: nil de ipsa bibit vnus, quod alter non possit, si modo perseuerans adsit fruendi voluntas. Pulchrè sanè Augustinus Deum appellans. Veritas nec tua, nec mea est, nec illius, aut illius: sed omnium nostrum, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Solos superbos ad intuitum sui non admittit veritas, ait Cyprian. Venenũ quippe veritatis superbia, vita veritatis humilitas. Vis peruenire ad regnũ, veritatis? tene viã humilitatis. Huic se tota pietate subdat, oportet, castæ veritatis amator, nec aliam sibi ad eam capessendam, & obtinendam viam

Cõfess. lib.

viam munire quærat, quam quæ munita est ab illo, qui gressum nostrorũ, tanquã Deus videt infirmitatem. Ea est autem, vt testatur Augustinus prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem, non quod alia non sint præcepta, quæ dicantur. Sed nisi humilitas omnia quæcunque benefacimus, & præcesserit, & comitetur, & consequuta fuerit, & proposita, quam inueamur; & apposita, cui adhæreamus, & imposita, qua reprimamur: iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu Superbia. Vitia quippe cætera in peccatis: Superbia vero etiam in rectè factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Hanc porrò, si non haberent Euangelici, Patres Orthodoxos castæ veritatis defensores, non sic odissent, vt oderunt: non sic vt lacerant, lacerarent. Equidem prius ex oculis lachrimæ, quam atramentum efluxit, è calamo, cum istorum Ministrorum, in Ecclesiæ Dei Doctores odium quoddam implacabile, tam apertè diuinis Scripturis, & vniuersæ repugnans, atque contradicens rationi, describere conaremur. Si difficile, ait Scriptura, & ambiguum Iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & non sanguinem, inter Lepram, & non Lepram, ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdoces Leuitici generis, & ad Iudicum, qui fuerit illo tempore, quæresque abeis, & ipsi tibi iudicabunt iudicij veritatem. Et iterum. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; Maiores tuos, & dicent tibi. Et iterum. Interroga de diebus antiquis. Et iterum. Sapientiam omnium Antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit.

At boni Ministri, nec ad locum ascendunt, quem elegit Dominus, nec ad Sacerdotes veniunt, nec Iudicem quærunt, nec Patres, nec Antiquos interrogant, nec Maiores appellant. Quid appellant? reprobant, damnant, calcant, soleas fortè calceorum suorum pluris faciũt: quam tantorum, Patrum eminentissimam auctoritatem: erga quos tamen tanto maior esse deberet verecundia, quanto verior addiscitur sapientia. Si Scholam Xenocratis, ait Augustinus sicut Polemo ex Antelucano conuiuio temulentus intrasses; non tanta, quanta in isto cœtu tot Sanctorum deberes verecundia coerceri. Tanto enim amplius reuerendi sunt tot memorabilium Episcoporum: quàm vnius Xenocratis vultus quanto Platone Xenocratis Doctore, Doctor istorum maior est Christus. Quid nos docuerunt, quod optimum sciuerunt, veritatem: Beatos nos fecerunt: Beatus autem nemo dici potest extra veritatem proiectus. Rem videte admirandam. Nondum de Ministrorum erroribus cognouerant, & iam eos damnauerant. Nullas nobiscum amicitias, nullas cum illis inimicitias exercuerunt, neque nobis, neque illis iratifuerunt; neque nos, neque illos miserati sunt: & tamen quod docemus nos, docuerunt, quod docent, ipsi damnauerunt. Nõdum cum illis apud istos Iudices agebamus, & iã apud eos acta est causa nostra; nec nos, nec illi noti eis fueramus, & eorum pro nobis latas contra illos sententias reciramus. Nondum cum illis certabamus, & eis pronunciãtibus vicimus. Quæso vos, quomodo valere tantum potuerũt hoc sæculo Lutherus, & Caluinus, vt à solis ortu vsque ad occasum tot, ac tantos Catholicæ Fidei Doctores, & defensores antiquos, non solum deserere; verũ etiam cæcos, indoctos, obstinatos, Sathanæ spiritu plenos, audeatis appellare? quos Deꝰ Omnipotens piarum amator animarum per diuersas ætates, temporumque locorumque distantias, propterea, ita disposuit, atque dispensauit, vt quia corporalibus oculis in hac mundi senecta videri in loco non poterant, in quem ire, discereq; possint homines: veritatem tamen vbique prædicantes audirẽtur in Codicibus, qui ire, nauigare, peregrinarique possent ad homines.

Discenda veritas est, ò Ministri. Nemo casu in veritatem incidit. Fatuo similior est, quam sapienti, qui vt calceũ sunt Magistrum quærit, vt veritatem discat Præceptorem non quærit, nec vt vitæ viam pernoscat, vllius Magistri Scholam ingrediendam putat.

Acerrimè olim pro Orthodoxis contra Arrianos dimicauit Athanasius, maximum tamen causæ præsidium post Scripturas, in veterum Patrum doctrina, interpretatione, sensu, & consensu statuebat. Quod nunc recitatum est, ait, scribens in Passionem, & Crucem Domini. Verbum, Euangelium quidem est; sed tamen euidentiæ, claritudinisque gratia, defugiendum est ad Sanctos, & ab his intellectus huius rei excipiendus. Veri enim similius est, eos rerum Euangelicarum magis, quam nos conscios, & peritos extitisse. Augustinus quoque Pelagium oppugnans non solas scripturas; sed moles virorum Sanctorum, Doctorumque ad illius reprobationem introducit: Ireneo Lugdunensi Episcopo, quod non longe à temporibus Apostolorum fuerit plenam auctoritatem tribuit: Cyprianum Beatissimum Martyrem, & Episcopum appellat: Retitium ab Augustuduno, magnæ in Ecclesia auctoritatis: Olympium Hispanum magnæ in Ecclesia, & Christo gloriæ: Hilarium Gallum venerandum, & Ecclesiæ Catholicæ aduersus Hæreticos acerrimum defensorem: Ambrosium excellentem Dei dispensatorem, sibique vt Patrem in Christo venerandum: Gregorium de partibus orientis magni nominis, & celeberrima fama illustrem Episcopum; Basilium sine vlla ambiguitate Sanctum: Ioannem Constantinopolitanum Sanctum Episcopum; Hieronymum Græco, Latino insuper, & Hæbreo eruditum eloquio. Ad extremum, infert, Pelagium appellans. His tot, ac tantis molibus virorum Sanctorum, Doctorumque vallatus, adhuc causam nostram putabis, nullum assertorem de tanta multitudine inuenire potuisse? An tantam consensionem Sacerdotum Catholicorum conspirationem dicturus es perditorum? Mirum profecto si in facie hominis tantum interuallum est inter frontem, & linguam, vt in tantis reprehendendis Doctoribus, frons non comprimat linguam. O, si nunc e monumentis surgerent, si vobis ora illa sua ieiunijs lurida, si oculos lectione cæcatos, si canitiem curis acceleratam, si vibices, si cicatrices, si vulnera, si manus truncatas, præcisas auriculas, si stillantes sanguine neruos, si eruta viscera, si præcisa capita vobis ostenderent, & dicerent, ista passi sumus, ne veritatem desereremus; ista passi sumus, vt eam vos, etiam e sepulchro doceremus: ista passi sumus, vt si nec vox, nec scripta nostra ad vos peruenirent, merita docerent: si Codices non legerentur, coronæ testarentur; si testes tacerent, sanguis, e terra clamaret. Quod optimum habuimus, eius vos hæredes scripsimus, veritatem: ac ne quis testamenta, Codicillosq; violaret, sanguine obsignauimus. Rogo quid respondere tis sic dicentibus, quæ vobis argumenta, succurrerent? Quæ Aristot. Cathegoria? quæ vestrorum argumentorum vel acies vitreæ, vel plumbei pugiones in illorum conspectu exeri audebunt? quę vos non arma fugient, nudosque destituent? Anfortè dicturi istis nemine m vos ex illis damnasse, neminem reprobasse? Quid facietis, cum iam vobis, e vestris Rabinis ostendero quod non solum nomina illorum dente maledico laceraſtis: sed fidem etiam reprobastis, cuius merito scripta sunt illorum nomina in cœlo?

Lutherus, in Epistola ad Equitem Germanum, Anno 1521. scripta, protestatur, se prorsus, nullius quantumlibet Sancti Patris authoritate, cogi velle, nisi quatenus iudicio diuinæ scripturæ probatus fuerit. Addit deinde, In omnium Patrum scriptis multos inueniri errores, sæpè sibi ipsis repugnare, sæpè inuicem dissentire, scripturas torquere, Augustinum sæpè solum disputare, nihil definire: Hyeronimum in Commentarijs ferè nil afferere. Quod verò hactenus à Scholasticis Doctoribus, ad Ecclesiasticos reuocarit. Non sic, ait, ad eos, prouocaui, vt omnia eorum vera arbitrarer, sed quod propriora veritati senserint, quam Scholastici, qui ferè nihil veri habent reliquum.

In eodem loco, etiam Concilia superbissime reijcit dicens: Siue Papa, siue Patres, siue Concilium, sic aut sic sentiat, nemini esse debet in præiudicium: sed abunde quisque in suo sensu, in eis rebus, quæ necessariæ sunt ad salutem. In libertatem enim vocati sumus, &c.

Idem rursus contrarium asserit. Nam

anno

anno eodem vocatus in conſeſſum Principum & ordinum in Comitijs Vormatienſibus, & à Doctore Veo, admonitus, ne ſuo priuato ſenſui innixus, in propoſito ſuo perſeueraret: neuè Concilia, ita audacter, & impudenter criminaretur: è quorum legibus multa bona in Eccleſia Dei prouenisſe certum eſt, reſpondit, quod nõ omnia repræhenderit Concilia, ſed tantum Conſtantienſe, ob hoc potiſſimum, quod verbum Dei damnauerit, idq: in articulo hoc, Ioannis Huſſ. ibi damnato, Eccleſia Chriſti, eſt Vniuerſitas prædeſtinatorum.

Idem, in libro contra Regem Angliæ. Ego vero, inquit, aduerſus dicta Patrum, hominum, Angelorum, Dæmonum, pono non antiquum vſum, non multitudiné hominum, ſed vnius æternæ Maieſtatis verbum: Euangelium, quod ipſimet coguntur probare. Hic ſto, hic ſedeo, hic maneo, hic glorior, hic Triumpho, hinc inſulto, Papiſtis, Thomiſtis, Henriciſtis, Sophiſtis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum, quantumlibet Sanctorum, aut cõſuetudini fallaci: Dei verbum eſt ſuper omnia, diuina Maieſtas mecum facit, vt nil curẽ, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ, cõtra me ſtarent: Deus errare, & fallere nõ poteſt. Auguſtinus; Cyprianus, ſicut omnes electi errare potuerunt, & errauerunt. Item Si ſolius noſtri, ſumus, quis eſt iſte ſtolidus Rex, qui ſuis mendacijs, nos Papæ facere molitur? Nos non ſumus Papæ, ſed Papa noſter eſt: Noſtrum eſt, non iudicari ab ipſo, ſed ipſum iudicare: Spiritualis enim à nemine iudicatur, & ipſe iudicat omnes, quia verum eſt, omnia veſtra, etiam Papa quanto magis ſordes iſtæ, & labes hominum: Thomiſtæ, & Henrici.

Item, Miſſam itaque extorſimus, & triũphamus, aduerſus aſſertorem Sacramẽtorum. Triumphata vero Miſſa, puto nos totum Papatum triumphare. Nã ſuper Miſſam, ceu rupem, nititur totus Papatus, cũ ſuis Monaſterijs, Epiſcopatib⁹, Collegijs, Altaribus, miniſterijs, & doctrinis, atque adeò cum toto ventre ſuo. Quę omnia ruere neceſſe eſt, ruente Miſſa eorum, Sacrilega, & abominanda. Cochleus in vita Lutheri.

Idem, vt legitur in Conuiualibus ſermonibus, tale de SS. Patribus, iudiciũ aliquã do protulit, Auguſtinũ (hab ich lang, in ban gethan) Auguſtinum iamdiu excõmunicaui. Hyeronimus (iſt ein Nõnen lieber,) Hyeronimus eſt Monialium amator. Chriſoſtomus (iſt ein ſuetzer.) Chriſoſtomus eſt Rabula: Ambroſius nil aliud ſcit, quam orare, & ieiunare, Gregorius prorſus nil valet. Non eſt liber ſub ſole, cum Apologia Philippi comparandus.

Et alio loco, vt idem citat Aurifaber, Gregorius fons, & author fabularum eſt, quam valde tenuiter cognouit Chriſtũ, & eius Euangelium: Chriſoſtom. nil eſt aliud, quam loquaculus. Baſilius totus eſt Monachus, & planè nil valet. Hyeronim. diabolicas emiſit voces. Et addit. Quin te cõculcamus Hyeronime, cum tua Betleẽ. Cucullo, & deſerto. Originem iampridem exploſi.

Et, titulo, de Patribus, Hyeronimus legi poteſt, propter ſolam hiſtoriam. Nã fidei, & veræ religionis, ne ſemel quidem, in ſuis ſcriptis meminit. Origenem iam olim excõmunicaui. Chriſoſtomũ nullo loco habeo, nil eſt enim, niſi loquaculus. Baſilius planè nil valet, totus eſt Monachus, ego ne pili illũ facio. Apologia Philippi Melanchtonis, ſuperat omnes Doctores Eccleſiæ, etiam ipſum Auguſtinũ. Itẽ Hyeronimus inter Doctores Eccleſiæ numerari non debet, fuit. n. Hæreticus. Credo tamen illum ſaluatum, per fidem in Chriſtum. Nihil loquitur de Chriſto, niſi quod nomen illius in ore ferat. Nullũ inter Patres ſcio, cui ita ſim inimicus, atq; Hyeronimo: nihil enim ſcribit, niſi de ieiunio, de delectu ciborum, & de virginitate. Cyprianum infirmum Theologum appellat. Tertulianum, inter patres, nõ aliũ fuiſſe perhibet, quã inter Euangelicos ſit Carolſtadius (eum porrò Philippus facit hominẽ ferum, ſiue ingenio, ſine doctrina, ſine ſenſu communi.) Quid quod, & Apoſtolis ignorantiam tribuit: eodem Aurifabro teſte. Abrahàmi, inquit, Hiſtoriã nemo rectè intellexit, à temporibus Apoſtolorum, & ne ipſi quidem Apoſtoli, Abrahami fidem, ita prædicarunt, & ſuis coloribus, ita depinxerunt, vt merebatur: & miror Moyſen tam ſimpliciter eius me-

miniſſe. At Eraſmum quoque, de ſeruo arbitrio, ſcribens. Deponite, inquit, quicquid armaturæ ſuppeditant Orthodoxi, veteres; Theologorum Scholæ: auctoritas Conciliorum, & Pontificum conſenſus, tot ſæculorum ac totius populi Chriſtiani. Nihil recipimus niſi ſcripturas, ſed ſic, vt penes non ſolos ſit certa auctoritas interprætandi. Quod nos interprætamur hoc ſenſit Spūs S. quod adferunt alij, quāuis magni, quāuis multi, a Spiritu Sathanæ, & alienata mente, profectum eſt.

Idem, accepto Nuncio, quod Concilium indictum erat, librum illico de Cōcilijs confecit: in quo conatus eſt oſtendere, liberum eſſe cuique Chriſtiano, Cōciliorum Decretis vel obedire, vel non obedire. Producit in medium Concilium Apoſtolorum, Hyeroſolimis celebratum, in quo decretum erat abſtinendum eſſe à ſanguine, & ſuffocato: & ita, rem torquet, & retorquet vt Chriſtianis omnibus vel ab huiuſmodi cibis abſtinendum cenſeat, vel Concilijs non eſſe obtemperandum perſuadeat. Quæritur deinde, optimus ille abdominis ſeruus, in quanta miſeria viuerent Chriſtiani, ſi per iſtam Apoſtolorum legem, non liceret eis veſci Capreis, Ceruis, Cuniculis, anſeribus, turdis, cæteriſque auiculis, & quod miſerius eſt, abſtinere Lucanicis, & id genus farciminibus: deinde, & iuſculis quibuſdam, quæ non ſolum pipere condiuntur, ſed etiam ſanguine (optimus enim erat artis culinariæ Myſtes), vel liquido tinguntur vel craſſo, & coagulato infarciuntur.

Pergit deinde, ad Nicœnum primum Concilium, cuins in Eccleſia Catho. ſumma ſemper fuit authoritas. Loquens itaq; de eius Canonibus. Sic omnes, inquit, illi articuli, fœnum, ſtramen, ligna, ſtipulæ fuerunt.

Et infra, De illis, ait, ligneis Cōcilij articulis, reliquiæ manſerūt, quaſi aliqui, ticiones: nēpè, articulus, de feſto Paſcatis.

Et alio loco, Putas ne, inquit, adeò eſſe tenue, aut anguſtum officiū Parochi, aut Ludimoderatoris? vt nō poſſint aliqua ex parte conferri ad Concilia? dicam, & quidem amplius, maius lumen accedit doctrinæ Chriſtianæ, ex Cathechiſmo puerili, quam ex omnibus Concilijs.

Et infra. Et quid opus eſt verbis, etiāſi omnium Synodorum decreta poſſent, per infundibulum demitti, in tuum corpus, tamen nondum eſſes Chriſtianus, quia nimis parum conferunt.

Idem, in Serm. II. ſuper illud Matth. 7. Attendite, à falſis Prophetis. Hoc, inquit, Euangelium ſubuertit funditus, & radicitus Papatū, & omnia Concilia, quia nou tenemur ſeruare, quod PP. præcipit, & homines conſtituūt. Ideò adhuc ſemel dico, capite hoc Euangeliū, quia neq; Papæ, neq; Concilijs, neq; vlli hominū cōmiſſum eſt, vt cōcludat, quid ſit fides, quia dicit: Cauete à falſis Prophetis. Oportet igitur, Euangeliū mētiatur, aut PP. ſimul cum Concilijs. Ideò debeo dicere PP. Tu concluſiſti cum Concilijs, nūc habeo ego iudicium, an acceptare queā, necne. Quare, quia nō ſtabis pro me, & reſpondebis, quando debeo mori, & falſam doctrinam nemo iudicare poteſt, niſi ſpiritalis homo: Ideò res eſt inſana, quod Cōcilia ſtatuere, & concludere volunt, quid credendū ſit: cū ſæpè nullus ibi vir ſit, qui diuinum Spiritum vel modicū olfecerit, ſicut contigit in Concilio Nicæno, vbi tractabant, & volebant leges condere, ſuper ſtatu Eccleſiaſtico, ne eſſent in Matrimonio. Ibi iā erant oēs falſi, tūc procedebat vnus tantū homo Paphutius, & refutauit hoc totū dicēs. Nō ita, hoc nō ē Chriſtianū. Tūc totū Conciliū oportuit, ab iſta cōcluſione deſiſtere. Propterea eſt verū Adagiū. Qui docti ij, ſubuerſores, quia Deus altis titulis, & humanæ ſapientiæ, valde inimicus eſt.

Sed quid nos, Patres, & Synodos, à Luthero conuitijs oneratos memoramus: Chriſtum ipſum verū Deū quibus ornet, Elogijs in Tomo 4. Latino Lenæ impreſſo 1558. legitur. Omnes, inquit, Prophetę viderunt in Spiritu, quod Chriſtus futurus eſſet omnium maximus latro, homicida, adulter, fūr, Sacrilegus, Blaſphemus, quo nullus vnquam maiōr fuerit.

Illyricus, in libro de norma ac praxi Concilij Tridentini, impudentiſſimè calumniatur, Catholicos: cum dicit. Clamāt illi (Concilij ſcilicet Patres,) Eccleſiam, ideſt Pontificem, cum ſuis ſpiritualibus, eſſe ſupra ſcripturam, & Papā poſſe

ex

ex plenitudine poteſtatis contra Apoſtolos, & totum vetus teſtamentum diſpenſare. O calumniam pſeudo Euangelicã.

Sed ſimilem calumniam Kemnitius, mẽdaciorum cornucopiæ, Catholicis affingit. Dicunt, inquit, (Patres videlicet Concilij) quod Papa habeat voluntatẽ, pro ratione: in his quæ vult, quod poſſit formam Sacramentorũ, ab Apoſtolis traditam immutare: quod contra Epiſtolas Pauli poſſit ſtatuere: quod diſpẽſare poſſit, contra quatuor prima Concilia, & cõtra verba Euangelij.

Caluinus, lib. 4. Inſtitut. cap. 9. Quoties, inquit, Concilij alicuius decretum profertur, expendi primum diligẽter velim, quo tempore habitum ſit, qua de cauſa habitum, & quo conſilio: quales homines interfuerint. Deinde illud ipſum, de quo agitur, ad ſcripturę amuſſim, examinari: idq; in eum modum, vt Concilij definitio pondus ſuum habeat, ſitq; inſtar præiudicij, neque tamen examen, quod dixi, impediat.

Idem li. 3. c. 4. Inſtit. Omnes fere veteres, inquit, quorum libri extant, aut hac in parte lapſi ſunt, vbi de ſatisfactione agitur, aut nimis aſperè, & durè locuti ſũt.

Idem, cap. 5. Ante mille trecentos annos vſu receptum fuit, vt precationes fierent pro defunctis, ſed veteres omnes fateor in errorem abrepti ſunt.

Idem lib. 4. cap. 3. Non in totum excuſare audeo veteres: quin, & ſuperſtitiones quædam ſemina iecerint, & occaſionem præbuerint Tyrannidi; quæ poſtea excitata eſt, & tunc paſſim inualuerat, ſuperſtitioſa Quadrageſimæ obſeruatio: quia & vulgus eximium aliquod obſequium præſtare ſe Deo in ea exiſtimabat, & Paſtores eam commendabant, pro ſancta Chriſti imitatione.

Singulos etiam Patres, ab omni antiquitate laudatos, ſingularibus conuitijs, & maledictis, indigniſſime lacerant, Euãgelici caupones: diuini illius Dionyſij Areopagitę opera, ſomnijs ſimillima, nec nõ pernitioſiſſima facit impuriſſimus Lutherus: cum ait in lib. de Capt. Babylon.

At dices, Quid ad Dionyſiũ dices, qui ſex enumerat Sacramenta, in quæ & ordinẽ ponit in Eccleſiaſtica Hierarchia? Reſpõdeo, Mihi, vt magis temerarius ſim, in totum diſplicet tãtum tribui, quiſquis fuerit Dionyſio illi: cum fermè nihil in eo ſit ſolidæ eruditionis. Nam ea quæ in cæleſti Hierarchia de Angelis comminiſcitur, in quo libro ſic ſudarunt curioſa, & ſuperſtitioſa ingenia: qua rogo authoritate, aut ratione probat? Nonne omnia ſunt illius meditata, ac propè ſomnijs ſimillima ſi libere legas, & iudices? In Theologia non, myſtica, qua ſic inflatur ignorantiſſimi quidam Theologiſtę, etiã perniciоſiſſimus eſt, plus Platoniſans, quã Chriſtianiſans: ita vt nollem fidelẽ animum his libris operam dare, vel minimam. Chriſtum ibi à Deo non diſces, vt ſi etiam ſcias, amittas. Expertus loquor, Paulum potius audiamus, vt Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum diſcamus.

Mihi non fuerit operoſum meliorem Hierarchia ſcribere quàm Dionyſij ſic cũ ille Papam, Cardinales, Archiepiſcopos, ignorarit, & Epiſcopum fecerit ſupremũ, & quis tam tenuis ingenij, qui Allegorijs non queat laborare?

Idem cum Luthero ſentit Vittakerus Sacramentarius, cũ reliquis omnibus Anglicis Miniſtris: ſic enim ad Campianum loquitur: Hierarchias veſtras, gradusque multiplices, Angelorum, libẽter ignoramus, atq; hanc ſcientiam vobis omnem permittimus, quibus hæc myſteria Dionyſius ille patefecit. Alio porrò loco Dionyſium quidem fuiſſe concedit, ſed non Areopagitam.

Cauſſeus quidam, terræfilius in Gallia Dionyſium delirum ſenem appellat. Dialog. 5. & 11.

In Epiſtolis Ignatij deformes nævos, & putridas nænias, ait, inueniri Caluinus, lib. 1. cap. 14. Inſtit. Et alio loco. Ignatiũ quod obtendũt, ſi vellint quicquàm habere momenti probent Apoſtolos legẽ tuliſſe, de Quadrageſima, & ſimillibus corruptellis, Nil prorſus nænijs illis quæ ſub Ignatij nomine editæ ſunt putidius.

Et in libello quẽ inſcripſit, Impietas Valentini, detecta, & traducta: Nænias, ait, quæ ſub Ignatij nomine ferũtur, omitto, qua tamẽ in parte iterũ, vel nequitia, vel inſania, eiuſdẽ Valent. conuincitur dum magnifice iactat Ignatium, locutum eſſe,

cum

cum Virgine Maria, & eius nomine Epistolam venditat, pudendis Monachorum delitijs refertam.

Ireneum, aiunt Centuriatores, nescio quid fanaticum edidisse, Cent. 2. cap. 5. Idē sentit Vittakerus Anglus in responsione ad Campianum.

Clementem zizania, fecesq; protulisse testantur, Cent. 1. lib. 2. cap. 10.

Hyppolitum Portuensem, scriptorem infantissimum, & laruam vocant, ijdem Centuriatores.

Iustinus Martyr, formam eius disciplinæ consecrandique morem, quo Christiani in sacris Conuentibus vtebantur. In Apolog. 2. ad Antonium descripsit. Eam porrò Caluinus vocat Magicam incantationem lib. 4. cap. 14.

Cyprianum Martyre illas Africæ delicias, Caussens Gallus, & Magdeburgici, stupidum, & destitutum Deo, & deprauatorem pœnitentiæ nuncupant. Dialog. 8. & 11. Cent. 3. cap. 4.

Origenem, nullius iudicij hominē Hesusius vocat, in libro de seruo arbitrio: Origenes, ait, homo doctus, immensi laboris, admirandæ diligentiæ: verū nullius iudicij, quod ad verum intellectum, sacrarum literarum attinet.

Ac paulò post: Vix vllam Pauli sententiam, absque insigni, & pernicioſa depravatione exponit: nobilissima vero testimonia, quæ sunt fons omnis consolationis, non sine blasphemia inuertit.

Quibus Beza addit, in tertium cap. ad Romanos: certè hoc ausim dicere, Origenem, hominem fuisse, selectum Diaboli organum, qui & in præfatione Noui Testamenti optimorum, etiā temporum Synodis, Sathanam præfuisse, non Spiritū Sanctum affirmat.

Chrisostomum iustitiam fidei, fæde obscurasse in præfatione, Cent. 5. affirmant. Caluinus autem, tametsi, inquit, præ alijs Græci, atque inter eos Chrisostomus in extollenda humanæ voluntatis facultate, modum excesserint, veteres tamen omnes excepto Augustino, sic in hac re, aut variant, aut vacillant, aut perplexe loquūtur, vt certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat. Confess. lib. 2. sect. 4.

Nazianzenum, Caussens fabulatorem facit, qui nesciat quid affirmet. Dialog. 6. 7. & 8.

Hieronymum, Lutherus facit Hæreticum, qui inter Ecclesiæ Doctores numerari non debet, quia nihil loquit de Christo, nisi quod nomen illius in ore ferat: Nullum, inquit, scio inter Patres, cui ita sim inimicus, atque Hieronymo. Aurifab. tit. de Patribus.

Et in lib. contra falsonominatos Episcopos, Commentaria, ait, Hieronymi, & Origenis in Epistolas Pauli, nil sunt, nisi nugæ, si cum ijs quę Philippus in eadem edidit, conferantur.

Spangebergius, scribens contra Genepen. & Centuriatores, Hieronymum esse volunt hæreticum, & Vigilantiū Catholicum: Sic enim loquuntur. Hieronymū Vigilantij quidem scripta conuellere, parum firmis rationibus, & cōuitijs magis, ac importunitate, quam argumentis eum superare.

Caluinus quoque impius, impium esse vult Hieronymum, propterea, quod pœnitentiam esse vult secundam post naufragium tabulam, sic enim ad verbum loquitur: Ementitum hoc sacrum ornarunt, quo docebat elogio, secundam esse tabulam post naufragium, quia si quis vestem innocentiæ, in baptismo perceptam peccando corruperit, per pœnitentiam reparare potest. Sed dictum est Hieronymi: cuiuscumque sit, quin plane impium sit, excusari nequit.

Beza quoque Caluini fidus Achates, Hieron. æquè damnatum facit, ac Diabolum, iniuriosum Apostolo, blasphemum, scæleratum, impiū, In acta Apost cap 23. Ego, inquit, alio loco, coram Deo, & Angelis ipsius affirmo, intollerandam esse multis in locis: in detorquendis scripturis Hieronymi audaciam, quod fatebitur quisquis, vel ea diligenter legerit, quæ in Iouinianū aduersus secundas nuptias, & aduersus Vigilantium de mortuorum inuocatione differit. In cap. Actorum 22.

Gregorium magnum negat, in Schola Spiritus Sancti educatum, Caluinus: propterea, quod sacras imagines illiteratorum libros appellasset, lib. 1. cap. 11. Insti-

tut.

tut. Vittakerus verò, nec Apostolũ fuisse, nec Angliæ Apostolum contendit: quamuis postea subiungat, quod nõ omnino essent auersi à Gregorio, quem esse volunt Episcoporum Ecclesiæ Romanæ bonorum vltimum, malorum primum.

Augustinum semper quidem infæliciter, sed nusquam infælicius in sacris scripturis enarrandis versatum, aiunt, Scotici Ministri, quam in Psalmorum interprætatione, In Apolog. Gregorius vero Massouius vnum Caluinum pluris se facere testatur, quam centum Augustinos, Citat Stankarus in confessione.

Sneppius quoque lib. de Eucharistia, Manifestum est D. Augustinum haud leuium errorum semina, vel iecisse, vel ab ab alijs iam sparsa auxisse, atque confirmasse.

Gentilis, in censura, de Patrum scriptis Magistrum imperiosum appellat, sæpeq; præter meritũ optimi scriptoris probrose tractat obijcit illi vti, & nobis (ait Aretius) Quaternitatem, Magicum scriptorem, & Sophistam vocat, Imaginariã appellat essentiam, vnam & trinam, & Augustini Deam: Vt tamen inuidiam apud pios declinet. Non dubitat affirmare si Augst. viueret, & supereſſet in hac Euangelij luce, libros suos de Trinitate scriptos, ipsemet in ignem conijceret.

Thomam, Angelicum illum Doctorẽ, mille locis ridet, & exsibillat, Lutherus. Scotici vero Ministri rudem prorsus, & indoctum appellant, damnatisq; olim hæreticis sociant. In Apolog.

De Leone Pontifice doctissimo, sic loquitur Caluinus, Erat quidem ille, vt eruditus, & facundus, ita gloriæ, ac dominationis, supra modum cupidus, lib. 4. Instit. cap. 7.

Iulium, Clementem, Leonem, Paulũ, Pontifices Romanos, nihil aliud de Christo perhibuisse, idem Caluinus perhibet, quam quod didicerãt in Schola Luciani.

Athanasio, iniquior est Vittakerus Anglus, tum quod tam grauis author, tam accurato libello Antonium Heremitam dilaudauerit, tum quod Fælicem Rom. Pont. vna cum Synodo Alexandrina per Epistolam appellauerit, de qua sic loquitur. At hæc Epistola, tota suppositicia est, ex assentatione intolleranda, & crebris mendacijs concreta.

Longe tamen impudẽtius de Athanasio latrat potius, quam loquitur, impudentissimus ille canis Valent. Gentilis, sicut de eo testatur Caluinus, in scripto quodã ei libello adiuncto, qui perfidiæ, supplicijq; historiam continet. Athanasiũ, qui Synodo Nicænæ præfuit sophistã vocat, quod quartum quendam nouum Deũ inducat: falsitatis damnat, Sabellio coniungit: triperſonatum Deum exprobrat, in eius ineptias inuehitur, sacrilegij crimine onerat, quod soluat Christum, Nicæni Symboli facit corruptorem: & Symbolum eius Athanasianum, nugas nõ eru bescit dicere.

Prudentium cum de Martyribus scriberet sui oblitum, ait Vittakerus, dicẽs. Hoc eum feciſſe, nõ vt Chriſtianum, sed vt Poetam, altiores, ait, eo tempore radices in Ecclesia mos superstitiosus egerat, Diuos implorandi; qui quasi tyrannus sanctos Patres adduxit in errorem; In responsione ad Campianum.

Ambrosium modo non ridet Vittakerus, quod Gerua sium, quibus erat dignus laudibus ornauerit. Facilè, ait, permitto, vt suum Gerua sium, quantum volet Ambrosius honestet, atque ornet. Ibidẽ. Eundem à tetro Cacodæmone fascinatum affirmat, Cauſſeus Gallus.

Reliquos Ecclesiæ Patres omnes, & Doctores, per quos solos se sapere Orthodoxorum virorum examina libentissime confitentur, iustitiam fidei fæde obscurasse, blasphemias, & monstra posteris suis reliquisse: doctrinam pœnitentiæ mirè deprauasse, Centuriatores plusquã in centum locis, & Martyr, & Vermilius, & reliqua cohors Euangelica vociferatur: quibus hoc nomine quasi coronam triumphalem decernit Vittakerus, cum ait. Quisquis verum dicit, in eo potior est, vniuersis, qui verum videre non potuerunt. Itaque, qui vel horum Patrum, quos nominasti, vel cæterorum quos hic simul commemoras Athanasij, Optati, Hilarij, Cyrilli, Epiphanij, Basilij, Vincentij, Fulgentij, Leonis, Georgij, errores deprehenderunt laborem Ecclesiæ necessarium, & pijs omnibus pergratum, atque

que vtilem susceperunt, Miras enim, ait iterum, expositionum pugnas, dissensiones q; in Patribus animaduertimus, Augustinus Paulum existimat ingenuè atq; ex animo in Epistola ad Galathas locutum, Hieronymus simulate, si hunc probas, illum improbes necesse est, vtriq; nõ potes assentiri. Quid autem est, ait paulò post, quo minus horum singuli, Lutherus scilicet, Zuinglius, & alij, tam potuerunt scripturas fideliter enarrare, quam ij, qui sæculis aliquot anteceſſerunt (Augustini scilicet, vel Hieronymi) quid istis defuit? quod illi habuerunt? quæ ars? quæ lingua? quod subsidium?

Sed, & ante Vittakerum, ita scriptum de omni antiquitate reliquit Pomeranꝰ. Nostri, inquit, Patres, siue Sancti sint, siue non Sancti, nil moror: excæcati sunt Montanico spiritu, per traditiones humanas, & doctrinas dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium. Et iterũ. Non debetis Patribus credere, quia ex vno ore calidum, & frigidum efflant. In Comment. in Ionam.

Id autem à Magistro suo didicisse videtur, qui in hoc genere genio suo dignam ausus est de omnibus Patribus pronuncia re sententiam. Omnes perierunt, si senserunt, vt scripserunt, nisi fortè, qui resipuerunt, ante supremum vitæ diem.

Vilnenses quoque, & Lublinenses in Patria nostra Sathanæ Ministelli, Patres omnes Patrasſos, per contumeliam appel lare consueuerunt.

Sed, nec ipsis quidẽ Prophetis, & Apostolis pepercerunt, Euangelici Cerberi. Impius Caluinus, de impio testatur Quintino, quod vnumquemq; Apostolorum aliquo scommate notauerit Matthæum vocando fæneratorem, Paulũ vas fractum, Petrum abnegatorem Christi, Ioannem iuuenem stolidulum: Ipse vero nihilo Quintino melior, sanctissimos Patriarchas, & laudatos in scriptura viros sceleratè subsannat. Sara, ait, multis modis peccauit, Rebecca Dei veritatem in posteris corrupit, Machabæi superstitiosi sunt, Abraam Idolatra, Samson vindictæ cupidus, Zephora stulta, & similia blaterat.

Audet, & impurus Beza, vt testatur Sanctius in Responsione ad Apologiam, Caluinum suum non tantum exæquare Apostolis, sed etiam in Cænæ intelligentia valdè præferre, Orthodoxis certè, & Apostolicis Scriptoribus omnibus in vniuersum, qui vnquàm fuerunt, tã in Christiana fidei, veritate cognoscenda, quam in scripturarum interprætatione, tantum anteponit, vt vnicum illum nusquám lapsum: alios omnes, vt vmbras volitasse, & oberrasse definiat.

Quid, quod in oppido Tonon, Bolesco teste, Caluinista quidam in magna hominum celebritate dicere, pro Concione non erubuit. Dominus meus Caluinus, Paulo Apostolo doctior, plura ex Dei secretis nouit, quam ille.

Extant Theses quædam, de Ecclesia, Ioannis Reynoldi, Rupellæ æditæ, quæ cum publice disputarentur, productus est in medium ille Cypriani locus lib. 1. Epistola 3. vbi testatur perfidiam ad Romanos accessum habere non potuisse. Ibi verò exclamasse Reynoldus legitur. Da veniam Cypriane, libenter tibi crederem, nisi tibi credens, non crederẽ verbo Dei.

Luth. viciſſim, Philippi, locos cõmunes, inuictum libellum appellat, non immortalitate modo, sed Canone Ecclesiastico, dignissimum.

Idem se, de ijsdem Locis credere Strigelius quoque hoc disticho expressit.

Explicet, inuicti, qui sic oracula Chri,
Nullũ, hoc terris sanctius, extat opus.

Selecterus quoq; Lypsensis Minister, Lutheri supradictum de Philippo iudicium, verè verum esse, singulis diebus se magis magisq; intelligere, in præfatione in Genesim testatur.

Quid, quod Lutherus Philippum, modo non exequat Apostolo Paulo: Volumus, inquit, Paulo suam quoq; gloriam saluam: ne quis iactet Philippum Paulo esse superiorem, vel æqualem, sufficit tibi, te Paulo esse proximum, Philippe.

His, & eius generis, laudibus, & Encomijs, ita cæcum Philippum, transuersum egit, perditus Lutherus, vt hunc qui sequitur triumphum sibi decreuerit, in suis locis communibus. Scripsere inquit, de libero arbitrio, Augustinus, & Bernardus,

nardus, & ille quidem sua posterioribus libris, quos aduersus Pelagianos edidit multipliciter retractauit, Bernardus non est similis sui. Sunt hac de re etiam apud Græcos quædã, sed sparsim. Ego, quandoquidem non sequar hominum opiniones, & simplicissime, & planissime rem exponam, quam ferè obscurarunt auctores, tum veteres, tum noui.

Alberus, scribens aduersus Carolstadium, Pro comperto habeo, ait, quod qui à Deo in Doctoris Martini Schola edocti non sunt, nil quidquam de Deo sciant, quamuis multa prædicent, idque in vno Caluino pater, Immò paulò inferius profitetur neutiquàm se dubitare D. Augustinum si viueret Doctoris Martini, discipulum, sine vllo pudore se professurum.

At Beza aliter, qui Castallionem, & alios sępè in scripturis lapsos putat, quod Caluini libros euoluere, & consulere nõ ad modum curarint. Testis Sanctius.

Dauid quoq; Chytreus, de studio Theologiæ recte inchoando tractans: ad eruditionem spiritualem, & sapientiam illam, Ecclesiæ peculiarem, & mundo ignotam, de gratia Christi, & Iustitia fidei, rectè intelligenda, longe plus conducet, vnicus Lutheri in Epistolam ad Galathas, commentarius, quam omnia Hieronymi, Basilij, Cyrilli, Origenis, Nazianzeni, Epiphanij, Hilarij, & plerorumq; Patrum opera, in vnum collata.

Et paulò post, Propriam verò Euangelij, de gratia Dei, & Iustitia fidei doctrinam, quæ præcipuum, & propriũ Ecclesiæ patrimonium est, leuissimè attingunt Patres: aut polyticis opinionibus de Iustitia legis obscurant, & deprauant.

Cyriacus Spangebergius. A temporibus Apostolorum ad hæc nostra, neminẽ planè fuisse, qui post Paulum, Pauli mentem, & totius sacræ Scripturæ intelligentiam, exactius, perfectius, plenius D.M. Luthero assecutus sit, sub medium istius libri, ait, in quo contumeliosissime exagitandum suscepit, Stephanum Agricolam: vbi etiam hoc distichon tuetur.

Christ' habet primas, habeas tibi Paule secundas:
Ast loca post illos, proxima Luther habet

Neãder porrò subinde Lutherũ virũ Dei vocat, Prophetam Germanicũ: Tertium Eliam, Doctorem Ecclesiæ omniũ maximum.

Sed hic mihi vicissim mirabilem vide Ministromachiam, Quã foueam ante faciem Catholicorum foderãt, in eam ipsi inciderunt. Lutherani, cum Catholicis disputantes, Patres, vt diximus, & Concilia reijciunt, at eosdem vicissim cũ Caluinistis disputantes, recipiunt: Caluinistæ vicissim cum Lutheristis disputantes reijciunt, cum Tritheistis disputantes recipiunt: pleni sunt eorum libri, & ad manum est Illyrici testimoniũ in Præfatione Demonstrationum suarum. Ait, ille, Sanè verissimũ indubitatumq; est, quod nisi Ecclesia Dei, synceriq; Doctores, ac Sancta Concilia, tunc istis adeò claris, expressis, aptis, ac pertinentibus verbis essentiæ, substantiæ, aut hypostasis, & cõsubstantialitatis, in declaranda filij Dei diuinitate, vsi fuissent: easq; de Deo, diuino logo, aut verbo, constantissime asseruissent, nunquàm profectò satis explicatum fuisset, quidnam esset, aut non esset, illud mysticum verbum.

Similiter Caluinus, cum suis Geneuẽsibus Ministellis, Valentini Gentilis perfidiam refutans, eos vicissim Doctores, quos ad infernum detruserant, è tenebris eruunt: summoq; cœlo locant: id videre est, in examine impietatis Gentiliciæ, qui subinde scripturis scripturas opponebat, coguntur miseri Caluinistæ, resorbere, quod vomuerant, Nil ante iactabãt frequentius, quam Patres esse nænijs plenos. Nunc vicissim Gentilis blasphemias refutare cupientes, cum id sine Patrum testimonio, & authoritate non possent, Sunt quidem, ait, omnium nomine Caluinus, sui in Patribus næui (quis enim hoc neget) sed tales, vt fundamentum diuinitatis saluum retineant, quo sublato, quam fuisse illorum fidem, & quam Ecclesiam arbitrabimur? Pleno itaq; modio, Patrum authoritates effundũt, Martialem ad Burdegalen. Cyprianũ in Symbolo, Nazianzenum. Tertullianum aduersus Praxeam; Athanasium contra Arianos, Hylarium de Trinitate, &c. Immo Indicem, in facie libelli patrum Orthodoxo-

doxorum appoſuerunt, quorum authoritatem Gentili opponunt, & quo quiſque tempore vixerit annotarunt, Iuſtinũ, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Cyrillum, Athanaſium, Euſebium, Hilariũ, Baſilium, Nazianzenum, Ambroſiũ, Hieronymum, Damaſcenum, Chriſoſtomũ, Rabanum. Sed etiam Alexander Aleſius, Lypſicus Theologus, in aſſertione doctrinæ Cathol. & Confutatione errorum Gentilis de Trinit. omiſſis ſacræ Scripturæ locis, præter quam tamen nil eſſe admittendum, & ipſe, & omnis Lutheromanicus grex, ad rauim vociferari conſueuerunt, Patrum, ſtatim authoritatem opponit. Non ſatis hoc, Traditionem addit: Non ſatis hoc, & Concilia: Non ſatis hoc, & Codicem Iuſtiniani: Non ſatis hoc, & Eccleſiæ hymnos. Verba ſunt eius propria. Non voco doctrinam de S. & individua Trinitate in dubium, nec de illa more Academico diſputo: ſcio iſtiuſmodi diſputationes in Codice Iuſtiniani prohibitas eſſe: ſed aſſeuero doctrinam de Trinitate, ſicut exponitur in Symbolo Apoſtolorum, quod ij, qui proximi fuerunt Apoſtolis, & eos, ac eorum diſcipulos audierunt, Ignatius, Polycarpus, Iuſtinus, Ireneus, Tertullianus, & alij vocant traditionem Apoſtolicam, & regulam fidei, ac docent hanc regulam opponendam præſcriptionibus hæreticorum, & confirmo hanc doctrinam ex teſtimonijs Prophetarum, & Apoſtolorũ, ſicut illi in expoſitione Symboli eam cõfirmarunt: & quemadmodum hoc explicatum, in Symbolo Nicæno, & Athanaſiano, & in Synodis Antiochiena, Conſtantinopolitana, Epheſina, Calcedonenſi, & ſequentibus, & ex eorum omnium teſtimonijs hæreſes omnes confuto. Recitabo igitur, ait, ex ordine teſtimonia interprætum ſcripturæ diuinæ: & incipiam ab Ignatio diſcipulo Apoſtolorum: deinde veniam ad Iuſtinum, & Ireneum diſcipulum Policarpi, & ad Clementem Alexandrinum diſcipulum Pantæni, & Tertullianum, & Origenem diſcipulum Clementis Alexandrini, & Cyprianum, & alios, qui præceſſerunt Nicænam Synodum. Sed, & hymnos in Eccleſia cantari ſolitos affert, in mediũ. Ait enim fol. 121. Refutantur etiam hæc (Gentilis) mendacia, ex inuocatione Eccleſiæ Cathol. Pater de Cœlis Deus, Fili redemptor mundi Deus, Spiritus S. Deus, Sancta Trinitas, vnus Deus miſerere noſtri. Item ex hymno, Te Deum laudamus. Item ex Præfatione Euchariſtiæ. Qui cum vnigenito filio tuo, vnus es Deus, vnus es Dominus.

Deo gratias. O Aleſi. Id vero nos tibi gratulamur, quod ſaltem exemplo doctus, didiciſti ſenſum Sacræ Scripturæ, vbi ea minus clare loquitur, ex factis, & dictis Patrum, & ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine eruendum eſſe: ſed eandem certè fidem, quam præſtas Patribus, in doctrina de Trinitate, præſtare quoque debebis, in doctrina de Euchariſtia, de Sanctorum inuocatione: de cultu imaginum: & alijs, Iam ne autem intelligis, quod Mendacem oportet eſſe memorem? Sed aliorum quoque teſtimonia videamus.

Extat Noui Teſtamenti Catholica expoſitio, Eccleſiaſtica 1561. à Stephano Roberto, ſine authoris nomine edita, In eius Epiſtola præliminari Auguſt. Marloratus ad lectionem ſcripturæ, Commentarios Patrum adhibendos cenſet. Neque enim, ait, refutatione dignos cenſeo, qui ſe adeò ſpirituales putant, vt ſolo Bibliorum volumine contenti, ſecurè, ac proteruè, commentarios omnes repudient. Quod enim dicunt, non alio tendit, (niſi forte ſe ipſos non intelligant) quam, vt verbi Miniſterio penitus abutantur, aut ſingulis liceat de ſublimibus Dei myſterijs, quidquid velint, ſomniare, & effutire.

Narrat præterea, Chriſti Martyr Cãpianus, ſcribens ad Academicos, quod Ioannes Quællus Anteſignanus Euangelicorum in Anglia, Catholicos ad diſputationem prouocauit, recepta, & admiſſa eorum tãtum Patrum authoritate, qui vſq; ad annum Domini 600. claruiſſent. Quæ conditio, tantum nihilominus Catholicis profuit, vt vix aliquid, illo tempore prouenerit Eccleſiæ laboranti fructuoſius. Quamobrem continuo viciſſim edictum valuis appenditur, quo prohibebatur ne iſtiuſmodi Patrũ libros, vel habere

bere quiſquam auderet, vel legere: idq; vulnus parti ſuæ ita inflictum, adeò doluiſſe, dicitur Laurentius Humfredius, vt Tuello tanquàm grauem notam obiecerit, quod quorumcunque tandem Patrum calculos, & authoritates admittẽdas atque recipiẽdas putaret. Addit ibidem Campianus, ſe è quodã Tobia Matthæo familiariter quæſiuiſſe, poſſet ne quiſpiam Euangelicarum eſſe partiũ, qui veteres Patres lectitaret. Illum vero, ingenue falſum, ait, Non poſſe, ſi pariter Patres, & legeret, & fidem illis adiungeret.

Idem narrat Ioan. Duræus Scotus in Confuta. Reponſionis Vvitakeri.

Ioan. autem Sturmius, Argentoraten. Scholarcha, ſicut cæteris in rebus omnibus, plane quid dicat, aut quid affirmet, ignorat, ita in iudicio, de SS. Patribus ferendo ſecum ipſe pugnat. In Ambroſia ad Ioannem Pappum, defendere videtur, Patrum authoritatẽ. Ait enim. Eiuſmodi vos machinas in hos duos SS. viros, Patres noſtros, Theodoretum, & Vigilũ euomitis, Dormiliumq; vocatis, eiuſmodi illud etiam tuum fuit in diſputatione contra Harmarum, Auguſtinum ſibi non conſtare: ſed cur iſtud vobis aduerſus hos Patres non liceat, cum etiam ſcripturæ locos corrumpere vobis, & male interprætãdo deprauare, à magiſtratibus impune concedatur.

In Palydonia viciſſim ad Lucam Oſiandrum fol. 9. Patres, inquit, qui duo illa loca, Ero vobiſcum, &c. Et ero in medio veſtrum, vno ore omnes de Maieſtate, & Spiritu Chriſti, etiam de carnis Energia virtute, & gratia, interprætãtur, homines fuerunt: de quibus etiã conſtat, ſæpè eos in ſcripturis ſacris interprætãdis erraſſe.

Narrat idem Sturmius parte 2. Antipapi 4. in Antiproemio, quod Ioan. Pappus Patrum ſententiæ nuper in diſputatione ſuam ſententiam anteponit, & Iacobus Andræas cũ Patrum enumerarentur multa teſtimonia, quib⁹ premebatur: interrogare, ridens, incipit, Cur non matrũ etiam adferentur authoritates: quod Sturmius nõ ferens, in Antioſiandro. At iſtud, ait, plus quam Pontificum eſt. Maior hic oriturus Antichriſtus eſt, quam in Pontificatu extitit. fol. 199.

Poſſemus examina cõuitiorum, & maledictorum adducere: quibus Euangelici Pres, & maiores ſuos τοὺς τοιούτους καὶ τηλικούτους προφήτας indigniſſime aſpergunt: cum viciſſim terræfilios, homines ſceleribus coopertos, è mẽdacijs, & conuitijs conflatos, ſupra humanam cõditionem admirantur: cœloq; ſummo locant. Extant acta colloquij Aldeburgen. cuius de iuſtificatione doctrinã ita volente Hoſio Sanderus doctiſſimus refutauit. In his Lutherum vocant Angelum Dei, tertium Eliam, Paſtorem, & Archiepiſcopum animarum, ſuarum, Tubam nouiſſimam, Electum Dei organum, Dei virũ, Chriſto, & Paulo, Deo, & Apoſtolis, vel præferunt, vel in pari dignitatis, & authoritatis gradu collocant. Hæc, aiũt, doctrina eſt ipſiſſimum verbum Dei, & Lutheri: ex verbo Dei, & ſcriptis Lutheri: Petrus, & Lutherus ita ſentiunt: diſcipulus Chriſti, & Lutheri, cape hoc tibi ò Paule, ò Luthere, Philippus habet cum Dei ipſius, tum Lutheri teſtimonia, bellum indixerunt verbo Dei Confeſſioni Auguſtanæ, & Luthero: hac doctrina ſtante ſtat Lutherus, immò Paulus, immò Deus; doctrina hac cadẽte, cadit Lutherus, cadit Paulus, cadit Deus: acquieuit Spiritui Sãcto, & Luthero; Filio Dei, & Luthero: rationem aliquando reddere cogentur, niſi pœnitentiam egerint.

Profecto ſi viueret Athanaſius, Euangelicos omnes in calcaneis depreſſum cerebrum habere diceret, ſicut olim dixit de Arrianis, Quiſquis enim Lutherum (de Manichæo ſic loquitur Auguſtinus) Chriſto, & Apoſtolis comparat, is certè ſe à Chriſto, qui miſit Apoſtolos, ſeparat, Lutherumque Chriſto ſimilem facere, eſt Chriſtum nullo prorſus loco, & ordine habere, equidem dolendum eſt, tantum potuiſſe in Germania antiquum ſerpentem, vt cum Anglis perſuaſerit Martyrem, & Foxum eſſe verum veritatis præconem, Gallis Caluinum, Scotis Buchananum, Danis Pomeranũ, Polonis Gregorium, Suecis Bouellanum, Vngaris Blandratã, ſolis Germanis perſuadere potuerit, Lutherum eſſe Chriſtũ.

Hæc

Hæc enim verba in Calendario quodam notata vidimus, ad nomen Martini Lutheri, cuius 12. diem Nouemb. sacram esse voluerunt, Hęc est secunda Natiuitas Christi. (O turpem notam nostrorum temporum)

Reprobatis porro damnatisq; Patribus, eorumq; quæ proiecta conculcataq; authoritate, quos authores in eorum locum discipulis, & auditoribus suis, legendos, & euoluendos offerant, & suadeant Euangelici: quæso te, bone lector, animaduerte. Tantopere laudatam initio Philippi Apologiam, quam olim Lutherus Canone Ecclesiastico dignam putauit, de tam alto gradu, & ordine iam vicissim deturbant. Ait Aurifaber, multis opus esse illi facibus, qui Apologiã, Augustanæ Confessionis, velit puram, putam, cernere: Locos igitur communes, & corpus doctrinæ eiusdẽ authoris; tum & Caluini Institutiones offerunt, & commendant: quod in ijs omnia, quæ ad cognitionem vnius Dei, & quod nobis reliquit, Sacrosancti verbi sui pertinent, ita pure, & perspicuè, ex omni antiquitate tradantur, vt ne maximi quidẽ nominis Theologi, modo sacræ Bibliæ vsum habeant; & ista ẽt legãt desiderare quid amplius iure possint: atque hoc esse volunt (Caluinistas intellige: aliud enim statuunt Lutheristæ) Theologastrorum suorum primum, & præcipuum, studij Theologici fundamentum, deinde præcipiunt, ne se plurium librorum Theologicorum lectione onerent: sed Plinianum illud sæpè memoria repetant, Non multa legenda esse, sed multum. Quamobrẽ à lectione omnium veterum abstinere iubent, donec eo in locis communibus, ait Chytreus, progressi fuerint studiosi, vt quorumuis scripta, ad eam quæ illis præfigitur normã reuocare exiliter possint, addit, & examen Philippi, & Commentaria in Epistolas Pauli, item, enarrationes scripturæ Lutheri, quas Vittus Theodorus collegit.

Et quia multos audiebant vehementer reclamare, quod sua probent, ea quæ Patrum sunt improbẽt: redegerunt immensa Patrum opera in locos communes, & in breuissima quædam compendia. Antonius Coruinus edidit, Augustini, & Chrisostomi Theologiam, ex libris eorundem depromptam, inq; locos communes digestam: Barthol. Vestemerus Conciliationem, Hermanus Bodius vnionem sacræ Scripturæ, & Patrum. Vrbanus Regius, Collationem, doctrinæ nouæ, siue Romanæ, ad veterem Euangelicam, & Apostolicam. Et quia multa apud Patres inueniebant, Euangelicæ suæ doctrinæ repugnantia, meliorem, & potiorem eorum partem in illis ipsis Compendijs, & locis communibus, vel neglexerunt, vel dissimularunt: aut vocibus nonnullis, vel additis, vel resectis corruperunt: idq; se fecisse in Epistola dedicatoria Theologię Augustinianæ, & Chrisosto. ille ipse Coruinus non diffitetur.

Castellio quoque, & sibi, & sui ordinis hominibus permittendum putat, vt veteres ad Ecclesiæ vtilitatem artificiosè castrentur.

O detestãdam viperarum progeniem, Eant, & illa simul omnia, ex omni eradant scriptura, Deut. 4. Interroga de diebus antiquis. Deut. 32. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, Iob 8. Interroga generationem priſtinam. Hier. 6. Interrogate de semitis antiquis. Agg. 2. Interroga Sacerdotes legẽ. Malach. 2. Labia Sacerdotis custodient sciẽtiam, & legem exquirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituũ est. Et Ecclesiast. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. Quare id? Spiritu quippe Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines, ait Petrus. O quoties nunc diuinus exclamaret Hieremias, Stupor, & mirabilia facta sunt in terra, Doctores ab omni antiquitate laudati nullo loco ducuntur, & Ministri heri, & nudiustertius nati, summo cœlo locantur: Hieronymus fit hæreticus, & Lutherus Apostolicus: Augustinus in interpretando infœlix, & Caluinus supra centum Augustinos fœlix: Ambrosius à Cacodæmone fascinatus, & Vrbanus Regius in Schola Spiritus Sancti educatus: Nazianzenus fabulator, & Coruinus verbi Dei æmulator: Gregorius erit bonorum vltimus, & Bodius optimorum primus.

Sed quæ per Deum fides in istorũ Decretis

cretis erit, si tam audacter decreta maiorum suorum soluunt, si dignitatem illorum tam facile prostituunt? Quid videlicet docebunt, populos ab ipsis institutos? An Patres suos lapsos esse? At quomodo, ait Athanasius, ipsi veri apud discipulos suos habebuntur, quibus persuadent, Præceptoribus credendum non esse? Quibus porrò oculis intuebuntur monumenta Patrum suorum, quos ipsi hæreticos nominant? Certè sibi illud potius persuadere debebant, si solverent aliquid ex decretis maiorum, occasionem se daturos posteris, vt quod ipsi egissent, rescinderetur, sed si malè maiores senserunt, ait, & scriptis suis orbem terrarum seduxerunt, cesset
4. Reg. 17. omnino eorum memoria, & scripta illorum abijciantur. Ite ergo vos ipsi, & eruite reliquias eorum, ex monumentis, vt ab omnibus intelligatur, & illos fuisse seductores, & vos parricidas esse. Certè B. Apostolus laudat Corinthios, quod vbiq; sui memores essent, & quod traditiones, quas
Ps. 113. illis tradidisset retinerent, sed quid Paulum, quem ipsi vas fractum vocare nõ dubitant, in exemplum adducimus. Gentiles ipsi, maiorum suorum religiones, & cæremonias stare inuiolatas voluerunt, Sacris, ait Cicero, cæremonijsq; retinendis maiorum instituta tueri Sapientis est; Et iterum, Omnes religione mouentur, & Deos patrios, quos á maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter, & retinendos arbitrantur. Et alio loco. Quoniam antiquitas proximè accedebat ad Deos, idcircò
Lib. 2. de legibus. eorum religionem seruando, quasi à dijs traditam religionem tueri nos arbitramur. Et de seipso loquens, Ego vero primum habeo auctores, ac Magistros religionum colendarum, maiores nostros, quorum mihi fuisse tanta sapientia videtur, vt satis superque prudentes sint, qui illorum prudentiam non dicam assequi, sed quanta fuerit, perspicere possint; Illud etiam diuini dictum Platonis, planè commemorabile iudico, vbi ait, Deus si mutaretur in peius mutaretur non in melius: atq; idem prorsus de religionis mutatione, & de totius antiquitatis reprobatione statuo.

Quam si Christi perduelles, in honore habuissent, scopumq; Ecclesiasticum, vt ancoram fidei agnouissent, nequaquam vtique in tanta fidei naufragia, quæ sequenti cap. ostendemus, incidissent, neque omnino ea vsi fuissent impudentia, vt virus acerbitatis suæ etiam in eos euomerent, qui labentes, cadentesq; subleuare conantur, nec vnquam hostium loco censerent, qui religionis, pietatis, & humilitatis admonitos voluerunt. Sed hæreticus, vt res ipsa docet, & Athanasius testatur, prauum omnino, & vndequaque corruptum animum ad impietatem habet. Ecce enim isto quoq; sæculo ab omnibus vbique refutati. In Oriente, Occidente à Pont. Rom. à Patriarchalibus sedibus, Concilijs, Episcopis, ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Doctoribus, Theologis, Academijs, Vniuersitatibus, declaratiq;, vt Paulus loquitur, nil scientes: erubescere tamen adhuc nequaquam potuerunt: sed veluti Ethnicorum hydra, nouo semper obiectu anguium aduersus eos contendunt, qui priora capita præciderunt, alias atque alias reperientes Iudaicas, & fluctas controuersias, & quasi veritatem hostem haberent, noua super noua, & impia super impia comminiscentes, magis atque magis sese Christi perduelles, & oppugnatores declarant: quippe, qui post tot refutationes, quibus vel Diabolus ipse horum pater reiectus, confususque retro abijsset, rursum ex peruerso corde alia atque alia comminiscuntur, & his quidem admurmurant, istis vero insusurrant, alios rursus, veluti culices bombo circumstrepunt, idque iam ostendemus plures, scilicet esse Euangelicorum Ministrorum errores, & opiniones, quam in mundo culices. Hoc quoque diuina disponente prouidentia, vt ager Domini istiusmodi hæretibus, veluti stercoribus impinguatus, fructum Agricolæ suo, reddat vberiorem. Stercora enim sunt hæreses, ait Hilarius.

CAPVT NONVM.

Euangelicorum sectæ, & opiniones fidei, legibusq; Ecclesiasticis repugnantes, à Lutheri temporibus ad hunc præsentem annum Ducentæ fere, & septuaginta numerantur, & quantum quæque audendo, fingendo, mentiendo, blasphemando Christum, & Ecclesiã persequendo valeat describuntur.

Ieremię 2.

Secundum numerum quippe Ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda.

2. Petri 2.

Fuerunt porrò, & Pseudoprophetæ in populo, sicut, & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos Dominum negant.

Apoc. 9.

Et de fumo putei exierunt locustæ (Augustinus hæreticos intelligit) in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terrę.

Leo Magnus Ser. 4. de Collectis.

Magna est pietas prodere latebras impiorum, & ipsum in eis, cui seruiunt diabolum debellare:

QVOD olim Iudęis veri Dei desertoribus, hoc accidit Euangelicis Ecclesię peculiaribus. Quoties Iudæi ab vno Deo discesserunt, nō vnum, & solum aliquem aliū: sed multos simul Deos coluerunt. Factum est, ait Scriptura, cū peccassent filij Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Aegypti, de manu Pharaonis Regis Aegypti, coluerūt Deos alienos. Et iterum Vna quæq; gēs fabricata est Deum suum, posueruntq; eos in phanis excelsis quæ fecerant gens, & gens in vrbibus suis, in quibus habitabāt. Viri Babilonij fecerunt Socot Benot. Viri Cuthei fecerunt Nergel: viri de Emat fecerunt Asima: Heuei fecerūt Nebaeh, & Tartach: viri de Sefaruaim filios suos comburebant igni Adramelech, & Anamelech. Et iterum. Simulachra gentium argentū, & aurum. Os habent, & non loquētur, &c. Et iterum. Secundum numerū Ciuitatum tuarum erunt Dij tui Iuda. Et iterum. Furata est Rachel idola patris sui. Mille sunt in scripturis Idolorum nomina. Idolum Moloch, Idolum Baal; Idolum Rhemon, Idolum Adonis, & similia; quæ prætereo.

4. Reg. 17.

Psl. 113.

Et Christus ipse. Multi ait veniēt in nomine meo. Et iterū. Multi Pseudoprophetæ exierunt; Et iterū. Attēdite à falsis Prophetis. Et Paulus. Multi ambulant, quos sæpe dicebā vobis. Nunc autē, & flens dico, inimicos Crucis Christi. Et iterū. Instabunt post discessionem meam lupi rapaces. Hoc scilicet diuina disponente prouidentia, ne si vnum solū Idolum coleretur, verus esse Deus putaretur: vel si vnus aliquis, & solus Pseudopropheta audiretur, verus Propheta putaretur. Vnitatis enim vnus debet esse magister, erroris infiniti sunt Doctores, facileq; fieret, vt si vnus vnum, idemq; perpetuo prædicaret, ob nomen vnitatis sedere crederetur in Cathedra veritatis. Surrexit olim Arrius, sed surrexit, & Aetius, & Eunomius, & Macedonius, & alij. Surrexit Photinus; sed surrexit, & Nouatus: Surrexerūt Donatistæ: sed surrexerunt, & Parmenistę, & Rogatistæ, & Maxiministæ. Surrexerunt Eutychiani: sed surrexerunt: & Theodotiani, & Monophisitæ, & Theopaschitæ, & alij. Verum enim vnum est, error multiplex. Ipsa adeò natura comparatum videmus, vt non fere nascatur error aliquis, quin secum plures alios trahat: quemadmodum in cantu, si vel vna sola re turbata fit harmonia, confusa statim existit reliqua omnis consonantia. In humano quoque corpore, loco suo mota qualitatum temperata constitutione, alia ex alijs vitia, & morbi consequuntur: ita semel vel in re minima læsa mētis sanitate magis in dies atque magis afficitur animus, & ægrotat quotidie periculosius.

Plane secundus est error, ait ille Errans, nec scit quid velit, nec scit quid nolit. Iam huc iam illuc impellitur: iam hanc, iam illam opinionem sequitur, prorsus, vt esse similis videatur naufragium facienti, iam hanc iam illam tabulam prehendenti. Cum quis nescit quem portum petat, nullus illi suus ventus est. Hoc accidit Euangelicis nesciunt quid velint, nesciunt quid nolint: nesciunt, quid credant, nesciunt, quid non credant. Inde fit, vt error errorem, secta sectam, hæresis hæresim pariat, donec dicat impius in corde suo. Non est Deus.

Nonaginta hæreses ab Apostolorum ætate ad sua vsque tempora recensет Augustinus. Ab Augustini tempore, vsque ad Lutherum totidem numerantur, ita vt intra 1500. annos non plures quam 181. hæreses Sanderus collegerit, & notauerit. At isto sæculo longe sunt fecundiores Ministelli, tum ob amorem illius verbi in quo salutis summam sitam putant (Bibite) tum ob eam obedientiam, quam Deo, & Paulo præstant dicenti. Crescite, & multiplicamini. Vnusquisque suam vxorem habeat. Et. Melius est nubere quam vri. Vnde fit, vt nouos quotidie pariant, & in corpore, & in anima Antichristos. Non audiuit, ait scriptura, populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Ab anno enim 1517. quo vocem Dei audire desierunt, tam longe in adinuentionibus suis progressi sunt, vt ad præsentem hunc 1595. du-

centas septuaginta circiter sectas, seu hæreses inter se dissidentes genuerint, quas hoc loco post Staphilum, Hosium, Lyndanum, Prateolum, Ederum propterea describendas suscepimus, vt tanto magis Ministros pudefaciamus, pudefactos humiliemus, humiliatos lucri faciamus quãto diligentius ipsorum oculis ipsorum errores ostendimus. Grande beneficium datur cui datur, vt noscat seipsum. Non enim amabit vitia, qui cognoscit. Surgere contendet, qui se cecidisse videt. Quæret quod sequatur, qui scit, quod fugiat. In viam redibit, qui se aberrasse cognoscit. Magna est pietas, ait Leo prodere latebras impiorum, & ipsum in eis cui seruiunt Diabolum debellare. Tulit olim egerrime Ammonius Grammaticus Gentilis, quod cum Theophilus Deorum Delubra Alexandriæ euerteret, & simulachra in lebetes cõflaret vnam imaginem certi alicuius Dei omnium turpissimam seruari illæsam, eamque in loco publico erigi voluit, vt Gentiles progrediente tẽpore ire inficias non possent se tam turpes, & inanimatos Deos coluisse. Ita nobis visum est, & veteres, quam breuissime renouare, & nouos recentesq; Ministrorum errores in publicum producere, ne minus fugiẽdi videantur, si minor, quã est eorum turpitudo ostendatur: si minus de illis quam dici potest dicatur: si minus quam errant errare putentur: si quæ pars blasphemiarum quibus abundant abscondatur. Ad rem accedamus.

Accidentarij.

ACCIDENTARII, genus Euangelicorum ad Lutheranorum sectam, & manipulum pertinens, quorum reliquis in rebus doctrinam, & opinionem amplectuntur. In articulo porrò Iustificationis, & à seipsis, & ab alijs magnopere dissentiunt. Cum substantiarijs enim, qui & ipsi æquè, vt Accidentarij è Lutheri lumbis prodierũt, Andabatarum in morem, de sensu verborum Confess. August. digladiantur, & hæc sibi nomina inuicem indiderunt. Docent autem Accidentarij, Hesusius scilicet, Iacobus Andreas, & istius farinæ alij, peccatum originale in homine, non substantiam, sed accidens quoddam esse, quo natura hominis corrupta sit, & vitiata, quamobrem etiam vocantur à Substantiarijs Pelagiani, sicut isti ab illis Manichæi: quòd Deum peccati authorem, Dæmonem autem hominis creatorem, profiteri videantur. Quæ res cùm ad credendum horrenda, cum primis vulgo videatur, fit vt Accidentarij grauiores sint Substanciarijs, eosque sedibus, & vrbibus exturbent, & vt Dei blasphematores eijciant: quamuis de alijs quoque articulis non conueniant, de Inferno, de Christi descensu ad inferos, de Ascensione ad Cælos, de persona Christi, de tertio legis vsu, vti loquuntur, deque necessitate bonorum operum, extra iustificationem. Qui plura volet de istorum dimicationibus cognoscere, legat vtriusque sectæ Prothomagistros, Hesusium Accidentarium, in Epistola ad Illyricum, de peccato originis, & hunc ipsum Illyricum Substantiarium, in Responsione. Nos enim istorum in Deum blasphemias, in sponsam eius Ecclesiam rebellionem, in omnia Sacra, in omnia prorsus diuina, & humana iura, impietatem, in compendio proponere decreuimus, vt Lector animaduertat, quanta abominatio lateat in recessu, cùm tanta in oculis, atque in ipso vestibulo appareat turpitudo.

Adamitæ.

ADAMITAE nostri huius sæculi, assectæ sunt, & imitatores Adamæorum, quos Epiphanius, ad lectiones, & preces, nudos olim consuesse testatur. Eam autem hæresim, in Hollandia primùm, & præcipuè Amsterdami, circa Annum Domini M.D.XXXV. ab Adamo quodam Pastore renouatam,

tam, & suscitatam, Lyndanus testatur. Secta sunt Anabaptistæ, non solùm Catholicis, vt habet Hosius, sed etiam Lutheranis maximè omnium inimici. Christum, aiunt, nil aliud fuisse, quàm verum hominem, & alterum Adam. Naturam Deum negant. Nudi plerumque per hortos oberrant, in quo se Adæ nuditatem, & innocentiam, imitari gloriantur. De nuptijs variè sentiunt, alij planè damnant, alij promiscuo se concubitu polluunt. Tales phanatico., ait Lyndanus, vidit Amsterdamus nostra, cùm homines loco honestissimo nati, & rebus lautis opulentissimi, per Hollandiam nudi curritarent: quorum etiam nonnulli fuere, tam insani capitis, vt conscensis arboribus nudi, cælestem panem frustra expectantes, in terram præ fame decideret, semineces. Bullingerus quamuis Euangelicus scriptor, eò tamen insaniæ redactos fuisse testatur, vt & linguarum dona sibi pollicerentur, & nouum è cœlo manna expectarent. Ex Hollandia porrò, in patriam quoque nostram penetrarunt, & in oppido Russiæ fæcundissimæ Rakovv, domicilium aliquandiu tenuerunt, cœtus egeruut, Anabaptismos iterarunt. Audiuimus Matrimonia quoque in hortis sub arborum ramis contraxisse, exiguis foliis præcinctos, aliquandiu postea sponsum, & sponsam oberasse, Vocem nescio quam Dei, post meridiem deambulautis, expectantes. Solebat eius generis exempla non pauca Hosius noster recensere. Sed nos, vt ante diximus, Euangelicorum fidicularũ (iam enim proh dolor ajebat Hosius fidibus in orbe Christiano luditur, non vna fides retinetur) multitudinem prope infinitam, sententiarumque, & opinionum varietatem, non rerum ab illis gestarum seriem, ad ostendendam Orthodoxæ veritatis constantiam: & Euangelicarũ fabularum inanitatem, omnium oculis repræsentãdam, recensere breuissimè decreuimus.

Adiaphoristæ.

ADIAPHORISTAE, ex eo sunt Lutheranorum genere, quos Molliores vocant, & in ea parte Saxoniæ viuũt, quæ Principis Electoris Imperio paret. Hi credunt, & docent, quòd Ecclesiæ, & Conciliorum legitimæ Cõstitutiones, res sint indifferentes, quas siue obserues, siue violes mutesve, non peccas. Quamobrem etiam, in ipsa sua Augustana Cõfessione, multa mutarunt, addiderunt, minuerunt: Libros Lutheri, de quo valdè est solicitus Illyricus, correxerunt, & perpurgatos ediderunt, Pædobaptismum, vt habet Lyndanus, Magistratum, iuramentum, cæremonias, ieiunia, orationes, & reliqua Sacra, eius esse volunt generis, vt nihil interfit, vtrum illis aliquis vtatur, an non vtatur, liberumque esse volunt Sectatoribus suis, pacis, & tranquillitatis gratia, illam vel illam opinionem tueri, & vt cuiusque Ciuitatis, aut prouinciæ mos est, ita se in causa religionis adhibere, vt videre est in Lipsico Interim. Horum caput Philippus, Eberus, & alij Virtembergici, & Lipsici Rabini, Antagonistæ verò, Gallus, Flaccus, Illiricus, Smidelinus, Amsdorphius, quorum mutua inter se maledicta, & conuitia, cap. 6. commemorauimus: qui ad rauim vsque vociferantur, Adiaphoristas simulare, & dissimulare omnia, atque ita se comparare, vt in gratiam Imperatoris, & Missam, & id genus alia, se recepturos ostendant: neque tamen recipiant, sed se in Schola Lutheri permanere profiteãtur. Citat Hosius, & Lyndanus.

Integra extant Illyrici volumina, contra Philippum, & Adiaphoristas, quæ in manibus habemus. Ait in Apologia, ad scholam Virtembergen. 1549 edita. Proinde pij omnes, præsertim qui in Ministerio sunt, si veritatem conseruatam cupiunt, seriò se Adiaphoristis opponere debent, eisq; in faciem resistere, etiam si sit inter eos, vel Petrus, vel Paulus, vel aliquis summus Angelus de cælo. Nõ profectò οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, quod experientia ipsa clara voce clamat. Quoniam ergo suasores

sores Adiaphoricarum mutationũ, toties á me (quanquam, & ab alijs multis) separatim, tum voce, tum scriptis admoniti sunt, nec tamen ab istis Ecclesiæ perniciosis actionibus desistere, adhuc hodierna die volunt, cogor mandato Christi, dicere Ecclesiæ, eosq; coram Ecclesia admonere.

Dico igitur, inuocato Patre, Filio, & Spiritu Sãcto, indicoq; Ecclesiæ Christi, editis eisdẽ scriptis, quibus eos priuatim monui præsentes, Christi, & Belial, per commenticia Adiaphora, Cõciliationes, esse meras fraudes, per quas id vnicè agitur, vt impius Papatus, in Ecclesiã Christi reducatur, (quod ipsimet Adiaphoristę cõfitentur) & Antichristus, in tẽplo Christi collocetur, vt in sequẽtibus scriptis latius patebit, breuiq; Deo volente, prolixius probabitur. Sępè etiam vocat, aureũ Adiaphororum vitulum, quem in publicis concionibus, & lectionibus, adorandum proponunt, Lipsenses Interimistæ.

Adessenarij.

ADessenarios, vocat Clebitius Brandeburgen. eos, qui prẽsens quidẽ adesse Christi corpus in Eucharistia cõtendunt, sed vel nesciunt, vel se nõ explicant, vtrũ adsit, in pane, cũ pane, sub pane, circa panẽ, vel supra panem. Eius generis Cathechismũ Vvratislauiæ impressum olim vidimus, qui Christi corp⁹, & sanguinem in cæna, pane, & vino, contineri dicebat. Vide assertiones Clebitij, contra disputationem Heldebergæ habitã, Anno 1560. In Silesia, & Misnia, Multi adhuc hoc errore imbuti versantur, horũ quatuor esse sectas, testatur Staphilus.

Ægidiani.

AEgidianos, ab Aegidio quodam Aquensi nomen accepisse, ait Lyndanus. Is ab Anabaptistis baptisatos, rebaptisabat: & illorum quidem nudã ablutionẽ, suam verò retinctionem vocabat, perfectam veteris hominis depositionẽ. Ex eiusmodi Antibaptismo, magnam vim auri conflauerat; tantundem enim à sua illi perfusione, quantum Anabaptistæ à sua ablutione, exigebat: tres videlicet in singula capita coronatos, quo etiã nomine, ab ipsis Anabaptistis primò excommunicatus, deinde & capite dãnatus est Antuerpiæ, cum prius doctrinam suam, de vi, & efficacia sui baptismi, reuocare esset coactus.

Aeriani.

Aerianorum Hæresim, à Brentio, & reliquis Lutheromanitis renouatã, ait Hosius. Negant ij Sacrificium defunctis prodesse, Purgatorium respuunt, statuta, & consueta ieiunia, non publicè, & solenniter, sed priuatim, pro cuiusq; arbitratu seruanda putant: ne sub lege esse, & non sub gratia videantur. Dat itaq; consilium Brentius, vt homo Christianus, tempore Paschatis non confiteatur, nec ad Sacramentum accedat, sed nec ieiunet, & cogitet ita: Ecce quando hoc præcipit homo, Papa scilicet, ob id ipsum non faciam, & si non præcepisset, vellem facere, faciam autem alio tempore, quo non præcepit, quando, & quomodo, libera voluntas me mouebit. Ad Lutheranorum sectam pertinent. Vide Hosium.

Ambrosiani.

Ambrosianæ sectæ, doctissimus vir Echius, luculentã facit mentionem, scribens contra Zuinglij confessionem. Hæc Ambrosium quendam authorem habuit, qui tantoperè proprij spiritus suggestiones Deiq́ue reuelationes iactitabat, vt vtriusque Testamenti libros, & prorsus præcepta omnia, reijcienda putaret: sed non multos inuenit perfidiæ suæ sectatores: Citò defecit in vanitatibus suis.

Amnistitæ.

Amnistitas repertos tuo tempore Staphilus testatur, in libro de Concord. discipulorum Lutheri, qui inter Osiandrinos, & Antiosiandrinos, ἀμνηστίαν sanciendam cẽsuerunt, vt dissimulatis vtrobique erroribus, contentio tota tradatur obliuioni. Idq; probat ex Illyrico, in Apologia sua, de Philippo Melanchtone.

Am-

Amsdorphiani.

Amsdorphiani, à Nicolao Amsdorphio vocantur, & ad factionem rigidorum Confessioniſtarum pertinēt. Ii pertinaciſſime verbo,& calamo profitentur, bona opera Chriſtiano homini, ad ſempiternam animæ ſalutem eſſe pernicioſa, idque habet Amſdorphius in eo libello, cui hunc ipſum Titulum dedit: Multi præterea alij prædicantes & Miniſtri Saxonici, hanc opinionem amplectuntur, & præcipuè Flacciani, pertinaces præceptoris ſui Lutheri diſcipuli. Vide Staphilum.

Anticaluiniani.

Anticaluiniani, vocantur à Sacramẽtariis omnes ij, qui præſens quidem adeſſe credunt Chriſti corpus in Cœna Domini, ſed tamen tranſubſtantiationem, vel tranſelementacionem, non admittũt, & in vſu tantum, Chriſti præſentiam ſtatuunt, extra vſum reijciunt. Ita ſentit Ioachimus Veſtphalus, in ſua reſponſione contra Caluinum, & multi alij, Citat Staphilus.

Antichriſtiani.

Antichriſtianos varios eſſe narrat Lyndanus, Præmonſtratẽſis Apoſtata blaſphemabat, Chriſtum ob ſuam in Cruce deſperationẽ, ad inferni pœnas damnatum extitiſſe. Bucceri diſcipuli teſtãtur, præceptorem ſuum docuiſſe, quod Chriſtus Deus, inquem credimus, non fuerit verus ille, à Deo, & Prophetis promiſſus Meſſias, ſed alium eſſe cum Iudeis expectandum. Alij AntiChriſti ſui matrem, Louanie n. meretriculam, nudam adorabant, ex qua uerum Meſſiam credebant naſciturum. Dauid Georgius ſe eſſe verum Chriſtum iactabat, dilectunq; Dei filium, patribus olim promiſſum. Hoſius vocat Antichriſtianos, qui pro Chriſto Lutherum, Caluinum, & alios ſimiles adorant, uerbum eorum, pro Chriſti verbo recipientes, & Lutherũ Chriſto exequantes ſicut in Colloquio Aldeburgen. factum eſt, vbi Chriſtus & Lutherus, verbũ Dei & Lutheri, Paulus & Philippus, Marcus & Caluinus coniunguntur.

Anabaptiſtæ.

Anabaptiſtæ, nomen acceperunt ab iterato Baptiſmo, quod in infantia baptiſatos, iterum retingunt, vel ut habet Hoſius, Catholicos legittimè baptiſatos, rebaptiſant: docentes paruulis vſu rationis carentibus, nil prodeſſe baptiſma. Echius viginti & vnum articulos recenſet, quos initio ſtatim ſuæ perfidiæ & docebant, & defendebant, Germanici Anabaptiſtæ 1. Maiorem Eccleſiam, & omnia quæ cultus diuinus dicuntur deuitare 2. Similiter & Chriſma, atq; vniuerſa quę benedictionibus conſecrãtur, qualia ſunt aqua benedicta, palmæ, candelæ, &c. 3. Magnum Baal ſupra Sacerdotis manus, & caput, ac alibi, non inſpicere. 4. Nec vlterius audire Miſſas. 5. Toti mundo abrenuntiare. 6. Cum impijs nõ negotiari, non conuerſari, non emere, non vendere, non ſalutare, nec honorare. 7. Sabbato computum facere, ac reſiduum, inter fratres Chriſtianos huius ſectæ, diuidere. 8. Nulli poteſtati obedire. 9. Die Dominica oportet homines huius ſectæ, in modum crucis iacere ſuper ventrem, tunc prædicator eorũ, multas habet proprias cęremonias, & aquas, quibus conſecrantur. 10. Oportet fratres ſectæ huius abrenunciare, & non tenere, quòd Deus humanam naturam de Maria aſſumpſerit. 11. Nemo debet prædicare publicè, ante tempus paganorum. 12. Cum fidelibus & rebaptiſatis noua contrahere matrimonia. 13. Mulieres fideles, debent maritos ſuos, qui credunt, dominos vocare. 14. Omnes ſerui, & ancillæ, qui ſoluti ſunt, non debent inire coniugium cum paganis, nec vlli pagano ſeruire, ſed fidelibus tantum. 15. Nullus Chriſtianus regnare debet ſuper paganos. 16. Chriſtiani debent omnia relinquere offitia, quæ non ſunt legitima. 17. Legitima quoq; offitia, debent ſuos deponere abuſus. 18. Nullus Chriſtianus debet vſuras, aut redditus dare, aut

accipere. 19. Postremo loco fit sermo, & post eius finem adhortatio, vt crescant, & multiplicentur, ac repleant terram. 20. Si quis rebaptisatorum habet vxorem, quæ rebaptisari non vult, aut si qua rebaptisatarum virum habeat, qui nolit rebaptisari, debent separari ab inuicem, & aliud inire matrimonium. 21. Fertur, immò ita esse compertum habetur, quod Anabaptistæ intra Monasterium, cuidam propriam sororem Germanam, in matrimonium tradiderunt. Harum abominationum primum, & præcipuum authorem, alij volunt esse Nicolaum Cyconiam, hominem vsque ad miraculum, audacem, ac temerarium, de quo testatur Manlius in locis communibus, loco de Ecclesia, quod solitus sit gloriari, Gabrielem Angelum secum locutum esse, ac promisisse, eum fore Reformatorem Ecclesiæ, sibiq; esse promissum Regnum Ecclesiæ. Aiunt præterea, sæpè iactare solitum, vt si in alicuius faciem oculos impressisset, ex illo ipso aspectu iudicium facere posset, an is ad electorum numernm pertinerer. Ex cuius porrò nido prodierunt non pauca maleferiata capita, Baltasar, Pacimontanus, Bernardus, Rotmannus, Tomas Muntzerus, & alij. Quid autem in Germania, vel egerint, vel docuerint, pleni sunt omnium historiarum libri. Nos quædam doctrinæ capita, quæ post istos omnes, Sarmatici Anabaptistæ promulgarunt, & Canones vocari voluerunt, adiungemus, idque ex testimonio Lituanici Rabini Budnæi Ebionitæ peruersissimi, vbi scribit contra Anabaptistarum Canones, quos vocat Paradoxa: Aiunt illi. Non licere Christiano, vt sit, vel Princeps aliorum, vel vllum gerat supra alios Magistratum. Non licere bona terrestria possidere, iura agere, debita exigere, arma domi non asseruare, in via non portare, à prædonibus sese non defendere, neminem admitti ad immersionem debere, qui Magistratum gerit, ad sponsionem, & obligationem, omnes à se baptisatos cogere, ne post immersionem, vllos Magistratus accipiant, Libros in lucem hominum neminem debere edere, nisi prius à Senioribus examinentur. Vltimò de ijs, quæ expresse in scripturis non habētur, se nolle cum quoquā agere, nec ad reddendam rationem obligatos esse velle. Horum plures sunt sectę inter se dissectæ, quarum suo loco mentionem faciemus. In Regno Poloniæ, alij vocantur Samosaten. alij Atriani, alij Nearriani, alij Fotiniani. Prateolus ad hunc gregem pertinere, ait Muntzeranos, Orantes, Silentes, Somnriantes, Sinceros, Impeccabiles, Binderlianos, Sabbatarios, Maderanos, Hophmanicos, Circuncisos, de quibus omnibus suo loco verba faciemus. Itidem, & de Poedobaptistis.

Angelici Doctores.

PENE iam absolueramus, præsentē hanc hęreticarum fabularum Iliadē, cum ad nos è vicina Syleſia, literæ viri cuiusdam grauissimi peruenerunt, quibus significat emersisse, in quibusdam Bohemiæ, & Syleſiæ prouincijs, nouum quoddam perfidiæ genus, cuius sectatores, partim se vocant Angelicos Doctores, partim Angelicos sectatores. Eius porrò primi authores, Angli fuisse existimantur, nomine tenus Catholici, docentes, assistere singulis huius doctrinæ sectatoribus, Angelum Domini visibiliter: & sensibiliter, omnia docentem, & in aures loquentem ea, quæ cuiq; de Deo, deq; vniuersa religione sentienda, amplectenda sunt, quæve fugienda: occulta quoque, & abstrusa, sæpe reuelare, & futura prædicere. Esse porrò quoddam verborum genus, quo fidem, obedientiamque suam, istiusmodi Angelis obstringunt: quos omnino Angelos Dei bonos putant. Nec omnia prorsus, quæ Catholica docet Ecclesia, reijcienda existimant, sed quod cuique proprius Angelus inspirauerit, aut insusurauerit, id sanctum putant, atque vt loquentis Dei vocem arbitrantur. Porrò peculiares istorum errores, nondū habemus exploratos. Illud accepimus, quod quidam ex Austriæ Baronibus, à proprio Parocho reprehēsus, q̄ eiusmodi Angelis fidem præstaret, quos omnino malos spūs esse constaret, multas illi, non malas huius Angeli inspirationes recensuit: quædam

dam eius abstrusa reuelata, quædam futura prænunciata, & effectu comprobata, asseuerauit. Quæ omnia cum Parochus refutaret, & è nobilis viti animo eximere, vanas eiusmodi opinationes contenderet, adesse, ait, Baro, præforibus Angelum, & paratum esse, præsentiam suam dubitanti Parocho exhibere. Ille verò peccator, inquit sum. Bonum videre non sum dignus, malum nolo. Tum Baro, finem, inquit, faciamus, iam ob tuam ingratitudinem discessit. Parochus verò magis etiam in sua sententia confirmatus, quod Angelus esset malus, è re præsenti sumpta occasione, Baroni persuasit, vt illi Angelo renunciaret, quod cũ paulò post fecisset, reliqua istiusmodi Angelorum, vt dæmonum potius, in Angelos lucis se transfigurantium, & reliquorum socierum, callidissima consilia reuelauit: Pragæ quoque fœmina quædam, vnum è societate Iesu adijt, sibique reuelatum dixit, à Doctore suo Angelo, quòd in mensa librum quendam haberet, quo amicus quidam suus vehementer indigebat. Quæsiuit Pater, quisnam illi de libro dixisset, qui esset rarissimus. Respondit mulier, senem quendam sibi assistere, multaque reuelare, & multa sancta Colloquia sæpe miscere consueuisse, quem illa Dei Angelum dicebat bonum. Rogauit Pater, vt senem illum ad se adduceret. Fœmina porrò domum reuersa, senem illum inuenit offensissimum, & minas spirantem, pœneque in faciem inuolantem, quòd se prodidisset: sed cum fœmina promitteret, se non amplius ad Patrem reuersuram, Angelus ille factus est mitior. Hæc à certis authoribus hucusque perscripta accepimus. Si quid de doctrina quoque cognouerimus, antequam hæc nostra in lucem hominum prodeant, adiungemus. Equidem rectè dixit Athanasius, hunc esse maximum hæresum fructum, quòd quantum libeat, tantum liceat, earum sectatoribus insanire.

Anti Catholici.

ANTICATHOLICOS à Verano Modesto Pacimontano in libello, de officio Pij viri, 1562. vocatos legimus, omnia prorsus repudiantes, & reijcientes, sine vlla prorsus differentia, sineque examine, & vlla correctionis, & emẽdationis spe, quæcunque Catholica, quã Romanam vocant, de ritibus, & cæremonijs, tenet, & profitetur Ecclesia. Extant, ait, hodie, potissimũ duo hominum genera, quorum alteri, & Ecclesiam nõ paucis maculis respersam, & paulatim cõtractis vitijs, deformatam vident, omnem eius statum labefactatum, & cõuulsum cupiũt, & dogmata Lutheri, non quæ sanior adhuc, & tranquillior, sed posteà Bullæ impetu perculsus irritatior, & commotior asseruit, quouis modo confirmata, & defendenda ducunt: id quod à suis sectatoribus (quos habet nec pauciores, nec obscuriores) Caluino quoque accidit, quos fortassis rectè Anticatholicos, & Lutheranos, seu Caluinianos appelles.

Sunt alij ex aduerso, qui, quòd nõ pauca, ex ipsa antiquitate adhuc, apud se reliqua vident, præsentem Ecclesiæ statum, quamuis corruptum, & paulatim sub ortis abusionibus contaminatum, omnino tamen suo loco manere volunt: neq; quic quã, quamuis veterum decretis consenta nea fieri possint, immutari patiuntur, Pontificem verò Romanum, quem Papam dicimus, tantum non Deum faciunt, eiusq; authoritatem non modò super totam Ecclesiam, sed supra ipsam scripturam diuinam efferunt, & sententiam eius diuinis oraculis parem, immò infallibilem fidei regulam, constituunt. Hos non video cur minus Pseudo Catholicos, & Papistas appellare possis.

Inter hos qui maximè hodie in Ecclesia eminent, tertium quoddam genus hominum, quamuis fere occultum, & obscurum reperitur, qui cum in alterutra parte versari cogantur, tamẽ nulli parti, ex animo addicti, quicquid vtrobiq; rectum, & Catholicæ fidei, & obseruationi consentaneum est, amplectentes: quæ vero his contraria, & modũ, mediumq; excedẽtia,

(vt

(vt in contentionibus fit) deprehendun tur, declinantes, veram, Synceram, & diuinis literis, Carholicæque Ecclesiæ traditioni, congruentem pacem, & coucordiam, omnibus votis exoptant, & ad eam conciliandam, omnem suam operam, & studium, conferre parati sint. Atque hoc animo si plures in vtraque parte præditi sint, facilius, & citius pax futura, & concordia coitura sit. Nam nisi talium homi num consilium valeat, nulla conciliationis spes est, & tales si audiantur, de pacifi catione desperandum non erit. Hæc Veranius.

Antidæmoniaei.

ANTIDAEMONIACORVM Sectam, citat Cochleus, & eius autho rem facit Osiandrum, & Georgiũ Dauid, aitque docere, nullum esse Diabo lum, nec vllos malos Spiritus: falsum esse, quòd maleficia per dæmones conciten tur, aut vllæ esse possint in rebus humanis, incantationes. Hi sunt partim Semilu therani, partim Semianabaptistæ.

Anti Mariani.

ANTI Marianos vocat Hosius noster, eos, qui Mariam non queunt audire, Dei genitricem vocari, sed simplicis hominis matrem, Ioseph etiã deinceps commixtam calumniantur, & alios ex eo suscepisse liberos, qui in Euan gelio fratres Christi appellantur. Ij sunt è grege Lutheromanitarum, quorũ mulierculæ sæpe, sese ita bonas, & sanctas ia ctitant, vt Maria: nec propterea, teste Naso, reliquis fœminis esse volunt excellentiorem, quod cum illa Gabriel Archange lus sit collocut⁹, quòd gratia plenã, quòd benedictam vocauerit, vel quòd Christũ Deum, & hominem, pepererit. Hæc ipsa verba, in Ciuitate Gedanen. mulierculã quandam, ad mensam cui assidebamus, blaterantem audiuimus, in cuius faciem maritus ipse quoque Lutheranus, orbem staneum propterea intorsit, finemq; disputationi imposuit. Id olim Praxedes quoque Dominicani instituti per duellis, impudentissimè pro Concione declamita bat Posnaniæ. Cæterùm Canisius Doctissimus, omnes in vniuersum Deiparæ Virginis hostes, & contemptores, edito libro quem inscripsit. De Beata Virgine, solidissimè confutauit.

Antidiaphoristæ.

ANTIDIAPHORISTAE sunt, & vocantur persecutores acerrimi Adiaphoristarum. Docent ij, nullas esse debere in Ecclesia Dei cæremonias antiquas, nec vllam Episcoporum in alios authoritatem, aut iurisdictionem: à Confessione Augustana latum vnguem non recedendum, Lutheri libris, æquè vt scripturis diuinis, nec addendum quicquam, nec adimendum, & de pernitie bonorum operũ, id quod Lutherus docuit, sine contradictione tenendum. Ita Flaccus, cum suis Flaccianis, in libris contra Virtembergen. Adiaphoristas editis, & maximè Philippum, & omnis reliqua turba rigidorũ Lutheromanitarum, tam in Misnia, quàm in Saxonia. Citat Staphilus. Flaccus porro Antidiaphoristarum, Patriarcha acerrimus, in sua ad Misnicas Ecclesias adhortatione: Ante annum, ait, cum Lypsiæ ante nundinas, Conuentus de isto nouo. Interim; ageretur, narrantur Iudæi quidã, Christianos mercatores, qui in eadẽ domo erant, percontati, quid sibi tam crebri, de eorum religione, Conuentus vellent, an dubitarent de sua religione: se quidem Iudæos esse homines, vt ipsi quidem existimant, impios, sed tamen certè potius, quàm velint pati sibi aliquid in sua religione mutari, malle se crudelissimè trucidari. Longè igitur, ait iste Anridiadhoristæ, grauius peccant nostri Adiaphoristæ, quàm olim Petrus Gall. 1. peccabat. Ipse enim tantùm facto, idque breui, in gratiam pertinacium vacillabat, nostri id faciunt etiam docendo, idque amplius annum. Petrus peccabat magis in cæremonialibus, sed nostri etiam doctrinam corrumpi, in Lipsico, Interim, patiuntur. In capite enim de Pœnitentia fides pœnitus omittitur.

Idem,

Idem, & in alijs articulis, quod alibi prolixè ostensum est. Ipse non suadebat alijs, vt similia faciant, nostri vehementer suadent. Ille faciebat incogitantia quadam, & non metu crucis, nostri verò (qui optimi ex eis sunt, nã Iudeorũ alia est ratio) quæ faciunt, tantùm metu Crucis faciunt, nec ignorantia ueri peccant, quòd priora scripta eorum testantur. Petrus haud dubie habebat spiritualem finem, nostri habent carnalem, id est, in certam spem pacis. Petrus admonitus resipuit, nostri deffendunt suum factum, & admonentes, nullius non sceleris, atq; adeò Schismatis insimulant. Petrus paucos quosdam scãdalizauit, nostri sua vaccillatione, impios quidem confirmarunt, & armarunt, pios verò languefecerunt, & debilitarunt, & planè plurimas Ecclesias euerterũt, idque hodierna adhuc die scientes, seriò facere pergunt.

Proinde omnes pij, qui adhuc Christiana religionem incolumen esse cupiunt, planè in faciem Adiaphoristis resistere debent, vnusquisque suo loco. Nam profectò non recta incedunt, ad veritatẽ Euãgelij, vel potius perdunt, & produnt verã religionem, nec quicquam refert, quòd sint magni viri, aut benè meriti, etiamsi essent Petri, aut Pauli, aut Angeli de Cœlo, tamen eis resistendum est, idque etiam tanto magis faciendum iam est, quantò maiores sunt, tantò enim plus eorũ istæ pessimæ actiones obsunt. Longũ esset omnes querelas boni Illirici recensere, quibus ipsum quoque Acheronta mouere cuperet, ob mutata quædam, è sui Lutheri doctrina, quam eodem loco, quo Christi, & Pauli doctrinam haberi vult. Sed ò Mathia, Tute, & tu⁹ Lutherus, hoc intriuisti, tibi est exedendum. Reprobasti sponsam Christi Ecclesiam, matrem tuam, reprobatus es, à tibi simili hoste Christi, seruo tuo. O iusta iudicia tua Christe, semper iusta, non semper nobis nota.

Antinomi.

ANTINOMOS, Flaccus appellat, Mosaicæ legis hostes teterrimos, è lumbis Lutheri Virtembergæ natos, quorum primos Patriarchas vult esse, Ioannem Agricolam, & Iacobum Sſenkũ, (quos aiunt à Lutheto per contumeliam Grikiel, & Iakiel appellatos.) Hi Maiestatem Euangelij tantoperè verbis efferunt, vt legem Mosis, uullo prorsus loco ducãt, vtilemq; omnino, & necessariam esse negent; tam ante quàm post iustificationẽ, propterea, quòd eam Christus nõ solùm impleuerit, sed etiam abrogauerit; immò indignam esse vociferantur, quæ verbum Dei appelletur: loquuntur autem, non tantùm de Sacrificijs, Cærimonijs, & ijs, quæ ad politiam à Deo constitutam attinent, quæ omnia, ad Christi tantùm aduẽtum, vim habuisse putant, sed etiam de decem præceptis, de quibus, ita, scriptum reliquerunt, (vt habet Mansfeldensium Cõfessio. tit. de Antinomis fol. 89.) Euangelium decem præcepta ferre non potest, quin de ijs ad Christianos nil attinet; quamobrem extra Ecclesiam ableganda sunt, deque Cathedra deturbanda, & ad Curiam, ad Ciuilem politiam, immò ad patibulum ableganda. Summa est Antinomici dogmatis. Quicquid libet, licèt, modò credas in Christum, nisi quòd eã doctrinam à Luth. sese didicisse gloriantur, qui in libro de Cõciliis, Si adulter es ait, scortator, vsurarius, auarus, aut alijs pollutus peccatis, si tantum credis, saluus es.

Anti Papi furiosi.

DE Anti Papistis furiosis, in hæc verba loquitur Ederus, in secunda Inquisitionis suæ Euangelicæ parte. In vltimis Imperij Augustani Comitijs, Flaccianus quidam Prædicant Syluanus, libellũ edidit, plenum, contemelijs, & seditiosissimis consilijs, cum hac inscriptione. (Christiche Bedencken) hoc est, Christiana consultatio; quemadmodum in Romano Imperio, & in omni Ecclesia, cum Dei adiutorio, errores omnes in religione euelli, & vnitas restaurari, retinerique possit. In eo porrò ostendere, probareque contẽdit, quod nec pax, nec quies, nec otium, nec amor, nec vnitas sperari, expectariq; debeat, nisi Papatus planè ex omni parte euersus, & eradicatus fuerit, nec esse sperandum,

randum, ſtatum orbis Chriſtiani meliorem futurum, niſi Pontifex, & Cardinales omnes, & Epiſcopi, & Sacerdotes, & Monachi, ad vltimam vſque internecionem excindantur. Cuius quidem opinionis, & ſententiæ ita multi ſunt aſſeclæ, vt Sectam conſtituant.

Anti Papi.

ANTIPAPOS quatuor, in tres partes diſtinctos Ioannes Sturmius, Scholæ Argentinen. Rector, Neapoli Palatinorum 1581, edidit: & Ambroſiam quandam, ad Ioannem Pappum: Obiecerat Pappo Vbiquiſtæ, Sturmius Confeſſioniſta Argentinenſis, locum illum Euangelij Lucæ 10. Et ego cum reuerſus fuero, etiam ex eo tanquam è machina, Papi doctrinam de vbiquitate, proſternere conabatur. At Pappus ad Ambroſium, pro ſenſu verborum recurrit, qui in eundem Lucæ locum ſcribens, ait. Nam licet vbique ſis ſemper, (Chriſtum enim alloquitur,) & ſtans in medio noſtrum, non tenearis à nobis, erit tamen tempus, quo vuiuerſa caro te aſpiciet reuertentem. Itaque ex his verbis, (vbique ſis ſemper,) carnis vbiquitatem, & omnipræſentiam inferebat. Sturmius verò in anguſtias redactus, in ſuam defenſionem, ſequentia eiuſdem Doctoris verba arripuit, & dicit; Vbiquitatem non eſſe, quia reuerſurus crederetur. Qui enim reuertitur, ait, ibi eſt, vnde reuerti debet, ibi non eſt, quo reuerti debet. At Papus huic Sturmij telo, ſcutum aliud obijcit: diuerſo, inquit, reſpectu, verũ erit vtrumque. Redibit viſibiliter, ſed eſt vbique inuiſibiliter, manet nobiſcum inuiſibiliter, abijt autem viſibiliter. Ac ita, intelligendos eſſe voluit, illos etiam Symboli articulos. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram. Inde venturus eſt. Quid adhæc Sturmius? Exclamat miſer Rector: Quæ monſtra? Quæ turpitudines ſententiarum? An non iſta Dianam Epheſinam Mammoſam, vt Lucretius vocat, deſcribunt? Cuius author Lutherus, Brentius renouator, Iacobus Andreas Demetrius aurifex Epheſinus expolitor, & cæteri quinque Patriarchæ expolitores, & comptores, & calamiſtratores, & ceruſſatores, Aduocati, accerſiti ſunt, &c. Sic inſulſi iſti Scholarchæ abecedarij, mutuò ſeſe, ut canes rabioſi, comedunt, miſeram quæ Ciuitatem in contraria ſtudia ſcindunt, ita, vt, & Senatus à Senatu, & Schola, à Schola, & Academicus Conuentus, & Theologicus Conuentus, & Tribules, & Contribules, & Tredecim viri, & Quindecim viri, & Optimates, & Nobiles, & honeſti, & ornati, & prudentes, iſto ipſo Sturmio teſte, omnes inter ſe diſſentiant, ſibiq; ſunt inuicem pluſquam Hæretici. Chriſte bone, aperi oculos iſtorum, vt videant, quibus furijs agitentur. Equidem cuperem iſtiuſmodi Papos, & Antipapos intelligẽtium hominum manibus teri. Catholici, tantò maiores agerent Deo gratias, qđ in eiuſmodi tricas nõ inciderint. Euangelici, proculdubio laborarẽt, vt ſeſe ex eiuſmodi laqueis explicarent.

Antioſiandrini.

ANTIOSIANDRINI, ſiue Oſiandromaſtyges vocantur à Functio, qui negant quidem hominem, ea iuſtitia iuſtum eſſe, qua Deus ipſe eſſentialiter iuſtus eſt. Sed tamen imputatiue iuſtũ pronunciari aſſerunt: hoc eſt (vt Illiricus interpretatur) non re ipſa, ſed verbo tantũ. In hanc Sententiam, quatuordecim Eccleſiæ Lutheranæ ſcripſiſſe dicuntur, contra Oſiandrum, licet earum quęlibet aliã, atque aliam iuſtitiæ deffinitionem afferat, quas Functius, in Scripto de origine litis Oſiandrinæ, contra Staphilum recenſet. Id tamen non ita malè habuit Oſiandrum, atque illud; quòd cum initio ſuſcitatæ litis, triginta, è ſcripturis loca, pro ſua opinione adduxiſſet, creditum nõ eſt: ſtatim autem atque Philippus ſchedula exigua, rem aliter habere teſtatus eſt, ab omnibus, qdòd ipſe dixerat, pro verbo Dei acceptum eſt. Scripſit quoque Ioãnes Sturmius, ad Lucam Oſiandrum nõnulla, vbi de vbiquitate, deq; Maieſtate Chriſti carnis acerrimè contendit, nomenq; libello indidit, Antioſiander. Sed de his commodiùs agemus, cum ad Vbiquiti ſtarũ, aut Maieſtaticorum errorem veniemus.

Antiſ-

Antisuencfeldiani.

ANTISVENCFELDIANOS vocat Illiricus, In scriptis editis contra Suëcfeldium qui omnem Fidei Christianæ causam, rationemque ponunt, in uocali ministerio suorum Concionatorum, exclusis omnibus internis Spiritus insusurrationibus: & inspirationibus. Citat Staphilus, & Schola Vittemberg. contra Illyricum.

Antistancariani.

Antistancariani, à Præceptore suo Musculo docti, Stancari sententiam oppugnantes docent, & asseuerant, adeò Christum iuxta vtramque hoc est, diuinam, & humanam naturam, iustificatorem esse, vt non dubitent contendere, diuinam eius naturam, vnà cum humana, in Cruce mortuam esse. Sic habet editum à Musculo, de Lutheri Sententia Schedia sma. Sic ab Heluetijs promulgata damnatio, teste Paulo Statorio Gallo, in scripto Pinczouiæ edito, anno Domini 1560. Citat Lyndanus. Eandem opinionem adscribi Francofordien. Theologis Citat Gaspar Frank, in Cathalogo Hæreticorum.

Antitrinitarij.

Antitrinitarij, in Polonia tantum, vt puto, & in Transyluania vagantur: & hoc nomine à Trinitariorum colluuie discernuntur. Docent ij, distinctas quidem esse in Deo personas, & alium esse Patrem, alium filium, alium Spiritum S. Sed tamen Trinitatis, essentiæ, & hypostasis, vocabula reijciunt, sicut in Vilneñ. quodam Conciliabulo, ante annos aliquot decretum accepimus. Patrem videlicet, & Filium, & Spiritum Sanctum adorandum, & inuocandum, sed non Trinitatem. Ex eorum numero Czechouicius Lublineñ. præco, & Niemoieuius esse existimantur.

Antisturmiani.

Antisturmios vocatos, & citatos legimus, in mendacissimis illis Sturmij, cum Papo, Osiandro, & Pacifico Roberto quem imperitum, & non barbatum vocat, contentionibus. Scripserat enim Osiander Antisturmium, in quò acerbissimè perstringit eos, qui Concordiæ Bergensi subscribere detrectabant: & obstinatè, ac Socraticè, in defensione Augustanæ Confessionis Argentineñ. quam vulgari verbo (Vnsere Auspurgsche Confession.) Nostra Augustana Confessio, vocare consueuerant, persistendum putabant: Sturmiumque accusabat, quod in facie tot Principum, & Theologorum decreta, qui Concordiæ subscripserunt sperneret, eundem, & ignarum in Theologia vocans, & vespertilionem, prætereà, & adulatorem Pontificiorum. Sed eum vicissim Sturmius in suo Antipapo, & Anti proemio, & Ambrosia, & Epistolis selectis, vt meretur excipit, nisi quòd pœniteat, bonas horas in omnibus istorum rixis recensendis, malè collocare, inter Ministros, & Scholasticos, idque eiusdem Ciuitatis Argentinensis suscitatis. Satis est nomen hæresis, & erroris speciē ostēdisse.

Apostolici.

Apostolicorum sectam in Morauia fuisse, scribit Lyndanus. Ij ad exemplū Apostolorum, omnia relinquebant sua: Communia ea facientes, his qui in religione secum sentiebant, domos, negotia, familiā liberos quoq; , & vxores dimittebant, & per agros vagabundi oberrabant. In reliquis cum Anabaptistarum grege, in Cæna verò cum Sacramentaria cohorte sentiunt, sine baculo, sine pera, & calceis, reliquorum facultates tanquam suas absumentes. Narrat præterea Hosius, istius sæculi Apostolicos similes illis esse, qui Bernardi sæculo vixerunt, vtriq; n. nolūt ibi Ecclesiā esse Apostolicā, vbi non est vita Apostolica, & Sacramentorū dignitatē, ex ministrorum virtute metiuntur. Inter Apostolicos porrò, & Muntzeranos, hoc discri-

discrimen sic tuunt, quòd illi neglecto verò sensu, nimis puerilitèr ipsi literæ adhærentisti verò ipsam literam vniuersæ scripturæ planè reijciunt.

Apologetici.

APOLOGETICI vocantur, ab Alano Copo, & Sandero, qui doctrinam sequuntur Apologiæ Anglicanæ. Horum plena est Anglia, & ad Zuinglianorũ sectam pertinent, eius præcipua Capita Copus esse vult Triginta sex, quælibet hic adiungere libet.

1. Duo tantùm esse Sacramenta. 2. Infantes pertinere ad populum Dei, antequàm baptisentur, 3. Verum Christi corpus, non esse in Eucharistia, nec aliam, quàm panis substantiam, 4. Communionem sub vtraq; specie necessariam. 5. Nõ licere Presbytero soli communicare, 6. Nefas esse conseruare, aut tollere Eucharistiam, 7. Malos non comedere Corpus Christi, 8. Arcendos ab Ecclesia, qui nõ communicant, 9. Clauem Ecclesiæ, esse solùm in aperiendo verbo Dei, 10. Confessionem priuatam esse tollendam, 11. Cæremonias Ecclesiæ esse abrogandas, 12. Preces in latina lingua barbaras esse, & contra præcepta Pauli, 13. Neminẽ legi satisfacere posse, 14. Non posse plures vno die, vno in templo, missas dici, 15. Vnitatem non esse notam Ecclesiæ, 16. Oecumenica Concilia, non priuata tolli posse, 17. Ecclesiam errare posse in fide, 18. Præcepta Ecclesiæ de statutis Ieiunijs, esse doctrinam Dæmoniorum, 19. Petrum non fuisse Principem Apostolorum, 20. Romanum Pontificem Antichristum esse, 21. Dissensionem de fermento, & Paschate, lèuem esse, 21. Ethnicum esse, Sanctorum cum Christo regnantium, opera inuocare, 23. Reliquias Sanctorũ, non esse colendas, 24. Nulla esse in Cœlo Sanctorum merita, 25. Vanas esse Ecclesiæ indulgentias, 26. Nihil legendũ in Ecclesia, præter Canonicas scripturas, 27. In Oecumenicis, & Priuatis Concilijs, laicorum Principum, ad dogmata fidei explicanda, cõsensum esse necessariũ, 28. Licere solis Laicis, repugnante omni Clero, veterem religionem inducere, 29. Non esse Episcopum, qui non doceat 30. Solam fidem iustificare, 31. Nulla esse bonorum operum merita, 32. Licere Presbyteris, & Monachis, vxores ducere, 33. Nullum esse Purgatorium, 34. Nullum esse externum Ecclesiæ Sacrificium, 35. Aqua Sacra, ac Crucis Signo, Dæmones eijci non posse, 36. Nefas, & horrendum facinus esse, si quis Christi Imaginem, in Christianorum templis excitet. Hos errores Apologeticorum, doctissimè refutat idem Alanus, in suis Dialogis, quò lectorem remitto.

Arriani noui.

VETVSTAM, & omnium calculis reprobatam Arrij Hæresim, alij per Hetzerum, alij per Suencfeldium, alij per Illyricum, alij per Caluinum, isto nostro sæculo resuscitatam existimant, sed apertissimè omnium, Seruetus Hispanus professus est, & eum secuti Gentilis, Blandrata, Ochinus, Franciscus Dauid, Paleologus, Budnæus, Czechouicz, Gregorius, Paulus, Gomesius, Farnouius, & omnes Transyluani Ministri. Docent ij, Christũ non esse Patri consubstantialem, nec ab æterno Deum: Trinitatis nomen reijciũt: alij personarum distinctionem nõ admittunt, alij tres Deos æternos statuunt: & personas, & essentia differentes. Porrò Sanctissimam Trinitatem, vocant Cerberum tricipitem, Deam fatuam, Idolũ Moab, Idolum Sabinense, tricorporem Gerionẽ, &c. de quo Lector plura videre poterit, in Euangeli. Atheismis de Trinitate, cap. 4. Ij omnes audacissimè, & impudẽtissimè, bachantur in Transyluania, Lituania, & Minore Polonia, vbi plures eorum sectæ, inter se dissectæ numerantur. Alij enim vocantur Trideitæ, alij duitæ, alij Ebionitæ, de quibus postea. In reliquis articulis fidei, cum Sacramentarijs sentiunt, vide Alfonsum Pisanum, in Præfatione super Nicænum Concilium, Hosium, Belarminum, & alios.

Ar-

Arrabonarij.

ARRABONARII vocantur, qui docent, in Cœna Domini, cum ea præbetur, dari credentibus panem, tanquam Arrabonem corporis, & quasi inuestiturã donatæ domus, aut alicuius prædij. Sic in Polonia docuisse, multosque in eam opinionem traxisse, Stancarus perhibetur. Reliquis in rebus cum Sacramentarijs sentiunt.

Augustiniani.

AVGVSTINIANOS, ab Augustino Bohemo Anabaptista, nomen, & doctrinam accepisse, ait Lyndanus. Is impiè nugabatur, Cœlum esse nondum fidelibus reseratum, sed occlusum fore, vsque ad extremum iusti Iudicij diem. Qua Cõstituta opinione, & Purgatorium, & orationes pro defunctis, & Sanctorum inuocationem respuebat, & Latronem Paradiso excludebat, & corpoream Christi in Cœlum Ascensionem, atque ad dexteram Patris sessionem pernegabat: nec quenquam Sanctorum, in Cœlo adhuc esse volebat, sicut nec damnatorum in Inferno, sed omnes in certo, & soli procognito loco, vsque ad iudicium detineri.

Anti Lutherani.

ANTILVTHERANOS, vocat Lyndanus, quia nec cum Ecclesia Dei sentiunt, nec cum Luthero consentiunt. Talis fuit Oecolampadius, talis Martyr, talis Bucerus, talis Farellus, tales Batembergici, & id genus alij: sed ij præcipuè, qui cum Zuinglio, aut Caluino conueniunt, rectè dici possunt Antilutherani. Acerbissimè enim, & doctrinam, & impotentem Lutheri dominationẽ, cæteraſq; hominis furias persequuntur, cuius rei, innumera propè extant testimonia, in c. 6. huius compendij, de mutuis Euangelicorum Ministrorum inter se iudicijs, & Encomijs. Vocant Lutherum hominem Philautum, Philonicum, Eristicum, hyperbolicum, rixosum, Stoicum, durum, Capitonem, ostentarem, Somniatorem, & id genus: Sed in eo libro præcipuè palam fecerunt, Sacramentarij, quo confarcinatã à Smidelino, & Bergensibus sex viris, cõcordiam refutant, quam Antiluterana consilia sequantur. Ex professo enim contra Lutherum scribunt, & ostendunt, quod nec alter Enoch, nec secundus Elias, nec quintus Euangelista fuerit, nec plus illi orbem Christianum debere contendunt, quam ei debet viator, qui digito viã erranti monstrauit: Dauidi tamen similem pleriq; non diffitentur, de quo lepidum istud distichon emisit Hasemburgius.

Quam Luther est similis Dauidi. hic carmina lusit
In Cithara, in Nonna ludit, at ille sua.

Authotheani.

Authotheani dicuntur, qui docẽt, Dei Patris proprium esse, vt vnus, & solus appelletur Deus, eumque esse illum summũ, atque altissimum Deum, quem nobis passim Sacræ Scripturæ prædicant, & Iechoua, Deumque Israel, Deum Iacob, & Dũ exercituum vocant, eumque solùm esse veram essentiam, & naturam. Huic filium longè minorem faciunt. Sic Gentilis Blãdrata, & cæteri Transyluaniæ Ministri: apud nos vero impurus Budnæus, & sui sequaces asserũt, filium esse ἐαυθότεον, hoc est, a seipso Deum, & propterea durè, ac impropriè dictum illud quæritur in Athanasiano Symbolo, Deum de Deo, lumen de lumine. Citat multa eiusmodi Belarminus, & Posseuinus.

Atheistæ.

Atheismum vocat Hosius, Lutheranæ seu Zuinglianæ perfidiæ perfectionem, alibi Centrum, alibi scalæ summitatem. Vlteriùs enim, quò omnis iste Lutheranismus progrediatur, non habet, quàm vt dicat impius in corde suo. Non est Deus. Huius impietatis arcem, tenuisse quosdã Ludimagistros Epicuri de grege porcos, ipse Viretus asserit, (Ioan. Vetus, Bezam expres-

expresè nominat) qui in Scholis solíti sunt discipulis illud occinere, vereq; beatum prædicare, qui vt ait, Poeta.

Metus omnes, & in exonerabile fatũ
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis auari.

Tales in Ecclesia Geneuensi, quam Italicam vocant, frequentissimos extitisse, vel hoc vno argumento esse potest, quod cum Caluinistæ, de abolenda Romani Pontificis authoritate, deque delendis Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus, inter se cõferrent, Minister quidam, eius generis cõsilium obtulisse fertur. Dicamus, inquit, animam vnà cum corpore extingui, sic, & Missam, & Purgatorium, & reliquas omnes Rom. Pontificis præstigias abolebimus. Hædio quoque ad Philippum scribens testatur, Sathanam callidum, ita variè multos suo tempore exagitasse, vt dũ iam hoc, iam illud crederent, posteà nihil prorsus crederent, & euaderent in populũ Asotorum. Vigandus tam frequens hoc hominum genus, inter suos, Euangelicos esse testatur, vt in suo libello, quẽ de Deo, contra Arrianos nouos in Polonia edidit; nouem rationes asserendas putauerit, quibus probat, esse Deum qui videat, sustentet, atque gubernet omnia. Tales hodie non paucos habet afflictissima non Gallia, sed quoddam potius Galliæ Florentissimæ Cadauer, qui è Christianis facti Caluinistæ, e Caluinistis euaserunt Atheistę, nec quicquam pensi habent, aut qualis in animo tenẽda sit, aut qualis in regno optãda sit religio, nisi quod intimos suos sensus, honestiore quodam vocabulo tegere consueuerunt, seque alij Machiauellistas, alij Polyticos appellant: hoc est, res humanas, rebus diuinis anteponentes. In huius Sectæ virum nobilissimum aliquando incidimus in Gallijs, qui sæpè professus est, si quid vnquam credere deberet, quòd nihil aliud crederet, quàm quod docet Ecclesia Catholica Romana: Reliquas omnes sectas, & opiniones, nullo prorsus loco, & ordine reputabat. Huius etiam generis illi fuerunt, qui in suburbijs Parisiensibus, Dijs gentium Bacho, & Veneri, hostias immolarunt. Quamobrem etiã Philippus de Mornai, de veritate Religionis Christianæ Gallice scribens, operæpretium putauit, simul etiam cõtra alios Galliæ infideles (ita, enim vocat) scribere, Athæos, Epicureos, & Machometanos. Tales in Aula Sigismundi primi Regis Poloniæ, olim esse visos narrabat Hosius, qui paterna lingua soliti sunt dicere: Nullam esse talem sub isto sole fidem, quam sibi crebris duri cespitis ictibus eripi non paterentur. Vigilius etiam Anglus Caluinista, scribens contra Puritanos, grauiter cõqueritur, Angliam suam esse plenã Atheistis. Ochinus certè vocat in dubium, an aliquis Deus sit adorandus, & an illi curæ sint res mortalium. Sed, & liber Parisiẽsis antè vnum, & alterum annum impressus, de Iusta Regis abdicatione, Galliam vniuersam Atheistis. & Polyticis, esse plenã testatur, qui sese, vt ait, viros frugi nominant, & Regis sui seruos, nudè, & simpliciter profitentur: Dei seruum, si quis se dicat, corrugata fronte vix audiunt: ac ut amentem, & furiosum auersantur: & vt pelli saltem suæ, quicquid de anima fieret, prospiciant, parendum esse in omnibus docent, Regis sui voluntati, quicquid tandem ille velit aut præcipiat, atque ad id omnes teneri affirmant, lib. 2. cap. 10. Atheos autem expresè, & nominatim vocat Dehum quendam, & Domuncium. Eorũ verò peruulgata Paradoxa esse vult: Pugnent Galli, modò Gallus, & Gallina imperet. Istos rectè quidam Saduceis esse similes vult, Resurrectionis hostibus. Nos verò magis etiam similes dicimus Grosso, & Orato, Florentinis, qui se rationesque suas, Baptista Gellio teste, potentiori, quisquis tandem ille esset, commendare solebant, siue ille Deus esset, siue Dæmon. Alter etiam moriens, ita, spiritum suum commendasse legitur, chi po più, piu tiri. Qui plus potest, plus rapiat. Liber quidem de Regis abdicatione, adeò proiectum esse multorum pudorẽ in Gallia testatur, vt non facta solùm, sed nec ipsam etiam Atheistarum appellationem, amplius abhorreant, vt scilicet illud impleatur, quod scriptum est. Impius cum in profundum venerit contemnet.

Bat-

Battemburgici.

BATTEMBVRGICI ad Anabaptistarum Sectam pertinent, & à Gregorio quodam milite Ioanne Bartemburgo nomen acceperunt. Is ex professo, concitandis seditionibus, omne suum studium impendebat, vt in Patria sua, imma summis paria faceret. Libellum etiam edidit, cum hac inscriptione: Noua practica gerendi belli. Cuius furores, etiam ipsi Euãgelicorum Symmistæ, ferrè non potuerunt, nec ad Cœlum suum, pertinere authorem eius voluerunt. Lyndanns in Dubitancio.

Belliani.

BELLIANOS vocat Beza, à Bellio quodam Montforcio, sed eorum errorem non attingit, nisi fortè vt habet Lyndanus, propterea reprobet, quòd contra Caluini doctrinam, & senserit, & scripserit, hæreticos puniendos non esse. Citat idem Lyndanus.

Bezani.

BEZA, & Bezani, strumæ potius siue mancipia dicenda sunt, Stygmatici Caluini, quàm Hæresiarchæ, Bezanos tamen appellatos legimus in quibusdam Tygurinorum, & Heildebergen. libellis, & in Bernensi rixa potiùs, quàm disputatione, inter Samuelem, & Musculum, de Baptismo extra diem Dominicum infantibus non conferendo. Nomen autẽ hoc à Theodoro Beza, homine Burgundo, Sacramenti perda acceperunt, omnium, vt simul omnia dicamus, religionum, & sanctitatum euersore. Hunc Hosius vniuerso nomine alterum Sebam, virum Belial, Israelisq; turbatorem appellabat, mente Lucianum, manu Neronem. Sanctius vocat crudelem, infernalem, tricipitem, execrabilem, cornupetam bestiam, & mundi vessam, armatum prætereà Concionatorem, & Strucio, camelum, aurum Ecclesiæ concoquentem. Adeò ait, idem Sanctius in Responsione ad Apologiam Bezæ, perditè deperisti. Audebertum Amasium tuum, vt vnicum quasi Adonidem, cum tua Candida, tanquam cum Venere dementatus, putares conferendum, hærereseque incertus, vtra prius mascula, an muliebri libidine te deberes explere. Hominum qui vnquàm vixerunt impurissimè, neq; te pudet assueuerare, pluris à te fieri scortorum tuorum consuetudinẽ, quàm patris, & patriæ, atq; fratrum tuorum dulcedinem, & domesticam familiaritatem. Tu quidem execrabilis Beza, cùm ad Caluinum transfugisti, simulasti annorum tuorum pœnitentiam, quasi mutareris in alium virum: sed innata amoris insania, quam fato tuo tribuis, in se restingui non potuit. Pro prima tua respiscentia, poemata Tibulis, Catullis, & Marcialibus, longè obscœniora, cũ fugam parares, impressioni dedisti.

Porrò sicut illa tua prostibula, cùm dijs & deabus, comparas, aut anteponis: ita, Caluinum proximè accedere ad Deum scribis, & diuis Apostolicisq; viris omnibus excellentiorẽ fingis: cui nemo vnquã hostis extiterit, qui Deo immortali non idẽ bellum indixerit: quemadmodũ minitaris, Deũ vltorem, qui aliquid nigroris in tua Candida, notarit, & reprehẽderit.

De seditiosis porrò cornupetæ huius Bestiæ consilijs, cum alia penè infinita recẽset Sanctius, tum hoc singulare, quod hic libet addere. Post cladem à Gallis apud S. Quintini Oppidum, in Veromanduano agro acceptam, statim Caluinistæ qui tũres nouas moliebantur, interea dum Rex varijs bellis detineretur, Lutetiæ nocturnos Conuentus aggregare ausi sunt, cum varijs in locis, tum imprimis, in ipsius ferè Acamediæ medio, mediaque Sãcti Iacobi regione, & vico. Cum deprehensi essent, & iussu Regis capti complures, Beza parentis sui Caluini consilio, & hortatu, ad Electorem Palatinum, atque alios Germaniæ Principes, & ad Vormatiæ Comitia excurrit, Melanchtonem maximè solicitabat. Hic verò cum rogasset, cur seditiosi Galli, regem suum tempore periculoso, & Regnũ satis aliunde perturbatum vexarent, fertur Beza dixisse: Nihil agimus, quod non egerint

Apostoli. Tunc Melanchton subiecit. Cur ergo non patimini potius, quod patiebantur Apostoli. Itaque Beza non potuit ab eo impetrare (quòd optabat) quicquàm, quod valeret, ad Protestantes Principes contra Regem incitandos. Lyndanus doctissimus ad Atheorum Coloniam hanc Bestiam relegat, & alienas vxores tam familiariter permolere consueuisse asserit, vt publicus quidam veluti matronarum maritus haberetur. Bolescus in Vita eius, adulterum, incestuosum, ganeonem, vini stuprique plenum, & Candidæ atque Audeberti mancipium, propriæ quoque prolis occisorem appellat. Hesusius autem licet Euangelicus præco, Epicurum, & blasphemum scurram nominat. Sed, & ipse de se Beza testatur, in impurissimis suis Epigrammatis, quæ Dudecio impurissimo Apostatæ, olim Episcopo Quinque ecclesiensi inscripsit, quod Catullum, & Martialem vsque adeò probabat, vt quoties à grauioribus studijs deflectebat, nusquam libentius, quàm in istorum veluti hortulis dispaciaretur: ac ita, ut ius quidē melle, illius verò salibus capiebatur, vt in scribendo quàm simillimus eorum euadere studeret. Quod ad perfidiam hominis attinet, eam ille cum Caluino hospite, & receptatore suo, cùm in portum, vt ait, Geneuensem vnà cum desponsa sibi vxore, (hæc Sartoris Parisiensis viuentis vxor erat) eiectus esset, communem habet: immò magis in Caluinum, quam in Christum credidisse existimatus est, ac omnia illius stercora, vt aromata, & vt rosas, impura spurca collegisse, inque delicijs habuisse, ita, vt Caluinolatra passim vocaretur. Caluinum enim in Historia vitæ non tantum exæquat Apostolis, sed in Cœnæ Dominicæ sensu, & intelligentia, omnino superiorem statuit. Cæteris autem Orthodoxis, & Apostolicis Patribus omnibus, qui vnquam vixerunt, & in scripturarum cognitione, atque interpretatione, & in eruenda Christianæ religionis veritate, tanto interuallo anteponit, vt vnicum illum, nunquam lapsum, alios omnes, vt vmbras volitasse, & oberrasse, vir conscelleratus deliniat. Plura recensēt Sāctius in responsione: ad Apologiam, Gabriel Fabricius pro Fratre Balduino, Ioannes Vetus in Apologia, & Bolescus in Vita, Sed, & Vilhelmus quidam Holderus Euangelicus, alteram scripsit admonitionem, Tubingæ 1582. editam, cum hac inscriptione. Caluinianus Candor, hoc est, de eximia fide, doctrina, & modestia Theodori Bezæ, qui Caluiniani dogmatis fascino, dementatus, alios etiam dementare conatur. Multa etiam peti possunt, è libello Gallico, 1580. impresso: Aduertissemēt, hoc est, admonitio Catholicorum Anglorum, ad Catholicos Gallos. In hoc tamen solo fortasse, à doctrina Caluini defecit Beza, quod etiam Iurgeuitius Canonicus Vilnēn. contra Volanum scribens obseruauit, quod Caluinus 4 Instit. capit. 17. reprehendit eos, qui manducare Christi carnem, & eius sanguinem bibere, nil aliud esse volunt, quam credere, effectumque potius, quàm actum fidei esse volunt manducationem. Beza verò cōtra Vestphalum scribens, lib. de Cœna cap. 9. hoc ait, interesse, inter fidem, & manducationem, quod interest, inter manum apprehendentem, & ipsam apprehensionem. Itaque secundum Bezam, apprehensio fidei, est ipsa manducatio spiritualis, at hæc fidei apprehensio non est aliud, quam fidei actio, actus vero fidei est credere. Credere igitur apud Bezam, erit Christi carnem manducare, quod obstinatè negat Caluinus. Sed, & in hoc Beza dissentit à Caluino, quod iste neget, Christum esse Dei Filium, ex Patris essentia antè sæcula natum, sed vult esse à seipso Deum: Beza verò Præfatione in libellum Anastasij, & Atanasij, 1570. fatetur apertè, Caluinum non sollicitè obseruasse, duarum vocularum (per se, & à se) discrimen, & ideò dixisse, Christum esse Deum à se, cum per se Deum esse dicere debuisset. Eant nunc Euangelici, & Lutherum Caluino concilient, cum Caluinus cum Achate fidelissimo, præcipuo Euangelij sui baculo, de præcipuis Fidei Christianæ capitibus, ita, valdè dissentiat. Quid, quòd Caluinus nusquam de Beza, in tot libris suis, honorificè meminit? immò ne verbo, ait Sanctius, vllam eius facit mentionem, cum tamen aliorum sæpè

pe meminerit. Quid, quòd in noui Testamenti, translationibus, & expositionibus, tam sæpe à Caluino dissideat, quam sæpè conueniat. Equidem affirmat Sanctius, quòd cum ad ægrotũ veniſſet Caluinum, ad eius conſpectum exhorruit, & quanta potuit vociferatione, Bezam interrogauit, an exploratum veniret, quantum vitæ, & ſpiritus ſupereſſet, an vitæ veniſſet inſidiari, an ſucceſſionem occupare, nec planè quieuiſſe, donec a ſe Bezam ablegaſſet. Multa eiuſmodi recenſet in Apol. Sanctius, qui ſuis coloribus hanc beſtiam depingit, quo Lectorem remittimus. Nobis hoc loco hæc, quæ diximus de Beza, & Bezanis dixiſſe ſufficiat.

Bibliſtæ.

BIBLISTAE, ad Confeſſionaſtirum actem pertinent. Docuerunt hi, nihil eſſe ab homine Euangelico, vel legendũ, vel recipiendum, aut in Eccleſia, vel in Scholis iuuentuti proponendum, præter ſolum, ac nudum Bibliorum textum, nec vllius authoris interpretationẽ adhibendam. Omnes enim inquiunt, à Deo ſumus docti. Nullas quoque eſſe diſcendas Philoſophiæ artes, propterea, quòd Paulus inanem Philoſophiam ſectari vitet, & quòd luculentum extet Moſis viri Dei præceptum, vt homines veſcantur in ſudore vultus ſui, pane ſuo. Authores itaque diſcipulis ſuis fuerunt, vt combuſtis humanioribus libris, mechanicum quiſque opificiũ exerçeret. Vnde factum eſt, vt optimarum artium fieret intermiſſio, ſcholarumque vaſtitates viderentur, cum alijs in locis, tum præcipuè in vicina nobis Sileſia, Vvratislauiæ, & Suidniciæ. Authores erroris præcipui fuerunt Carolſtadius, & Melanchton, quorum alter, vt exemplo cæteris præiret, in proxima villa agri Vvittember. agricola factus eſt, alter, piſcendi panis artificium in piſtrino meditabatur. Teſtantur omnes Hiſtoriæ, & Hoſius in ipſo ætatis ſuæ flore, quo tempore totum ſeſe in humaniores literas perdiſcendas immerſerat, accidiſſe memorabat.

Bideitæ.

BIDEITAE vocantur in Polonia, qui duos Deos admittunt, Patrẽ videlicet, & Patre minorem Filium, de Spiritu Sancto nondum eſſe reuelatum, aiũt, quid ſit. Huius erroris præconium, Petro Gomeſio, Alfonſus tribuit, cui iam defuncto ſucceſſiſſe videtur Farnouius. Peſtis hæc in Lithuania maximè, & aliqua Ruſſiæ parte viget. In Leuartouien. diſputatione cum Caluiniſtis, acerbè contenderunt iſti ipſi Bideitæ, quod ſuo loco dictũ eſt.

Biſidi.

BIFIDOS, ſiue Bifiditas in Gallia vocatos audiuimus, qui cum Orthodoxa Catholica fide, fidem etiam, vel potius perfidiam Proteſtantium, eorumq; ritus, & cærimonias, in Regno Galliæ tolerandas putant, reliquis omnibus ſectis, & doctrinis reprobatis. Extat exhortatio, ad Regis Galliæ Conſiliarios, ex Gallico in Latinum translata, & impreſſa 1561. In ea verba quæ ſequuntur, hæc leguntur. Errant, qui opinantur, ſi duæ ſectæ in eodem Regno ferantur, eã rem Galliæ Regno fore detrimento, aut Regis noſtri magnitudinem, vllo pacto diminutam iri. Nam ad turbas omnes cõponendas, (poſteaquàm ex ijs, quæ citauimus exemplis, nonnulla habemus voluntatis Dei initia, nimirùm in neutros eſſe cædibus, aut populationibus ſeuiendũ,) nulla promptior eſt, aut expeditior ratio, quam vt in Repub. veſtra duas eſſe Eccleſias promittatis, vnam Romanorum, alteram Proteſtantiũ. Et Paulo inferius. Hoc mihi concedatis oportet, neceſſe eſſe, vt Proteſtantes, qui in primis fidei fundamentis, cum Romanis coniuncti ſunt, incolumes viuant inter vos, neque vllum, vel corporum, vel fortunarum detrimentum accipiant; idque non ſolùm, quia ſic ſtatuit mundana ſapientia, (quæ apud Deũ mera ſtultitia eſt) verùm etiam quia ſic ſentiunt illi, quorum tales fuere mores, vt eos nonnullam habuiſſe arcanorum Dei conſiliorum cognitionem, credibile ſit.

Et iterum: Intereà dum Consilij decretum expectatur, statuendum est, vt postquam Protestantium interfectio, ex nostris deliberationibus abesse debet, & eorundem reuocatio propterea difficilis est, quòd habuit argumenta, ad causæ suæ defensionem ad modumvalida, eis permittatur Deum inter sese, inque suis Ecclesijs, ex suo instinctu ac religione colere: quemadmodum Romanis, Deum in suis templis, suo more colere permittitur. Et paulo inferius: Qui dicunt religionem vnum esse vinculum, quo populus in officio retinetur, non sic accipiendum est, vt sit semper vna generalis religio, ijsdē nixa cæremonijs: quin satis illud est, si populus, quamuis sub diuersis pronunciatis, tamen generali, concordique Dei metu, & iudicij in altera vita futuri, terrore frænatur. Quam enim rationem secuti sunt sapientes, vt ab Ario excitatis calamitatibus, & miserijs finem imponerent? nimirùm nullam aliam, nisi quòd in singulis vrbibus geminas admiserunt Ecclesias. Atque vt antiquas nostras Historias altius non repetam. Vidimus nostro tempore, ob hanc religionem, sectos in factiones duas Heluetios, quodnam autem commodius inuenere remedium? quod geminas scilicet etiam in paruulis pagis permiserunt Ecclesias. Allegarem, & Germanicum Interim, nisi quòd scio vos mihi turbas obiecturos, quæ ex eo posteà natæ fuerunt. Sed si Princeps nudum inter vtrosque tenebit gladium, & neutram in partem eum inclinabit, nisi vt capite plectat, omnes authores tumultuum, neutrisque parcat, non est dubium, quin non existant seditiones. Verùm si vel Romanus concionator, vel Protestans Minister, eiusmodi verba concionibus suis insperserit: quæ ad seditionem spectare videantur, sumite, ita graues de eo pœnas, vt territus eius exemplo populus dediscat deinceps intemperantiam. Sumus enim omnes, ait, in fine libri, tum Romani, tum Protestantes Christiani Baptismi Sacramento in vnum coniuncti, eundemq; Deum, si non eodem ritu, at pari certè studio reueremur, & adoramus. Hæc Anonimus ille Consiliarius: quales multos alios afflicta vidit Gallia, qui ex Gallia, Galliæ, proh dolor, cadauer effecerunt. Sed, & in Patria nostra, Augusti Regis temporibus, non defuerunt, vt ita dicamus, Trifiditæ quidam, qui ternas religiones in Regno tollerandas putauerunt, & suaserunt Romanam, Lutheranam, & Caluinianam, Anabaptistas autem, & Trideistas, Regno pellendos censuerunt, tāquam seditionibus natos. Sed Hosius vigilantissimus Cardinalis, datis ad Episcopos Regni literis, istorum sese consilijs, & conatibus acriter opposuit, ostendens, eum futurum fructum in Polonia Trium fidium, quem in Gallia fuisse duarum videmus, & dolemus. Decretū erat nihilominus in Comitijs Parczouiensibus, vt externi saltem, & aliarum gentiū Ministri, qui ad perturbandum Regnum ex Italia, Germania, Heluetia conuerant, Regno excederent, neque tamen excesserunt. Nam vt aui volare, & pisci natare, sic Hæreticis proprium est, legitimæ potestati non obtemperare.

Bisacramentales.

BISACRAMENTALES, à Cocleo vocantur, qui duo tantùm in Ecclesia Dei Sacramenta confitentur. Sunt è Secta rigidiorum Lutheranorum, & acerrimè pro sua opinione, contra reliquos omnes pugnabant, qui vel plura numerarent, vel adhuc de numero dubitarent. Citat Staphilus.

Blandradistæ.

BLANDRATISTAS vocant in Polonia Caluinicolæ, qui Georgij Blandratæ, hominis Itali, & Ioan. Secpusij Transyluanici Principis Medici, pestiferos errores amplectuntur: & ad sectam Arrianorum, seu Trinitariorum referuntur. Is porrò, vt habet vir Doctissimus Posseuinus, auritus atque oculatus istorum Atheismorum testis, epoto vsque ad feces Serueti, Gentilisq; veneno, horrēdos errores partim promulgauit, partim renouauit, partim in proprio suo capite, con-

contra ter adorandã Trinitatẽ, & contra Christi diuinitatẽ, natos per vniuersam Transyluaniã seminauit: docẽs vt in libro Ministrorũ Transyluan. contra Sanctissimã Trinitatem edito videre est, Christũ, & Apostolos docuisse, vnum esse Deũ Patrem, & vnum hominem Christum, sed à Cacolicis (sic enim Catholicos appellãt) tres Deos, seu Trinitatẽ quandam, nõ ita, multo post fuisse excogitatam, ac ita, duos Christos emersisse. lib. 1. cap. 1. Aiũt quoque à Christo, & Apostolis prædictũ fuisse, quòd illico post Ascensionem venturus esset Antichristus, & Christi fidem penitus aboliturus, atque ideò parum durasse Christi regnum affirmant. Capite vero 3. inferunt: Sed quia adhuc Ioannis Euangelistæ tempore, Trinitas quædam prædicari cæpta est, quam deinceps Athanasius, cum multis Patribus, & Imperatores reliqui ferro, flammaq; defenderunt, consequens, est aiunt, vt credamus illam ipsam excogitatam Trinitatem, Antichristum fuisse, & hominis Christi dignitatem, & Maiestatem ex animis hominum sublatã extitisse. Imagines quoque quibus in Ecclesia Dei tres exprimi personæ consueuerunt, Patris videlicet, sub senis, & antiqui dierum specie, Filij in hominis figura, Spiritus Sancti sub specie columbæ, insolentissimè rident, & subsannãt. Sed hęc, & alia id genus, cum de Trideistis agetur, vberius explicabuntur. Blandrata hoc anno superiore præfocatus dicitur, à proprio Nepote, qui rapta pecunia statim aufugit, & pœnas euasit.

Boquinij.

BOQVINOS, vocat Hesusius, genus quoddam Sacramẽtariorũ, qui opinionem Boquini sequuntur, docentis, Christum non esse pro omnibus, aut omnium peccatis crucifixum, & mortuũ, sed tantum pro fidelibus, & pijs: & propterea volunt Christi corpus in Cœna, ab hijs tãtùm mãducari, pro quibus aiunt mortuũ: malos vero, & impios, vt habet Lyndanus ab vtroq; Christi excludunt beneficio. Sic Pinterium, & Clebitium in defensione contra Caluinum fensisse existimant.

Brentiani.

BRENTIANI à Ioanne Brẽtio homine Semilutherano, vitam, & doctrinam acceperunt. Is Lutheri placitis, noua quædam sua dogmata assuit. Docet enim inter alia, quod licèt originale peccatum, per Baptismum dimittatur, non omne tamen peccatum deleri contendit, propterea, q̃ Baptismo susceptо, adhuc remaneat in homine, rebellio quædam carnis, quã concupiscentiã vocamus, quæ verè peccarum est, quãuis non imputatur à Deo. Concupiscentiã autem verè esse peccatum; inde probat, q̃ sit contra Dei præceptũ: Non concupisces. Docet etiã Euangelicam legẽ, non habere verã propriam legis rationẽ. Nihil. n. esse vult aliud Euãgelium, sicut in Confessione Doctorũ Virtembergensiũ, quorũ præcipuus erat Brentius, legitur, nisi certam Annuntiationem de filio Dei, quod ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum, & redemptor, & saluator noster. Edidit is Prolegomena quædam, contra Petrum à Soto, quæ Vergerius publica institutа disputatione, coram Sigismundo Augusto Poloniæ Rege, defendenda susceperat. Sed Hosius vigilantissimus Episcopus, in Antibrentio suo, ea sic confutauit, & iugulauit, vt palam omnibus faceret, tam Brentiũ, quã Vergerium, esse Deo rebelles, & Orthodoxæ veritatis hostes teterrimos.

Bucerani.

Buterani, a Martino Bucero Argentinẽsi. Dominicani instituti Monacho, & Apostata vocantur. Hunc, ita varium, in fidei doctrina fuisse, narrat Lyndanus, & hominis acta loquuntur, vt nescias an ad Sacramentariorum colluuiem, an ad Semilutheranorũ manipulũ pertineat. Quãobrem etiam vir doctissimus Stephanus Vintonien. hominem plagosum appellat, quòd scilicet insigniores sectas sectatus, vndique vapulauerit. Cum Lutheranus esset, Protestantium Confess. subscribere Augustæ noluit, Argentinensi subscripsit. In Conuentu Marpurgẽ. pro Zuin-

glio contra Lutherum ſtetit, Zuinglio verò trucidato Luthero ſe adiunxit, etiamſi ab illo publicè falſi notatus, paulò ante fuerit. Porrò Vicellio ad Eccleſiam conuerſo, nouam viciſſim contra Lutherum pacis, & concordiæ, formulam cuderè cæpit, qua de re copioſius à nobis dictum eſt, vbi Euangelicorum Synodos recenſemus. Rurſus vero Zuinglij, & Oecolampadij commenta, vbi hoc eſt, interpretantur, hoc ſignificat: & pro corpore, ſignum volunt eſſe corporis, nunquàm ſibi placuiſſe fatetur. Alberus verba Cœnæ, ſic ab eo interpretata ſcribit: Hoc eſt proteſtatio, & memoriale beneficiorum Dei. Michael Dilerius abſurdiſſimæ cuiuſdam ſententiæ authorem facit, ſcilicet quòd qui fidem tantum habet Hiſtoricam, nil aliud in Cœna quam ſignũ corporis accipiat. De Baptiſmo, & originali peccato, cum Brentio ſcribit. Sub mortem autem, dicitur in dubium vocaſſe; Vtrum Chriſtus verus Meſſias, an alterius ſuerit aduentus expectandus. Surius, & Lyndanus citant. Porrò Copus in ſuis Dialogis, hoc illi tribuit, quod diſſoluendi Matrimonij facultatem permittat, non ſolùm ob fornicationem, ſed ob minutas quaſq; cauſas, quandocunq;, & quocumque nomine, coniuges, ita, diſſideant, vt in gratiam redire nolint. Hoſius ait, hominem fuiſſe Luthero doctrina non inferiorem, linguarum peritia ſuperiorem,

Binderliani.

BINDERLIANOS, ad Caſtra Anabaptiſtarum pertinere, dicit Praeolus, cumque illis in vniuerſa fidei ratione conuenire. A quo nomen hoc traxerint, non commemorat, nec nos in hoc genere quod affirmemus habemus, niſi quòd exiſtimamus, ab illo fortaſſe Bindnero Anabaptiſtarum Miniſtro, nomen traxiſſe, qui clam omnibus, obſcura nocte impoſitos in cænoſam paludem piſces, præmiſſa ad Ruſticos de doctrinæ ſuæ veritate, benè longa concione, Chriſti inuocato nomine, poſtridie panſis retibus capiebat. Quo nomine, diuinos illi honores eluſi Ruſtici tribuebant, totiſq; tribus diebus, ac tribus noctibus, plenis hordeaceæ Ceruſiæ cadis, deuotiſſimè ſacrificabant. Nullius ſunt nominis, ita, vt fœdiſſima potiùs carcinomata, quàm Doctores, aut verbi Miniſtri ſint exiſtimandi.

Budnæi.

BVDNAEOS, ſiue Budnæitas, nouos eſſe audiuimus in Lithuania Ebionitas, Symonis Budnæi hominis in Deũ, & in Chriſtum eius teterrimi, ſectatores: qua vna bellua, puto q̃ non viderit patria noſtra, hoſtem Filij Dei viuentis immaniorẽ. Vertit is in linguam Polonicà, nouum Ieſu Chriſti Teſtamentũ, multiſq; erroribus, ipſo eius æmulo Czechouicio Archianabaptiſta Liblineñ. teſte, inquinauit; Additiones etiam quaſdã fecit, in quibus 120. Scripturarũ teſtimonia producit, q̃ Chriſtus non ſit ab æterno Deus. Alia viciſſim 11. loca adiungit, q̃ Spiritus Sanctus nõ ſit Deus. In margine verſionis ſuæ cùm Czechouicianã interpretationẽ reprobaſſet, falſiq; damnaſſet, gloſſas quaſdã, ſeu notationes, ſuas adiunxit, ad ea loca omnia, quibus ſempiternã Chriſti diuinitatẽ, omnes orthodoxi aſtruere cõſueuerunt, ita execrãdas, & deteſtabiles, vt exiſtimem in ipſius tetri Cacodæmonis pixi de calamũ intinxiſſe, cum ſcriberet. E Schola certè gregariorũ dæmonũ, prodire nemo potuit, qui virus acerbitatis ſuę, in Chriſtũ Dei, virulẽtius euomeret. Pauca, è multis, quæ Czechouicius in Dialogis ſuis notauit, in medium proferemus. Chriſtũ is æque, vt olim Ebiõ, aſſerit, ex viro, & muliere purum hominem natum, Deum fuiſſe negat, & ſolã humanã naturã habuiſſe, ad eũ itaq; ſenſum omnia ſcripturæ loca detorquet. Verba illa Angeli ad Virginẽ Matt. 1. Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filiũ, vocat lingua materna, (platem przysaitym) id eſt aſſutũ cẽtonẽ: quibus vt credam (ait,) adduci nunquã potero, niſi mihi in ſcriptura, hæc ipſa ſcripta oſtẽdantur verba, q̃ caput primum Matthæi ſit ipſiſſimum verbũ Dei. Illud Ioã. 8. Antequam Abraam fuit, ego ſum, interpretatur in cordibus fidelium. Illud Io. 6. Si videritis filiũ hominis aſcẽ

den-

dentem, vbi erat prius, intelligi vult Budnæus, vbi erat prius, scilicet in Hyerusalē. Illud, misit Deus filium suum vnigenitū, ex domo, ait, parentum misit eū. Illa verba. Ante Luciferum genui te, corrupta vociferatur, dicens. Interpræti huic, nescio quis alia puncta adscripsit, ludibrij causa. Illud Descendit è cœlis, non aliud esse vult, quàm conceptionem, è Spiritu Sancto, sanctificationem, & ad annunciādam voluntatem Dei, per miraculorū exhibitionem, missionem. Illud Ioan. 17. Clarifica me Pater, claritate quam habui, interpretatur præparatam, sed post ad impletā Dei voluntatem accipiendam, Falsum itaq; Paulum, ait, asseruisse, quod Iudæi dominū gloriæ crucifixerunt, hominem enim nondum glorificatum occiderunt, ac ideò simplex tantùm homicidiū perpetrarunt. Epistolām ad Hæbreos, nec Pauli esse asserit, nec alicuius Apostoli. Non cō memorabo diras execrationes, in Sāctissimam Trinitatem, horret animus tam turpem actum agere. Anabaptistas certè cōtribules suos, & eorū Prodromū Czechouicium, omnibus conuitijs egregiè onerat, & multa scribit, contra eorum Canones, quos Paradoxa vocat, Patres etiā cæcos appellat, Antichristi Matteologos, Sathanæ præcursores, illusores, Patrum, & Papistarum Gauros Caluinistas autē, ait esse Euangelicos milites Antichristi. Ipsum porrò Caluinum, Euangelicorū tutorem, & defensorem Trinitatis, tanta audacia, & scripturarū crebritate obtundit, vt coacti fuerint Caluinistæ, Regiæ Maiestati 1583. supplicare, vt Diabolicam cōfederationem; (sic enim vocāt) velit abolitā, qua cuique quiduis credendi licentia, & impunitas, in Patria permittitur. Volanus certè in sua Pareneſi, capitalem pœnam in Ebionitas, & Anabaptistas decernit, & gladium, si non conuertantur, vibrari iubet, etiamsi nomen Budnæi non efferat, truculento fortassis belluæ aspectu, depressoque supercilio, & intonsa coma hominis Syluam barbæ inhabitantis, a scribendo repræsus. Et hæc quidē nos de Budnæo, Christicida, ex Anabaptistæ Czechouicij testimonio collegimus. Cœterùm ex Italica legatione, in patriā reuerti, in ipsam incidimus, Budnæa nā versionem: Absolutam, vt testatur, in arce Lithuanica Losko D. Ioannis Riszka 1574. Ei bene longā præfationem præfixit, & in fine notationes detestandas adiunxit, in quibus causam reddit, cur multa in sua versione sustulerit, addiderit, mutauerit. In primis autem de veteri, & vsu re cepto Euangelij nomine, ludos facit, Euangelionem dici vult, non Euangelium: & hunc loquendi modum, vbique ferè vsurpat. In Euangelione Matthæi. In Euangelione Marci. In cap. 1. Matth. ait, Christi nomen non debere accipi, tanquam nomen proprium Filij Dei, cum id sit omnibus vnctis Regibus proprium, ac peculiare. Pro nomine Iesus, vsurpat Iesua. Locum illum Esaiæ. Ecce virgo concipiet ex Hæbreo textu vult emendari, vt dicatur. Ecce mulier virum habet, & euincat Mariam, non semper Virginē fuisse, propterea quod Hębrei Alma, non Virginē, sed mulierem iuuenculam appellant. Citat etiam, & probat sententiam, & versionem Castallionis, qui, ait: Est puella quędam iam prægnās, quæ filium pariet. Addit etiam impossibile esse Matthæum à Spiritu Sancto doctum, vel locum hunc Esaiæ produxisse, vel de Maria intellexisse, sed ait, verisimiliùs esse, quod aliquis simplex, statim post Apostolorum tępora, legens hæc quæ Matthæus dicit, de admirabili filij Dei conceptione, recordatus sit verborū Esaiæ, & existimans ea de hac ipsa conceptione intelligi oportere, memoriæ causa in margine appinxisse, sicut ij facere solent, qui libros diligēter, ac studiosè lectitāt. Posteà verò, cùm eundē Euāgelionē, (ita, enim loquitur) alius describeret, existimans ea, quæ videbat in margine ad textū pertinere, ad textū asscripsisse. Idē, ait, accidisse de Rachele plorāte, de verbis illis, Nazarenus vocabitur puer iste, de vocatione ex Aegipto, de terra Zabulon, & terra Neptalim. Lutherū quoq; errare testatur, q hæc verba Esaiæ, ab ipso Euangelista scripta, & Euangelicæ Historiæ inserta crederet, non autem posteà assuta, aut ex margine in textū translata. In cap. 2. Illud, Fuge in Aegiptum, non Aegiptum, sed Micraim interpretatur. In c. 3. Pro locustis, posuit Græcum verbum Akridas. In c. 5. Gehennā non Gehennā,

Ied Gehinnon vſurpari iubet, & intelligi vult non ignem, aut infernum, ſed vallem Beniamin, in qua filios ſuos Deo Moloch, Idololatræ ſacrificabant. In c. 22. Illa verba Euangeliſtæ, ex Hieremia: Et acceperunt triginta argenteos pretiũ appræciati, ait ex margine in textum irrepſiſſe, nec ita, vnquam fuiſſe ſcriptum à Matthæo. In cap. 7. Ioan. Illam Hiſtoriam de adultera reijcit, quod in ea ſcriptæ ſint res impoſſibiles, quale eſt, quòd Ieſus digito ſcripſit in terra, quòd ſolus cum muliere in templo manſerit. In cap. 1. Lucæ de verbis Angeli ad Virginem: Spiritus S. ſuperueniet in te, miras ſibi delitias facit. Ait, enim, dici debuiſſe ſuper te, non in te. Et addit, homo impius. Non hoc dicit Gabriel Virgini, quòd in eius vterum intrare debeat aliquis Dei filius, æternus Spiritus, & ibi homo fieri, ſed reſpondet ad interrogationem Mariæ, quæ fuit, quomodo iſta conceptio fieri deberet, quoniam virum non cognoſceret. Quaſi diceret. An hæc conceptio fiet illo demum tempore, quo cum viro meo ero? Angelus vero reſpondit, quòd vir non pertineret ad hanc operationem, ſed Spiritus S. ait, deſcendet ſuper te, quaſi diceret, loco viri, Spiritus Sãctus operabitur hanc conceptionem, Lucæ 3. Illa verba (vt putabatur Filius Ioſeph) omnia reprobat, ac reijcit dicens, illa fuiſſe, à Martione Hæretico aſſuta, nec à Luca ſcripta. Non licet, ait, paulò poſt, vel Chriſtum habere pro putatiuo Ioſephi Filio, vel Ioſephum pro putatiuo Chriſti Patre. Id enim errorem ego puto, nec putare deſinam, niſi quis me melius docuerit. Mariam negat fuiſſe ex ſtirpe Dauid, vel ex Tribu Iuda, ſed affirmat fuiſſe ex domo Aaron, & ex Tribu Leui. Cum ergo Euangeliſtæ diligenter ſcribant, de Ioſephi ſtirpe, oſtendentes, quòd fuit ex Dauid domo, Lucas autem de Maria hoc tantum innuit, quod ex eadẽ domo fuerit, ex qua Zachariæ coniunx. Concludit blaſphemus iſte: Si Ieſus non eſt verus Filius Ioſeph, quomodo poterit eſſe ex domo, aut Filius Dauid? Addit prętereà. Si Chriſtus non verus, ſed putatiuus tantùm fuit Ioſephi Filius, cur Euangeliſtæ, genus Ioſephi, tanta cum ſolicitudine proſequuntur? Cur Chriſtum pluribus in locis Ioſephi Filium, & Ioſephum Chriſti Patrem appellant, ſi non fuit? Sed dicent Patrem eſſe, verum putatiuum. Dicá igitur, & ego, Mariam fuiſſe Chriſti Matrem ſed putatiuam. Aequè enim Ioſephum, ac Mariam, vocant Euangeliſtæ parentes. Cùm introducerent, ait Lucas, puerum Ieſum parentes eius in templum. Item aſcendebant parentes eius, ſingulis annis Hyeroſolymam. Item non cognouerunt parentes. Si vterque parens vòcatur, cur alter verus, alter putatiuus vocatur? Proſequitur in eadem notatione ſceleratus iſte Philiſtæus, & ait. Sed dices. Quomodo poteſt eſſe Chriſtus Ioſephi Filius, ſi conceptionem eius operatus eſt Spiritus Sanctus? Reſpondeo. Immò Spiritus Sanctus operatus eſt, ſanctiſſimam illam conceptionem: ſed non ex ſe, nec ex aliquo alio, quam ex quo omnes homines concipiuntur. Nam illi Rithmi, quos Papa canit, non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine, verbum Dei factum eſt caro, ſunt meræ fabulæ, contra expreſſum Dei verbum. Nonne enim ſcriptura dicit? Roma. 1. Qui factus eſt ei Filius, ex ſemine Dauid ſecundum carnem, vbi rogo, & hũc & alia eiuſmodi loca relinques? Sic igitur habeas, quod ſcriptura ſolã tm̃ coniũctionẽ excipit, à conceptione Filij Dei: ſed nõ ſemen. Quamobrẽ, & nos qđ illa excipit excipimus, quod nõ excipit nõ excipim⁹. Dices iterũ: Mirabilis eſt iſta cõceptio. Reuera mirabilis, nec ſolũ mirabilis, ſed iuxta noſtrũ intellectũ impoſſibilis, idq; ét Angelus ipſe teſtatur, cũ ait: Nõ erit impoſſibile apud Deũ omne verbũ. Quare, & nos, par eſt, in eo acquieſcere, nec in ſecreta Dei vlterius irrũpere. Vt Sara pareret impoſſibile videbatur. Sicut, & illud, vt Eliſabet Ioannẽ ederet: Ita, vt mirũ aut impoſſibile videri debeat nemini qđ dicimus, Mariã ſine cognitione viri, ex viro cõcepiſſe. Sed dices. Quomodo reſpondit Angelus. Spiritus Sãctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obũbrabit tibi? Ecce habes, quod nõ opus eſt vlteri⁹ quærere, ne Dñm ad vindictã cũ Zacharia, puocem⁹. Hæc blaſphemus iſte Philiſtæus de Cõceptione Saluatoris nr̃i. Illud Ro. 9. Qui eſt ſup oĩa Deus benedictus in ſæcula, verbũ

(Deus)

(Deus) ait ab Homoufianis infertũ fuiſſe, longè poſt Apoſtolorum tempora, & eijciendum cenſet. Illud 1. Corin. 10. Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidã tentauerunt, pro Chriſtum, vult dici, Deum. Chriſti enim nomen ab Homouſianis, ait additum, & Dei nomen expunctum, atq; ita in Sclauonica, & in cuiuſdam Skorini Doctoris tranſlatione, qua Rutheni, Moſci, Serbi, vtuntur, & in vltima magni Ducis Sclauica editione haberi teſtatur, quãuis in antiquis manu ſcriptis eiuſdem linguæ exemplaribus, Chriſti adhuc nomen inueniatur. Illum locum Philip. 2. Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualẽ Deo, ita in ſua Polonica verſione corrupit, vt oſtẽdat, Chriſtum ante Natiuitatem, immò ante adultam ætatem, in forma Dei nunquàm fuiſſe: ſed tum primùm eſſe cæpiſſe, cum ex voluntate Dei, diuinas virtutes, & miracula operaretur, mari, & ventis imperaret, Dæmones eijceret, &c. Et licet, ait in hac forma Dei eſſet, & tam eximias virtutes operaretur, exinanibat tamen ſemetipſum à vanagloria, ab inflatione omni, neque ſeſe efferebat, ſed humiliabat, & erat obediens vſq; ad mortem. Illum Pauli locum 1. Timot. 3. Et manifeſtè magnum eſt pietatis exemplum, quod manifeſtatum eſt in carne: mirificè commendat, quòd non habeatur in Latina verſione, Deus manifeſtauit ſe in carne, ſicut omnia Græca, & Sclauonica habent exemplaria, quæ in hoc loco vult eſſe falſiſſima. Illa verba ex Epiſtola 1. Ioan. cap. 5. Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, ex ſua verſione prorſus eiecit, vt falſa: nec a Ioanne vnquàm ſcripta. In eodem cap. verba illa Ioan. Et ſcimus, quia filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna, ita torquet, & retorquet, vt oſtendere conetur, hæc verba, Hic eſt verus Deus, &c. non de præcedentibus, & vicinioribus verbis, in vero filio eius: ſed de remotioribus, hoc eſt, vt cognoſcamus verum Deum, intelligi oportere.

In Præfatione porrò, benè longa, huius ſuæ verſionis, vt Lectori fucũ faciat, ſeque mero ſtudio veritatis adductum oſtendat, ad repurgandas noui Teſtamenti corruptelas, Neſcio, ait, in tanta per orbem Chriſti librorum multitudine, vtrũ aliquis poſſit inuenire librum omnino verum, ac legitimum: præcipuè autem libros noui Teſtamenti, qui ita ſunt corrupti, falſificati, vt non credam, reperiri quicquàm poſſe, quòd ſit magis corruptum. Hoc autem poſito quaſi fundamento, promittit ſe deinceps in ſua verſione quatuor oſtenſurum. 1. Quod in libris noui Teſtamenti, multi inueniantur non ſolùm errores, ſed etiã falſitates. 2. Vnde iſti errores, & falſitates irrepſerunt. 3. In qua lingua habeantur puriora ſcripta Apoſtolica, & minus plena falſitatis. 4. Vnde poſſit ſcriptura corrigi, & reparari, & ad priſtinam ſinceritatem reuocari. Ibidem addit: quod omnium maximè ſcripturam ſacram corruperunt, Marcioniſtæ, & Homouſiani. Nam de Arrianis non legimus, quòd vnquam ſcripturam vllam corruperint. Illud, Et verbum caro factum eſt, ait, malam fuiſſe verſionem, diciq́ue debuiſſe. Et ſermo ille caro fuit. Bezam reprehendit, quod in illa verſione acquieſcat. Omnis ſpiritus, qui confitebitur Ieſum Chriſtum in carnem veniſſe, ex Deo eſt: & ait, illam eſſe veriſſimam verſionem, In carne veniſſe. Non quod Beza non intellexerit errorem; ſed quod ſuo errori de Trinitate inde fieri præſidium putauit. Verſionem quandam Stanislai Murzinovvski adoleſcentis apprimè dilaudat. Latinam verſionem minùs, ait falſificatam, quàm Græcam, aut Sclauonicam, & addit. Nemo prudens vnquam dixerit, ex Græcis codicibus eſſe corrigendam. Mutauit receptum ordinem Euangeliſtarum; & ita ponit, Matthæus, Marcus, Ioan. Lucas: cauſam dat, vt Lucæ Euangelium, & Acta ab eodem ſcripta, inuicem ſe conſequantur. Sed hæc de Budneo hæretico nimis craſſo, in ciuili, & impexo ſufficiant. Patriæ vicem doleo, quod tam tetram beluam, tam turpem ſcilicet Struciocamellum produxerit.

Cacan-

Cacangelici.

CACANGELICOS, vocat Hosius, omnes, qui cum Catholica non sentiunt, & Euangelicorum sibi nomen vsurpant, quamcumq; tãdem illi sectam sequantur, sunt enim in omnibus suis studijs non boni, quod Euangelij proprium est, sed mali omnis, & nuncij plenissimi. Si fidem spectes, contra Ecclesiam sentiunt, quam scriptura vocat columnam, & firmamentum veritatis, si opera spectes, contra charitatem omnia faciunt, quam Apostolo teste, qui nõ habet, etiam si fidem habeat; ita vt montes transferat, nihil est. Hos à Paulo vocatos ait Pseudo Apostolos, & operarios subdolos, transformantes se in Angelos lucis, & auribus hominum seruientes, nisi forte non titillat hoc aures nostras, vt idem Hosius loquitur, cum à Cacangelicis dicitur: nulla nostra, sed sola Christi iustitia nos iustos, quicquid sit de operibus nostris, vnumquemque certum esse debere, quòd gratis, propter Christum, sibi peccata remissa sint, quòdq; Deo acceptus, & vitæ sit hæres æternæ. Cuius generis Sathanicæ voces, cum animis hominum ad omne scelestum facinus, atq; ad omnes subeundas vitæ maculas fenestram aperiant, immò inuitent, immò incendant, immò manuducant, non Euangelium, sed Cacangelium, & qui illud profitentur nõ Euangelici, sed Cacangelici dici merentur. Plura vide apud Hosium, in capite de hominis Iustificatione.

Calixtini.

CALIXTINI, Semilutherani sunt, & in bibendo calice, vitæ summam sitam putant. Vidimus in Germania non paucos, cùm in aula Ferdinandi Cæsaris viueremus. In Polonia quoque nostrã, non paucos nouimus, quibus audacia Lutheri non vulgari illo modo, sed præcipua quadam ratione, omni odio digna visa est, quòd in Ecclesiæ Catholicæ pene omnia dogmata violenter irruerit, Sacramenta minuerit, Diuos honore spoliauerit, Sacrificium reprobauerit, cæremonias omnes damnauerit, Pontificis authoritatem afflixerit, sursum, deorsum, omnia miscuerit, ima summis paria fecerit. In eo solo ex omnibus Lutheri placitis acquiescunt, et hoc solo nomine suspiciendum putant, quòd ereptum (vt dicunt) calicis vsum reuocauerit, verumq; ac legitimum vtriusque speciei fructum, cum fide sumentibus restituerit. Quamobrem etiam illa verba Christi: Bibite ex hoc omnes, aureis literis, in suis Biblijs exprimebant, libris omnibus, & cathechismis adiungebant, perpetuoque in omni congressu, templo, foro, choro, mensa, curia, detonabant, lepidis cantiunculas contra fures (vt aiebant) calicis, per omnes tabernas, perq; omnia compita, ad ipsum quoque fusum, & radium, cantillantes: domibus etiam, & foribus, crateris omnibus, & poculis imprimebant, & annos à restituto calice, in suis Annalibus inscribebant. Nouimus Cracouiæ, Posnaniæ, Varsauiæ, cùm illius loci Decanum ageremus, plerosq; viros nobiles, Christum Christiano ritu, Christianis in templis colẽtes, cum Paschæ tempus aduenisset, Catholica communione reprobata, ad Brogos, Volas, Nieuolas, Duoros, & Camenicas, aliasq; Sathanæ Synagogas, aut in domos Nobilium cucurrisse, & ex Ministrorum manibus, vtraq; cænæ Lutheranæ specie potitos esse. Cines certè Bransbergen. à Cardinale Hosio, cùm è Concilio Tridentino reuertisset, omni contentione vsum calicis efflagitarunt, iureiurando interposito, quòd in reliquis omnibus fidei Christianæ articulis, & traditionibus, sine vlla exceptione, acquiescere vellent, modò calice ad salutem necessario, potirentur in Cæna. Quid autem Hosius egerit, quam contentionẽ adhibuerit, vt homines ad mentem reuocaret meliorem, ex actis Bransburgen. quæ in lucem edidimus peti potest. Extant adhuc hodie, multi in Bohemia Calixtini, qui in reliquis omnibus ritibus, & cæremonijs, simias quasdam agunt Catholicorum, in vsu Calicis obstinate repugnant. Eorum authores, & antesignani olim fuerunt, Petrus Dresdensis, Iacobellus Misnensis, Husus. Sed nos ad nostra tempora reuertamur.

Cal

Caluinistæ.

CALVINISTAE, à Ioanne Caluino Gallo, Patria Nouiodunensi, sectæ Sacramentariæ instauratore, nomen acceperunt. Eius vitam perditam, nefarios conatus, & sanguinaria in Reges, & leges, suscepta consilia testantur, non tam scriptores innumeri, quàm hæc ipsa, quæ nostris oculis vsurpamus, Regnorum, & Rerumpub. ter miseranda excidia. Non Rex, non lex, non Deus, vim immanẽ, Tartareasq; hominis furias, euadere potuit, quò minus ima summis, in vtraque Repub. paria faceret. Oculis ipsi nostris vidimus, fana flamma conflagrata, templorum, & cœnobiorum parietinas, florentissimas olim prouincias, sanguinarijs Caluini cõsilijs, ad vastitatem redactas, cuius rei exempla non pauca, in Phalarismis Gallicis commemoramus. Quod ad doctrinam, & errores hominis attinet, eos istius sęculi scriptores omnes accuratissimè describserunt. Nos ex instituto nostro, pauca quædam perfidiæ capita attingemus.

Contra summi Pontificis authoritatẽ, Missæ dignitatem, arbitrij libertatẽ, Sanctorum inuocationem, Imaginum adorationem, omnia cum Luthero, & sentit, & loquitur: cæteris in rebus dissidet, Tria Sacramenta statuit, Baptismum, Cœnã, & Ordinationem: Deum facit peccati authorem, & effectorem: Athanasij Symbolo, se nec credere, nec discredere professus est, Deum, de Deo cõfiteri nunquàm voluit, Filium esse vult αὐθέτον id est, à seipso Deum. Lyndanus hoc etiam tribuit Caluinistis, quòd in quibusdã Galliæ locis, non canunt, neque cani patiuntur in suis Synagogis, illum ab omni Ecclesia receptum, à D. Damaso, Psalmodię Christianæ contrà Ariomanitarum blasphemias, adiunctum versiculum, Gloria Patri, & Filio &c. Præsentiam, & veritatem, Christi Corporis in Eucharistia, verbis quidẽ affirmat, sed re ipsa negat. Ait enim, sicut in Confessione Mansfeldensi legitur, quòd verum corpus, & verus sanguis Christi, in Cœna verè, & substantialiter adsit, sed tamen figuratè, & spiritualiter, & Sacramentaliter tantum manducetur: ita vt corpus Christi semper maneat in cælo, propterea quòd simul esse pluribus in locis non possit. Nomen Dei soli tantum Patri, per quandam excellentiam conuenire putauit, eumq; propriè, cæli terræq; creatorem vocari voluit, Filium improprie. Qua sua doctrina, sicut Lutheranis mortem, sic vitam attulit nouis Arrianis. Qui plura de Caluini moribus, doctrinæq; fæditate, volet cognoscere, legat Balduinum olim eius discipulum; Claudium Sanctes; Ioannem Veterem, pleraque etiam attingit Hosius, multa Lyndanus, & alij pij, & docti Scriptores, sed omnium copiosissimè dicta, & facta omnia, persecutus est Hieronymus Bolescus, pessimi olim Præceptoris, optimus discipulus: posteaquàm & à latere, & ab errore simul, heri sui discessit. Iordanus porrò Theologus doctissimus testatur, fuisse Caluinum paruæ lectionis, nullius antiquitatis, sui admiratorem, cæterorũ omnium contemptorem, prætereaq; rudem, & hebetem fuisse, in cunctis rebus solidis, in disciplinis inermem, & inexercitatum, in bonis Auctoribus peregrinũ, & hospitem, in commentarijs sterilem, & frigidum, in alijs suis scriptis inanem, & vanum: duntaxat, vt est in verbo veteri, fuisse linguam: cui illud Psalmographi congruerit: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est. Siquid habuit ingenij, si quid mentis, si quid doctrinæ, habuit ad effundendum, quicquid ori occurreret, nullo iudicio interposito ad miscenda, corrumpenda, deprauanda aliorũ dicta, ad detorquendas, peruertendas, despiciendas sententias communes. Quantum ad reliqua, despuendæ est memoriæ, apud cunctos, etiam Hæreticæ notæ mortales, vt Vestphalum, Hesusium, Moselum, Castellionem, Ioan. à Lasco, Stancarum, Cazanouium, Gregorium Paulũ, Flacium, Illyricum, Molineum, Brentiũ, Roslerum, infinitosq; alios, adde, & apud Deum. Nam scis tam horrendo Dei exẽplo transijsse ad Sathanã, & tot morbis, iudicium Dei æquissimum peruulgantibus extinctum, vt nisi id Beza oculatus Historicus, Latino, Gallicoq; scripto

pro-

prodidisset, neque ego, neque vlli alij auriti credidissemus. Nec vero mirum, si tam infæliciter perierit, nam peius vixerat. Hæc Iordanes. Plura de istius belluæ fæditate, in qua vitam egit, in Atheismis, de Sacramento Ordinis diximus, nisi quod Lindan⁹ in sua Christomachia, hæc præterea addit. Non desunt publicorum Caluini adulteriorum indicia plurima, cum illis suis perbellis discipulis, quæ solæ, puello bimulo, aut trimo comitante, illum accedebant, dubia Bybliorum ab illo dissoluenda, pectiuræ, Bybliorum codicem sub brachio gestantes, quas suis conclusis foribus, & feneſtris, solitus est diu solus cathechisare. Sic de illa N. quam toties extra Geneuam sub vesperũ visebat, absentæ marito, non dubia fuit fama, vt nihil hic dicam de illa nostra Falesia, quæ suo cum marito ad Bernensem agrum, hac potissimũ de causa commigrauit, cùm non eam semel sibi exoptaret vxorem, viuente marito languidulo, quòd ipsa suis amicis varijs persæpè fuit conquesta. Certè incæstuosum se inficiari non potest, qui annis quinq; Monialem quandam, ex Cœnobio Veilmur fugitiuam, duobus in menses singulos coronatis aureis, ex publico pauperum Geneuensium peculio aluit, lecti sui sternendi causa, eam tandem, vbi ex illo quatuor plus minus iam mensibus, vterum gestasset, Apostatæ Canonico cuidam, Losannæ degenti locauit in matrimonium (vt vos quidem dicitis) Hactenus Lyndanus.

Caluinomastigæ.

CALVINOMASTIGAE dicuntur, Caluinianæ Bezanæq; de Cœna Domini doctrinæ reformatores, & quasi quidam rediuiui Zuingliani. Narrat, vir doctissimus Sanctius, in examine Caluinianæ, & Bezanæ perfidiæ, quòd Italus quidã Ludouicus Alemani, Anno 1566. famam sibi maximam Lugduni comparauit, ex impugnatione Caluinianæ doctrinæ, & eiusdem præstigiarum detectione, quos ait, nescio quam veram Christi carnem somniare, per fidei imaginationem, quam tamen nõ propius re ipsa attingãt, quàm summi cæli verticem. Gloriatur etiam se magis ingenuè agere cum mundo, quem nolit verborum ambiguitatibus fallere. Docet itaque quòd in Sacramento cœnæ, nulla nobis ad edendum, aut bibendum, datur substantia corporis, & sanguinis Christi: neque etiam per fidem, sed incomprehensibili modo, vt vocant, quia hoc totũ imaginarium, & repugnat apertissimo verbo Dei. Manducationem itaque corporis, & sanguinis Christi, spiritualem tantum esse contendit: ad quam pij, veram fidem, ac pœnitentiam adferre debent, gratiarumq; actionem, beneficiorum à Deo, quæ accepimus per Christum, qui licèt à suis fidelibus non sit absens, tamen illius substantiale corpus, affirmamus nõ esse præsens in hac cœna. Hæc de Ludouici doctrina Sanctius, & citat Sanderus. Porrò Caluinistarũ Lugdunen. Synagoga, conata est omnibus modis hominem, à reuelandis suis mysterijs, & verborum effascinationibus, aut reuocare, aut certè vi opprimere. Quamobrẽ breuem conscripserunt, & sparserunt admonitionem, qua conati sunt demonstrare, & refellere Ludouici errorem, vbi mirẽ amplificant, substantiæ carnis Christi in sua illa cœna participationem. Plura in hoc genere, ibidem & citat, & refutat Sanctius.

Caluinistæ Pacifici.

CALVINISTAS Pacificos, vocat Petrus Carpentarius, ipse Caluinista, homines in Caluini quidem, de religione doctrina, acquiescentes, sed in communi vitæ cõsuetudine, pacifica, & quietiora sequentes consilia, omniaq; detestantes, quibus perturbari publica possit tranquillitas, aut tumultus inter ciues, seditionesque excitari. Alio nomine vocantur Caluinistæ politici Lugduni, Iacobini, à Pastore D. Iacobi, Carpentarius, in litteris, ad Franc. Portum, de cæde Parisina.

Caluinistæ caussarij.

CALVINISTAS caussarios, si

ue

ue consistoriales vocat Carpentarius, in Caluini placitis acquiescentes, sed infestis in omnes Orthodoxos animis, ima summis paria facere toto orbe Christiano molientes, Regum & legum perduelles, & publicæ pacis hostes infestissimi. Vbi rerum potiuntur, nisi sui simile, ferre possunt neminem: nec omnino quiescunt, ait Carpentarius, quàm eos, qui dissentiunt, omnes in vniuersum remouerint. Modò vincant, dolo, an virtute vincant, non curant, dominari, rerumq; potiri, siue iure, siue iniuria, Reformatæ Ecclesiæ officium statuunt. Horum nos olim Symbola, & picta, & recitata audiuimus. Vidimus in Gallijs, Carol. 9. regnante, cum Arx. S. Sera Lygeri immanens à Catholicis obsideretur. Frõte plerumq; sunt contracta, trucibus oculis, fluentibus buccis, vultu irato, villis ad tres, vel quatuor pilos detonsis, Deos hominesq; despiciunt, & Orthodoxorum sanguine saginantur, necem sacerdotis sacrificium putant, rectè, vt quidam dixerit: qui Caussarios nouit, Furias infernales nouit. Ijsdẽ tribuit Carpentarius, cædem illam, Caluinolatrarum quæ anno 1572. In Gallijs contigit. Pugna quoque illa quæ Lugduni Batauorum 1579. exarsit, ijsdem Cõsistorialibus tribuitur.

Caluinistæ Liberi.

CALVINISTAE Liberi vocantur, qui Consistorijs, eorumq; decretis, & placitis obtemperare detrectant, nec cum eorũ Tyrannide quidquã volunt habere commune. Fere sunt ijdem cũ Pacificis, nisi quod isti clades, & cædes auersantur, Liberi vero si ipsi faciant, rectũ putant, si Consistorij decreto, flagitium libero homine indignum.

Caluinopapistæ.

CALVINO PAPISTAS, vocant Puritani Anglici, Zuinglianos, seu Sacramentarios, qui cæteris quidẽ in rebus Lutheri, de cæna vero Domini Zuinglij, & Caluini sententiam, & opinionẽ amplectuntur: aliquid tamen adhuc Papisticũ in gubernatione Ecclesiæ suæ, tũ in cæremonijs, tũ in habitu, cultuq; corporis retinent. Quos reliqui Euangelici vocant Superintendẽtes, Ministros, Seniores, Pastores. Hos Elisabetha Anglicæ Ecclesiæ (si Dijs placet) Papissa, ad veteris Ecclesiæ formam, antiquos in Regno dignitatis, & honorũ gradus, & titulos retinere, vocariq; voluit, Archiepiscopos, Episcopos, Præsbyteros, Diaconos, Decanos, Archidiaconos, Cãcellarios, Canonicos. Priuilegijs etiam penè omnibus, & antiquis possessionibus, & redditibus vti permisit, atq; ad Regni Senatũ, Republicæq; curã reuocauit. Causas Matrimoniales eorum iudicio, & cognitioni reliquit. Priuilegia antiqua clericorum, & immunitates cõseruauit. Habitu quoq; Papistico eos vti voluit, veste togata, biretto quadrato, In administratione cænæ, cappa siue pluuiali, in reliquis precibus superpelliceo, Episcopos verò etiam Rochetto. Quamuis autẽ istiusmodi decretis, & Sanctionibus, reformatus ille (si dijs placet) Clerus vehementissimè reluctaretur initio, & nũtios præterea miserit, literasq; dederit, ad cõfratres in Gallia, Germania, Heluetia, Sabaudia, maximè verò ad Bezã, & Martyrem, consilium requirentes, an hominibus Euangelicis, Christi iampridem factis libertis, nouũ hoc seruitutis iugũ subire liceret. Regina tamen quicquid tandẽ boni fratres consulerent, latas à se leges stare, seruariq; voluit, & multos qui recusarunt, & Ordine, & beneficijs spoliauit. Quos autẽ deinceps Archiepiscopos, vel Episcopos ipsa decernebat, eos ordinari voluit, per manus impositionẽ, à duobus, vel tribus Episcopis, cõsentiente Metropolitano. Vnctio quoq; Henrici tẽporibus adhibebatur, sed eã Edoardus 6. sustulit, & orationes quasdã Caluinisticas substituit: Qui duos, vel tres Episcopos habere in sua ordinatione nõ possunt, Laici Magistratus confirmationẽ, & testimoniũ obtineant necesse est, & isti vocantur Parlamentarij Episcopi, reliqui dicũtur Reginales. Visitationes quoq; more maiorũ instituũt, Synodos celebrãt, & reformationes noua ratione faciunt, Hæc oĩa narrat vir doctiss. Sãderus. Has itaq; Papistarũ Simias, vocãt Puritani, Caluinopapistas, caneq; peius, & angue odiũt, ℘ suo loco dicetur.

Col-

Colloquistæ.

COLLOQVISTAS, seu colloquiorum studiosos vocat Ederus, qui in solis Colloquijs, & Collationibus, stabiliendæ concordiæ rationem sitã putant, ita vt si post Colloquium contingat aliquandò dubium remanere, iterum colloquium, & si etiam post hoc dubitari aliquid contingat, aliud iterũ, & aliud Colloquium instituendum arbitrantur: tam diu, dum concordia stabiliatur, cum tamen illi ipsi Colloquentes primi esse soleant, qui à suis decretis, & sanctionibus recedunt.

Campanistæ.

CAMPANISTAE à Ioanne Cãpano vocãtur, secta Antiluterano, de quo narrat Cõfessio Mansfeldeñ. quòd aliam adfert verborũ Cænæ Domini interpræ tationem, quàm reliqui Hæretici, Carolstadius, Zuinglius, Oecolãpadius, Suencfeldius, & Caluinus: eam tamen non exprimit, ob intolerabilem fortasse, vt Lyndanus existimat, & immanem blasphemiam. Inter alias, ait abominationes, & riduculos Enthusiasmos, quibus vocationem suam, ad Propheticum officium stabilire conabatur, peruersissimam de Filio Dei, deq; Spiritu S. sententiam amplexus est, quasi non essent personæ à Patre distinctæ: quamobrem etiam in Cliuia, per annos plurimos captiuus tenebatur, resipiscentiæ spe, vbi suis delirijs, & reuelationibus sæpe delusus, post paucos dies se carcere liberatũ iri prophetabat; idq; nisi fieret, sanctè pollicebatur, suarum opinionum detestationẽ. Hosius illi tribuit, quòd veteres Arrij, & Macedonij, errores renouauit, solum Deum Patrem, & neminem alium adorandum esse docuit, quòd ille solus videt corda nostra quod nulla creatura facere potest, & est præceptũ inquit veteris legis, vt qui quenquam alium adorauerit, præter Deum solùm, occidatur.

Carolstadiani.

CAROLSTADIANI ab Andrea Carolstadio Archidiacono Vvittembergeñ. dicuntur, quasi quodam Lutheri fratre iurato, cuius initio dogmata cupidissimè sequebatur, sed non totos duos annos, ait Hosius, in eadem cum eo sententia permansit. Nam dum absens Vvittemberga fuisset Lutherus, præter voluntatem illius Missam abrogauit, habitum religiosum abiecit, Eucharistiam profanis manibus attrectari fecit, concitatæq; plebi fuit author; vt quasi portis effusæ patentibus, infesta signa templis, & aris inferrent, & ex illis Christi, & Sanctorũ imagines ejicerent. Factum hoc illius, & si Luthero non displiceret, quoniam tamen alio, quàm seipso authore factum esset, gratissimè illud, quasi minus rectè, neque ordine factum reprehendit: & sic alter in alterum aliquandiu debachatus, alter alteri paulò post factus est plus quã Hæreticus. Primus etiam omnium, è sacro Sacerdotum ordine mulierem sibi copulare in facie Ecclesiæ ausus est, quam vxorem vocabat, vt ad manũ semper haberet vas commoditatis. (sic enim suas lupas vocant Ministri Anglici) Porrò Lutheri impotentiam non ferens, Orlemundum successit, Lutherum publicè reprehendit, & à Luthero vicissim non solùm Orlemundo, sed ex omni Saxoniæ Principũ ditione profligatus est, Basileamq; se recepit, vbi primus omnium, prorsus damnatum olim Berengarij de cæna Domini errorem, renouauit asserens, in participatione cænæ Dominicæ, non distribui verum corpus, & sanguinem Christi; idque illi Melanchton elogium tribuit, cum ait. Carolstadius excitauit primùm hunc tumultum, homo ferus sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, &c. Plura vide apud Hosium, Surium, & Lyndanum. Non videtur reliquisse sui cognominis sectatores. Zuinglius enim, & Caluinus longiùs quàm ille progressi, doctrinam eius perpoliuerunt, & filios, & filias genuerunt, quibus, & doctrinam, & appellationem reliquerunt:

Cæle-

Cælestes Prophetæ.

CAELESTES Prophetas vocat Lutherus, qui somnijs, visionibus, reuelationibus, & inspirationibus fidē adiungebant, idq; verum esse verbum Dei putabant, non quòd expressa aliqua scriptura loqueretur, sed quòd spiritus internus in hominis corde testaretur. Huius erroris primum authorem fuisse Munzerū, testatur Cardinalis Hosius. Is enim sese cum suo seditiosissimo sodalitio, cęlestem Propheram appellabat, quem tamen ait, non tam aperte, à publico verbi ministerio, & à lectione scripturarum homines deterrere, atque facit Suencfeldius. De vtroq; suo loco, & ordine dicetur. Lutherus certè iusta duo volumina, contra cælestes istos Prophetas conscripsit. Ad Antilutheranorum sectam pertinent.

Cathari.

CATHAROS siue Sanctulos, & puros, ad Anabaptistarum gregem pertinere vult Lyndanus, quia sese iactabant, sine peccato esse, ideoq; Bullingero teste, omittebant illud in Oratione dominica. Dimitte nobis debita nostra, quia nulla peccatorum venia opus habere se putabant. Sed neq; aliorum orationibus quicquam tribuunt. Infantes quoq; absque omni peccato nasci aiunt, ideoq; non egere baptismo. In doctrina de cæna stant à partibus Caluini.

Censores.

CENSORES vocat Ederus, in secunda parte Euangelicæ suæ Inquisitionis, Tractatu quarto, qui nō satis habent reformationem reformatæ religionis admisisse, & recepisse, sed etiam ad singulos reformationis articulos, censuras suas affigunt, quid de quoque verbo, aut de quaque periodo sentiendum, admittendum, aut reijciendum sit, interim tamen sicut sibi, ita lectori quoq; liberum esse volunt, ex omnibus censuris, quod libuerit recipere, quod non libuerit reijcere. Huius generis censuræ, tam priuatim, quàm publicè infinitæ prodierunt, cum plausibilibus titulis, & inscriptionibus oblatæ. Cōditiones pacis, Methodus concordiæ, Amabilis Ecclesiæ refarciendæ ratio, & id genus: ita vt iam homines faciant, cum ratione insanire, vel potius, sine sensu doloris perire.

Centuriatores.

CENTVRIATORES in Germania vocantur authores, & fabricatores, vndecim Centuriarum, (nos enim plures non vidimus) in quas omnem doctrinam, & res in Ecclesia Dei, à Christo nato, per singula sæcula gestas, ex omni Scriptorum, & Historicorū genere, summatim, & cōpendiosè congesserunt Euangelici Ministri: atque eo fine ediderunt, vt incauto lectori obreperent, Lutheriq; sui, & Augustinæ Confessionis doctrinā, cum ea doctrina consentientem ostenderent, quam ab initio nascentis Ecclesiæ, per 11. sæcula, orbis vniuersus obseruauit. Scriptores earum præcipui extiterūt, Matthæus Flaccus, Illyricus, Ioānes Vigandus, Matthæus Iudex, Basilius Faber, Sceleſtinus Huttenus. Ij discipulos etiam, & sectatores tam obstinatos nacti sunt, vt quicquid tandem in Cēturijs legerent, pro puro, puto. Dei verbo, tanquā ipsa veritas loqueretur, recipiendum putarēt, vel sicut Copus loquitur, solos Magdeburgēs. quasi Nabuchodonosoris statuam, aut sacratissimæ Veneris Idolum adorarent. Quod ad fidē attinet, à Lutheri, & Augustanæ Confessionis doctrina, dissentire non videntur, in eo tamen non acquiescunt, quòd Lutherus, ad tractandas res Ecclesiasticas, & Principes sæculares, & omnem populi fecem admisit, quod & Brentius editis libris comprobauit, Hosius verò refutauit. Isti verò, Principes in vniuersum omnes, cæterosq; Politicos Magistratus, ab omni rerum Ecclesiasticarum tractatione remouent: distincta, aiunt, esse debere, officia potestatis Polyticæ, & Ecclesiasticæ, aliudque esse sceptrum, & aliud plectrum. Reuelato autem

autem Euangelio, Filij, inquiunt, huius ſęculi audaciſſimè formas religionum ex ſuo cerebro fundunt, & formulas præſcribunt, quas Miniſtris verbi Dei imperioſe obtrudunt, dormitantibus Paſtoribus, & miniſterium ſuum Polyticis viris prodentibus: ita vt non raro tumidi Rabulæ quidam forenſes, ſeſe non intra ſepta ſua rerum mundanarum continentes, nefarię, & impiè Paſtorum officia ad ſe rapiant. Et in alia Præfatione, nequaquam eſſe licitum docent, Aulas cum ſuis gnatonibus, & ventriſeruis, formas religionum conflare, easq; Eccleſiæ citra omnem obluctationem obtrudere. Planè miſeras vbiq;, & Tragicas querimonias, contra Polyticos Magiſtratus (Pontifices, & Papas Euangelicos appellant) excitare nō deſinunt. Ij enim à Luthero docti, iudicium religionis ad ſe pertinere, ſummam ſibi poteſtatem in iſtius verbi Miniſtros vſurpabant, nouas religionum formulas, cæremoniarum ritus, ſæpè etiam, & habendarum concionum rationes, & methodos, cum Sceptro, vt aiunt, gladio, & fulmine Iouis, magno ſupercilio obtrudebant, tali cum imperio, ni applaudant ſine contradictione, ſe ſuo Sceptro illos expulſuros, aut punituros: ſicut etiā expulerunt Roſtochio, Magdeburgo, Iena, Heildeberga, alios quidem Carbonario curru: Superintendentes autem honoris gratia tecto tamen carpento noctu deportantes, multis armatis circūſeptos. Sed iuſta ſunt vbiq; iudicia Dei, In eam quam fecerant foueam inciderunt

Qđ ad Hiſtoriā attinet. In ea noui iſti Cēturiatores, aut veritatē inſidioſè inuoluunt, aut apertè reijciunt, aut Scriptorum, & Authorum verba corrumpunt, aut tempora cōfundunt, Orthodoxis Patribus, & Doctoribus, fidem omnem, & authoritatem adimunt, qui ab anno Domini 500. ad hæc vſque tempora vixerunt: qui verò intra 500. illos annos à Chriſto nato ſcripſerunt, ſi quæ ſunt in eis fidei, doctrinæq; capita, quæ Luthero, & Anguſtanæ Confeſſioni (ſunt autem infinita) repugnent, ea audaciſſimi homines auctoritate propria, quaſi quadam Centumuirali haſta exautorant: & vel lapſos Patres, vel humanum aliquid paſſos, vel libros corruptos, vel nævos deniq;, aut voces inconſideratè elapſas vociferātur. Quicquid verò per totos mille ſequentes annos ſcriptum, traditum, aut declaratum eſt in Eccleſia Dei, à Pōtificibus, Doctoribus, & Concilijs, nullo prorſus loco habent. Fatentur autē ipſi, opus hoc Hiſtoricum à ſuis Euangelicis, per contemptum vocari aureum: propterea quod multo Principum Germaniæ, & Ciuitatum auro, ſit conflatum, pro editione libri oſtiatim emendicato. Porrò inſigniora iſtorum mendacia, apertasq; impoſturas detexit, & ſolidiſſimè refutauit in ſuis Dialogis Alanus Copus, Hoſij Cardinalis in vrbe Theologus. Ipſe verò Hoſius author fuit Pio V. Pontifici, vt has ipſas Centurias repurgandas, atque ad Hiſtoriarum veritatem aptandas, Catholicisq; notis, & obſeruationibus illuſtrandas, & hoc ipſo, quem iſti inſtituerunt ordine, & methodo, ad communem Eccleſiæ Dei vtilitatem, & iſtorum ſempiternam cōfuſionem, qui ſe cum primorum ſeculorum Patribus conſentire gloriantur, edendas curaret; datumq; iam erat reuidendi, perpurgandiq; negotiū, uiris commemorabili doctrina, & eruditione præditis, Sandero, Alano, Medinæ, Torēſia, Latinio, Vrſino. Sigonius quoq; Bonon. Sanctius, & Genebrardus è Gallia, Lyndanus, & aliquot alij, euocari ex Germania debebant, vt mutuas operas, excitando, tam neceſſario operi, conferrent. His omnibus præeſſe debebant, Hoſius, Scirletus, & zelantiſſimus Otto Auguſtanus, S.R.E. Cardinales. Addam, & hoc, vt inſipiens, Primæ Centuriæ reuidendæ, curam, conferendorumq; locorū, cum veris, & probatis authorum exemplaribus, mihi ipſi Hoſius demandauerat: Sanderus, Alanus, & Medina, nonnulla iam in hoc genere ſcripſerant, quæ vidimus, & legimus, ſed optima Conſilia, operisq; progreſſionem mors Pij V. diſſipauit.

Chriſtodini.

CHRISTODINOS in Gallia vocatos, teſtatur Martinus Marloratus, in

in suo libello, de Orthodoxo, & Neoterico baptismo, genus quoddam hæreticorũ, qui de Iesu Christo Saluatore nostro loquentes, vt sese à Papatu recessisse testarentur, repudiato cõemptoq; dulcissimo Iesu nomine, Christũ solùm in omnibus sermonibus, & concionibus appellabant. Huic vocabulo Hugonistarũ appellationem successisse, ait. Contrarium sensisse, & docuisse in Anglia, Guilelmum Coubrigium, Copus in suis Dialogis testatur. Is enim Christi nomen detestabatur. Asseruit enim in septimo articulo, Christũ non esse mundi redemptorem, sed futurũ mundi deceptorem. Art. 8. ait, Christi nomen esse fœdum nomen, idq; in libris suis vbicumq; occurrebat, dispunxit. 9. Christi nomen in Symbolo in Iesu commutauit dicens: Et in Iesum Iesum filiũ eius vnigenitũ. 10. Asserit omnes damnatos, qui in Christum crediderunt. 11. Negauit se vnquàm hoc nomen, vel vsurpaturum, vel confessurum.

Christi familia in domo Charitatis.

CHRISTI familia in domo Charitatis, è sordibus Anabaptistarum, ait doctissimus Vllembergius, cuius liber his diebus, in manus nostras incidit, emersit, authore quodã Hermano Nicolao, Hæc cæremonias externas, Ecclesiæ Catholicæ vtiles, & necessarias esse censet: Credunt septem esse Sacramẽta, cæremonias etiam, quibus in Sacramentorum administratione, Catholico ritu vtimur, nequaquam reijciunt: visibile Sacerdotiũ nouæ legis, & diuinum illud Sacrificiũ Missæ, non ipsi modò in honore habent, sed nec ab alijs contemni patiuntur: non ferunt eos, qui omnes Ecclesiæ cõstitutiones euertunt, frequentant Catholicorũ Ecclesias: audiunt Sacrum, communicant ritu Catholico, demũ quòd ad exteriora attinet, omnia faciunt, quæ ab homine Catholico requiruntur.

Quis igitur mali aliquid ab istis hominibus expectaret? Verùm, si quis eorum dogmata profundius scrutetur, monstrosis eos quibusdam opinionibus fascinatos inueniet, quibus externas Ecclesiæ cæremonias magno studio applicare conãtur, sub hac externa pietatis specie, crassos quosdã, & abominandos errores, de summis fidei articulis fouent, inter quos & hi quoq; sunt, quod non modo Pelaniagismum tueri, sed veram etiã Christi humanitatem negare videntur, quemadmodũ libri H.N. (Hermani Nicolai) qui primis istorum Patriarcha fuit, testificantur.

Christini.

DVM in his nostris lucubrationibus relegendis, & emendandis occupamur, prodijt in lucẽ responsio Andreæ Philopatri Presbyteri, ac Theologi Romani, ad edictũ Elisabethæ Angliæ Reginæ, promulgatũ Londini Ann. 1591. 29. Nouẽb. cõtra Catholicos. Narratis, hoc ipso anno 93. emersisse quendam Londini, qui se Christũ palam esse profitetur. Verba Authoris sic habẽt. Repertus est nuper (his inquàm mẽsibus proximis) homo phanaticus, qui Londini, hoc est, in ipsa imperij tui arce, Christũ palam se esse profiteretur, & Prophetas suos (homines certè secundũ seculum non infimæ sortis) in ipso foro ad cõcionandũ emitteret: qui cũ insanis vocibus à Deo se missos omnes dicerent, & oẽm fere gubernationem tuã, totumq; religionis tuæ cultũ vehementissime conuellerent, & in nonnullos etiam Consiliarios nominatim inueherẽtur; auditi tamen à populo fuerunt, magna sane patientia, & silentio, eo quod noua adferre viderentur, quorũ iam cupidas, & prurientes aures, ex licentia hæretica, vnusquisq; habet. Et cũ tandem Hattoni Cancellarij maxime opera (quod ei iniquiores essent) cõprehenderentur, & ad extrema etiã supplicia postea ducerentur, tantũ abfuit, vt reuocarent, quod affirmauerant, vt pro more etiã hæreticorum omnium, Euangeliũ esse assererẽt, quicquid eorũ furor, & insania docuerat: imò, & cẽtena nescio quot sectatorũ millia, intra Insulã se habere iactitabant: quod ego ad ostẽtationem quidẽ ab istis dictũ accipio, est tamen plane iudiciũ multorum, non deesse fautores plurimos stultissimo etiã huic hæreticorum generi: siue illi ex Pu-

ritanis, seu ex familia amoris, seu ex Anabaptistis, seu Iudæis, seu ab alia quacunq; fece sint (nunquã enim inquit D. Epiphanius tã absurda hæresis nata est, quæ suos nõ habeat sequaces) nec absuisse putatur maximorum quoq; motuũ periculum, ab ista noua noui Christi molitione, si vel alieno tempore, nõ fuisset per ipsum cepta, vel opportuno, per magistratum, non fuisset intercepta. Isti fanatici vocati sunt à quibusdam Christini.

Circumcisi.

CIRCVMCISORVM facit mentionem Hosius, & Lyndanus, qui factionem hanc per Saxoniam inferiorem reperiri dicit, asserentium, saluum esse posse neminem, nisi Iudæorum more circumcidatur, contra Apostolicũ illud Hieros ol. Concilium in Actis à Luca descriptum, Eosdem in Lithuania, & Russia, nõ ita pridem extitisse, immò, & Heroem quendam Lithuanicũ circumcisum fuisse, post tentata, & degustata omnia Euangelicarum fidicularum genera, Hosio referente audiuimus. Hoc etiam tempore, Matthias Glirius, ab illis ipsis Euangelicis Ministris in Lithuania, Semiiudæus, & alius quidã Minister Bilnisky, à nouis Lithuanicis Samosatenibus, (Zidotroiczak), hoc est Iudęotrinitarius appellatur: propterea quòd existiment, homini baptizato, vel rebaptizato, circumcisionem necessariam ad salutem. Quamobrem etiam in quodam suæ partis, & factionis conuenticulo, Nobili cuidam Dambrovvski, Prouinciam hanc iniunxerunt Anabaptistæ, vt in Turciam proficiscens, cæremonias omnes circumcidendi perdisceret: & in Poloniam inferret, quod iam alio loco recensuimus.

Colludentes.

COLLVDENTES, vocat Ederus, homines Semilutheranos, & Semiadiaphoristas, qui dicunt, nimis magnã ab Euangelio discessionem futuram, si articulorum pro articulis fieret commutatio, & supra quàm par est, aut quam liceat concedi, si quidpiam in grauioribus articulis concederetur: satis esse volunt, si cũ Catholici, vtramq; speciem, & vxores Sacerdotibus permitterent, Euangelici pro hoc beneficio, in suis templis vsum superpellicei tolerarent, si campanas, si candelabra, si Sacerdotalia indumenta retinerent, aut aliquãdo Latinum aliquem Psalmum, declamare, in suo cœtu paterentur.

Communia habentes.

COMMVNIA habentes Anabaptistæ sunt, qui vxores, ac liberos, ait Staphilus, cęteraq; in Repub. omnia cõmunia esse debere arbitrantur. Sicut Plato olim in sua Repub. instituit: & nuper Monasterieñ. Euangelici re, & veritate comprobarunt. Cõcupiscit spiritus meus meus (inquiunt) carnem tuam, veni itaque, & faciamus mirabilia. Testis est Sleidanus, de bello Monasterien.

Commutatores.

COMMVTATORES, seu cõmutabiles, vocat Ederus, genus quoddam Euangelicorum, qui netas non putant, articulos fidei, vt iumenta inuicẽ commutare. Ait, oblatum fuisse libellum Maximiliano secundo Cæsari, in Comitiis Augustanis, à quodam genere Confessioniſtarum, quos Adiaphoristas vocant: in quo congesta videbantur multa consilia, quemadmodum religionis controuersiæ, componi in Germania sopiriq; possent. In eo suadebatur, vt talis fieret inter Catholicos, & Euangelicos permutatio, vt scilicet Catholici aliquid lenius, & Augustanæ Confessioni blandius, de iustificationis articulo doceant. vt vsum vtriusque speciei tollerent, vtq; coniugia Sacerdotibus permittant: id verò si facerẽt Catholici, gratos se vicissim præstarẽt Euãgelici, & Rom. Pont. Primatũ agnoscerent: pro Oecumenico Episcopo reciperẽt, cæremonias, fundationes, dotationes, possessiones, & reliqua bona Ecclesia-

cietnasticis attributa permitterẽt. In reliquis fidei Chriane articulis partim Luthe romanitis, partim Caluinistis ancillãtur.

Clancularij.

CLANCVLARII, ad Castra Anabaptistarum pertinẽt, à latendi studio nomen acceperunt. De his, ait Staphilus, quod licere sibi putent, si rogentur, An sint Anabaptistæ, se esse negare: fatisq; esse, si ipsimet clam sciant, quid credãt, confiteri porrò nequaquã necessarium ad salutem existimant. Nulla unquam tẽpla pietatis studio ingrediuntur, nisi forte in comitatu Domini, vel alicuius Principis: domi se suosq; docent, vel in hortis conueniunt. Habent etiam in vsu, vt ipse Pater familias dominicis præsertim diebus, capitulum aliquod veteris Testamenti præsenti familiæ vernacula lingua prælegat, Materfamilias alterum ex nouo, & quem cuiq; visum est, sensum eliciunt, & sequuntur: nullius sectæ placitis in omnibus adhærentes. Hos Monasterijs visos Lindanus: & in magnis vrbibus frequentes esse Staphilus testatur. Nos in aulis Regum, & Principum plerosq; nouimus, qui nec Luthero assentiuntur, & Caluinum improbant, & Arianos detestantur, & cum vrgentur, vt se aperiant, aut se vocant Euangelicos, aut Magistrum suũ vnũ & solum esse Christianum gloriantur, & scripturam: quasi uero Orthodoxorũ Magister sit Aesopus, vel eius fabulę: O Euãgelicos Caupones. Eosdem alio nomine vocat idem Staphilus Hortenses, quod in hortis agant conuẽticula, cẽnas, & matrimonia peragant.

Condormientes.

CONDORMIENTES, vocat Staphilus, genus quoddam Anabaptistarum plane Cynicum. Docent illi viros, & fœminas, iuuenes, ac virgines vno in loco & conclaui viuere, & in eodem cubiculo dormire debere: idque etiam, & olim in Bohemia, & non ita pridem in Brabantia, executi sunt, vbi extinctis luminaribus, dicebant ad omnes promiscue. Crescite & multiplicamini. Idem Posnaniæ initio nascentis huius Cacangelij factum audiuimus, in domo cuiusdam Nobilis prope templum S. Adalberti, quam etiam isto facinore nobilitatam videre pueri voluimus. Sed iam illi, Nobiles in cœnis suis Euangelicis, integra patrimonia decoxerant, & cœtus simul, cænosasq; cœnas intermiserant.

Confœderati.

CONFOEDERATI, vocantur in Polonia, authores, & fautores licentiæ & impunitatis, qua vtuntur hæretici; qui & si legittimæ atque à Deo constitutæ potestati gladium adhuc non eripiunt, uti tamen gladio contra fontes non permittunt. Quo minus ferat gladium causam non dicunt, sed ut frustra ferat, nec in Christi hostes stringat contendunt; & illud quidem Pauli præceptum admittunt, quod qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, cæterũ quod sequitur, reijciũt. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationẽ acquirunt. Immo fuit tempus in Polonia quod iam abijsse gaudemus, cũ pro damnatione, honores, rem, fortunas, tanto facilius acquirebant hæretici, quanto acerbius Catholicos oppugnabant. Sic enim Principibus suis persuaserãt Politici Cõsiliarij expedire, (Zatkacz gembæ Strostiuem) os claudere Capitaneatu: ut tanquam offa obiecta loqui deinceps contra Deum, & Ecclesiam desinerent. Hoc etiã tẽpore nolunt, ut in ius vocentur hæretici; nolunt ut ab vlla potestate in eos animaduertatur, Patiuntur quidẽ adhuc, vt Principes sint, sed interim id agunt, ne sint timori operis mali. Si modo Polyticis legibus obtemperent, liberos viuere, & se curos permittunt, nec vlas in eorum furta & homicidia pœnas decernunt, Fures enim & homicidæ vocantur, in scripturis hęretici. Quid furati sunt? Gloriã Deo? quẽ occiderũt, aĩam suã: Talis est illa. Cõfœderatio ab Hæreticis scita, à paucis Catholicis admissa: qua Regi suo sublimioriq; potestati cui oĩs aĩa subiecta esse debet, manus quodãmodo ligãt, ne Christi perduelles diuini honoris fures, & sui ipsi⁹ homicidæ debitas pœnas reportẽt. Verba porro Cõfœderationis, quã isti Canonicã facere volũt, sic habent. Quoniam in Re-

pub. noſtra eſt diſſidiũ, nõ paruũ, in cauſa religionis Chriſtianæ, prouidendo ei rei, ne ex hac cauſa inter homines ſeditio aliqua nociua exoriretur, quã in alijs Regnis manifeſtè videmus, Promittimus nobis inuicẽ, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, in ꝑpetuũ, ſub uinculo Iuramẽti, fide, honore, & conſciẽtijs noſtris, qđ qui ſumus diſſidentes de religione, pacem inter nos conſeruabimus: neq; propter diuerſitatem fidei, aut mutationem in templis, ſanguinem effundemus, aut pœnis afficiemus ſiue cõfiſcatione bonorum, ademptione honoris, carceribus & exilio; nec ſuperioritati vlli, aut Magiſtratui ad talem progreſſum vlla ratione adiumento erimus, Quin potius, ſi quis ſanguinem effundere vellet, ex iſta cauſa opponere ſe debebimus omnes, etiam ſi quis hoc ipſum, prætextu decreti, aut aliquo Iudiciali proceſſu, attentare velit: Per hanc tamẽ confœderationem noſtram, ſuperioritati dominorum in ſubditos, tam ſpiritualium, quàm ſecularium, nihil derogamus, & obedientiã ſubditorum erga dominos ipſorũ, nõ tollimus, Immo ſi eiuſmodi licẽtia, ſub prętextu religionis alicubi exoriretur, tũc tanquã ſibi nõ obedientẽ ſubditum (pro ut ſemper eſt obſeruatũ) liberũ erit vnicuiq; Domino, ſecũdũ qđ illi videbitur punire, tã in ſpiritualibus, quam in ſecularibus.

Hanc confederationem, Hoſius fœdus eum morte vocabat, omniq; ſuo conatu vt induceretur laborabat, Idem eſſe dicebat in Repub. fœdus eiuſmodi tolerare, quod oppreſſo febribus, frigidã præbere; aut ignem in ſinu fouere, aut ſerpentem ad latus alere: Reges quoq; ſuos, Regniq́ue Principes diligentiſſime hortabatur, vt in eo ſeruando Dauidem potius imitarentur, qui iurauerat ſe mingentem ad parietem occiſurum, nec tamen occidit: quã Herodẽ, qui ob iuſiurandum Herodiadi ſaltatrici datũ, caput Ioan. Baptiſtæ præcidit: & extãt illius binæ Excuſſiones eius de qua agim⁹ Cõfœderationis, vbi incõditã quandã verborũ ſartaginẽ exagerat, in eo qđ dicitur, Pacẽ inter diſſidẽtes conſeruare, quaſi veroſimul ſtare, pax vlla cũ diſſidio poſſit; niſi qđ Euãgelicorũ ,ppriũ é, & in Eccl. & in Repub. & in oi ſermone oĩa cõfundere: & hic ẽẽ fere ſolus articulus exiſtimatur, in quo inuicẽ apud nos conueniunt Hęretici, Cęteris. n. in reb⁹ acerbiſſime diſſidẽt, qđ iſto loco oſtendimus.

Sed & Volanus Zuingliani Cacangelij in Lithuania choragus, Regẽ Stephanum adhortatur, vt iſtiuſmodi liberratẽ in Regno ſuo ne permittat, quã quiſq; velit religionẽ ſequẽdi: futurũ enim ẽẽ auguror, ait, vt nouis ſubinde doctrinis & erroribus pullulantibus, tot ſint in Regnis hiſce futuræ ſectæ, totq; religiones, quot numerãtur vrbes, Diabolicã aũt libertate vir quidã magni nominis verè prędicat, in qua licet perire cuiq; ſi vult. Hũc errorẽ oẽs hæretici, nõ pauci quoq; ſequũtur Catholici.

QVOS vt ad meliorem ſententiam Rege regnãte Stefano reuocare mus, hæc, quæ ſequũtur capita, ſeu notas, ad Laconicã breuitatẽ reſtrictas, conſiderãdas, & perpendẽdas obtulimus.

Pax ſeruet inter diſſidẽtes de Religione.

At aliter ſcriptura. Omnis, quinon fecerit legem Dei, & legem Regis diligenter, iudiciumerit de eo, ſiue in mortem, ſiue in exilium, ſiue in condemnationẽ ſubſtantiæ eius, vel certe in carcerem.

Pax ſeruetur.

Propter hoc, Audite verbum Domini, viri illuſores. Quia dixiſtis. Percuſſimus fędus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Idcirco hæc dicit Dominus. Delebitur fœdus veſtrum cũ morte, & pactum veſtrum cùm inferno non ſtabit. Flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in conculcationem.

Pax ſeruetur.

Quare id? Quia nondũ tempus venit domus Domini ædificandæ. Sed nunquid, ait Dñs tẽpus vobis eſt, vt habitetis in domib⁹ laqueatis; & dom⁹ Dei deſerta?

Pax ſeruetur.

Talis pax talem ſecuritatem pariet, qualem deſcribit Amos. Fugiet vir à facie Leonis; & occurret ei vrſus: ingredietur domum, & mordebit eum coluber.

Pax ſeruetur.

Talis erit iſta confederatio, qualis illa in Exodo tentatio, cum Iudei dicerent. Eſt ne Dominus in nobis, an non?

Pax ſeruetur.

Similes erit ſepulchro dealbato, pleno cadaueribus mortuorum.

Pax

Pax ſeruetur.

O crudelem pacem. Errauerunt, ait Dominus, greges mei in montibus, & in vniuerſo colle excelſo, & non erat qui requireret.

Pax ſeruetur.

Non eſt pax impijs, ait Propheta.

Pax ſeruetur.

Quid ſimulas? dic aperte. Quod perierat non requiram, quod abiectum erat non reducam; quod confractum erat non alligabo, quod pingue, & forte, non cuſtodiam.

Pax ſeruetur.

Quæ pax, ait Iehu. Adhuc fornicationes Ieſabel matris tuæ, & veneficia eius multa vigent?

Pax ſeruetur.

Bonus ſermo Domini, ait Ezechias. Sit pax, ſed ſit, & ueritas in diebus meis.

Pax ſeruetur.

Quæris in regno pacem? Orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius, erit pax uobis. Pax ſeruetur.

Quorſum ambages, quorsũ circuitus, cur non cum Elia dicitis: ſi Deus eſt Deus, ſequimini illum.

Pax ſeruetur.

Quem Paulus conceſſit, tu Regi gladium eripis, ne ſit terrori diſcolis?

Pax ſeruetur.

Sed ſubditorum vitia ſi feras, facis tua.

Pax ſeruetur.

Dura promiſſio, turpis permiſſio; ſed longe erit acerbior ſolutio, quam neceſſe habebit lugere, etiam ipſe, qui fecit.

Pax ſeruetur.

In nomine Dei iuras, quod nomen Dei blaſphemari permittes.

Pax ſeruetur.

Sed iuramentum non eſt vinculum iniquitatis. Talis autem pax hominem vero Deo tollit, à quo factus eſt, & immundis dæmonibus ſubdit, per quos ſeductus eſt.

Pax ſeruetur.

Quę pax? Inter homines alis diſſidium, & pacem in Regno quæris?

Pax ſeruetur.

Vbi turpis medicina, ſanari piget.

Pax ſeruetur.

Citius inter flammas, & vndas inter lucẽ, & tenebras, inter lupos, & agnos

Pax ſeruetur.

Quaſi diceres. Ignem in ſinu ferre, & non vri licet, mendacium amplecti, & non falli. Pax ſeruetur.

Sæua bonitas eſt, in perniciem rogantiũ exorari. Pax ſeruetur.

Abominandum remedij genus, morbo debere ſanitatem.

Pax ſeruetur.

Ac ſi diceres. Submerge hominem, ut naufragium pingas. Domum incende, vt flammam exprimas.

Pax ſeruetur.

Abijcienda ſunt falſa remedia, quæ ſunt veris periculis grauiora.

Pax ſeruetur.

Sed, ſi hæreſis fouetur, quod ſcelus punietur? Pax ſeruetur.

Si populus Regem ſuum hæreſis amicum agnoſcet, cui crimini credet inimicũ?

Pax ſeruetur.

Sed quid timebit Reus, cum crimen viderit in faſcibus conſtitutum?

Pax ſeruetur.

Talis pax, ignis eſt doloſo tectus cinere.

Pax ſeruetur.

Tali ſancita confederatione, nil aliud, quam alitis incendium, quo ardetis.

Pax ſeruetur.

Vbi talis pax habetur, quid ei Regno timeas? Quod non times.

Pax ſeruetur.

Fax ad ſcelus præfertur. Nam quibus datum eſt omnia poſſe, optima præſumũtur elegiſſe. Pax ſeruetur.

Nunquam vidi clementiam nocẽtiorem.

Pax ſeruetur.

At hoc eſt hæreſim galea tegere. Difficilius cum armata pugnabimus.

Pax ſeruetur.

Pax iſta non emplaſtrum eſt: ſed ſcalpellum ſpongia tectum.

Pax ſeruetur.

Menſuram non quærit iniuria. Pax vera ſi in paruo violatur, in omni parte cõtemnitur. Pax ſeruetur.

Sed talis pax, ſi cum bello de crndelitate certauerit, vincet.

Pax ſeruetur.

Scelus imperas. Nam qui non vetat peccare, cum poſſit, iuber.

Pax ſeruetur.

Homicidij genus eſt, à præcipitio non reuocare.

Pax ſeruetur.

Caue medicinam, malo facias malis.

Pax ſeruetur.

Obruitur innocentia, cum relaxatur audacia.

Pax ſeruetur.

Bene agere, & illicita non prohibere, cõſenſus erroris eſt.

Pax ſeruetur.

Sæuiendi licentia aufertur, pereundi relinquitur.

Pax ſeruetur.

Sed nihil eſt crudelius quam ſic offendere, vt magis ſis offenſur⁹, ſi ſatisfeceris.

Pax ſeruetur.

Sic pacem in diſſidio poteris ſeruare, ſicut in aqua non eſſe, & natare.

Pax ſeruetur.

Sed remedia vacant cum crimina indulgentur: & crimina manent, ſi remedia vacant.

Pax ſeruetur.

Iſta pax ſimilis erit Senecæ balneo, ſine ſenſu doloris peribimus.

Pax ſeruetur.

Hoc vero nihil aliud eſt, quam ignibus incendium extinguere.

Pax ſeruetur.

Sed ſicut omne homicidium etiam extra ſyluam, latrocinium eſt: ita omnis hæreſis etiam extra pœnam maleficium.

Pax ſeruetur.

Fatetur facinus, qui iudicium fugit.

Pax ſeruetur.

Tali pacta pace, bello quodam muto, neque nomen habente patria peribit.

Pax ſeruetur.

Quid eſſe prodeſt, quod eſſe non prodeſt?

Pax ſeruetur.

Prudentia ad maleficium abuti, nefas.

Pax ſeruetur.

Tali ſtante lege, non pax parabitur, ſed bellum differetur.

Pax ſeruetur.

Hoc non eſt aliud, quam poſt beneficium occidere.

Pax ſeruetur.

Beneficium vocas, quod portam ad præcipitium aperuiſti.

Pax ſeruetur.

Peſtifera vis eſt, valere ad nocendum.

Pax ſeruetur.

Ad ſummam libertatem, nihil huiuſq; in Regno defuit: niſi pereundi licentia; nunc, nec iſta.

Pax ſeruetur.

O quam verum eſt illud. Scelera ſceleribus tuenda ſunt.

Pax ſeruetur.

Quanto fuiſſet melius ſilentio præterire, quam per iſtam indulgentiã, numerari inter Principes publico malo natos.

Pax ſeruetur.

Bonitatis verba imitari maior malitia eſt. Pax ſeruetur.

Hoc vero eſt non ſanare, ſed in aureo lectulo ægrotantem collocare.

Pax ſeruetur.

At ſecuritas delicti, delicti libido eſt.

Pax ſeruetur.

Argumentum morientis libertatis, libere peccare. Non eſt libertas quæ innocentiæ facit iniuriam.

Pax ſeruetur.

Sed clamabunt homicidia, furta, latrocinia, adulteria. Quid agis molliſſima diſciplina? Aut omnibus nobis hoc eſſe debebis, quod hæreſi; aut nec hæreſi.

Pax ſeruetur.

Idem eſt, ac ſi dares gladium furenti, frigidam febricitanti, laqueũ deſperato.

Pax ſeruetur.

Hoc ſcilicet agis, vt ſubditi tui, omnia in Regno tuo habeant bona, p̃ter ſeipſos.

Pax ſeruetur.

Regem agere non decet, quod recte quiſquam accuſet.

Pax ſeruetur.

At hæreticorum, ne pacata quidem nequitia toleranda eſt.

Pax ſeruetur.

Fælix neceſſitas, quę cõpellit ad meliora: infælix libertas, q̃ ducit ad deteriora.

Pax ſeruetur.

Te per te, ò Rex, petit Hæreſis, ſtare niſi ſtante religione non potes.

Pax ſeruetur.

Quorſum iſtud pallium? quorſum putamen? Nucleum proferte. Vale Deus, Mens perit, & corpus.

Pax ſeruetur.

Fu-

Eunem, & scalam porrigis, & à suspendio dehortaris?

Pax seruetur.

Cui bono? vt Hæretici in tua potestate sint? In sua nunquam fuerunt.

Pax seruetur.

Si finis coronat opus, quid pacatum tali stante pace vidimus?

Clerum afflixerunt Lutheristæ
Reges oppresserunt Caluinistæ
Orco dederunt infantes Anabaptistæ
Christum Deum negauerunt Trideistę
Deum, cœlum, orcum reiecerunt Atheistæ.

Pax seruetur.

Quid dicam aliud: Vincent nos vitia, nisi tota vincantur

Pax extra pacis authorem quæri potest, inueniri non potest.

Confessionistæ Augustani.

CONFESSIONISTAE Augustani, vocantur in Germania, fautores, & sectatores doctrinæ Lutheranæ, quam à Luthero meditatam, & à Philippo Melanchtone conscriptam, Ioannes Dux Saxoniæ, Georgius Marchio Brandeburgen. Ernestus, & Franciscus Duces Brunsuicen. & Luneburgen. Philippus Lantgrauius Hassiæ: Volffangus Dux Anhalten. & cum his ex Ciuitatibus, Norimberga, Rautlingen, Kenipten, Heilbrun, Vvnishein, Vvaisemburg, Carolo V. Cæsari, & reliquis imperij ordinibus in Comitijs Augustanis Anno 1530. obtulerunt, & Confessionē Ecclesiarum reformatarum vocauerunt: quæ licet esset à Cæsare, & reliquis ordinibus reprobata: illi tamen à Luthero suo docti, eadem audacia qua prius Ecclesiæ, Cæsaris quoque, & Comitiorū authoritatem contempserunt: & in Lutheri doctrina tuenda in despectum legitimæ potestatis perstiterunt. Eius Confessionis præcipuos errores, quin & alias plerasq; illius temporis sectas in literis, Abscheid, siue recessus Comitiorum, Cęsar ipse recenset, quas hoc loco commemorare visum est, vt lector intelligat quā sit fęcūdus error, & quam verum sit illud, quod habet Chrisostomus. Initijs tantū, opus est Diabolo, Vix enim anni 13. abierant à Lutherana defectione, cū totidem ferè sectæ, inter se dissectæ apud Euangelicos esse cæperunt, Ait itaque Cæsar optimus in literis recessus, datis Augustæ 9. Nouemb. 1530. quas Germanicè impressas præ manibus habemus.

Alij iam docent, Christum sub specie panis, & vini, non vere præsentē adesse, sed figuratiue, & significatiue: Alij, quod omnes fideles ex mandato Christi ad vsum vtriusq; spēi sunt obstricti: Alij Missæ sacrificiū abolent, & abominationem vocant: Alij nō planè adhuc abolent, sed arbitratu suo mutant, addunt, minuūt, sermones & cantiones de glorioſa Virgine, & Sāctis reijciunt: Alij baptismū negant esse Sacramentū, nec infantes, sed adultos, & re ipsa credentes baptisandos censent: Alij intermissis omnibus cæremonijs, & orationibus, nō à Sacerdotibus, sed à Laicis etiā, & fœminis baptizari filios patiuntur, non benedicta, sed simplici aqua: Alij nolunt liberos suos Cōfirmari, & Sacramētū Extremæ Vnctionis reprobāt: Alij imagines seruatoris nostri Christi, Matris eius Mariæ, & Sanctorum, inhumaniter deleuerunt: Alij liberum hominis arbitrium esse nullū volunt, Deum effectorem malorū statuunt: omnia quæ fiunt absoluta, & irreuocabili necessitate fieri credunt: Alij nullā superioritatē inter Christianos esse volunt: Alij nudā, & solā fidē sine bonis operibus satis esse ad salutē arbitrantur: Alij Monasteria Parochias, & Altaria demoliti sunt: Alij vsu in Ecclesia receptas laudabiles cæremonias omittūt, & nouas à se excogitatas, & inuētas introducunt: Alij Cōciones quatuor mendicantium ordinibus, quibus id ex eorum regula competebat, interdixerunt, Nonnulli Magistratus subditis suis sub grauibus pœnis prohibuerunt, ne ad Ecclesias, & Cōciones antiquę verę fidei, extra illorū villas, & dominia accederēt: Alij seruos suos obstringūt, ne ad Catholicos Cōcionatores accedant, sed ad nouos deceptores eorū ministros, & eorū sectas amplectātur: Alij è Monasterijs Monialiū, Præpositos Cōfessores, Cōcionatores,

res, & alios Catholicos moderatores eie cerunt, & eorum loco nouos deceptores ſubſtituerunt: Alij Monaſteria, & templa occluſerunt, Miſſas, Sacramẽta, lectiones, & Cantus prohibuerunt: Alij ordinationes, & fundationes antiquas, Rom. Imperatorum, Regũ, & Principũ aboleuerũt, Profeſſos religioſos abire permiſerunt, Prælatos impedire volẽtes prohibuerũt, bona Monaſteriorũ, etiã obſignatis Chirographis abiurare reſignareq; coegerũt: & illud etiã ſcripto confiteri iuſſerunt, vitam Monaſticã non eſſe Chriſtianã, ſed diabolicã: Alij coegerunt Regulares perſonas, regularem habitũ deponere: & in habitu ſæculari, in ipſis nihilominus Monaſterijs viuere manereq; permiſerunt: Alij plane vetuerũt recipi in Monaſteriũ perſonas in religionẽ ingredi volẽtes: Alij liberos, & propinquos ſuos contra eorum voluntatẽ vi ex Monaſterijs extraxerunt: Alij Parochos, & alios beneficiatos ad poſſeſſionem beneficiorum admiſerũt ſine præſentacione & examine ordinario rum viſitaciones impediuerunt, Parochis & Concionatoribus permiſerũt, vt cõtra receſſus ſuperiorum Comitiorũ Dei verbũ pro ſuo arbitrio exponerent, Miſſas intermitterẽt, Cæremonias annihilarent, feſta, Conciones, Orationes, Cantiones, intermitterent: Quæ omnia cũ ſint cõtraria non ſolũ edicto noſtro Vormatiẽſi, & alijs comitiorũ receſſib⁹, ſed ẽt Chriſtianis ordinationib⁹, nõ licebat cuiquã, cuiuſcũq; ſtatus ea immutare, ſup quo nullã poteſtatẽ aut mandatũ habebat, Quamobrẽ, &c.

Hi ſunt, mi Lector egregij Lutherani Euangelij fructus intra paucos 13. vide licet annos tantum, per Germaniã ſuſcitati, ita vt eam Confeſſionẽ rectè ipſimet Cõfeſſioniſtę Cothurnum ſeu (Polnishe Stifel) ocreã Polonicã ſiue Moſcouiticã: Alij porro Iſidẽ, Magnã Matrẽ, tot filiorũ procreatricẽ, Zuingliani vero & Caluiniani Sphingem, Auguſtanã, appellent.

Secti porro ſunt Confeſſioniſtæ ad hæc usque tempora noſtra intres quaſi cohortes: Alij vocantur Molles, quorũ decẽ: Alij rigidi, quorũ quatuordecim: Alij Extrauagantes, quorum ſeptem ſectæ numerãtur, Omnia diligẽtiſſime in hoc genere, & obſeruauit & notauit vir doctiſſim⁹ Andreas Fabricius Leodius in Harmonia ſua Euãgelica, vbi Auguſtanæ Cõfeſſionis exemplaria oĩa cõfert, & notat, quã magno interuallo, & in quibus capitibus vna diſſideat ab altera. Libet hic addere lepidum Caſimirianorũ Theologorũ de hac ipſa Auguſtana Cõfeſſione, teſtimoniũ, qđ habetur cap. 4. Admonitionis Chriſt. de Cõcordia Bergenſi: Cõfeſſio Auguſtana, vt & ſimiles à paucis vnius nationis Eccleſijs, ante paucos annos eſt ſcripta, & exhibita neq; omniũ aliarũ Eccl. conſilio, quæ vel tũc fuerũt, vel poſtea cõſtitutæ ſunt: neq; ab omnibus per oĩa approbata, & recepta, aut ſaltẽ nõ omnib⁹ ſatisfaciẽs: Qua ẽt de cauſa, & eodẽ illo tẽpore, & deinceps ab alijs Eccleſijs aliæ Confeſſionũ formulæ ſunt æditæ, vt Germanicarũ ciuitatũ, atq; adeò aliquot Germanię Principum, & in his Ducis Virtẽbergici, Comitũ Mãsfeldeñ. Heluetiorũ, Gallorũ, Anglorũ, Scotorũ, Belgarũ, & aliorũ. Et nõnulla ſunt cũ in Auguſtana, tũ in alijs formulis, quæ ab alijs partim in cõtroueꝛſiam vocãtur, partim recuſãtur, partim meli⁹ declarãda cẽſẽtur: nec adhuc ſũt vel ab illarũ auctorib⁹ ſatis defenſa & explicata, vel cõmuni & ordinario Eccl. iudicio deciſa. Hęc vel ſola eſſet iuſtiſſima cauſa, cur Symbola eſſe debeant, hæ aũt Confeſſiones neque debeãt, neque poſſint eſſe norma iudiciaria.

Confeſſioniſtæ, quatuor Ciuitatum Zuingliani.

CONFESSIO quoq; quatuor Ciuitatum Zuingliana, Lutheranæ contraria, in ijſdem Comitijs fuit producta, ſicut in illis ipſis Receſſus literis legitur, Rem eam ſic deſcribit Surius, Poſt confeſſionem Lutheranorum, oblata quoq; eſt Cęſari Auguſtæ, & corã omnibus Imperij ordinibus recitata quatuor Ciuitatũ, Argentorati, Conſtantiæ, Memmingæ, & Leydauiæ, quę Zuinglij dogma ſequebantur, Confeſſio, in doctrina de Cœna plane diſſentiens à Lutherana. Eius confutandæ curam, commiſit Cæſar Theologis eiſdem, à quibus iam erat Lutherana Confeſſio confutata; ipſaq; Confutacio lecta eſt palam. Itaq; Cæſar orabat ſerio, ut cũ reliquis Principibus & ordinibus

Impe-

Imperij idem sentirent: sed illi in sua sẽtentia perstitere, neque Catholicis neque Lutheranis per omnia subscribere volentes, Argentinenses præcipue, Zuinglij partes sequebantur, quos Lutherus prorsus execrabatur. Hæc Surius anno 30. facta recenset. Cæterum Ioannes Sturmius, Scholarcha Argentineñ. miram olim constantiã fuisse prædicat, Ciuium Argentineñ. in eadẽ retinenda Confessione, Libellum enim edidit 81. Neustadij impressũ, cui titulus Confessio Augustana Argentineñ. in quo fatetur, eã à Bucero conscriptã fuisse, Cæsari oblatã, in fœdus Smalcaldeñ. admissam, Tribulibus, Ciuibus, quotãnis recitatã, à Tribu fabrorũ receptã, à Tribu piscatoria admissam, à Tribu Friburgeñ. admissam, in examine municipali ventilatam (ò dignos tali fide Iudices) in Cõcordia Virtembergeñ. nullo mutato capite probatam. Inter Helueticas, & Euangelicas Ecclesias, inter mediam: cõtra Iussũ Vuelsium defensam, concionibus, Cathechismis, Scholis, commentarijs, & varijs monumentis probatam. Addit ad extremũ, quod cum Saxonica Augustana Confessio multos habuerit inimicos Scriptorès, & ipsi inter se Theologi interprætando distracti fuerint, tamẽ nostra hęc, (ait) non minus docta, nec minus nota, & celebris per omnem Europam, nullũ habuerit externum aduersarium, qui illã scripto oppugnare publicè esset ausus. In huius Confessionis verba cum Canonicatũ acciperem iuraui, Magistratus, & Scholarum iussu in examine Canonico, nemo me auellet, nemo etiam liberare, & soluere poterit, quamdiu veritas locum reuerẽtiæ ẽ habitura. Hæc Sturmius amore suæ Zuinglianæ Confessionis fascinatus. At res, & veritas aliter. Vndè enim illi tam grauis, & acerba contentio cum illis, vt vocat sponsis. Vbiquitatis, cũ Iacobo Andrea quẽ, & Andreolum, & Fabriculam, & virulentum senem, semper autem Sicophantam appellat, cum Osiandro Pappo, Roberto, Marbachio, nisi quod isti Cõfessionem, quatuor Ciuitatum Argentineñ. non cõdemnatam quidem, è cæteris Cõfessionistis, sed relictam dicebant, affinẽq; erroribus facichant. Ille verò murũ atheneum putat, atque vt purum putum Euangelium adorat. Illos vero tragice vociferatur in Antiproemio imperare silẽtium præsentibus, remouere ab officio qui secus sentiant, prohibere, libros aduersarios in vrbe vendi, etiam, Augustanæ confessionis Argentinensis, Iudæi mitius, (ait,) cum militibus, non vetabant non imperabant, sed pecpniã dabant, ne dicerẽt Christum rursus viuere. O Plagosos homines, dignos eo deferri, vbi viuos homines mortui incursant boues. Sed iã ipse quoq; fatetur, aliter de ea nunc sentire conuentũ Academicum, aliter conuentum Theologicum, aliter Scholarchas, aliter Decanũ, & visitatores, aliter liberos, aliter ciues, aliter Sutorum, & Cerdonum, & Baiulorem tribus. In reliquis articulis, & in oppugnanda præsertim Ecclesia Rom. cum reliquis Lutheristis sentiunt.

Confessionistæ noui.

COfessionistæ noui, seu degeneres, seu Anonimi vocãtur, in Apologetico Lindani, castratæ Cõfessionis Augustanæ patroni, ij aũt sunt, Polytici quidã Theologi, & consiliarij (hoc.n. nomẽ vsurpant) qoi confessionẽ Augustanã non illã primam Carolo V. oblatã, sed à Philippo post modũ, atq; ab alijs plerisq; castratã, correctã, & mutatã, vel vt Illyticus loquitur, versam, & peruersam sequebãtur: atq; in conuentu Neoburgico 1561. codicem quendã seu opus grauaminũ cõscripserũt, quod in comitijs Frãcofordicñ. 1562. Ferdinãdo piẽtissimo Cæsari sub nomine ordinũ Imperij obtulerunt, p defensione, vt aiunt synceræ, & Orthodoxæ religionis. Anno porrò 1595. Annonimi aliquot scriptores defendẽdã susceperunt, & in lucẽ ediderunt, quos viciſſim Lindanus in doctissimo suo Apologetico egregie refutauit. Duo autẽ codex ille continebat. Primo ostẽdit, quod Cõfessionistę iustissimis verissimisq; causis, & rationibus adducti; quarũ 24. recensent, necessario à Romana Ecclesia discedere fuerunt coacti. Secundo. Quod Synodus Tridentina Electoribus, cæterisque Imperij Principibus, & Ordinib⁹ Augustanæ Cõfessionis neq; adeũda fuerit, neq; cognoscẽda. Aliquot ẽt

Capi-

Capita recenſet, in quibus à doctrina, & ſententia primæ illius Confeſſionis Auguſt. Carolo V. oblatæ Pòlytici iſti proteſtantes diſceſſerunt. Illi ſcilicet tria Eccleſiæ Sacramenta confitebantur. Iſti duo tantum eſſe volunt. Docebant illi ex veterum Patrum teſtimonijs, piè ac rectè Sacramentum Euchariſtiæ offerri in gratiarum actionem. Iſti talem Dei cultum damnant, atque Anathematè iugulant, immò verò inſutili ſuo, & blaſphemo Cathalogo Idolum appellant. Illi fatebantur, & credebant ſub ſpeciebus panis, & vini verum Corpus, & Sanguinem Chriſti contineri, & panem in Corpus, vt Catholici loquuntur, tranſubſtantiari. Iſti, aiunt, poſſe quidem hanc loquendi formulã tolerari, vt mutato pane Corpus Chriſti dicatur, ſed illam mutationem volunt eſſe miſticam tantũ, propterea quod Symbola rebus quas offerunt henioſi, miſtica non hypoſtatica, id eſt, ſeparabili, nõ diſſolubili, vnum quiddã eſſe verè orthodoxeque credatur. Illi orationes pro mortuis non damnant. Iſti inter res ſuperſtitioſas, & Idola referunt Papiſtica. Illi baptiſandorum exorciſmos, & morem ſignandi ſe ſigno Crucis retinuerunt, vt in Luneburgeñ. & Brunſuiceñ. Ordinatione & in nonnullis Eccleſijs Saxonicis videre eſt. Iſti morem hunc Idololatriam eſſe volunt. Niſi quod omnia capita recenſere, in quibus poſteriores Confeſſioniſtæ, qui ſcilicet correctam à Philippo Cõfeſſ. ſequebantur, à prioribus Confeſſioniſtis, qui oblatam, Cæſari tenebant, receſſerũt, non eſt huius temporis. Ad Apologeticũ Lyndani, Lectorem remittimus.

Confeſſioniſtę Prouinciales.

CONFESSIONISTAE Prouinciales, ſeu Ciuitatenſes vocantur, qui ſuarum Prouinciarum, & Ciuitatũ, proprias, & peculiares Confeſſiones ſequuntur, quas Polytici Principes, & pleræque Ciuitates liberæ arbitratu ſuo effinxerũt, ediderunt, atque à ſuis ſubditis verbique Miniſtris, pro puro, puto, Dei verbo recipi, pœnis etiam propoſitis voluerunt. Huius generis Confeſſiones 30. ni fallor, Hoſius noſter olim numerabat, quarum magna pars in Eccleſiæ Varmiẽñ. Helſpergeñ. Bibliotheca diligenter, vt puto, aſſeruãtur, Auguſtana Carolo oblata, Auguſtana quatuor Ciuitatum, Auguſtana Caſtrata, Ferdinando Cæſari Francfordiæ tradita, Auguſt. Virtembergæ impreſſa, Auguſt. Ienæ impreſſa, Auguſt. Baſileæ, Auguſt. Antuerpiæ, Auguſtana Lipſiæ, impreſſa, omnes enim inter ſe diſſentiũt, Geneuenſis, Berneñ. Virtembergeñ Lunburgeñ. Lubecenſis, Bremenſis, Roſtochienſis, Hamburgenſis, Branſuicenſis, Cracouienſis, Petricouienſis, Tranſyluanienſis, Poſnanienſis, Antuerpienſis, Conſtanciẽſis, Heildebergenſis, Baſilienſis, Smalcaldenſis, Tubingenſis, Nordlingenſis, Manſfeldenſis, Duorum ordinum Auſtriæ, Geravv, Gratz, & Szonbergenſis, Anglica, Megapolitana, Ruppellana, Saxonica, Anhaltina, Scoticarum Eccleſiarũ, Helueticarum Eccleſiarum, & Danicarum Eccleſiarum, Suedicarum Eccleſiarũ. Porrò omnes iſtæ Confeſſiones in his tantũ duobus articulis conueniunt, quod Eccleſiam Romanam ſedem Antichriſti putãt, & Miſſam abominationem. Reliquis in rebus diſſentiunt, de Trinitate, de Sacramentis, de Sanctorum Inuocatione, Purgatorio, libero arbitrio, & imaginum cultu, quot enim Miniſtros habent tot de religione ſententias amplectuntur: quod ex eo, quem proſequimur Hæreſeon Cathalogo, videre eſt.

Confeſſionis Auguſtanæ Aemuli.

CONFESSIONIS Auguſtanę æmulos, vocat Ederus in ſecunda Inquiſitionis Euangelicæ parte, Tractatu quarto: Euangelicos, ita ſibi in ſua ſapientia placentes, vt non dubitẽt conſulere, quod Catholici poſſent in eo Proteſtantibus gratificari, vt nomen & titulum Auguſtanæ Confeſſionis ſaluum eſſe velint, & in tractum: interim tamen, amice cum Proteſtantibus tractandum putant, vt aliquam emendationem, correctionem, declarationem, & purgationem Confeſſionis admittant,

mittant, non omnium tamen articulorū, sed in quibus salutis nostræ summa vertitur, aut in quibus fidei substantia consistit: reliqua silentio prætereunda putant.

Confessionistæ recalcitrantes.

CONFESSIONISTAS recalcitrantes, vocat Staphylus, in libello de Trimembri Theologia Lutherana, quatuor diuersas Confessionistarum sectas, Suencfeldianos, Osiandrinos, Stancarianos, & Antistancarianos: propterea, quod neque cum Rigidis, vel Stoicis, nec cum Mollibus, vel Philosophicis Confessionistis per omnia sentiant, & consentiant: sed partem doctrinæ suæ ab vna; partem alteram ab altera accipiant mutuam. Vnde suam sibi Pandoram fingunt. De singulis quatuor sectis recalcitrantium: quia suo loco dicimus, actum, hoc loco non agemus.

Concordistæ.

CONCORDISTAE, seu Cōcordantiani vocati sunt in Germania, professores, & sectatores, eius doctrinæ, & opinionis, quæ in libro Concordiæ Bergēsis, ad Torgensem, vt habet Hansonius Catholicus, & Sturmius Hæreticus, Cereuisiam, à Smidelino, & alijs quinq; faberculis confícta, & composita est, ex Augustana Confessione, Apologia Philippi, Cathechismo Lutheri, Articulis Smalcaldicis, & nescio quorum Superintendentium placitis, & decretis: quæ omnia, vt summā suam concordiam fingeret, glossis quibusdam additionibusque suis, idem illi authores auxerunt, & vt 8000. omnis generis, & conditionis personarum subscriberent, partim prece, partim pretio, partim minis, partim dolo, & fraudè effecerunt, Principes, Barones, Nobiles, Ciues, Superintendentes, Pastores, sed ij valde pauci. Locantes, Corales, Scholæ, Magistri, Baccalaurei, Stipēdiati, Mesner, Glekner & Leuttknech, de quibus lepidos illico versiculos euulgatos vidimus.

In libro vitæ, qui non potuere notari
Nomen in hunc librum, composuere suum.

De hac Concordia, iudicium suum vir Doctissimus Belarminus tale edidit, quæ præter communes, & notos Lutheranorum errores, tria propriè continet. Insignem vanitatem, grauissimas Hæreses contra Symbolum Apostolicum, & mendacia innumerabilia. Petrus vero Hausonius Saxo, in suo Germanico (Enkung des grossen thorheit) quatuordecim libri vanitates. Sex nouas Hæreses, & Centum mendacia obseruauit, descripsit, & refutauit. Nos quæ ad doctrinam spectant commemorabimus. Primo docent Concordistæ, quod Christus, non solum vt homo, sed etiam vt Deus Patri fuerit obediens. Secundò, quod Christus fuerit perfunctus munere mediatoris, & Pontificis non solum per humanam naturam, sed etiam per diuinam. Tertio, quod natura humana Christi, sit vbique, verè, & realiter. Quarto, quod Christi humanitati sint collata verè, & realiter, multa attributa diuina, vt omnipotentia, omni scientia, omnipræsentia, atque adeò ipsa diuina Maiestas. Quinto, quod vnio hypostatica, consistat in Communicatione diuinorum attributorum. Sexto, quod totus Christus, Deus, & homo, ad inferos descendit. Gloriantur vbique isti Cōcordistæ, quod exulantem, a Lutheri tēporibus veritatē, ipsi soli in suum domicilium receperunt. Sed nos putamus magis illud dolendū, quæ 8000. hominum hoc est 16000. oculorū, tam crassos errores, quos profitentur, non viderint, de quo elegātem Lindanus libellum edidit, cui titulus, Cōcordia discors, in quo ostendit simulatam, ac personatam istorum Concordiam, minimè solidis, immò asystatis, adeoque pugnantibus niti fundamentis. Nasus quoque Concordi Buch edidit, siue Namen Buch, contra quem Conradus quidam Volfangus Platius Tubingeñ. 1681. insulsam Apologiā euulgauit. Sed lepidum est illud quoque, quod in illa ipsa, in qua Concordia nata est Saxonia, vehementer illam Electorales quidam Theologi, & ipsa Schola Virtembergeñ. exagitat, & Achiles Clauiger Veroneñ ignominiosam quandam Satyram

ram in contemptum eius edidit. Liber Saxonicorum Lutheristarum iudiciũ ascribere, lepido Cancrino Tetrasticho comprehensum, quod etiam Sturmius in suo Antipapo notauit.

Eximij liber est fructº, nec formula pacis
Publica durabit tempus in exiguum:
Vnanimi liber hic cõiunget pectora sẽsu
Disiona nec gliscet, plus graue dissidiũ.
Perpetuo tua laus viuet, nec Sueuice doctor
Gloria decrescens, te tua destituet
Arbitriũ ad pacis traxit te gloria Christi
Vnica, non turpis quæstus, & ambitio.

Alibi eam bestiæ in Apocalipsi, & Hesiodoreæ Pandoræ comparant, Sæuum etiam & horrendum monstrum vocant, ex insigni Sueuico scorto natum, teste Filkerio. Caluinistæ quoq; lepido edicto disticho, quid istius modi, si dijs placet, concordia contineat ostenderunt.

R. Habet Ausonium liber hic, habet atque Pelasgum
Et habet Hæbreum, prætereaq; nihil.

Id autem est, Errores,

Ioannes porro Sturmius in Confessione Augustana Argentinẽsi, Neustadij 1581. ędita hæc Elogia concordiæ Bergenensi tribuit, quod primo aspectu, Diana virgo Ephesina, vt Lucretius loquitur, & Calcedonensis S.S. Concilij doctrina esse videtur, sed non diu, statim enim post principia, apparet collocata Diana Ephesina, mammosa illa lestrica, illa latrocinatrix, illa hostis & profligatrix optimorum & doctissimorum hominum, quorũ vxores & liberi in sordibus & erũnis, durè & aridè, & acerbe, ætatem degunt.

Accusat autem, idem Sturmius Concordiæ faberculos, quod duplex cælum & multifariam Christi ascensionem statuant, mera (vt ait) arte & ingenio excogitatam, Cælum enim esse volunt, (ait ille) aliud generale, in quo sunt etiam Diaboli, cum suis Angelis: aliud speciale, Ascensiones porro Domini triplices faciunt, duas in Conceptione & morte, easq; veras, tertiam immaginariam, cũ visus esset Apostolis ascendere, licet non ascendit, idq; factum volunt in testimonium gloriæ & Maestatis Christo collatæ, De his & alijs istius modi Bergensiũ Conciliatorum Nenijs & somnijs, quale iudicium tulerint Theologi Caluiniani Casimiriani in lib. Admonitionis Christianæ, libet ex Cap. 10. vbi agunt de modo agendi Theologorum Bergensium adiungere. Norma publicæ doctrinæ, aiunt, constitui debet, communi consilio Ecclesiarum, non vnius partis dissentientium, alijs exclusis, & conscribi per viros idoneos non suspectos fraudis, ad eam rem vocatos, non paucorum arbitrio committi tot Ecclesiarum, tot fratrum Christianorum, doctrina, virtute, & pietate præstantium, existimatio, conscientia, & salus: vt quod omnes similiter tãgit ab omnibus comprobetur, Liber autẽ Bergensis congestus est à sex Theologis Vbiquitariæ sectæ, qui curationem sibi non mandatam arripientes, tamquam ἀλλοτριοεπίσκοποι, desertis suis in alienas Ecclesias irrepserunt, vt: in illis res constabilirent suas, domi & foris accipiẽtes luculenta stipendia, & munera, qui aliquantò antè Melanchtoni, secundum Deum quicquid habent boni, se debere fatebantur, magistrum & amicum ipsum agnoscentes, & venerantes: libros eius in Scholis iuuentuti commendantes, & prælegentes, qui in sua de Consensu Ecclesiarum Augustanæ Confessionis narratione anno LXX. edita, quam ipsi veracem & constantem vocant, charissimum Dominum, patrem & præceptorem, heroèm præstantissimum, & cum Luthero concordem, Theologum excellentem, & præ multis illuminatum eũ nominãt, in cuius libris, præsertim corpori doctrinæ insertis, omnes Articulos Confessionis Augustanæ, piè & rectè declaratos esse ibidem dicunt. Nunc verò mutatis rebus, virum illum optimum de se, & de tota Ecclesia meritum, turpissima ingratitudine, conculcant, & lacerant, ac tanquam Apostatam, & falsarium Augustanæ Confessionis sceleratissimum, proditorem ac pestem, & omnium in Ecclesijs malorum authorem, omnibus, conuitijs proscindunt, & execrantur, quorum monstrosas & impias opiniones Antinomorum, & veterum Hæreticorum, de filij Dei tam diuina, quam humana natura, etiam scriptis editis defenderunt. alij

factio-

factionibus Osiandri & Flacci non obscure fauernnt, alij paulo ante, vbiquitatem & realem communicationem Idiomatũ publicè damnarunt, ad quam nunc defendendam, conspirarunt, cum vno vbiquitatis Apostolo, homine sophistico, vafro, atq; audaci, qui ante Vbiquitatis defensionem longe aliter, ac iam de Cæna Domini scripsit: de Vbiquitate autem nunc multo aliter, quam paulò antè, & nunc etiam de hac multis modis ipse secum confligit, qui & socios suos veluti mancipia sua contemnit, vt quibus putet se persuadere posse, niuem esse nigram, & ab ipsis vicissim scurilis leuitatis, & πολυπραγμοσυνης locuples testimonium accipit, vt qui figmentis, & conuitijs hoc agat vbique, vt omnibus exclusis, solus tantum Pontificaliter regnet: qui complices suos, quibus coram videri vult amicus, absentes deformet, qui vt gratificetur Aulis, probet, quæ in libro Concordiæ improbat, qui idem esse velit sijn dicus, patronus, aduocatus, procurator, & iudex in causa propria, cuius tanta sit intemperies, vt à præiudicijs sibi temperare non possit: Denique, quorum aliqui librum Concordiæ ipsi iudicant, & fatentur, esse centonem nouæ Theologię, cui quisque partem suam assuit, qui propter repugnantiam non possit consistere, qui seminarium sit perpetuę dissensionis in Ecclesia? vt pote, in quo Vbiquitatis præco, veterum suarum actionum vulnera, hoc est, exposa sua dogmata, & artificia detecta, negotio Cõcordiæ admixta palliare, & Ecclesijs obtrudere studeat: ac proinde, in quo nõ obscure quidam eorum ostendunt, se optare aut multa mutata, aut nomen suum non ascriptum esse. Sed hæc de discordibus Concordistis sufficiant, Titulus autem libri siue Concordię sic habet, Cõcordia, hoc est, Christiana simplex Confessio infrascriptorum Electorum & Principum, & statuum Augustanæ Confessionis, & subscriptorum Theologorum & doctorum, &c.

∴ ∴
∴

Conniuentes.

CONNIVENTES censeri possunt, tanquã sinus quidam, è mari Polyticorum Magistrorum effluens, Scribit Ederus prodijsse libellum Anno 1566. & per manus hominum in Comitijs Augustanis volitasse, cum hac inscriptione Christiana consultacio missa Regiæ Maiestati Hispaniæ, quemadmodũ possit occurri motibus & seditionibus, in Flandria, ob religionem suscitatis, & hæreses eradicari, In qua expresse concludit, genus hoc conniuentium Euangelicorum, quod nec possibile, nec sit necessarium, vnam vbique religionem conseruari; sed sicut oportet hæreses esse, ita oportet hæreses tolerari, Sed contrariũ hoc ipso fere tempore, decreuerunt status, triũ Ordinum Burgundiæ, in libello ad Regem Gallię contra edictum pacificationis editũ, quem laudatissimus Cardinalis Hosius, & in Vrbe Romana, & in Germania & in Polonia Cracouiensibus typis excudendum curauit, propterea quod videret esse plenum sapientissimis consilijs, & eas Conniuentium artes nõ minus quam oppugnantium arma, valde Christianę fidei incommodare.

Consistoriales.

CONSISTORIALES Caluinistę, in Gallia & Flandria, vocantur Primates, seu iudices, tam Ciuitatum, quam prouinciarum, hęreticarũ, eorumq; sequaces omnes: qui animo quidem sunt Caussarij, ferrum & arma meditantes, authoritate vero & potestate etiam nocentiores, ob ea quæ occupant Iudicum, Archiministrorum, & reliqui Magistratus subsellia, Hi indogmatibus quidem Caluino ancillantur, sed ocij, tranquilitatis, & pacis publicæ sunt hostes teterrimi: & hoc nomine Polyticis sacramentarijs infestiores (quos Libertinos, liberos Spiritus, & Frankistas vocant) quod moderatiora consilia sequãtur, & ea omnia fugienda putant, quibus per-

perturbari pax publica queat, In hos itaque mire bachantur, tanquam in homines degeneres, abiecti plane, & animi, & Consilij, qui caudam sub aluum reflectunt: & quoniam Polytici quoq; sibi nõ desunt, fit, vt vna pars alteram opprimere contendat: quod Lugduni Batauorum Anno 1579. accidisse certũ est, vbi Cõsistorialibus nimis graues fuerunt Polytici: ita vt succumbere cogerentur, Simile certamen Vltraiecti quoq; 1586. exarsit, vbi vicissim Consistoriales de Polyticis triumphos egerunt, ope & opera Comitis Morsensis, & eius qui ad D. Iacobi pastorem agebat, artibus & technis adiuti: ita vt Polyticorum Satrapas in exiliũ abijre iusserint. Cæterum biennio post, cum vicissim idem Comes ad Polyticorũ partes defecisset, aliquot seditiosa Consistorialium capita in carcerem coniecit, & Polyticos, (Iacobinos alio nomine vocant) ab exilio reuocauit, publicoq; edicto ad honores & Magistratum restituit, quibus erant spoliati. Sic isti boni Euangelici, eiusdem Scholæ & farinæ socij, inuicem se accipiunt. Libet hic verissimã Tragędiam inserere, quæ Lugduni Batauorum, inter Polyticum Magistratum & Consistorium, quod Senatum Ecclesiasticum appellant, illo ipso anno 1579. accidit, ijsdem quibus a doctissimo Vlembergio verbis recitatur. Petijt Magistratus à Consistorio, vt quod esset in Ecclesia officium Seniorum, qui post Ministros primas tenent, in Consistorio plane describerent. Itaque Gasparus Colhasius primarius Minister, de Seniorum officio, tractatum quendam scripsit, quem, cum prius in Consistorio lectus esset, & omniũ iudicio probatus, Senatui totius Consistorij nomine, obtulerunt. Senatus igitur voluit, vt Seniores ij, qui tum recens electi erant, Tractatum istum, subscriptis nominibus confignarent: promitterent etiam, se ad eum modum functionem administraturos, qui in Tractatu descriptus esset, quod ij facere constanter recusarunt. Postea Senatus ordinauit, vt cum Consistorium haberetur, duo Senatores nomine Magistratus adessent, quod ipsũ etiam Consistoriales permittere noluerunt. Erant eo tempore qui Consistoriũ repręsentabant, viri numero sex & viginti; Concionatores duo, Gaspar Colhasius, ac Petrus Cornelij, Deinde duodecim Seniores, & totidem Diaconi, Colhasius vero, cum duobus tantum Senioribus adhærebat Senatui, reliqui oẽs numero viginti tres, inita conspiratione, Senatus auctoritatem contemnebant. Facta etiam est huius rei mentio in Concionibus ad populum, vnde magna ciuium, inter se mutuo discordia, tum virulentæ calumniæ in Magistratum exortæ sunt. Nam qui Consistorij factionem sequebãtur, ij aduersam partem, Senatum dico, & eos qui à Senatu stabant, tamquã Epicureos, impios Papistas, Frankistas, Menniſtas, Libertinos, &c. publice traducebant, eosq; hominum improborum audax contumacia processus faciebat, vt Magistratus decem illos Seniores, & duodecim Diaconos exactorare, eorumq; ductorem Petrum Cornelij, Ministrum, ab officio remouere, coactus fuerit: ne Respublica damni aliquid ab hoc incendio pateretur. Cæpit deinde Petrus iste, vt vel inuito Senatu incendium istud, linguę suæ flabello foueret, in pago quodam, nõ procul ab vrbe concionari, quo ciues illi, qui Consistorialibus contra Senatũ adicti erant, magno numero ad concionem audiendam secuti sunt: quod cum Senatus ad alendam seditionem fieri intelligeret, Ministro demum concionibus istis habendis interdixit, Cæterum hæc controuersia, in tantam sese diffudit amplitudinem, vt & Principes Auriacus, & Ordines Hollandiæ, suam auctoritatẽ interponere necesse habuerint: & certaminis illius fama per vniuersum Belgiũ vagata sit. Quæ causa fuit Senatui Lugdunensi, cum foede passim à Consistorialibus traduceretur, vt causæ suæ iustificationem typis promulgaret. Quemadmodum & Minister ille, quem Senatui contra Consistorialium machinationes, assensisse diximus, Apologiam in lucem edidit, qua Senatus causam, & seipsum quoque contra virulentos Consistorialiũ morsus prolixe tuetur. Ad quæ scripta lectorem huius rei plenius cognoscendæ cupidũ remittimus. Cæterum cum hæc tempestas vigilantia Magistratus vix se

data

data esset, Continuo nouum quoddam dissidium, inter Concionatores ipsos (quitum Lugduni Batauorum docebant, tres numero) de nonnullis fidei quæstionibus exortum est, contigit vt Casparus Colhasius primarius apud Lugdunenses Hollandus, Caluiniani Euangelij Ministeri, vt diximus, nouem articulos per occasionē in charta iniecerit, quos duo reliqui, ipsius Collegæ non probabant, Itaq; graue certamen inter ipsos Ministros exortum est, quod nouas easq; periculosas in ea Repub. turbas nouasq; molestias Magistratui conciuit. Quam rem qui volet, plenius ex Colhasij Apologetico libello, quem is pro sui defensione edidit, cognoscere potest.

Consubstanciatores.

CONTRA Consubstantiatores, & Consubstantiationem, multa in tota sua historia grunnit Vtenthonius, Lascij Sacramentarij amanuensis. Vocat autem consubstantiationem, eam Lutheranæ doctrinæ partem, qua docent & confitentur Corpus Christi, in Cæna, vere & realiter esse, sub pane, cum pane, in pane, ita vt remanente substantia panis, accedat ad panem substantia carnis; quam ipse nouo nomine vocat Consubstantiationem, & non minus reprobat quam Catholicorum Transubstantiationem. Extat disputatio Micronij Sacramentarij, cū Smedensteæ Ministro Vismarien Lutherano. Affirmat is, clara esse, & aperta Christi verba. (Hoc est Corpus meum) Ijs insistendum esse. Respondet ei Micronius, Si ea verba ita clara sunt vt dicis, qui fit, vt Papistæ inde Transubstantiationem, vos autem Consubstantiationē eliciatis. Non possent ex tam perspicuis verbis, tam pugnantia colligi dogmata. Et in Lubecen. disputatione cum Petro Ministro Lutherano habita. Fateor, ait Micronius, Patres, dum student, spirituale cænæ Dominicæ Mysterium, crasso populo commendare, sic quandoque locutos fuisse, ac si carnale quidam sub elementis Cænæ, realiter constituerent. Sed illi ipsi, alijs rursum locis omnem carnalem imaginationem tollunt, deque veritate corporis Christi consentienter nobiscum docent, ac uerba cœnæ figuratè explicant. Quæ dum multi in Patribus non obseruant, turpiter in eorum lectione impingunt, & varias inde colligunt sententias. Sic ex ijsdem Patrum dictis, à vobis Consubstantiatio, à Papistis autem. Transubstanciatio colligitur.

Hæc Micronius qui hanc ipsam Consubstantiationem, sæpe alio nomine vocant Delitescentiam Corporis in pane.

Currus stercorum.

CVM has lucubrationes nostras ad finem pene perduxissemus, uenit in manus nostras doctissimus, & his temporibus nostris accommodatissimus liber Casparis Vlembergij, Graues & iustæ causæ, &c. inscriptus; in cuius. 12. Capit. facit nouæ cuiusdam hæresis mentionem, quā ait, non ita pridem in Hollandia exortā, Currus stercorū vocatur German. (Scherr. oder schlaick vagen.) O stercoreos Euangelistas: nisi quod omnes istæ quas recensemus ita inter se dissectæ sectæ, nil profecto sunt aliud, quam fætidissimorū stercorum currus, & sentina quædam putidissimarum & malcolentium blasphemiarum Verba Gasparis sic habent, Fit nonnunquam, vt Anabaptistæ finem progrediendi non faciant, donec tandem, vel in Libertinorum, aut Franchistarum familiam transeant, vel ad charitatis domū diuertant, vel demum conscenso stercorū curru, quæ noua hæresis est in Hollandia, non ita pridem exorta, omnem religionis curam semel abijciāt: Ex quibus verbis consequitur: etiamsi non expresserit quos errores iste currus vehat: istos omnes qui isto carpento feruntur, ad Atheymum prope rare.

Coturnifices.

Coturnificum meminit Hosius, in Epistola ad Maximilianum Imperatorē, cum ait, Augustanā Confessionem, vocant ipsi

Con-

Confessioniſtæ Cothurnum, vtriq; pedi aptum, & eius conditores Cothurnifices appellant, vocant pallium, quo teguntur omnes Hæreſes. Ac incidi, inquit, nuper, in librum quendam, in quo Polonica quę dam ocrea vocantur à Miniſtris, qui in dominijs Geravv, & Szemburgh conuenerunt: & ibi Confeſſionem ſuam ediderunt Ad Confeſſioniſtarum Sectam & doctrinam pertinent.

Dauid Georgiani.

DAVID Georgiani, à Dauide Georgio Fabro vitrario (vt ait Lindanus) Gandauenſi vocãtur. Is, vt ex actis publicis Delptenſibus liquet, mulierculas aliquot peccatis onuſtas, vbi reperiſſet, ſeſe eſſe, tertium Dauidem, verumq; Meſſiam, illis perſuaſit: adeòq; amentes reddidit, vt ſeſe putarẽt beatiſſimas, ſi relictis maritis, ex promiſſo ipſius, quod nugabatur, ſemine conciperent, Dei quoque nepotem ſe nuncupabat, & quod cum feris & auibus, quacũq; linguacolloquebatur, ab ijs victum accipiens: Aſſerebat cœlum eſſe omnino vacuum, ſe vero ad id miſſum, vt filios Regni cæleſtes hæredes adoptaret: mortuorum reſurrectionem, extremum iudicium, bonos & malos ſpiritus, vitamq; æternam, cum Saducæis negabat, Matrimonium improbabat, volens omnes mulieres eſſe communes, ſtultum eſſe docebat, ſi quis peccatum putaret abnegare Chriſtum, coram hominibus, & propterea ſtolidos aiebat Apoſtolos, & Martyres, quod ob eam querelam ſe occidi permiſiſſent. Non animam ſed ſolam carnẽ peccare dicebat. Quod animæ infidelium, æque ac fidelium ſaluabuntur, & Apoſtolorum corpora æquè damnabuntur, atq; infidelium. Huius doctrinæ ſectatores, ad Antilutheranorum colluuiem pertinẽt, & non pauci per Hollandiam, Friſiamq; viſi ſunt. Reliquis in rebus cum Anabaptiſtis ſentiunt.

Dæmoniaci.

DÆMONIACOS vocat Hoſius, eos, qui decies per diem diabolum adorant. Credunt etiam, Staphilo teſte, dæmones ſaluatos iri, poſt finem huius ſęculi. In reliquis omnibus fidei articulis cum Anabaptiſtis ſentiunt, è quorum lũbis prodierunt.

Deiſtæ.

DEISTAS vocat Prateolus, quos alio nomine Trinitarios, ſeu Nearianos, vocamus. Hos ait, in Polonia Anno 1564. exortos, duce & authore quodam Gregorio Pauli, Miniſtro Cracouieñ. Valent: Gentilis diſcipulo: qui picta quadam edita tabella, quam olim vidimus, templi ædificium repreſentante, Lutherum in tecto collocauit, tegulas deijcientem, Caluinum parietes diſijcientem, ſeipſum i pſa templi fundamenta ſubuertentem: adiunge ns non omnia Deum dediſſe Luthero, plura dediſſe Caluino, plura adhuc ſibi dediſſe, & ſuis. Quid de Deo ſentiãt, aut qualem ſibi fingant, & refingant, cũ de Trinitarijs & Nearianis agemus, oſtẽdemus. Doctores quoque Sorbonici, Sanctius, & Vigoreus Deiſtarum nomen tribuũt, hæreticis à Caluini doctrina diſſentientibus: Beza quoque & Henricus Stephani, Lindano teſte, de ſuis Commanipularibns lugubriter conqueruntur, lamentantes, innoteſcere per Galliam: non modo varia Atheiſtarum genera, ſed nomen etiam ſibi vendicare Deiſtarum.

Dei Terreni.

DEOS Terrenos, vocat Ochynus, in eo Dialogo, quem coñ Sectam Terrenorum Deorum, ſiue Paparum edidit, omnes eos qui ſuum verbum, tanquam Dei verbum adorari cupiunt, eoſq; fururos multo crudeliores & ſceleratiores aſſerit, quam vnquam fuerunt Papæ Romani, Quamobrem diligenter admonet, Principes

cipes & Magistratus ne nouum Papatum surgere permittant, Caluinum autem & Tygurinos intelligit, de quibus ita loquitur. Non ita nunc sit, sicut Paulus de iudicanda Prophetica doctrina monet, nã quod Minister vester (Tygurini) verum esse iudicat, docetque, id censet alijs omnibus credendum esse, tanquam caput fidei; quod si quis contradicit, is Hereticus est; deniq; quod noctu somniarunt, id cartis mandant, excudiq; curant, suaq; scripta & verba pro oraculis haberi volũt. Neque est quod speres, eos unquam recantaturos, aut se Ecclesiæ subiecturos; volunt ut Ecclesia ipsorum, non ipsi Ecclesiæ arbitrio credant: id quod nil aliud est, quam se quosdam Papas, terrenosque Deos esse velle: & in hominum conscientias Tyrannidem exercere; ac dominos esse fidei eorum, qui sunt in Ecclesia; velleque vt ipsorum arbitratu credant, cõtra Pauli sententiam. Quinnimo docent, scribuntque interdum Ministri contra, quam ipsi credant, ut cum mundo consentiant, neque cum Christo. Irascitur autem Caluino & Geneuensibus, quod dogma SS. Trinitatis nondum reprobauerint.

Desertotes.

DESERTORES Romanæ Catholicæ religionis, vocat vir eruditissimus Michael Bayus, in Epistola ad Abbatem Parcensem ædita Romæ 1578. Singulare quoddam genus Caluinicolarum in Flandria, eosq; hoc sibi nomen vsurpasse testatur: cum Deo & Regi bellum nefarium indixissent. Ait autem factam fuisse quandam vnionem statuum cum ea factione, quæ se non Geuseos, vel Caluinitas: sed tantum Romanæ & Catholicæ Desertores profitentur: sub Principe Austriaco, tanquam gubernatore Brabantiæ, & Vicegubernatore omnium prouinciarum Inferioris Germaniæ: qui se palam Bruxellæ Caluinistam non ita pridem professus erat: quam ille vnionem directe tendere testatur ad contemptum Regiæ Maiestatis, subuersionem Catholicæ fidei, & exterminium Sacerdotij, quod Caluinistæ cane peius & angue oderunt. Errores porrò, præter eos, quos communiter sequuntur Caluini discipuli, hos isti Desertorũ cuneo, idem Baius ascribit: Quod cum fides sit donum Dei, vnumquemque esse suo arbitrio, relinquendum, vt credat quid volet. Quod, cum sint, nolunt tamẽ videri Deo & Regi rebelles: sed tantisper dissimulando tollerant, & permittũt, Catholicam religionem, donec occasionem inueniãt, eius sine tumultu perdendæ. Regis verò, & Reipub. causam agere se simulant, cum prætendunt arces & ciuitates Regias oportere sartas tectas conseruari. Id autem vt fiat, vtque omne periculum amoueatur, aiunt necessaria esse templorum, cœnobiorum, & aliorum locorum ad pietatem institutorum, incendia, & demolitiones.

Ciuitatibus & militibus præficiũt Hæreticos, Catholicos onerant multitudine militum, quorum iniurias non ferentes, coguntur, vt plurimum, & domo propria, & ipsa excedere prouincia. A Sacerdotibus & Monachis exigunt illicita iuramenta, quibus cogunt, vt aut exules fiãt, & eos bonis omnibus exuunt: aut impietati consentiant. Iusiurandum porrò tale fuisse scribit. Vt pacem Gandauensẽ cum declaratione subsecuta conseruent. Vt hoc totis viribus laborent, ne Catholici hæreticis, neue hæretici Catholicis, ob religionis causam, facto vel verbo, vllam inferant molestiam. Vt corpore & bonis cooperent. Archiduci Mathiæ, id est, Principi Austriaco, qui sub eius nomine imperat: ad eijciendum D. Ioannem Austriacum ex hac patria, cum omnibus illi coherentibus. Quicquid autem ipsi Catholicis iurant & promittunt, id pro necessitate & opportunitate temporis haberi posse, & debere pro nõ iurato. Porro hęc omnia pulcherime, in eadem Epistola Baius refutat: monens Catholicos ne istiusmodi præstent iuramenta, etiãsi non videantur continere apertam religionis abnegationem, etiamsi in illis pacis quædam species & imago proponatur. Iugulum enim illorum petitur. Adducit ex Cypriano Libellaticorum errorẽ, qui vt viderentur edictis feralibus Imperatorum, de colendis Idolis satisfeciisse, licet thus non adoleuissent, nec cibos im-

molatos reuera deguſtaſſent: tamen vt id feciſſe viderentur, ſi eſſent examinati dato prætio, libellos accipiebant, quaſi teſtes thuris immolati, aut deguſtati cibi. In eodemq; eos verſari errore teſtatur, qui ſeſe cum Deſertoribus Iusiurando colligant.

Diabolistæ.

DIABOLISTAS vocat, liber De iuſta Henrici abdicatione, homines ex Hæreſi, Sciſmate, & morum corruptella conflatos. Eorum author in Gallia fuiſſe exiſtimatur Cenomanus quidã De ſchalæus Deſeſchelles, primi nominis ſuo tempore, hoc eſt Carolo 9. regnante Diaboliſta: qui poſtea 150. primæ notæ, ac Nobilitatis in Gallia viros, ac fœminas, execrandis myſterijs initiauit. Pertinent ad ſectam Atheiſtarũ. Ludus enim illis, & iocus eſt, quicquid in Deum blaſphemiæ dici, aut congeri poteſt, dicere. Auditum eſt ex ipſorum confeſſione, qđ numerus eorum vſq; ad 60000. in Gallijs excreuerit: & ſunt Aulicorum Philoſophi, & Prophetæ, homines ſine Deo, ſine ſenſu, quibus anima, pro ſale eſt. Gloriantur autẽ ſe ſortiarios eſſe, & diaboli charactere inſignitos, idq; iucunditatis cauſa, vbi vinum incaluit, nudata carne, vt delectabile Symbolum oſtendere non verentur. Hęc liber Pariſien. Credere ſe profitentur aliquid, vbi ſic expedit. Nihil viciſſim credere, vbi etiam expedit.

Duitæ.

DVITAE, ſiue Bideitæ, ſunt ex ſecta & genere Nearianorum, ſeu Trinitariorum: & ita vocantur à viro doctiſſimo Alphonſo Piſano Societatis Ieſu. Duos enim Deos ſtatuunt, Patrem, ſcilicet, & Patre (vt aiunt) minorem, Filium: de Spiritu Sancto nondum eſſe reuelatum putant, quid ſit. Eorum Dux & author fuiſſe exiſtimatur Petrus Gomeſius, cui iam defuncto Farnouius in Lithuania ſucceſſiſſe videtur, vbi mira eſt de Deo, deque Sanctiſſima Trinitate ſententiarũ & opinionum Colluuies, de quibus ſuo loco dicetur, Cætera ſunt Sacramentarij. A Bideitis ſolo nomine differunt.

Eberiani.

EBERIANOS vocat Flaccius, qui doctrinam Lutheri molliter, ſiue extremis digitis, cum Ebero defendunt: & opiniones Philippi Adiaphoricas tuẽtur, de Confeſſione Auguſtana, de operũ neceſſitate, deq; cæremonijs, & id genus. Quæ contentiones, eo vſque proceſſerant, vt Guilelmus Saxoniæ Dux in Colloquio Aldenbergeñ. de concordia tractare fuerit coactus, inter vtramque Lutheriſtarum partem: quorum alij Flacciani alij vocabantur Philippiani, ſiue Eberiani, defendebat enim Phillippum Eberus quod iure meritoq; nonnulla tum in Auguſtana Confeſſ. tum in Apologia, tum in Tomis & operibus Lutheri correxiſſet: quod Flaccus ne audire quidem potuit, tragice vociferans, vim verbo Dei illatã, de quo alijs in locis commodius agitur.

Ebionitę noui.

EBIONITARVM antiquiſſima Hæreſis, nota ſatis eſt hominibus Sacrarum literarum ſtudioſis. Hanc ab inferis per Adamum Paſtorẽ Anabaptiſtam reuocatam videre nunc licet in Lithuania, (ipſo Stancaro & Volano Caluinicola teſtibus) qui Pareneſim quandam ad omnes in Regno Poloniæ, & magno ducatu Lithuaniæ Ebioniticæ doctrinæ profeſſores edidit, & eidem nouam reſpõſionem ad noua Ebionitarum contra Pareneſim obiecta adiunxit. Negant illi Chriſtum natura eſſe Deum, ſed merum hominem de Maria natum: legem præterea veterem, vna cum lege noua, ſeruandam ſtatuunt. Zuinglianis autem Antagoniſtis ſuis, adeò ſunt graues, adeoque eos acriter ex ipſis eius, quam profitentur doctrinæ fundamentis premunt, & pungunt, vt Volanus animarum inter Zuinglianos Archipyrata, vehementer reuocatam, & antiquatam cupiat diabolicam, vt ait, quiduis credendi libertatem, quam in Regno Confœderationẽ vocant: cuius

ſeſe

sese pallio omnis operit impietas, & aliquam tandem miri viam & rationem cupiat, qua tamen horrēde in Deū blasphemiæ comprimantur: immò vero capitalem in eos, alio in loco pronūciat ipse sententiam, gladiūq; stringi iubet, si nō statim conuertantur. Huius perfidię Antesignanum teterrimum virum Budneum putant, de cuius impietate suo loco & ordine diximus, Farnouium quoque asseclā faciunt, & eiusdem farinæ alios.

Exstatici, seu Fanatiti.

EXSTATICOS vocat Lyndanus, genus quoddam Anabaptistarum, insanis potius, & furiosis, quā pietatis studiosis similius. Abreptitios, seu phanaticos, alij appellant: ij vero phanatico suo abrepti Spiritu faciem mutabant, gestus habebant horribiles: sæpe interram prolapsi, eorum instar, qui morbo Comitiali laborant, diu iacebant, tanquam mortui, totoq; corpore horribiliter contremiscebant: miras deinde effutiebant visiones: quale est illud, quod Zuinglium apud inferos viderint, Patrem, hæc & illa ter infanda, præcepisse: diem Domini cras, uel postridie, affuturum: de quo etiam cursitantes, tanquam furiosi vociferabantur, dies domini, dies domini. Ad eam quoq; insaniam peruenerūt, ut nefanda matris, & fratris paricidia perpetrarent, ex Dei Patris, vt fingebant, uoluntate, & iussu.

Narrat Bullingerus 1526. die Februarij 7. Thomam Ssicresium suum vterinū Fratrem, Muleoagi in conspectu parentum, ac plurimorum factiosorū, in genua procumbentem, capite truncasse: Dei (vt dicebat) iussu, & voluntate. Eosdem appellat Hosius Fanaticos, homines deliros, & furentes, qui se quodam interno Spiritu agitari, atque ad hæc vel ad illa docenda, tentanda, audenda impelli vociferabantur.

Eiulantes.

EIVLANTES secta sunt Anabaptistæ. Hos, ait Staphilus, putare quod nihil sit deuotionis, quod perinde gratum sit Deo, atq; lachrimari & eiulare perpetuo, In Belgia superiori hominum ingens prouentus. Alij propterea lachrimatos esse putant, quod minis tarde fides Christiana pereat: quodq; Clerus vniuersus non vnam ceruicem haberet: cuius sanguine postquā essent plus nimio, pro dolor, satiati, lachrimari iam desierunt.

Eleutherobaptistæ.

Eleutherobaptistarum facit mentionem Ambrosius Pelargus in lib. aduersus errores Anabaptistarum. 1534. ædito, in hæc verba, Eleuterobaptistarum causa nō paulo periculosior est Anabaptistarum negotio. Hi enim Baptismū, ceu rem saluti necessariam sub adultam ætatem reuocant, isti cuique liberum faciūt eriam adulta ætate Anabaptisari velit, an omnem vitam, absq; baptismo transigere. Hi tales magnam Anabaptistarum inuidiam concitarunr, nisi quod hoc sibi dicebant suam dictare conscientiam, quod liberum sit baptizari nec ne, sicut illi dicunt suam sibi dictare conscientiam, quod nisi adultus baptizari nemo debeat.

Energici.

ENERGICI ad factionem Sacramentariorum pertinent. Docent enim, non ipsum Corpus, sed virtutem corporis esse in Cęna Domini: vel vt Volanus Caluinicola loquit in Apologia cōtra Iesuitas, sola anima per fidem Christi corpore vescitur, ita ut immortalis ac cęlestis vitæ succus non minus in animā, quā in corpus ipsum ex carne Christi viuifica defluat. Ita Caluinus, ita Beza, ita etiā Philippus, ita Posteriores Sacramentarij omnes (vt in Heildebergen. iudicio videre est) blasphemant: quorum suo loco opiniones omnes recitantur, Extat etiam Responsio doctissimi Sanctij Theologi ad Apologiam Theodori Bezæ, in qua narrat Bezam cum suis complicibus, istis ipsis verbis conceptam edidisse fidei suæ de Sacramento Eucharistiæ opinionē in Cō. uentu Posiaco. Confitemur Christum Iesum, in sua sancta cœna, nobis offerre,

dare, & exhibere veram substantiam corporis ac sanguinis, per operationem Spiritus Sancti: & quod percipimus ac manducamus sacramentaliter, spiritualiter & fide, proprium illud corpus, quod passum fuit pro nobis, & efficiamur os ex ossibus, & caro de carne, & vt inde viuificemur, atque omnia ad salutem necessaria hauriamus, & quoniam fides omnia promissa absentia, reddit præsentia; per eandemq; vere ac reipsa sumimus verum & naturale Christi corpus, ac sanguinem, potentia Spiritus Sancti, & eatenus cõfitemur præsentiã corporis Domini nostri Iesu Christi, in sacra cœna.

Enthusiastæ.

ENTHVSIASTAE, Secta Anabaptistæ sunt, quasi diceres afflati, seu diuini, Ij quandam in se ipso dæmonis operationem expectare solent, quam Sãcti Spiritus præsentiam arbitrãtur: somno seipsos, vt plurimum, tradunt, & somniorum suorum phãtasias, prophetias appellant. Talis fuit fautor ille Monasterien. Batauus, qui mirabili vafriciæ plerisque persuasit Deum sibi per Spiritũ mandasse, ut Rex fieret Israel, & iusticiæ Dauidis instar, vt in totum orbem suæ dominationis iura proferret, perderetq; omnes, qui ipsius fidem amplecti, & iusticiæ subditi esse detrectarent. Huc pertinet, quod Patris esse voluntatem dicebat per somnium reuelatam, ut in quatuor orbis plagas dimittãtur ex vrbe qui doctrinam suã disseminarẽt. Plura habet Cochleus, & Surius.

Essentiatores.

ESSENTIATORES, & essentiationis authores, & inuentores, mira verborũ acerbitate persequitur & oppugnat, Ecclesia Italica Geneuẽsis, in Confessione fidei, contra blasphemias Gentilis ædita. 1558. Maij, die 18. Cuius scriptorem Caluinum putãt. Eam porrò Historiæ suæ de eiusdem Gentilis supplicio adiunxit Aretius. Verba sunt Confessionis. Quod autem Sophistas esse dicis, qui negant Deũ esse Filij essentiatorem, qua arrogantia, id tibi sumis, vt homo nullius prętij, tã imperiosè damnare audeas, quicũque prodioso tuo commento non subscribunt? Nam ex omnibus hęreticis, quorum magna fuit colluuies, tu primus es inuentus, qui mũdo hoc portẽtum essentiandi obtruderes. Et paulò post. Neque verò nos latet, argutia illa, Christũ esse verũ Deum, quia essentiatus sit à patre: sed hoc modo, videmus pretiariam fieri eius deitatem, cui datũ est esse Adde, quod mutuo conflictu sese prosternunt ista tua cõmẽta: nã si nota discretionis, quam statuis, vera est, residere in solo Patre essentiã, quomodo stabit illud? eandem essentiam esse filij. Et alio loco. In præstigijs tuis Filiũ Dei fabricas essentiatũ, & simul tñ absq; essentia: nisi quod Pater suam diuinitatẽ in eum transfudit. Tabella verò tua, vbi verbum Dei fateris esse Deũ Israel, ne simplicium oculos perstringat, vno uerbo dilui potest hic fucus. Nam cum Patrem solum asserens Deum Israel, Filium semper excludas, non relinquis huic diuinitatem, nisi secundã, & creatam, immo imaginariã: quia secundũ te Essentia caret, nisi quatenus essentiatur (alio loco dicit Deificatur) à vero Deo, quem tñ solũ vis prædituũ esse essentia, vt Filius, & Spiritus Titulares sint personæ. Quid enim est essentiare nisi creare? Actus enim essentiandi, necessario id secum trahit, vt qui ante non erat, incœperit esse. Vnde sequitur Christũ non alio iure Deũ censeri, nisi quod dono accepit, quod nõ habebat, nullã scilicet in eo esse Deitatis essentiam, sed tantum creatã diuinitatem, quæ ab hoc nebulone perfido (hanc enim modestia erga suum cõministrum vtitur Ecclesia illa Italica) vocatur essentiatio: Sed non libet diutius in istorũ blasphemijs immorari. Satis est ostendisse, hanc hæresim Essentiatorum isto infœlici nostro sæculo ex inferno susciatã reperiri, & caueri.

Euchitę.

EVCHITAS vocabat antiquitas, nunc Hosius & Lyndanus Orantes appellant, homines in reliquo genere Anabaptistas: in hoc differentes, quod

quod summã fidei, totamq; salutis spem in sola ponant oratione; & hac vna omnia se mala, & in commoda putant auertere posse: unde & omnia media, ait Lindanus tollebant, vt soli Deo relicti in ipso toti consisterent, seque totos illi permitterent. Tales uisi sunt in plerisq; Holãdiæ opidis, sed cito defferbuerunt. Rem domesticam, vitæque commoda per vices procurabant, ut sæpius orarent. Sæpe Patres familias rem totam famulis & ancillis committebant, ut ipsi sine interpellatione verba ad Deum funderent. Visi etiã sunt in plerisq; Poloniæ locis.

Euangelici.

EVANGELICOS vocari voluit Lutherus, omnes eos qui suum sequerentur Euangelium, Cacãgelium potius, Cõsequens enim erat, vt reprobata maiorũ nostrorum fide Christiana, nomen quoq; & appellatio Christianorum deleretur: et suscitata, atq; sub scamno eruta, noua Euangelij interpretatio, nouo quoq; nomine à Christiana interprætatione discerneretur, & Euangelica vocaretur: vt vel hac ipsa, ait Hosius, apellatione, se suosq; à Christo, & à corpore eius, vna Sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia segregatos: neq; sibi commune quicquam esse cũ Christo declararent. Porrò nomen hoc omnes in vniuersum hodie sibi sectæ vsurpãt Lutherani, Caluiniani, Trideistę, Anabaptistæ, sicut illæ, sic & istæ, veros se esse Euangelij per Papistas (ut aiunt) oppressi vindices, & assertores gloriantur: quod illis in eo sensu tribui posse, dicebat olim Hosius, sicut Africani nomen, Scipioni tribuitur, vt à deuicta subactaque Africa vocaretur Africanus: sic à deuicto, corruptoq; Euangelio, vocarentur Euangelici. Quid credant, quidue doceant, in singulis, quæ à nobis recensentur, Euangelicorum sectis videre est. Illud istis tribui in genere potest, quod contra Catholicam Romanam Ecclesiam, Pontificis authoritatem, & Missæ Sacrificium omnes in vniuersum & loquuntur & sentiunt: ita vt quemcumq; vocari Euangelicum audieris, eum continuo Ecclesiæ Catholicæ & Rom. Pontificis, & Missæ hostem coniuratum intelligas. In cæteris ne dubites, ô lector, nec sciunt quid affirment, nec sciunt quid negent. Marinis vndis, & fluctibus: quam fidei supra petram stabilitæ, similiores sunt istorum desertorum opiniones. Eunt, & redeũt; fluũt, & refluunt.

Eutichiani noui.

EVTICHIANOS huius sęculi, vocat Lyndanus, Memnonem, Adamum Pastoris, & Suencfeldium, quod isti antiquum Eutichij Constantinopolitani errorem, ab orco reuocauerint: docentes, sicut etiã testatur Casander, in Cõment. de duabus in Christo naturis, Christum in vna persona, vnius quoq; esse naturæ. Zuinglianos quoq; mixtionem naturarũ admisisse in disputatione Berneñ. 1528. testatur Ekius, contra Cõfessio. Zuinglij. Isti porrò ad Nearrianorum Sectã, & ordinem pertinent, de quibus infra dicetur. Testis est Stancarus, quod Poloni quidam Nobiles, & Geneueñ. & Tygurinos pro sententia de quibusdam controuersis articulis missi pro vera, & viuifica Euangelica doctrina: Eutichianorum, Sabelliano rum, Gaianitarum, & Apollinaristarum Hæreses in Poloniam reportarunt.

Examinatores.

EXAMINATORES vocat Ede rus, omnes Euangelicos, qui non solum scripturam, sed & scripturæ reformationem, & reformationis reformationem, in omnibus suis punctis, & numeris, examinandam putant, vtrum cum Regula Catholicæ fidei, cumq; Propheticis, & Apostolicis scriptis consentiat vnde fit, vt sem per examinando semper quærendo, semper altercando veritatem amittant: & licet examen totius fidei Christianæ comprehensum habeatur, in Concilio Tridentino, illi tamẽ examinari hoc ipsum examen volunt, & hoc ipsum suum examen, iterum, & iterum examinant, ac ita ad inuicem ad latrantes, inuicem mordentes, inuicem vnus examẽ alterius lacerat, & consumit.

Extrauagantes.

EXTRAVAGANTES, appellantur sectarij de tertia classe Confessionistarum: qui tametsi doctrinam Augustanæ Confess. non obscurè oppugnent, tamen sese pro Lutheri, & August. Confess. sectatoribus gerunt: idq; faciunt, non quod in eius placitis, & decretis omnibus sine exceptione acquiescant, sed propter metum Principum suorum: qui illi Confessioni nomina dederunt: re certe, & veritate, minus Confessioni, minus etiam Luthero Præceptori tribuunt, quã reliqui Confessionistæ, in quo porrò dissentiant, cum de Suencfeldianis, Osiandrinis, Stancarijs, Antistanc. nouis Pelagianis, nouis Manichæis agemus, (ij enim omnes in ordine Extrauagantum recensentur) ostendemus.

Farellistæ.

FARELLISTAE vocati sunt Geneuæ, Sanctio teste, doctrinæ Sacramentariæ sectatores, quam ante Caluini Pontificatum Vvilhelmus Farellus profitebatur. Is, vt habet Lyradanus, cum Montepellicardum bis profugisset, & à Basilicnsibus ob seditionis periculum in exilium abire iussus esset, Geneuam secessit, ibiq; aliquandiu Archisinagogum egit, sectæ Sacramentariorum. Interim Caluinus è Gallia furcas, & fasciculos fugiens, Geneuam peruenit, eũ Farellus lectorem in Theologia constituit, & postea, vt habet Sanctius, inter Ministros verbi cooptauit. At Caluinus cornua statim contra Farellũ erexit, Oligarchiam Consistorii sui moliri cœpit, omniaq; turbare: quo nomine eiectus à Senatu, Argentoratum secessit. Vnde tamen paulo post pedem Genenam retulit, receptatoriq; suo Farello grauior adhuc esse cæpit, eius decreta, & ordinationes rescidit, Cathedra, atq; Ecclesia Geneuen deturbauit: eiusq; vbiq; extincto, relictoq; nomine, suum suppositit: nec nisi perfecta re conquieuit, ita vt qui Geneuę primum dicebantur Farellistæ, vocari de inceps cæperunt Caluinistæ, Petrus Carolus in Epistola ad Cardinalem Lotharingum, præter cõmunes omnium Sacramentariorũ errores, hunc Farelli propriũ esse vult, quod Spiritũ Sanctum, nil aliud esse doceret, & crederet, quam motum in rebus creatum.

Tiguristæ.

TIGVRISTAS, vocat Sanderus, in visibili Monarchia: qui alio nomine vocantur; Tropistæ, qui panem in Cæna propositum, non corpus sed figuram esse volunt corporis, docentes Corpus Christi non quidem per Pronomen, Hoc, demõstrari, sed adumbrari tantum, per modum quendã loquẽdi figuratiuum. Secta hæc ad Sacramẽtariorum castra pertinet, qui cum sint in centum sectas dissecti, de singulis suo loco, & ordine agimus.

Flacciani, vel Illyricani.

FLACCIANI, vel Illyricani dicuntur à Mattia Flacco gente Illyrico, quem quidam Germaniæ Dauum appellant. Is ad eam Lutheristarum sectã pertinet, qui rigidi vocantur. Cum enim à Philippo, & Vittembergensibus non omnia ad vnguem Lutheri placita obseruari, probariq; cerneret, immo pleraq; in eius doctrina, & scriptis mutata, truncataq; videret, & præsertim doctrinam de necessitate bonorum operum, quæ ille cum Luthero esse necessaria ad salutem prorsus negabat. Vittẽbergeñ. vero Luthero mortuo inter Adiaphora ponebãt: cæpit cum eis pro Lutheri gloria vehementissime contendere, Anathemate percussit, diris deuouit, diabolo tradidit. Ethnicos, & Publicanos pronuntiauit: vociferans vsque ad sitim, quod per suas Adiaphoricas opiniones, & doctrinas, secuturo Papatui fenestras aperirent. At non impune tulit audaciam, egregie vicissim acceptus est à Philippo, & Vittembergeñ. Magistris. Ait enim in præfatione, in Corpus doctrinæ suæ Philippus, qđ cum isto mirabili hominũ genere agi nil potest, qui omnia damnant, cogunt Cõcilia vbi volunt, & vbi ipsis placet, maioremq; & minus tollerabilem, & minus excusabilem authoritatem, & potestatem

vsur-

vſurpat, quam Pontifices Rom. vnquam. Teſtatur quoque Heſuſius tantum fuiſſe Magdeburgi Flacciani nominis odium, vt & ex Prætorio, inquit, & ex Scholis eo tandem res proceſſit, quod etiam pueri in plateis, & virgines quoties ad nuptias conueniunt, mutuo ſe Flaccianos increpent, & toruis oculis inuicem aſpiciãt. Citat Hoſius.

Fratricelli.

FRATRICELLI, & antea fuerunt Benedicti Pontificis, & Alberti Cęſaris temporibus, & hac tempeſtate noſtra Poſnaniæ in Polonia viſi ſunt, & hoc ipſo nomine vulgari lingua vocãtur. Coetus ſuos in ſuburbio ciuitatis cogebant, in quibus partim Lutheri dogmata profitebantur, partim Picardorum errores admiſcebant, de quibus ſuo loco dicemus. Primus eorum Miniſter fuiſſe exiſtimatur Ierzyk Bohemus, homo prominenti barba, impexoq; capillo teterrimus: concubitu quoque vſi ſunt promiſcuo, & omnia reliqua eſſe debere communia cenſebant. Legimus aliquando nefandũ quoddam ab ijs facinus perpetratum. In locis abditis coetus ſuos alicubi cogebant, in quibus diuinæ laudes cantabantur. Ad eas inuitatæ ſunt quæq; ſpecioſiores virgines, & viduæ, finitis circa mediam noctem laudibus, ſacrificus alta voce commonebat binos debere, maſculum ſcilicet, & fœminam, ſancto inuocato Spiritu, in copulam carnalem commiſceri. Quo dicto, luminibuſq; extinctis, quilibet ubi proximam mulierem comprimebat, & ſi ex tali cõcubitu mulier poſtea peperiſſet, infans genitus in eandem ſpeluncam deferebatur, & per ſingulorum fratrum manus, tã diu totieſq; tradebatur, quouſq; animã exhalabat. Ille vero in cuius manibus expirabat, maximus ab illis Pontifex habebatur. O Magnã Chriſte patientiam tuam. Hanc autem adeò horrendã, & deteſtandam impietatem corrigere forſan volẽtes Fratricelli Synagogæ Poſnanienſ. domum quandam virginum, ſeu ſororcularum, vt ita dicam, excitarunt, Synagogæ Oſtrorogianæ vicinã, in qua aliquot puellæ eadem perfidia inquinatæ cõmunibus impenſis aluntur incluſæ, quæ virginitatis ſuæ cuſtodiam profitentur, & ſunt quaſi Picardicæ Moniales, quæ viciſſim alias puellas, cum ad filum, & colum inſtituunt, tum quod peius eſt, eiſdẽ fraterculorum erroribus, teneras earum mentes, imbuunt.

Fratres amoris.

FRATRES amoris, vocat Sanderus, lib. 3. de Schiſmate Anglicano, genus quoddam Caluiniſtarũ. Diuiſit, ait, hoc tẽpore in Anglia Deus linguas hæreticorum. Nam præter vnum vel alterũ qui aſſerebant quendam Ioannem Morũ tunc viuentem eſſe Meſſiam, & præter varias Fratrũ amoris, Anabapt. & Atheorũ (Nam omnes ferè Hæreſes in Atheiſmũ degenerant, & ex multis fidibus, vt quidã dixit, tandem nulla fides ſit) noua etiam rigidorum Caluiniſt. ſecta, qui Puritani appellantur, ſcriptis, & concionibus vulgares proteſtãtes exagitare cæperũt. Habent autem iſti pleraq; cum Fratricellis cõmunia, multa peculiaria, nocturnos cõuentus agunt, extinctis luminibus promiſcuos concubitus exercent, baptiſatos à Proteſtantibus in ſtatu damnationis reputant, ſaluum aiunt fieri poſſe neminem, qui ab illis diſſentiat, Cænã Caluiniſtarũ carnem porcinam vocant, Magiſtratũ inter Chriſtianos non admittunt, communia eſſe volunt omnia, rem, fortunas, vxores. Huius inſaniæ hominem Anno 1588. Proteſtantes Caluiniſtæ flãmis corrigendum, & dedocendum obtulerunt. Kettnomine, & Prouincia Noruegenſi in hoc vno, cæteris fratribus perfectiorem, quod Chriſtum in rerũ natura fuiſſe negabat: & ſi concederetur Chriſtum fuiſſe, & ea docuiſſe, quæ noui Teſtamẽti libris continentur, neceſſario eſſe concedenda, & credenda reliqua omnia, quæ in Papatu docentur: Orationem dominicam reijciebat, propter illud. Scit Pater veſter qđ his opus habetis, & qui orationẽ recitat, Dei prouidẽtiam infamat: Mulieres poſt partum, niſi Hyeroſolimã purgationis gratia accederent, in ſtatu dãnationis viuere. Carnis reſurrectionem negabat, quia Chriſtus ꝓ nobis reſurrexit. Iehoua quẽ Iudæis locutum ſcripturæ teſtantur, non Deum ſed dæmonem fuiſſe affirmabat.

Frontones.

FRONTONES vocat Lyndanus, quos Erasmus perfrictæ frontis appellat, genus quoddam Euangelicorum, qui Scalptro perfricant frontem, donec eliciant sanguinem, ac mox locum inungunt oleo, ac ita Christo initiantur. Istos An. 1534. scribit Erasmus exortos. Aliũ præterea vidimus neminem, qui fanatico rum istorum luculentiorem aliquam face ret mentionem, aut errores copiosius describeret.

Geusij.

GEVSII vocantur in Germania inferiori, cuiuscumq; sectæ tandem Hęretici, siue sint Lutherani, siue Sacramentarij, siue Anabaptistæ, quicumq; Regi, religioniq; Catholicę nuncium remiserũt: aut arma parricidialia sumpserunt. Nominis huius originẽ Surius eam recẽset. Fæderati in Flandria Nobiles, libellum supplicẽ Illustriss. Gubernatrici porrexe runt, de prorogando Inquisitionis negotio: dum ad Regem suum Philippum referretur. Aderat magni nominis Eques Aurei velleris, qui liberiori fœderatorũ sermone exacerbatus, Gubernatrici dixis se fertur. Non est quod formides Princeps: Geux, id est, mendici sunt isti, & nihili homines. Illi uero accepta occasione, se fœderatosq; omnes vocare cœperunt Geuseos, & in publicis congressibus, & conuiuijs exclamare. Viue les Geux, viuant Geusei. Quidam lignea uascula, siue lagenas, quales esse mendicorum solent, appensas collo circunferebãt, è quibus hausto passim vino clamabant. Viue les Geux, Vestes quoque cinericij coloris induerunt, & vasculis laminas argenteas affixerunt, cum inscriptione Viue les Geux. Doctrinam ut diximus, quãcumq; tandem sequuntur, præter Catholicam. Quantas porro clades florentissimis illis Prouincijs obtulerint, quantum Christiani sanguinis effuderint, nõ est nostri propositi, isto loco recensere. In Phalarismis Flãdriæ pleraque cõmemoram⁹.

Gentilistæ.

GENTILISTAE, seu Valentinistæ, vocari in patria nostra cœperant, sed non multo post desierant, sectatores, & discipuli Valentini Gentilis Itali, patria Consentini, qui tam in Germania, quam in Polonia, Michaelis Serueti, de Christo, deq; adoranda Trinitate, ter execrandos errores tuendos, ac defendendos, suscepérat: & nouis præterea erroribus auxerat, ac in suam nassam non paucos pertraxerat. Extat breuis historia, à Benedicto Aretio, Berneñ. Theologo, Geneuæ 1567. ædita: de iusto eiusdem Valentini supplicio. Valentinus, ait, Geneuam ex Italia peruenit. Ibi tum Georgius Blandrata Medicus negotium Trinitatis recenter cęperat conuellere: priuatim tamen adhuc, & familiari scriptione, Vltro citroque lis erat de vocibus receptis οὐσία, ὑπόστασις Trinitas, & ὁμοούσιον. Voluebant idem saxum Gribaldus Iurisconsultus celebris, & Ioan. Paulus Alciatus Mediolanensis. Hanc concertationem cum intelligeret nouus hospes Gentilis, cœpit acumen ingenij in eodem argumento exercere: accusans Ecclesias Euangelicas grauiter, adhuc cum Papistis de Trinitate errare: nec Trinitatem, sed Quaternitatem potius tueri ac docere. Veram enim Trinitatem habere, tres æternos & distinctos Spiritus, non tã personali, quam essentiali numero differentes. Re peruulgata, mandato Senatus Berneñ. à Gaiensi præfecto carceribus mancipatur: sed paulò post ea conditione dimittitur vt tranquille & pacifice viueret. Sequenti æstate, in Poloniã euocatur à Blandrata, & Alciato. Mansit ibi biennio, tantisper scilicet, dum inter se cępissent dissidere. Nam Blandrata palam Arianus factus erat: Alciatus uero Machometista. Interim Rex Polonię Sigismundus Augustus volens perturbatæ in Regno suo religioni succurrere, ex decreto Cõmitiorum Parczouieñ. 1566. Edictum promulgat, quo õmnes peregrinos noui dogmatis authores, iubet Polonia ex-

nia excedere. Exceſſit ergo & Gentilis, cum tamen prius Regiæ Maieſtati librum dedicaſſet, in cuius præfatioue fol. 6. conqueritur monſtroſas, & prophanas voces in Eccleſiam inuectas eſſe, vt ſunt ὁμοουσιον, Perſona, Eſſentia, Vnitas, Trinitas, quibus omnia diuina myſteria peruerterunt, ut ſempiternus ille Deus, cũ ſuo filio & Spiritu Sãcto prorſus ignoretur. Reliqua doctrinæ capita libello comprehenſa, næc ſunt. 1. Trinitas eſt merum humanum commentum, Catholicis Symbolis incognitum, cum Euangelica veritate ex Diametro pugnans. 2. Solus Pater vnus ille Deus eſt, qui in ſcripturis vnus, et ſolus Deus dicitur. 3. Filius à ſeipſo non eſt, ſed à Patre, cui ut eſſentiatori ſub ordinatus eſt. 4. Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, non ſolũ quod ad perſonas attinet, ſed etiam quo ad οὐσιαν diuiſi ſunt. 5. Filius à Patre genitus eſt. Secundum οὐσιαν, vt ſubordinatus Spiritus, differens à Patre. 6. Tres ſunt æterni Spiritus, quorum quiliber, per ſe Deus eſt. 7. Hos tres Spiritus diſtinctos eſſe ordine, gradu, & proprietate οὐσιας. Imprimis vero in eam inducit diſtinctionẽ eſſentiæ, vt tres æternos numeret, & gradu diſtinctos conſtituat Spiritus. Et cum nos dicimus, Pater Domini Ieſu Chriſti eſt perſona in una indiuidua Trinitate, Gentilis falſam hanc eſſe contendit, & dicendum eſſe, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, vnus eſt ille Deus: Item cum dicitur, Pater, Filius, & Spiritus Sãctus, vnus ſunt Deus æternus. Ipſe de hæreſi nos accuſat, & inquit. Solus Pater eſt αὐτόθεως, ἀγέννητος, & eſſentiator: Filius autem eſſentiatus, & quidem Deus, ſed non αὐτοθεως. Sic etiam Spiritus Sanctus ideoq; non unus, ſed tres æterni. Item. Quod dicimus vnũ Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate venerandam eſſe: hãc piam & ſimplicem ſentẽtiã, dicit eſſe Sophiſticã: & tres Spiritus realiter ſubſiſtentes affirmat. Sic loquitur. Antid. 3. fol. 22. Tres igitur ſũt, quia tres æterni Spiritus: & fol. 70. Seſe aperit. Tres, inquit, æterni Spiritus congruo ordine, & gradu diſtincti. Et quanquam concedat Patrem, Filiũ, & Spiritũ Sanctũ, tres eſſe perſonas eiuſdẽ naturæ, tamen addit diſtinctos eſſe ordine, gradu, & proprietate: quæ dum illi explicanda ſunt, ait, proprium Patris eſſe vt appelletur vnus, & ſolus Deus: qua explicatione manifeſte excluditur Filius, & Spiritus Sanctus ab unitate deitatis. Fingit autem quandam αὐτουσιαν, quæ in ſolo Patre conſiſtat, ac Filij non ſit. Hinc Patrem αὐτόθεον nominat: vt per excellentiam verè, & propriè Deus ſit, Filius aũt non αὐτοθεος ſed δευτέροθεος aut ἑτεροθεος, Hinc illud. Filius à ſeipſo non eſt ſed à Patre Deo qui eſt αυτοθεος fol. 34. Item fol. 161. quod Pater in ſcripturis dicitur, vnus, & ſolus Deus inuiſibilis, altiſſimus, & Deus CHRISTI ſiue verbi incarnati. Item fol. 82. Filius ſubordinatus eſſentiatori. Sic Patrem conſtituit Eſſentiatorem, Filium autem eſſentiatũ ab illo, vt Pater proprie Deus ſit, Filius autem ſubordinatus Deus.

Summa eſt, tam ſcripto, quam voce profitebatur, vbique Gentilis, quod eſſet patronus ſummi patris eminentiæ, & aſſertor gloriæ patris. Non dubitauit etiã dicere, neminem adhuc, quod quidẽ ipſe ſciret, pro gloria & eminentia patris mortuum eſſe: Propheras, Apoſtolos, pioſque Martyres, pro filij gloria, perſequutiones, mortẽ, & extrema quæq; paſſos eſſe: eminentiam autem Dei Patris, nullos adhuc martyres habere.

Trinitatem ita probroſis vocibus inceſſit, vt ex Acheruſia paludẽ (verba ſunt Aretij) fędiores non exhalent vapores: nec Anagyſis commota, ita poſſit eſſe moleſta ſano capiti. Vocat enim nouũ Idolum, Deum Triperſonatum, Deum Sophiſticum, Diabolicam perſonam, & fictitiã, perſonam fantaſticam, perſonam Sophiſticam: in nouo Deo, execrabilem mixturam, horrendam confuſionem, quartum Idolum in orcum detrudendum, primam perſonam magicam in vno Deo, quæ vere larua & inane ſpectrum ſit, monſtroſum nomen, Deum Trinoninium, tergeminum Chriſtum, Chriſtum transformatũ in eũ, qui filius Dei non ſit. Quas oẽs blaſphemias

mias in diuersis eius Anthidotis, à folio primo vsque ad folium nonagesimum quartum, lector passim aspersas inueniet. Prosequitur Aretius. Nos verò, inquit, Antytheos hæreticos Iudæis similes, Turcis pares appellat, quasi cũ Machometo, negemus Deum genuisse filium, Lutherũ, Zuinglium, Buccerũ in oppugnando Antichristo, solum occupatos fuisse in caudæ oppugnatione, solumq; Philippum ex tot millibus vnũ fuisse, qui quasi aliud agẽs, lethale vulnus ei potius minari, quã infligere videatur.

Reliquæ porrò blasphemiæ, quibus isti immundi porci, Deum, & Ecclesiam eius conspuunt, tam sunt tetræ, & horrendæ, vt eas referre abhorream. Aiunt istum Deũ nimis versipellem, qui se interdum occultet in vno, interdum verò dilatet in tribus personis. Aiunt hunc Deum, qui sit vnus in tribus, nihil vnquam egisse, vel verbo vel opere, nec habere filium, nec mediatorem, & nihil differre à Deo Baal, Moloch, Bytho, Turcico, & Iudaico. Non esse vnum Deum Patrem Christi, in essentia, & personis quærendum. Sub titulo essentiæ Dei Sathanam coli: esse laruam triformem, & fictitium Deũ. Tædet omnes istius hominis vere Gentilis, blasphemias, censuras, calumnias, imposturas, recensere, Tam horrendæ, atq; execrabiles fuerunt, vt ipsorum Caluinicolarũ aures ferre diutius nõ potuerint. Reuersus enim ex Polonia, virus denuo suum, multo etiã acuratius in Sabaudicis, & Helueticis Ecclesijs cœpit euomere: persuasit enim Præfecto Gaiensi, vt disputationem institueret, de assertionibus à se propositis, quas etiam Geneuam, & Lugdunum transmisit, vt si quis Caluini discipulus vellet præceptoris sui sententiam tueri, Gaium intra hebdomadam accederet, & ea conditione cum Gentili congrederetur: vt ni si quisque assertiones, quas tuendas susceperit, ex aperto verbo Dei, veras esse demonstraret, esset tanquam manifestus impostor, & falsæ religionis assertor, capitis pœnam luiturus: quod si nemo compareret, Præfectus cum Senatu Gaiensi clare pronunciaret, Gentilem de altissimo Deo, & filio eius IESV CHRISTO, pie, & Orthodoxe sentire. Senatus Bernensis, visa hominis obstinata peruicacia, non ferens Caluini sui doctrinam ab externo transfuga lacerari: postquam cum homine diligenter egisset de conuersione, nec quicquam proficeret, tandem. 9. Septembris ad præcauenda (vt habet capitalis in eum lata sententia) dissidia, & eliminandos tam atroces errores, capite plectendum censuit: ad quod supplicium cũ duceretur, non desijt ingeminare se pro gloria altissimi Dei patris mortem oppetere, nos omnes Sabellianos esse, & Deum habere Trinonimum: in qua etiã blasphemia perseuerans, manu carnificis cœsus, & basphemare, & viuere desijt. Hæc Aretius.

Atque vtinam cum eo simul horrendi eius errores viuere desijssent, sed nimis pertinaciter proh dolor cum quadam indomita peruicacia, à Tirtheitis, & Arionitis, cum alibi, tum in patria nostra retinentur, atque defenduntur. Vtinam nos dominus non in furore suo propterea arguat. Quid Ebion, quid Cherintus, quid Arius, quid Sabellius, quid mile alii. Non est blasphemia super istorum blasphemiam. Sol olim obscuratus est, terra tremuit, petræ scisæ sunt, cum Iudæi Christum in carne morti traderent, & nos tantam Dei patientiam experimur, quod sub pedibus nostris terra non dehiscit, quod sol non obscuretur, cum CHRISTI diuinitas ab istis Gentilibus, quodam suo modo in crucem agitur. Sed veniet tempus, cum ira diuina tarditatem vindictæ grauitate compensabit. Faxit optimus Deus, vt tandem errare, & blasphemare desinant, atque ab errore viæ suæ prius conuertantur, & viuant. Monstra hæc opinionum, & blasphemiarum omnium solidissime, doctissime, Catholicissime refutauit, Belarminus eruditissimus, nil vt addi posse videatur.

Gno-

Gnostici.

GNOSTICORVM quoq; antiquã Hæresim, Ministri quidam Sathanæ isto nostro sæculo ab inferis reuocarunt. Testis est Caluinus, in Institutione cõ. Anabaptistas. Docent. n. animam humanam esse ex Dei substãtia, eamq; morientem ad Deũ redire, illiq; reduniri fabulantur. In reliquis cũ Anabaptistarum grege sentiunt.

Goetas.

GOETAS, in libro de Abdicatione Regis Henrici, vocatos legimus eosdem, quos Diabolistas, quibus ludus & iocus est, quicquid in Deum blasphemię dici, aut congeri potest, dicere. Responsis, & oraculis multum tribuunt. Annulos, & chartulas circunferunt, barbaraq; nomina Teurgica impietate, & sortilegijs, vnguentis, ac virgis corileis, cęteriſq; impietatis instrumentis apprime delectantur. Aiunt huius generis γοήτιας in aula Gallica inueniri. Visa quoque est Parisijs charta virginea (infantis ne, an alterius animalis incertum) cum ignotis characteribus, & figuris, circuliſq; numero 38. & vno quadruplo maiore intermixtis, partim sacris, & nobis notis, partim alijs barbaris, & horrendis nominibus, qua Princeps quidam eo fine vtebatur, ne quis illi ferro, igne, aut alio quouis modo, nocere possit. Hoc genꝰ hominũ, & si Christianũ nomen vsurpet adhuc, re tamen, & veritate nil credit: vt dubitem an ad istum Hæreticorũ Cathalogũ referri debeat, nisi quod Athæi sunt in statu infidelitatis, ad quem omnes Euangelici properant. Isti eunt, illi peruenerunt, & æque Cœlum clausum est male credentibus, quã nil credentibus: sicut æque non viuit homo aquis præfocatus, siue in abyssum maris descenderit, siue adhuc in summis supernatet vndis.

Gribaldi.

MATHEI Gribaldi pestilentissimos errores, sic à Gaſparo Frãco in Cathalogo Hæreticorum descriptos legimus. Fuit Gribaldus Iuris professor in Academia Tubingeñ. clarissimus. Is circa Annum 1560. blasphemos, Diabolicos articulos euulgauit, & defendit. Quod verus, & æternus Deus nullas habeat personas. Et sicut animal brutum, persona vocari non potest, sic neque Deus. Vox Trinitatis est res merè excogitata. Blasphemiam esse ter maledictam, cum Deus summus, Trinitas vocatur. Vera Dei Ecclesia neminem aliũ in suis orationibus inuocare debet, quam Deum Patrem: Christus nullũ aliũ Deũ docuit, & reuelauit discipulis, quam hũc ipsum. Blasphemiam esse, aliũ sibi Deũ facere, quam Patrem Iesu Christi, quem nobis tota scriptura ita diligenter commendat: Ecclesia quidem Deum Patrẽ, & verũ Deũ semper inuocauit per Christũ, sed quod Christũ inuocauerit, & pro gratia supplicauerit, vt Deum, hoc nunquã fecit. Si Trinitas, quæ ex tribus personis constare dicitur subsisteret, sequeretur quatuor esse Deos, Patrẽ, filium, Spiritũ Sanctũ, & quæ ex his tribus personis cõstituitur Trinitatem. Credit etiam, & cõfitetur, cum scriptura solũ Patrem esse verum, & summum Deum, rerum omniũ principium, qui filium genuit, & in creatione tanquam opificem adhibuit: postea in mundum misit, & glorificauit. Cæterum (ait) illũ Deũ Fictitiũ, confusum, quẽ humana subtilitas in locũ veri, & summi Dei substituit, nullo pacto agnoscimus & profitemur. Si Pater, filius, & Spiritus Sanctus vnus Deus esset, sequeretur, qđ & Pater, & Spiritus Sãctus æque, vt filius humanam naturã assumpserit, & ex Maria virgine natus sit, Pater, filius, & Spiritus S. posteaquã sunt tres Spiritus, vel tres spirituales substantię essent naturaliter vnum, hoc est, vnitate voluntatis, & animi: sed non vnitate substantię, ita vt vnus, & idem numero sit Deus. Christus docens discipulos, quomodo Deũ debeãt inuocare, Patrẽ tantũ vt vnũ Deũ, & verũ iussit inuocare: Iusisset etiã proculdubio, & Filiũ, & Spiritum S. si eiusdem cũ Patre essent substantiæ, neq; id coram sibi chariſſimis discipulis subticuisset. Paulus electum illud Dei vas, licet in Cælum raptus fuerit, & omnia secreta viderit, nil tamen nobis de Trinitate scriptum reliquit. Christus ipse & omnes

Apo-

Apostoli, solum Deum Patrem verum, & summum Deum mundo reuelarunt. Ne quaquam tamen cohæret, ut is vnus, & solus possit, vel esse, vel vocari Trinitas. Esset omnium stultissimus, & Atheus, qui vellet Trinitatē pro vero, & summo Deo agnoscere, & inuocare. Quicunq; igitur Sacræ Scripturę interpretes, tres substantias, siue tres Spiritus æternos re, & numero distinctos, eundem numero Deum Trinitatis nomine nuncupatum sibi constituerunt, imaginarias hominum traditiones, magis, quam veritatem, & simplicitatem ipsius scripturæ secuti, miris sine dubio modis, hallucinati sunt, & in errores innumeros impegerunt. Hæc impurissimus Gribaldus, cuius sententiam penè omnes sequuntur Trideistæ; etiamsi multis in rebus dissideant, in diuersas triginta duas opiniones distracti, quod ostēdemus, cum de Trideistis agemus.

Hic fuit Valent. Gentilis amicus, & familiaris: cum quo aliquando mansit in pago Fargiarum in Præfectura Gaiensi: aderat & Alciatus, armantes sese mutuis consilijs, & artibus, ad oppugnandā Christi viuentis sempiternam Diuinitatē, quā postea audaciam Gentilis capitis luit supplicio, ut dictum est.

Hamstedei.

HAMSTEDIANOS ab Adriano Hamstedio vocatos, ait, Lindanus. Is in Zelandria, & inde profugus in Anglia docuit, Liberum esse infantes sine baptismo seruare ad aliquot annos, nec vllius conscientiam hac in re ad certum tēpus adstringi, cuiusuis authoritate posse. Docuit præterea credere Christum Dominum ex semine mulieris natum, ac humanæ carnis participem factum, non pertinere ad ipsum religionis Christianæ fundamentum: sed ad quandam fundamēti circunstantiam. Quicumq; ergo Christum ex mulieris semine natum negat, nō fidei fundamentum, sed vnam ex fundamenti circunstantijs negat. In alijs fidei articulis cum Anabaptistis sentiebat.

Hesusiani.

HESVSIANI in Saxonia à Tylmāno Hesusio vocantur, homine inquietissimi ingenij, ita ut flabellum seditionū appellaretur et è Sex Germaniæ Ciuitatibus, Goslauia, Rostochia, Heildeberga, Brema, Magdeburga, & Vesalia, Polytici magistratus authoritate, partim sit eiectus, partim non sicut alij carbonario curru, sed sicut par erat Superintendentis dignitate, tecto carpento noctu est exportatus, multis armatis circumseptus, de quo etiam Vittembergeń. Magistri lepide cecinerunt.

Quæritur Hesusius, cur sexta pulsus ab vrbe est,

In promptu causa est, seditiosus erat. Sed nec ipse sibi causæque suæ defuit, Magdeburgeń. enim, & Vittembergeń. molles Lutheranos multis editis libellis circa Annum 1566. extra suam Ecclesiā pronunciauit, eorumq; communionē suis omnibus interdixit. Flaccianos rigidos Lutheranos similiter à Deo, & ab ipsius verbo defeciſſe clamat: cum Beza quoq; in sacramētario negotio hamatis scriptis contendit; ita vt difficile sit diuinare, quidnam de fidei articulis sentiat. Qui licet bellum atrox omniū opinionibus indixisset, sese tamen Luthericolam, & Augustanæ Cōfessionis acerrimum sectatorem profitetur. Hoc certum est, quod cū Caluinus Seruetianum, Boquinus esse vult Ariannm, Clebitius vero præter crimen peculatus, multòrum in fide errorum accusat: & inter cęteros, quod aliquando dixerit. Trinitas est Vnitas.

Hoffmanici, alias Melchioristæ.

HOFFMANICOS ad sectam Anabaptistarum refert Hosius, & Lindanus, à Melchiore Hoffmanno vocatos, eosque tanta fuisse confidentia, ait, ut Argentinenses concionatores ad disputationem prouocarint 1532. super his infrascriptis articulis. Christū nō assūpsisse ex virgine carnem, sed Deū carnem esse ex se factū.

Qui

Qui accepta gratia voluntarie peccaret, nunquam in gratiam recipi, Salutem esse in nostris viribus collocatã. Illud quoque de mille annis corporalis Christi Regni, Hoffmanistis tribuitur.

Hugonistæ.

HVGONISTAE, siue Hugonoti, pestes potius afflictissimæ Galliæ, Furiæq; à dæmone obar matæ censendi sunt, quam homines: ita vt eos recte quidam in Megeræ simul, & Euangelij sui verba iurare dixerit, occinentes quotidie.

Certetur omni scelere, & alterna vice
Stringãtur enses, nec sit irarum modus.

Liber autẽ Parisien. similes esse vult infernali Alecto, quam ita describit Vergilius.

----- Cui tristia bella.
Iræ, inuidiæq;, & crimina varia cordi.
Odit, & ipse Pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrũ; tot se vertit in ora
Tam seuæ facies, tot pulsulat atra colubris.

Ita clade, cæde, ferro, sanguine, patriæ suæ cineribus laginantur, Nomen hoc accepisse existimantur, vel ab Hugone Ludi magistello Parisien. vt ait Sanctius, vel ab Hugone Capeto, ex Comite Parisien. Frãcorum Rege, quod Sacramẽtariis placet, vt authorum quoq; suorũ, maiorumq; nomine, legitime potestati, Principibusque suis tãto essent formidabiliores. Marloratus, aliã edit huius nominis originem, in libello de Orthodoxo, & Hugonistico Baptismate, Ait enim, quod in ipso hæresis initio, congregationes suas in Gallia media nocte faciebant Hæretici, & cũ irent redirentq;, multo cũ silentio, per vrbium vicos, ad instar cuiusdam Hugonis laruæ, quẽ apud Turones, nocte ciuium animos perterrere vulgus existimat: fuit vnus prædicator Theologus, qui primus pro Concione Hæreticos Hugonistas appellauit. Fidem quod attinet, aut Caluinũ, aut Lucianum sequuntur, aut neutrum, sicut in Atheistarũ hæresi dictũ est. Mores eorũ, studia, conatus, truces, & færoces vultus, & seditiosa turbulentaq; consilia, in Deũ, Ecclesiarum, Regem, Patriam, diuinas & humanas leges, in omnes bonos, vir doctissimus. & mihi amicissimus Claudius Sanctes Gallica lingua in eo libro descripsit, in quo de direptione Ecclesiarum Catholicarum per antiquos Hereticos, & nouos Caluinistas Anno 1562. agit. Præcipua tamen istorum fides esse videtur, omnia in Regno sursũ deorsum agere, imma summis permiscere, bellum pace, pacem bello commutare, & anguillas, vt ait, Hesiodus, in turbato cœno capere: idque res in Regno hucusque gestæ loquuntur, Summa est, bellum nefariũ, vniuersæ pietati, & cunctis sanctatibus, Hugonistæ indixerunt. De anima, cũ Nanno Grasso, & Luca Orasio Florentinis sentiunt, quorum alter potentiori se commendare solitus est, siue Deus ille, siue dæmon esset. Alter moriens horrendũ illud Epiphonema edidit, Chi può più, più tiri. Qui plus potest, plus rapiat.

Huttitæ.

HVTTITAE sunt, Secta Antilutherani, à quodam Ioanne Hutto, vt habet Lyndanus, nomen assecuti: ij sese corporaliter populum Israeliticum iactitabant: Cananeorum omnium excisores: diem domini breui instare: ideòq; omnia ante eius aduentum abligurienda censebant: Vnde etiam sunt ad summam inopiam redacti, frustra diem Domini intẽpestiue expectantes. Tales olim in Polonia videre plerosq; licuit, qui Nobilissima patrimonia in cœnis suis Euangelicis helluati sunt, tanquam cras in Abrahæ sinum euolaturi, Testes sunt palantes, & egentes relicti liberi.

Iconoclastæ.

ICONOCLASTAE, & olim vixerunt, & in hac prope deposita Reipub. Ecclesiasticæ parte, toto fere orbe Christiano reuixérunt. Nulla enim in tanta, Sectarum colluuie, quę Catholicam Romanam Ecclesiam, Sedem Antichristi putat, quocumq; tandem nomine censeatur extitit, quæ diuorum imagines in tẽplis tolerandas putaret: sed eas vbiq; flamma ferroq;

ferroq; excindunt, causam errori suo hãc obtendunt, ne rudis & simplex populus, erectas & propositas in templis imagines, tanquam Deum & tanquam Sanctos eius inuocet: cum sint nuda lignea, & lapidea simulachra. Quasi vero quemquam unquam hominem in vniuersa Christi Ecclesia, ita truncum & saxeũ viderint, qui imaginem Christi Crucifixi, ipsum Christum Deum, Deiq; viuentis filium; aut Petri statuam, ipsum Petrum, & non Petri signum putet: aut Pauli imaginem, ita ut in carne viuentem, Paulum, verbis, & precibus pulsandum, sollicitãdumq; existimet. Hoc potius Euangelici faciunt, qui Lutheri sui, Caluiniq; & Volani, & Budnæi, & Bezagæ mendacia saluifica Christi verba, & Sacrosanctum Christi Euangelium, quicquid ipsi dixerint; venerabundi recipiunt. Ista est vera spiritualis Idololatria, cuius, & nos ipsi (scit Dominus) & infinita prope scriptorum, & concionatorum turba, Iconoclastæ, & euersores esse cupimus, vt hæc Sathanica opinio ex omnium hominum animis eradatur, qua putant vnius hominis somnia, antiquitati, vniuersitati, consensioni totius Ecclesiæ Catholicæ præferenda. Talem olim fidem, vel potius superbiam, præsumptionem, Suisticam fidem vocabat Hosius, de qua suo loco dicemus. Hæreses porrò, & fidei errores eosdem in vniuersũ Iconoclastæ amplectuntur, quos Lutheristę, Caluinistæ, Trideistæ, Anabaptistæ, Iudeistæ, Hugonistæ, Geusitæ, Volanistæ, Omnes sine exceptione sicut ex animis Dei & Sanctorum eius memoriam, sic ex oculis illorum signa, statuas, figuras, imagines, omnia pietatis symulachra eiecerunt: & in plerisq; tamen locis, apud Lutheranos præsertim, quod olim Vittembergæ vidimus, suas & coniugum suarum venustissimas imagines templis omnibus aspersérunt, quasi dicerent. Viuat memoria coniugis, pereat memoria Martyris. O Christe bone, Lutherus certè festum Sanctæ Crucis anathema vocauit, & antiquum signandi se cruce morem, magicæ superstitionis nomine, Brentius condemnauit.

Ienenses.

IENENSES vocantur ab ipsis Euangelicis, Ienensis Scholæ, & oppidi Magistri, & Ministri, cęteraq; doctorum, & Pastorum turba, qui se esse viros, ac legittimos incorruptæ Lutheranę doctrinæ hęredes, & possessores Trasonicè gloriãtur: eaq; omnia pro puro, puto, verbo Dei, sine exceptione recipienda putant, quæcumque vnquam, odium illud Dei omnipotentis Lutherus effutiuit, quam libet ea sint spurca, horrenda, putida, mendacia. Eos vero qui, vel respondere, vel omnino contra Lutherum audent hiscere, è cætu fratrũ eijciunt, conuitijs prosciṅdunt, Anathematismis obruunt, tetro Cacodæmoni adscribunt. Refert Hosius vidisse supplicatorios Flacci libellos, quibus instat, & vrget mirabiliter, vt in Germania Synodus habeatur, à qua tamen arceri vult, primo Christianos omnes, quos Papistas vocat, deinde Seruetianos Suencfeldianos, Antinomos, Anabaptistas, Sacramentarios, Osiandrinos, neque cum alijs quam cum Synergistis, Adiaphoristis, & Maioristis sibi rem esse vult: Adiaphoristas autem, & Maioristas, Patres, si Dijs placet, Vittembergen. intelligit, quibus cum in aciem committere vult, Ienenses.

Impeccabiles.

IMPECCABILES à Baptismo, ad Anabaptistarũ sectam pertinent. Tantæ enim virtutis, & efficaciæ suam illam tinctionem vel retinctionem esse volunt, vt postquam abluti fuerint, existimant se nullius peccati sorde deinceps inquinari posse. Si quid humanum patiuntur (patiuntur autem omnibus momentis, & horã vnam, sine scelere actam, mortem putant) id omne suscepti baptismi virtute, & efficacia obteri, ac propterea summi Dei indignationem minime prouocari credunt. Cæteris in rebus cum Anabaptistarum grege sentiunt.

IN-

Infernales.

INFERNALES esse vult Cochleus, qui negant infernũ: ac propterea Christum ad inferos non descendisse, cõtenduntq; suum cuiusq; sepulchrum vocari apud Hæbreos, Infernum: quodque Christus dicitur ad infernum descẽdisse, de ipsius sepulchro intelligendum esse: Ita docent pleriq; in maritimis ciuitatibus Bremæ. Naumburgi, Hamburgi, Lubecæ, Ita quoque Brentius in magno Cathechismo. Staphilus Inferianos vocat.

Infernales alij.

INFERNALES alij ab eodem Cochleo citantur, qui rectè possent Anti infernales appellari. Eos ita ait credere, non solum infernum esse, sed Christum ipsum ad locum damnatorum descendisse, & ibi æternos inferni cruciatus in anima perpessum esse. Ita Ratisbonæ Nicolaus Gallus, in Cathechismo, & Smidelinus cum clypeata anima Goppingeñ. præco. Sed, & Caluinus, in suis Institutionibus. Ad rigidos Lutheranos referuntur.

Interemistæ Cæsarei.

INTEREMISTAS Cæsareos, ita describit, Hosius: Post illam admirabilem victoriam, in qua Deus ipse pro ministro suo Cæsare causam suam agente pugnauit, statim in tres sectas Lutherana secta dissecta est. Nam alij facti sunt Adiaphoristæ, alij Interemistæ. Interemistæ porrò duplices, vni expermissu Cæsareæ Maestatis, qui nulla in re alia se Lutheranos profitebantur, præterquã quod neq; calicis vsum à Laicis intermitti, nec vxores à Sacerdotibus relinqui volebant. Quod ad reliquos ritus, & doctrinam attinet, quin per omnia cum reliquo orbe Christiano consentirent, paucis detractis abusibus, non recusabant. Quadragesima, & Sabbato, carnibus Catholicorum more abstinebant. Rem Lutheranam, nam diuina non erat facientes, lineis vestibus, cæterisq; Sacerdotalibus indumentis vtebantur. Festa, & imagines consueto Ecclesiæ more obseruabãt. Hos ex Comitiorum, 1548. decreto, saltem vsq; ad Oecumenicum Concilium tolerandos esse Cæsar in Germania censuit. Sed non omnis tamen in eo decreto grex Euangelicorum acquieuit. Testatur idem Cochleus, intra duos menses, septem editos fuisse libellos contra illud ipsum Cæsaris Interim, plenos opprobrijs & contemptu in Cæsarem, & omnes status Imperij, In Pontificem, In omnia Sacramenta, & cæremonias, quæ copiosè persequitur in prima parte appendicis de impio bello. Hos etiam vocat Lyndanus Semilutheranos.

Interimistæ Lypsici.

INTERIMISTAE vicissim Lypsici, Ciuitatis illius Pastores, ex Matheologi vocantur: qui hoc sibi arrogare ausi sunt, vt libellum Interim, qui Comitiorum decreto fuerat approbatus, arbitratu suo corrigerent: & nouum Interim Lipsiæ conscribereut. Quod vero ad ritus, & Cæremonias attinet, de his non magnopere cum Christianis contẽdebant: sed plus tamen aliquid sibi de Lutheri doctrina, quam fuit in Interim Cæsareo permissum, reseruare conabantur. Quamobrem etiã subscribentes ei libello confessi sunt, fide nos iustificari, iuxta Paulũ, sed quod erat additum à Luthero sola fide, id reiecerunt, nefas esse ducentes, aliquid addi verbo Dei. Illud quoque contra Lutheri sententiam receperunt; ad iustificationem opera esse necessaria, neque totã nostram iusticiam, in solius Christi iustitia ponendam esse. De pœnitentia quoq; receptam Ecclesiæ partitionem admiserunt, Septem Sacramenta concesserunt, Missam ante abolitam, rursus castratam restituerunt, vulgares Lutheri cantilenas fermè aboleuerũt, Episcoporum Iurisdictioni quominus parerent, causam non dixerunt, quæ omnia Flaccus in adhortatione ad Ecclesias Mysnicas, confirmat, & Hosius recitat. Addit Lyndanus, quod hoc ipsum genus

Inte

Interimistarum adiaphora, hoc est in differentia reputet, Ecclesiæ & Conciliorũ constitutiones atque cæremonias, quas qui vel obseruat vel violat mutatue, nil peccat, Amsdorphius porro, coruus æquè niger, vt isti, scribit. Interimistas simulare, & dissimulare omnia, atq; ita se comparare quasi Imperatori obtemperent, in eiusq; gratiam, Missam, & veterẽ religionem, amplexos fuisse, neq; id tamen facere, ac nihilominus in Lutheri disciplina permanere velle. Vigandus porrò tribuit illis perplexas, ambiguas, flexiloquas, vafras, & astutas locutiones, eosq; sine omni fronte scriptitare, quod à syncera Dei & doctrina Lutheri ne pilũ quidem declinent. Grauissime certe cõqueritur Illyricus, quod in illo Conciliabulo Lypseñ. decretum sit, Confirmationem, & extremam vnctionem esse ritus conferentes gratiam: atq; ita septem admississe Sacramenta viderentur. Verba sunt eius propria in Apologia ad Scholã Vittembergeñ. Lipsicum Interim, cũ non sine magno dolore, & gemitu perlegissem, animaduerti tales ibi generalitates, & alias Zophisticas fraudes, vt totus propemodum Papatus, per eas in Ecclesiã Christi introducatur. Addit vocatum suo tempore à multis fuisse hoc Interim, Theologorum (Bedenken,) In responsione vero ad Epistolam Philippi Melanchtonis præceptoris sui 1549. edita. Cur, inquit, in Lypsico Interim proposito, sola fides, in gratiam Episcoporum negligitur. Cur ponuntur illa verba (Vvir streiten nicht vom Vvortlein) Sola bona quoque opera ad Iustificationem esse necessaria docentur. In capite porò de pœnitentia proponitur summa quædam doctrinæ, quæ in Communione docenda sit, plane legalis, & non Euangelica. In capite de Confirmatione, cum eo ritu ab Episcopis obeũdo, coniungitur gratia Dei, qua confirmari debebant Christiani. In Cap. de Ecclesia, & Ordinatione Sacerdotum, totam nobis religionem funditus euertunt, cum iubent id docere, quod Ecclesia ordinat. Et iubent omnes simul doctores Episcopis obedire. Ex his omnibus, ait Flaccus, cuiq; veritatis cupido, facillimũ est animaduertere quod per Lypsicũ Interim, vera doctrina corrumpatur.

Interimistæ Francici.

POST Interim illud Cæsareum, prodijt Interim Lypsicum, vt iam diximus: Sed cum ne hoc quidem satis esse videretur, vagis & errabundis Deastrorũ Euangelicorum ingenijs: qui ad pœnã suæ ab Ecclesia defectionis, sicut Sodomitę in pęnam suę libidinis, cæcitate percussi, exitum quærentes, errant & oberrant, nec in omnibus negotijs religionis sciunt, quid velint, nec sciunt quid nolint. Fuerunt vicissim in illo Lypsico, interim, à Frãcicis doctoribus, & Ministris, quædã emẽdata & mutata. De ijs ita scribit Flaccus in Epistola ad Melancht. 1549. Iam venio ad alteram partem, in qua de rituũ mutatione se excusat. Fatetur se suasisse tũ alijs, tum Francicis, id est Marchionis Alberti Concionatoribus, sicut in Epistola ad Hambeurgeñ. clarius dicit, vt reciperent eam formam, quam eis post Cæsareum Interim aula proposuit, quia sine impietate seruari potuit: & id fuerit consultius, quam vel vastitatem facere in Ecclesijs, vel metu seditionis territare Principes. Affirmat, tantum potuisse sine impietate ferri illam seruitutem: nec tamen id probat, nec confutat, vel mea vel aliorum scripta, in quibus probatũ hactenus firmiter est non posse istas Adiaphoricas mutationes, & seruitutes ferri sine impietate. Otiose igitur sine ullis rationibus disputat. Sed ego Christo iuuante hic denuo probabo, præsentes mutationes etiam in ritibus (nam de doctrina superius dictum est) non esse sine impietate.

Primum igitur verum est non pauca impia fuisse in illo Francico Iterim: Inter cætera fuit etiam de recludẽdo sacramẽto in Ciborio, ac de facienda argentea lagenula, vbi seruaretur sanguis Christi. Contra quã partem lepide Nobilis quidam in Comitijs illis iocatus est, in hanc sentẽtiam (das er hette gelernet, vnser vater, der du bist im himel, und nist alcho vnser vater, der du bist in dem fleschlein) idest, Pater noster, qui es in Cœlis non qui es in lagenula. Hucusq; clamosus Illyricus.

Inui-

Inuisibiles.

INVISIBIES inde vocatos, ait Staphilus, quod nullam in terris Ecclesiã visibilem esse doceant. Siquidem Deus solus norit qui sunt ipsius. Ita Lutherus, & Melanchton initio, sed postea vi veritatis coacti, quod in considerate effutierãt, tacitè retractarunt, Illyricani tñ, Suencfeldiani, Osiandrini, & Anabaptistæ, quam semel amplexi sunt opinionem, retinent.

Iscariotistæ.

ISCARIOTISTAE, ait Lyndanus, huius sæculi sunt, qui negant à Iuda Iscariothe verum Christi corpus acceptum in Cœna Domini: idque testatur Suencfeldius in libello de hac ipsa quæstione inscripto: & Caluinus in admonitione contra Vestphalum. In reliquis Lutheri sententiam amplectuntur.

Iudaisantes.

IVDAISANTES, ex Anabaptistarum sunt numero. Aiunt isti sine obseruatione legis Mosaicæ saluũ fieri posse neminem Christianum. Quamobrem sese plerisq; circuncidi passi sunt. A porcina abstinent, Sabbatum sanctificant. Talem in Lithuania Principem, tales in Russia Nobiles, non mares solum, sed & fœminas fuisse audiuimus. Glirius minister vocatur in Lithuania Semijudeus, quod Iudaicis opinionibus multos inquinauit.

Iudæotrinitarij, siue Iudæi circumcisi.

IVDAEOTRINITARIOS, siue Iudęos circũcisos originẽ in Lithuania accepisse narrat Alphõsus Pisanus, à quodã Daniele Bielenski, cum à Machometanis, quos alij Ebionitas vocant, defecisset. Eum hoc ipso nomine, ipsi quoque Samosatenici Iudęotrinitarium appellant, quod cum prius cum Ebione reprobato, Christum ex viro & muliere purum hominem natum assereret, ac ita natura Deum negaret, postea ne hominem quidem adhuc natum docuit, sed nascituru tamen pollicebatur. Iudæorum plurimas superstitiones, & cæremonias non planè reprobandas censent, sola excepta carnis circumcisione, quam cum Paulo fieri volunt in corde, & spiritu, non litera. sanguine quoq; & suffocato abstinent, vt Apostolis obediant; sed non ab incestu, & fornicatione, ne Luthero non satisfaciant.

Iudęochristiani.

IVDAEOCHRISTIANOS, seu Iudaisantes, vocat Lyndanus, qui cũ sint baptizati; plerosque tamen Iudæorum retinẽt errores. Iesum esse verum Messiam negãt, vt Dauid Georgius, & Buccerus Tres in Trinitate personas reijciũt, ut Seruetus. Non esse Deum natura contendunt, ut Adam Pastoris. & Budneus. Leges Moysis in Matrimonijs seruãdas, vt Melãchton. Scripturarum Canonem diuersum habent, vt omnes ferè Euangelici. Christiana sacramenta vitant, vt Carolstadius. Nomen Iesu execrantur, vt Guilelmus Coubrigius in Anglia. Signũ sanctę Crucis maledictum putant, vt Brentius. Imagines non ferunt, vt Zuinglius. Sabbata sanctificant, vt Carolstadius. Circumcisione utuntur, vt Anabaptistæ Submontani. Cœnam esse Manna volunt.

Iustificatorij.

IESTIFICATORIOS appellat Lyndanus, qui ex uarijs Hæresiarchæ Lutheri, & inconstantibus verbis, varios quoque sensus de tota iustificationis ratione constituebant. Legit aliquis (ait Hosius) Credidit Abraam Deo, & reputatum est illi ad iusticiam: statim colligit duo Iustificationis genera. Vnum ex verbo credidit, vt diceret fidem esse nostram iusticiam: alium ex verbo reputatum est, vt diceret Deum iusticiam nobis imputare. Legit alius. Iustificati sumus per sanguinem eius, statim inde colligit, quod prætiosus Christi sanguis sit iusticia nostra:

Alij dicunt quod meritum Christi est iustitia nostra: Alius quod vulnera Christi: Alius, aliter iustificationem intelligit, & interprætatur. Cuius controuersiæ Choragus præcipuus Osiander existimatur, qui se tamen Lutheranum, & Cõfessionistam profitetur. Cum de eo sermo nobis fuerit, pluribus de Iustificationis controuersia agemus.

Laicocephali.

LAICOCEPHALORVM hæresis, proprie spectat ad Anglicum Schisma. Nam illius, vt Sanderus ait, Prouinciæ Pseudoeuangelici, primo Henricũ eius nominis octauum, deinde filium eius impuberem Edoardum sextum, ac demum Helizabetam fœminam appellarunt, summa Ecclesiæ Anglicanæ, & Hybernicæ capita, immediatè post Christum in omnibus causis, & rebus tam sæcularibus quam spiritualibus. Quod qui credere, iureiurãdo affirmare detractaret, primũ conijceretur in vincula, deinde fortunis omnibus, mox etiam vita spoliaretur. In cuius insaniæ confirmationem plures libelli ab istis Pseudoprophetis conscripti sunt: quod malum eo usque progressum est, vt per literas Regias iurisdictio, & authoritas visitandi Ecclesias daretur Episcopis, durante beneplacito Regis tantum. Rex etiam quoties libuit, omnibus omnino Episcopis, & Pastoribus interdixit, modo in hanc, illamue partem; modo ne omnino quicquam concionarẽtur, sed prorsus omnis Euangelij prædicatio per vniuersum Regnum cessaret, donec Rex Apostolos suos, cum noua potestate ad prædicandũ mitteret. Hanc Hęresim Sampson, & Moristonus præcipuè tutati sunt, Sampsonem verò, egregie cõfutauit Cardinalis Polus. In libro de vnitate Ecclesiæ.

Lascani.

LASCANI vocantur homines eius cohortis, & perfidiæ, quam in Euangelicorum castris Ioannes à Lasco Baro Polonus duxit, insignis Sacramentarius. Is Catholica relicta cum per pietatem, & authoritatem Sigismundi Regis Poloniæ Principis omnium Euangelicorum odio deflagrantis, stare in patria non posset, in Germaniam, & inde in Angliam secessit, seque Superintendentem Ecclesiæ peregrinorum vocari voluit, obtento Edoardi sexti Regis Angliæ Priuilegio, cuius nonnulla verba sic habent. Quoniã multi Germanicæ nationis homines, ac alij peregrini confluentes in Regnum nostrũ Angliæ, ex Germania, & alijs remotioribus partibus, in quibus Papatus dominatur, non habeant certam sedem, & locum in Regno nostro, vbi conuentus suos celebrare, religionis negotia, & res Ecclesiasticas patrio ritu, & more intelligenter obire, & tractare possint. Idcirco de gratia nostra speciali cõcedimus, quod de cætero sit, & erit vnum templum, siue sacra ędes in ciuitate nostra Londinensi, quæ vocabitur templũ Domini Iesu, vbi congregatio Germanorum, & aliorum fieri poterit, &c. Damus itaque, & concedimus templum nuper fratrum Augustineñ. ac totam terram, fundum, & solum Ecclesiæ prædictæ, exceptis tamen toto choro dictæ Ecclesiæ, terris, fundo, & solo eiusdem. Huius autem Ecclesiæ volumus quod Ioannes à Lasco natione Polonus, homo propter singularem eruditionẽ val de celebris, sit primus, & modernus Superintendens dictæ Ecclesiæ. Et quod Gualterus Deloenus, Martinus Flãdrus, Franciscus Niuerius, Richardus Gallus, sint quatuor primi, & moderni Ministri. Cæterum hic sanctus, & semitranquillus, vt ait Vthenthouius, sub puero Rege Ecclesiæ status, non admodum diuturnus in eo Regno fuit: sublato enim è viuis Edoardo Rege, & succedente Maria, iussus est Lascus cum suis ex Anglia discedere, & in Daniam profectus est, vnde post paucos dies ob hæresim suam Sacramentariam eiectus est, similiter & Haphnia, Vuermundo, Rostochio, Vuismaria, Lubeca, Hamburgo, quousque tandem Francofordiam admissus Belgicæ Ecclesiæ in vsum piorum peregrinorum erigendę, potestatem impetrauit, anno 1555. Vnde tamen sequenti anno in Poloniam redijt. Opiniones porro illius de Cęna diuersæ fuerunt, non solum à Luthero

thero, sed, & à Zuinglio, & à Caluino. Indigna enim homine libero, Equiteq; Polono uisa res est Lasco, ut in omnibus doctrinæ articulis, sine exceptione Luthero (quem Albero teste crassum, & rusticum vocabat) aut imbelli Zuinglio ancillaretur: vel inermen pedisequum ageret. Extant in Historia Vtenthouij, rationes Lascki, cur verba illa cenæ (Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus) non secundum literam, ut de carnali oris manducatione intelligantur, sed misticè exponi oporteat. Interpretatio enim iuxta literam pugnat (ait Lascus) cum natura Sacramentorum. 2. Pugnat cũ vera fide, & eius analogia. 3. Pugnat cum Regno Christi Domini. 4. Pugnat cum Sacerdotio Christi Domini. 5. Pugnat cum doctrina, ac mente Christi Domini. 6. Pugnat cum henade, seu vnione veteris, ac Apostolicæ Ecclesiæ. 7. Puguat cum natura corporis Christi, veraq; humanitate ipsi⁹. 8. Pugnat cũ natura ἀναμνησεως seu recordationis. 9. Non est necessaria corporalis in cœnæ panecorporis Christi manducatio, ac proinde, neque nuda illa iuxta literam verborum Cœnæ interpretatio. 10. Est mutilis. 11. Est absurda. 12. Est noxia. 13. Inducit necessario prodigiosam corporis, & sanguinis Christi vbiquitatem contra scripturas. 14. Pugnat denique cũ alijs multis scripturę locis: Sanctius porro nouam hanc Lasceki de Cœna sententiam, quinq; modis ab illo enunciari solitã asserit. 1. Hæc est societas uobis gratuito delata, ius, & vsus in meo corpore illius. 2 Hæc est communio in meo corpore, nõ iuxta substantiam suam naturalem, sed iuxta meritum passionis meæ, ac mortis, ac gloriã admirandę resurrectionis. 3. Hęc est qualitas mei corporis vobis delata, à quibus substantiam accepi. 4. Hæc est cęnæ institutæ forma, cęremonia, ipsaq; externa actio. 5. Hæc est visibilis extremæ meæ voluntatis concertatio. Eadem recenset Philippus in iuditio de Cœna Domini. Albertus autem ait hominem verba cœnæ duodecim modis detorquere, Baptismumq; in Idodolatriã cõuersum affirmare. Ipse Porrò Lascus in sua ad Vestphalum responsione. Suã de Sacramento sententiam his verbis explicat. Quod porro ad voces illas attinet, in, sub, cum: nos sane illas (in sensu præsertim Vestphalico) non reiecimus vnquam (quemadmodum ipse fingit) quia nunquã recepimus: sed vt nouas, & à mente scripturarũ alienas, accusauimus semper, atque etiã nũc accusamus: neque in Christi Ecclesia ferendas vllo modo esse putamus, donec vsu scripturarũ familiari comprobentur. Particulæ (cum) vt nunquam infensus fui in Confessione Augustana, eo quod illam ad tempus mysticæ in Cęna actionis referri manifestè videbam, ita eam in Vestphali, & suorum scriptis nunquam probaui, quatenus ad ipsum panis, ac vini in Cœna elementum, aut nescio qualem in eis locum inferre illam conantur. Vnde igitur me nunc demum huic voculæ placatum esse somniat hic Propheta, qui interim omniũ vigilantissimus haberi cupit? Aut igitur mendacium, & hic suum agnoscat tantus Propheta: aut ostendat (& quidẽ sine malitiosa verborũ nostrorũ deprauatione) voculã (cum) in Augustana Cõfessione, nostrę interptationi reclamare. Porro reuersus in Poloniam Lascus, aureum Cardin. Hosij de expresso Dei verbo libellum oppugnandum suscepit, & in oppido Branspergensi, quod Episcopum Varmieñ. Principem suum agnoscit cum per illud Regium montem proficiscens pertransiret, conscriptam lucubrationem siue volens, siue nolens excidere passus est. Forte vt in Hosij manus perueniret, quã sibi oblatam cum legisset Hosius acerrima illico responsionem opposuit, cui de oppresso verbo Dei nomen dedit. In qua sæpè de Lasco queritur, quod dat sine mente somnum: omniaq; inuoluit dura sua, scabrosa, scabiosa, impura locutione, quam vix Aedipus posset assequi. Eum nos libellum. Hosio defuncto, ad alia eius opera adiunctum, in lucem hominum misimus.

Libertini.

LIBERTINOS, à libertate quadam Euangelica, quam primus proclamauit Lutherus, vocatos, ait Linda-

uus: & Viretus de illis tale citat testimonium, lib. 2. de Ministerio verbi, vbi Catabaptistarum facit mentionem. Fanaticum, ait, hominum genus, in quo iure credas reuixisse Gnosticos, & Valentinitas, quibus nihil æque displicet, nil magis improbatur, atque simplex, proprius, ac germanus scripturæ sensus. Illis Christus est Sathanas, & contra vitium virtus, & virtus vitium. Nihil enim ex eorum sententia peccatum, nisi eorum opinione, qui sese peccare putant. Verus Dei timor, & eo imbuta conscientia, pro inferno illis habetur, pro Paradiso autem conscientia diuini iudicij contemptrix secura, stupida, & consopita. Caluinus ait, lib. contra Libertinos, quod hoc nomen multæ sibi sectæ vsurpant in Brabantia, & Hollandia, & inter cætera addit, docent homini omnia esse licita, sine vlla exceptione, omneq; genus viuendi probant. Lenonem suo volunt fungi munere, fures audacter furari iubent, Matrimonia dissolui volunt, quæ appellant carnalia, vbi vxor mariti sui tædium cæperit, vnde promiscuos laudant concubitus, modo alter altero sit contentus, idq; vocant Spirituale Matrimonium. Communionẽ Sanctorum vocant, communionem bonorum temporalium, ideoq; quantum quisq; potest, vt rapiat suadent. Resurrectionem iam dicũt esse factam, neq; aliud expectandum iudicium. Iam Christianos omnes resurrexisse affirmant, quãdo animam humanam sciant iam factam esse, illum Dei Spiritum immortalem, imò in Dei essentiam rediisse, vnde, inquiunt, exijt, eiq; ita iungi, vt vnicus spiritus maneat. Primum autem Libertinorũ in Gallia parentem vocat Quintinum, insignia scommata in singulos Apostolos iacientem.

Libertini secundi generis.

LIBERTINOS secundi generis recenset Bulingerus, lib. 2 contra Anabaptist. qui Deo peccatum ascribunt, ac operatum esse peccatũ Cain Saul, & Iudæ contendunt. Resurrectionẽ etiam Carnis futuram negant.

Libertini tertij generis.

LIBERTINOS tertij generis facit Lyndanus, eos Anabaptistas, qui Dei misericordiam omnibus omnino hominibus, adeoq; dæmonibus post iudicium pollicentur. Vetus testamẽtum plane reijcinnt, neque eius testimonia ad fidem Christianam cõfirmandam planè recipiunt, solo contenti nouo testamento, eo vsq; tamen, dum id suo sapiat palato.

Liberi fratres.

LIBERORVM fratrum sectam Anabaptisticam ita descripsit Lyndanus. Liberos dicunt, qui libertatem ab obediẽtia Principum, à decimis, à censibus, atq; redditibus faciunt. Coniugia esse volunt inter fratres spiritualia, vnde, & vxores habent communes, nec patiuntur eas suis maritis infidelibus debitum reddere: hæc omnia patris esse voluntatem, aiunt. Hi sese post Anabaptismum negant posse peccare. Quinimo arrogantiæ typo tumidi eo perfectionis sese simulãt peruenire, vt non solum Deo similes sese iactitant, sed scribant etiam sese iam indigetatos, vti habet impius N.N. libelli titulus (Bijeenen vergodischen mensche) Id est Authore N. N. viro deificato. Iste porrò ex arte filatoria, vnde Amsterdiami viuebat, tantus repente Theologus euaserat. Parum autem differunt à fratribus amoris, quorum in Anglia Sãderus meminit, & nos paulo ante diximus.

Linguatarij.

LINGVATARII, ex Anabaptistarum sunt genere, qui sibi dona linguarum vsurpabant, seq; hoc nomine Apostolorum, qui varijs linguis subito loquebantur, legittimos esse successores, doctrinæq; hæredes, gloriabantur. Citat testimonium Bulingeri Lyndanus, quod eo insaniæ fuerunt Tyguri quidam redacti, vt sibi dona linguarum polliceri à Patre

Cæle-

Cælesti non dubitarent, sed eos vana illusit spes, sicut & per Hollandiam nouum manna expectantes Adamitas. Illud à fide dignis se audiuisse memorat tam efficacem iuisse Sathanę in Anabaptistis imposturam, vt quidam ex illis simulato quasi miraculo, dum sese illi fanaticæ factioni deuouerunt, sacra possent legere, quæ antea neq; norant, neq; didicerant. Apud Harlemeñ quoq; vir Catholicus multis notus, vi in cubiculum irrumpens, in quo sua mysteria peragebant Anabaptistę, vxorem suam expanso capilitio inter alios fratres sedentem, & Anabaptismum expectantem, ac nescio quæ ipsorum mysteria legentem inuenit, & è medio sodalitio extraxit, quam cum domi postea vrgeret, vt aliquid è libro legeret, illa sese ne literas quidem amplius nouisse respondit. Simile, & Louanij de iuuēcula quadam ab Anabaptismo resipiscente narrabatur.

Loistæ.

LOISTAE, ait Lyndanus, ex numero sunt nostri temporis Euangelicorū, à quodam Elogio Antuerp. dicti, qui omnia simulans, & dissimulans in tēplis versabatur. Sacerdoti sacrificanti deseruiēs, resseram calicis, sacris vestibus innotatā in erroris pristini pœnitentiam circumferebat, Deumq; interim, hominesq; ridebat, Lucianum impium, atque Doletum Gallum, multis superans parasangis.

Lutherani.

LVTHERANI, à Martino Luthero Saxonæ, Patria Islebicñ. professione Monacho, ordinis Sancti Augustini, dicti sunt. Qui primus omniū, isto nostro Sexcentesimo sæculo, Ecclesiam, & Pontificem Romanum, & omnem eius doctrinā, sumpto ab indulgentijs initio, circa Annum 1517. oppugnare Vittembergæ in Saxonia, damnareq; cœpit: & in eius locum reprobatas olim hæreses ab inferis reuocauit, quas partim apertè professus ipse est, partim profitendi occasionem, & materiam successoribus, & discipulis suis reliquit: quod in toto isto, quod recensemus sectarum genere videre quiq; potest: de cuius erroribus, & linguæ procacitate, vitęq; maculis, cum omnes omniū scriptorum libri, omnes omnium doctorū, & concionatorum linguæ, toto orbe Christiano loquantur, ac in omnium gentium, & nationum auribus cantare, prædicareq; non desinant, & docti in Bibliothecis, & indocti in Theatris, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacris, & prædicatores in Cathedris, & in vrbibus Poetæ, & in montibus Eremitæ, & in orbe terrarum genus omne Christianorū. Nos gnaris non loquemur. Lutheranæ perfidiæ summa vel ex illo breuissimo Epitaphio quod sibi viuens. Pomerano teste, composuit, videre quisque potest.

Pestis eram viuens, moriens tua mors ero Papa.

Lutheranum, vt esse nihil aliud sit, quā hostem esse Papæ, & cuius ille in terris visibile caput est, Ecclesiæ Catholicę, & vniuersæ, quam illa profitetur doctrinæ. Hosius noster duobus verbis vim totam, Lutheranæ perfidiæ contineri dicebat, Sursum deorsum: & his etiam versibus officium boni Lutherani, descripsisse existimatur, quos Cochleus, à Polonis profectos, in vita Lutheri memorat, cum authoris nomen ignoraret.

Dic male Sacrificis, superos contemne probatis
Moribus, obtrecta ieiunia, Sacra, precesq;
Ride, Concilijs obstri, Patrumq; relictis
Ritibus illude, ac Venias, Anathemata, vota,
Non assis facias, absit confessio culpæ,
Absit religio, cedant delubra: popinis
Plus persuade tibi de te, quā sit deceatq;
Pontifices, Reges, præte, seu stercora, pendas:
Scripturasq; sacras, vt vis intellige, priscos
Doctores, leges, Sanctorū, & gesta negato
Sis bonus impostor, sis ad conuitia doctus
Præfectos traduc populo, retinacula rūpe
Ordinis, & fidei, creesq; per omnia turbas
Sic age, sectator qui vis probus esse Lutheri &c.

Hæc & alia multo peiora, tanta cũ pertinacia exequuntur Lutherani, vt ob teterrima flagitia, quæ in se quotidie suscipiunt: & in Hispania, & in Lusitania, quod Osorius ad Hosium scribens obseruauit, Lutheri nomen ad sceleris tantũ detestationem vsurpetur. Cum enim sceleſtissimum hominem appellare volunt, Lutheranum nominant: & in ipsa quoq; Patria nostra, ipsos etiam Lutheri discipulos pudet iam vocari Lutheranos, nec volunt omnino videri, cum tam scelerato Præceptore sentire: quod cum faciunt, sicut etiam de Arianis scriptum reliquit Athanasius, agnoscere se ostendunt hæresim suam alienam esse à veritate fidei. Porrò cum hæc ederemus, anni post mortem Lutheri fere 50. interceſſerant, quibus Lutheri doctrina penè in exiliũ acta ex omni ferè Germania videbatur, Caluino vbique succedente (iuxta illud. Vidi impium superexaltatum super Cedros Libani, & transiui, & ecce non erat) etiã in ipsam Lutheri sedem, ita vt Vittembergę vbi erat Cathedra Lutheri nil ferè relictum sit de spiritu Lutheri. Qua de re libet lepidam sub eiusdem Lutheri nomine editam querimoniam isto loco producere.

Si qua mihi iustas expressit causa querellas,
Heu nunc præ cunctis digna querella venit.
Ille ego, qui quondam fama super æthera notus,
Nũc me vix aliqua gloria parte manet:
Omnia Caluinus rapuit, totũq; per orbẽ
Illita viperea dogmata felle ferit.
Tu quoq; dilectos inter pars prima Melanchton,
Qui mihi præ cunctis fidus amicꝰ eras,
Diceris extrema liquisse in morte Lutherum,
In noua Caluini dogmata falsa ruens.
Hic vbi pallentes peruenit rumor ad vmbras,
Heu mea concussit, quam grauis ossa dolor.
Hinc Anabaptistæ, Smidelinus, Brentius, & qui
Musculus exigui nomina muris habet.
Gallus, & Illyricus nuper quoque missus ad orcum?
Zuinglius, & reliqui turba prophama vigent.
Ast ego, qui quondam doctor, primusque magister,
Quique his discipulis semina prima dedi:
Heu miser ignotas profugus compellor ad oras,
Vixq; aliqua nomen parte Lutherus habet.
Quamq; ego venabar laudem, famamq;, decusque,
Hei modo discipuli cuncta tulere mei.
Quos genui, quos hæc peperit mihi lingua, manusque,
Quorum præcipuus fautor, & author eram.
Hæc promissa fides? pietas hæc debita Patri?
Heu mihi quam precium triste magister habet.
Degeneres animi genꝰ execrabile mũdo
Tempore percipies, præmia digna suo
Hęc ego vaticinor: vates quoq; vanus habebor
Ni te perfida gens pœna parata manet.

Quid manet? Iam pœna suscepta est, Trideistæ Caluinistas in Transyluania oppresserunt, In Polonia deriserunt, In Lithuania afflixerunt, quod suis locis diximus. De ingenio porro Lutheri, de fastu pene incredibili, de proiecta quadam audacia, & impudentia, cum per omnia capita multa vbiq; dicantur actum hic nõ agemus.

Lutherani Molles.

LVTHERANI Molles, vocãtur à Flacco, & omni sua Cohorte, doctores & Magistri, Vittembergenses, quorũ caput Philippus. Eberus, Maior, & alij Electorales Ministri, qui Confessionem Augustanam, & ingentes Lutheri Tomos, & Interim Cæsareum, multis in locis correxerunt, mutauerunt, addiderunt, ademerunt, vel vt Flaccus ipse loquitur, verterunt, conuerterunt, peruerterunt, euerterunt: de bonis operibus, quæ esse ad salutem indifferentia putant: de Cœna, de Cæremonijs, de Ciborum delectu: & id

genus

genus, de quibus actum est in Adiaphoristarum nomine, qui ad Mollium Lutheranorũ colluuiem pertinent. De his multa Hosius, & Lyndanus.

Lutherani rigidi.

LVTHERANI vicissim rigidi, vocantur à Vittembergeñ. Magistris præcipuè Flacciani, qui Confessio. August. Lutheri Tomos, & Interim Cęsareũ purum puto Dei verbũ putant: & illi quicquam addere, adimere, corrigere, facinus existimant, flamma ferroq; expiandum. Quicumque tandem errores sub August. Confess. pallio latitent, quantacunq; obscenitate Lutheri libri abundent, fœtores illos, & cloacas, maleq; olentia stercora, diabolos nigros, furẽtes Megeras, & obarmatas furias, quibus vbiq; Lutherus mente, metuq; destitutus, scripta sua resperſit, tanquam ipsa Iehouæ summi verba adorant: & Philippum qui obscenitates in lupanari meditatas, in latrina scriptas, ad quandam moderationem reuocare conatus est, diro Anathemate percusserunt: quo etiam nomine grauiter ab eo obiurgantur, quod suo arbitrio damnant quidlibet, neque personis auditis, neq; dijudicatis reb⁹, de quo copiosius in Flaccianis à nobis actũ est, & omniũ copiosissime apud Hosiũ omnia recẽsentur.

Luthero Papistæ.

LVTHEROPAPISTAS, Lyndano teste, Lascus appellat, Vestphalum, & eius coniuratos, nimirum qui Lutherum sectati Rom. Pontificis excommunicationem imitari videantur, dum è suis Synagogis miseros eijciunt Sacramentarios. Hesusius quoq; nomen hoc Vittembergeñ. & Lipsen⁹ Academicis tribuit, propterea quod cuiq; liberum esse doceant, omissa Augustana Confessione Romani Pontificis doctrinam quandoq; suscipere: vt impio pareant Magistratui. Illyricus quoq; eosdem perstringens: Cessio, ait, facta est in articulo de libero arbitrio. Cessio facta est, quod principaliter fide iustificamur. Cessio facta est, quod operasint, ad salutem necessaria. Cessio facta est, quod ceremoniæ Romani Pontificis sint recipiendæ. Quamobrem etiã exclamat, Perit repente veritas, per Lutherum patefacta. Isti quoq; similiter Lutherani sũt.

Luthero Caluinistæ.

LVTHERO Caluinistas, ex sodalitio mollium Lutheranorum esse vult Staphilus: qui egregie simulant, Lutherũ, & Zuingliũ in re Sacramentaria belle conuenire: conanturq; hominibus persuadere, esse tantum Logomachiam, & nõ de re certamen. Vide librũ de Cœna Domini Iacobi Smidelini Clypeati, & Amsdorphium in sua Confessione: fraudem istam Smidelini grauiter, & acerbe reprehendentem.

Luthero Osiandrini.

LVTHERO Osiandrinos, esse vult Lyndanus, qui Lutherum cum Osiandro, in doctrina de Iustificatione conciliare studeant: Lutherus enim, & Brentius, in Epistola ad ducem Vittembergeñ. Anno 1552. contra Osiandrum docent, hominem in hac vita imputatiue haberi iustũ. Isti viciſſim cum Osiandro contra Lutherum, & Brentium affirmant, oportere hominem post hanc vitã eadem iustitia, qua Deus essentialiter iustus est, iustum re ipsa fieri idq; etiam tenent, & sectantur, Staphilo teste, Theologi Tubingenses.

Lutherozuingliani.

Lutherozuingliani, Semiluterani sunt, qui Lyndano teste, Lutheranos cũ Zuinglianis in doctrina de Cœna conciliare contendunt. Id laborasse, aiunt Philippum, sed cum tela non texeretur, cum Zuinglianis ad extremum acquieuisse: cætera Lutheranus, quo nomine vocatus etiam est à plerisq; Protheus Germanicus, & eius scripta, Pithia oracula. Id autẽ in eius Epistola videre est, ad Comitem Palatinum de Cœna Domini, Brentiũ quoq; vt Luthero Zuinglianũ

Amidorphius exagitat, quod noluerit cõ demnare Zuinglium, sed cũ Luthero cõciliate moliretur, In præfatione libri Iacobi Andreę.

Maioristæ.

MAIORISTAE, molles sunt Confessionistæ, à Georgio Maiore Vittembergen. Synergista, dicti: qui (vt ait Stoltzius) à Luthero è stercore erectus, horrẽdum in eius patria monstrum peperit, docens opera bona ad salutem esse necessaria, etiam infantibus: Negant enim vllum hominem (Staphilo teste) iustum fieri posse, aut vnquam saluatum fuisse, absq; bonis operibus præcedentibus, in lib. aduersus Illyricum. Isti porrò Vittembergæ, & Lypsiæ regnant: & sine chamo, & freno, de operũ necessitate, cum Ienensibus, & Mansfeldeń. cõtendunt: in horas prope singulas nouas ea de re opiniones despumantes. Reliqua sunt Lutheristæ.

Machauellistæ.

MACHAVELLISTAS, Atheis esse vult, quã Hæreticis similiores liber Parisien. de Iusta Regis abdicatione. Religione enim, vt Gygis annullo, vtuntur, & quæstum pietatẽ putant, vertunt se in omnia. Tempori, Occasioni, Regum, & Principum auribus, fidei regulam attemperant, religionem denique tantisper sibi colendã putant, quãtum eam suis seruire commodis, & vtilitatibus existimant. Si ampliori rei faciendæ spes affulget, & fidem protinus, & hominem exuunt. Regem esse supra omne ius, rerumq; dominum, volunt: quiduis ei in subditos licere. Vt Christianus aliquis, vt pius, vt temperans videatur, tametsi non sit, boni viri munere functũ putant. Machauelli hominis Itali polytica consilia, etiam cum detrimento religionis, diuinisq; honoris, vt oracula, vel potius, vt Dei uoces obseruanda existimant: adeoq; habent in honore, vt Innocẽtius Gentiletus I. D. Commentarios ediderit, de Regno, aut quouis Principatu rectè, & tranquille administrando, aduersus Nicolaum Machauellum, in quibus non inepte Atheismos eius polyticos refutat, nimis in Gallia per Principum manus volitantes: nisi quod, quos Machauellus esse vult Atheistas, Gentiletus esse iubet Caluinistas, multaq; indigna contrà fidẽ Orthodoxam, & Ecclesiam Rom. bachatur. Liber autem est impressus anno 1590. Nomen loci, & typographi abest.

Scripsit et alius quidã Antimachauellum: sed suo omisso nomine. Ad istius scholam, vt cohortem pertinere existimãtur, cum suis politicis discursibus, & Carolus Molineus, & Ioannes Bodinus, & Philippus Morneus, & Miles di Nua, egregij Demonomaniæ professores: de quorũ libris, & theorematibus solidas, & necessarias considerationes, & cautiones anno superiore edidit vir doctissimus Antonius Posseuinus. Vbi etiã breuiter commemorat Machauelli paradoxa, Christianę fidei, pietatiq; contraria. Suadet enim Principibus, vt religionem Ethnicã præferant Christianæ. Vt Doctores religionis Christianæ nihili faciant. Vt de Romana Ecclesia pessime sentiant. Vt spreto alieno consilio, suæ prudentiæ innitantur. Vt pietatem, & religionem, etiamsi non habeant, præse ferant. Vt Mosys legẽm, vi & armis, non fide, ac Deo, nixam fuisse credãt. Vt felicitatem, fortunæ, & casui, non virtuti, & religioni veræ tribuant. Suadet etiam prauis moribus esse implendam ciuitatem, quam sine bello velit vlcisci. In prouincijs subactis, sic collocandas colonias, vt veteres ablegentur incolæ. Quibus autem mutatio grauis est, omnes esse subuertendos, & familias funditus tollendas. Stultum esse putare, nouis benefactis veterum obliuionẽ induci iniuriarum. Expedire, vt metuatur plus, quã ametur. Contemnendã esse crudelitatis famã, dummodo subditos in officio contineat. Nullius amicitiæ fidẽdum. Si quem plectere velit, speciosam aliquam esse causam prætexendã. Factiones alendas inter subditos. Tollendos autẽ de medio boni publici amantes. Hęc, & huiusmodi alia Machauell⁹. Naturæ Iuris, Religionis osor, & Atheismi inuector. Quare & blasphemans, damnatam, vt idem habet Posseuinus, euomuit animã.

Oso-

Osorius quoque eloquentissimus Episcopus in lib. de Nobilitate Christiana, aliquot istius errores refutandos putauit, quales sunt isti. Quod Christiana religio illam magnitudinem animi, quæ in antiquis elucebat, funditus sustulit. Quod Romani Imperij ruina, laudis, et gloriæ labes, virtutis etiam militaris interitus, huic religioni debeatur. Quod hostiarũ apud Iudæos cædes, pecudumq; strages repente ex timidis, feros et audaces efficiebat. Mirum, vt uideri debeat, quod istius hominis consilia Atheismorum plenissima, tam auide legantur, tam studiosè ab his, qui præsunt, isto nostro sæculo, & perdiscantur, & exæquantur. Sed ista est potestas tenebrarum.

Macedoniani noui.

MACEDONIANOS nouos, sic describit in suo Antibrentio Hosius. Exorti sunt, & ex schola Lutheri, qui veteres Macedonij errores in lucem reuocare: fidemq; quam in Nicæno, & Constantinopol. primo Concilijs Patres congregati nobis traiderunt, labefactare conantur. Solum enim Deum Patrem, & neminem alium adorari, & inuocari debere contendunt, quod ille solus videt corda nostra, quod nulla creatura facere potest, & est præceptum veteris legis, vt si quempiam alium adorauerit quis, præter Deum solum, occidatur. Lyndannus porrò, renouatum hoc sæculo Macedonianismum Farello Caluini Magistro tribuit. Is enim Spiritum Sanctum natura Deum esse negabat: nec aliud esse, quam motum in rebus creatum statuebat. P. Carolus in Epistola ad Cardinalem Lotharingum. Ad sectam Antilutheranorum pertinet.

Maiestatici.

MAIESTATICOS vocat Sturmius, in sua Palynodia, ad Lucã Osiandrum, Patres quosdam grandiloquos, spõsos vbiquitatis, Iacobum Andream, Chitreum, Kemnitium, Pappum Osiandrum, & alios Bernensis Concordiæ faberculos, propterea quod carnis Christi tantã esse Maiestatem, & gloriam volunt, vt & sit, & esse possit vbique in cœlo, terra, inferno, pane, vino, assis gallinis, & omnibus Cantaris, & guttulis (sic enim loquitur) Torgensis Cereuisiæ: ac in omnibus omnium arborum foliis, fætidis etiam coquinis, & popinis; ita vt omnibus in rebus & bibi, & cõmedi semper, et vbique possit: eamque illis propterea laudẽ tribuit, quod corpus Christi trifariam considerare omnium primi cæperint. Naturaliter, Gloriosè, & Maiestaticè, & hac pulchra, vt ait, distinctione freti, Corpus Christi in Cœna esse volunt, non Physicè, non gloriose, sed modo Maiestatis: volunt etiam Christi carnem esse omnificam; omnipotentem, omnipræsentem: idque vt melius intelligeretur, & cum aliquo sapore sectatoribus propinaretur, multas, vt idẽ Sturmius ait, præsentias ingeniose scilicet fabricarunt. Martinus enim Kemnitius. Burgensium Patrum, cum Chitreo fere Princeps, trimembrem distinctionẽ corporalis Christi præsentiæ excogitauit, quarum vna sit mortalis, qua ad mortem vsque Christus vsus est. Altera immortalis, sed visibilis, qua est vsus à Resurrectione, vsque ad Ascensionem, Tertia immortalis, sed inuisibilis, qua iam vtitur ab Ascensione, vsque ad consumationem sæculi. Addit ridens Kemnitium Sturmius, Oblitus est ingeniosus multarum præsentiarum fabricator, quartæ, eius scilicet, quæ à fine sæculi vsque ad iudicij complementum se extendet, & visibilis erit. Quid uero de quinta, quæ ab ingressu in Regnum Cælorum cum omnibus electis in omnem vsque æternitatem perdurabit? Illa porro Christi verba, quæ Maiestaticos omnes prosternunt (gaudebam propter uos, quod ibi non eram) Et (surrexit nõ est hic) ita ab illis interpræ-tata ait, visibiliter scilicet, & non visibiliter: visibiliter ibi non erat, sed erat inuisibiliter. Non erat vnde surrexit visibiliter, sed erat inuisibiliter, Non erat ibi in tempore exinanitionis, sed erat in tẽpore Maiestatis, & gloriæ. Sic scilicet vbiquitatem suam ceruisant. Momenta vero rationũ, & opinionũ suarũ in illis distinctionibus homines cœci statuũt, visibiliter nõ uisibiliter: modo cœlesti, non cælesti.

Expli-

explicabili, diuino, humano, supra naturam, contra naturam modo primo, modo secundo, modo Cęli, modo huius sæculi. O Babylonicam, immo Tartaream Euangelicorum confusionem. Quæso benigne lector, hanc mihi mercedulã pro hoc meo labore tribuas, vt istius Scholarhæ Sturmij Ambrosiam ad Pappum, Palinodiam ad Osiandrum, Antipappum quartum, & August. Confess. Argentineń. saltem oculis perlustres, Abyssum multam iudiciorũ Domini considerabis. Nec Pappus scit quid affirmet, nec Sturmius quid oppugnet, maledicta maledictis, conuitia cõuitijs retorquent. Mures, accipitres, miluos, nicticoraces, vespertiliones, Scotistas, Sophistas, nigros diabolos, inuicem appellant. Risum queso teneatis amici, sed quid ridere quoque vetat. Risus de hoste, ait ille, risus est suauissimus. Ita confusi sunt, vt sybillis non verbis, virgarum non sententiarum flagellis, castigandi videantur. Congruit, ait Tertull. veritati ridere, quia læta est, de æmulis suis ludere, quia secura est: multa ridendo possunt reuinci, ne grauitate adorentur. Sed iam istos missos faciamus.

Mannarij.

MANNARIOS, vocat Lyndanus, Sacramentarios quosdam Iudaisantes, qui tenebant, se in Cæna Domini verum illud manna manducare, quod olim Iudæis è cœlo missum erat à Domino, & nil aliud præterea: hoc autem est, nec corpus nec speciem, nec signum, nec figuram, nec succum corporis.

Manichæi noui.

MANICHAEOS nouos, vocat Lyndanus, omnes qui liberum negant arbitrium, sicut Augustini tempore Manes quidam Persa negabat, Diuinæ quoque legis implendæ impossibilitatem statuũt: Baptismum in aqua nihil adferre salutis, Christum corpus humanum verum non habuisse. Quæ omnia istius quoque seculi Euangelici docere, prædicareque non erubescunt, vnde sequitur eos esse germanos damnati, omniumq; calculis reprobati Manichæi discipulos, de quibus plura recenset Hosius. Eorum errores è Caluini Schola in Poloniam delatos, testatur Stancarus.

Manifestarij.

MANIFESTARII, Lyndano teste, Anabaptistæ sunt, qui vt Staphilus habet, impium esse, atque à verbo Dei alienum statuunt, si cum rogantur, se esse negent Anabaptistas, idque Sectæ genus frequens esse dicit in Prussia.

Manus Impositorij.

MANVSIMPOSITORIOS ad familiam Rigidorum Confessionistarum pertinere, vult Staphilus: qui Laicalem manuum impositionem, volunt esse Sacramẽtum: cuius generis nõ paucos in Saxonia, Pomerania, maritimisque Ciuitatibus viuere, ipse quoque testatur Illyricus, cõtra Iustum Menium scribens. Et Czecho uicius Lublineń. in Polonia Archimandrita, in suis Dialogis, nunc etiam in Pomerania uerbi ministros altercari scribit. Vtrum manus impositio sit Sacramẽtum, Cneptro, ait, idem Czechouitius cõtendit vehementer, Frederus oppugnauit obstinatè.

Mansfeldenses.

MANSFELDENSES, ait Lyndanus, secta sunt Lutherani, & Comitiorum Mansfeldeń. Iuniorum, Confessionem sectantur: in qua non paucas alias Lutheranorum Confessiones reijciunt, & condemnant. Inter alias vero Adiaphoristas, omnes assertores bonorum operum, defensoresq; liberi arbitrij, qui meri sunt Melanchtonici, a cætu suo reijciunt: tum & Osiandrinos, & Stancarianos reprobant, vt testatur in suo Dubitancio Lindanus.

Marty-

Martyriani.

MARTYRIANI à Petro Martyre Antilutherano dicti sunt, & ad eam Euangelicorum classem pertinent, qui Lutheri occasione, ab Ecclesiæ doctrina dissentientes dogmata nihilominus sectãtur Luthero contraria: & Oecolampadij de Cœna doctrinam dudum explosam renouant, docentes in verbis Cœnæ Methaphoram siue Tropũ inesse, & pro, hoc est corpus, intelligi debere, hæc est figura, siue signum corporis Christi. Addit de eodem Lyndanus, quod cum alij Zuingliani, Christum ad discipulos in octaua Paschæ die ingredientem inducãt per rimam, & Caluinus integras fores aperiat, hic nouus Antichristi Martyr, per fenestram introduxit: ut verum sit quod habet Euangelium, Christum clausis ostijs ad suos discipulos ingressum. Hic è Germania in Galliã euocatus Cathedram Theologicam Oxoniæ tenuit, multosque corrupit. Succedente vero in Regnum Regina Maria, abire ex Anglia cum suis omnibus iussus est: sed afflatum multis errorem reliquit.

Massiliani.

MASSILIANOS huius sæculi vult esse Lyndanus eos omnes, qui negãt per Baptismum homines sanctificari, neque per Sacramenta sordes animi expiari. Plane, ait, ita nunc Lutherus, & Caluinus: Suencfeldius vero Baptismũ adeo docet esse inefficacem, vt peccatum originis in baptisato vere maneat, neque animus peccati labe expietur, aut cor expurgetur.

Mediatores siue Moderatores.

EXTAT compendium concertationis huius sæculi Ioannis Bunderi à Gandauo. Recenset in eo non paucos Mediatorum istorum mordaces, & captiosos Articulos, qui tam nollent Catholicam Religionem planè extinctam, quam nollent Euangelicam florentem. Eius generis sunt, Sanctorum debitæ veneration non detrahimus, excessum autem in eorum cultu damnamus: dũ plura eis, quam Christo impenduntur officia: dum magis ad eos, quam ad Christum confugiunt, auxilia postulantes homines. Et iterum. Venerandos quidem admittimus Sàctos, sed eos adorari non sininus; hoc quippe Idolatriæ vitio putamus non vacare. Et cultum exhibemus D. Virgini Mariæ, tum eius congratulamur prælectioni, cũ virginitatem, humilitatem, aliasque eius virtutes imitamur: sed quod veneremur Rosarijs decemue granis, nugæ, & mendacia sunt: Dominicanorũ, & Franciscanorum: & ipsam salutationem, ipsasque preces non calumniamur: sed repetitionẽ ipsam, sub certo numero, quasi in certo numero aliquid lateat numinis. Et, esto Sanctorum animas veneremur & excolamus, eorum verò sepulchra, aut emortua ossa venerari, vanum videtur. Et, non reprehendimus quidem, quod quidam magnam opum quantitatem insumunt extruendis, ornandisq; templis, quando viua Dei templa fame non contabescunt; sed dicimus, quod ex templorum ornatu, ritibusque multis, quæ in Ecclesia fiunt, ad sensibilia auocantur homines, non ad deuotionem. Et, festos dies non reprehendimus, sed dicimus, quod hoc est habere solemnem diem, nullo die peccare. Et, Quorsum tot Sanctorum festiuitates? Sufficisset diem Dominicum peregisse. Et, Concedimus quidem, quod Petrus Romæ fuerit: sed dicimus quod Romana Ecclesia, multa sibi per ambitum vsurpat. Et, Ieiunium quidem bonum est, sed Ieiunij leges, & præscriptiones ciborum essent abrogandæ: & relinquendum vnicuique circa hæc facere, quod uellet. Et, Non uolo ieiunium aboleri, sed legem obligantem, ut sit liberum cuiuis ieiunare, & non ieiunare.

Extant etiam plerique alij libelli de componendis religionis controuersijs, nouorum, & variorum consiliorum, & phãtasiarum pleniſſimi, sed inter alios magnorum

gnorum virorum manibus teri, probariq; videmus, Georgij Cassandri libellũ, Vię commonstrator, inscriptum. Et Defensio traditionum veteris Ecclesiæ, aduersus Ioannis Caluini importunas criminationes. Extat Bartholomei Neruij defensio. Extat alia Veranij Modestani Pacimontani. Quidam ex his duas tollerandas religiones putant, quod iam in bifidis diximus. Alij porrò vnam, sed reformatam, correctam, emendatam, perpolitam. Docet autem Cassander, non satis esse solam scripturam ad dijudicandas religionis controuersias. Ex uerbo Dei non scripto, quod traditionem vocãt, pleraque esse emendanda. In traditionibus porro videndum ait, quæ sint Apostolicæ, quæ Episcopales, quæ pontificiæ, quæ vniuersales, quæ particulares, quæ recentes, quę veteres. Id porro, vt cognoscatur, & discernatur accuratè, non vnius partis esse iudicium. Inueniri tamen, ait, in Papatu viros bonos, pacis amantes, non contentiosos. Eos quoque ad Iudiciũ de traditionibus adhibendos, & ex vtriusq; partis sententia statuendum. Absit, ait, vt negemus ex sola scriptura peti certã definitionem, neque tamen ideò à scriptura veram eius intelligentiam, verãque eius intelligentiæ consequendæ rationem separamus. Ea quoque, quæ scripta sunt ad solidam fidem sufficere profitemur, sed ad ea, quæ scripta sunt intelligenda, vera, & Apostolica traditione nos non parum iuuari necessario confitemur.

De Romano vero Pontifice, ita sentiũt Mediatores, vt eius authoritatem, & potestatem tot sęculorum, & populorũ consensu constabilitam, planè conuelli possę non putent: sed eum rogandum, & monendum censent, vt eam ad diu desideratam curationem, & promissam reformationem tandem aliquando conuertat. Verum si Deus, ait Cassander, in defensionem traditionum, in cuius manu, & Regum, & Pontificum corda sunt, nondum illi hanc mentem inspirauit, vt in vniuersum Ecclesiæ hac ratione perspiciatur: non æquum videri; vt singula Regna, vel nationes, quę instante iam, & præsente periculo vrgentur, curã sui abijciant: & non potius legitimis rationibus, publicæ Ecclesiæ suæ tranquillitati per eos, quibus Ecclesiarum cura diuinitus est commendata prouideant: non quidem noui aliquid, quo præsens Ecclesiæ status frustra turbetur, aut vetustatis authoritati detrahatur instituendo, sed quæ antiquitus tradita, & modo necessaria sũt vt in vera fide, & disciplina populus cõtineatur, restituendo, & reuocando. Si igitur in aliquo Regno, ait paulo post, vbi imminens periculum præsens remedium exigit: sapientum, & piorum virorum Synodus, siue conuentus, supremi administratoris iussu instituatur, in quo de his religionis controuersijs, utile aliquid, & diuinis litteris, antiquæq; traditioni consentaneum constitui possit: in quod qui in vtraque parte saniores sunt consentiant, & ex quo Christiana tranquillitas in Ecclesia nascitura speretur, non credo hic quenquam pium, nedum verum hunc, vel opinatum auctorem, huic instituto intercessurum: neque ut longa deliberatione res differatur consequuturum: sed ad eam perficiendam omne suum studium, & operam adiuncturum. Neque ideo Romanæ Ecclesiæ auctoritatẽ conuelli existimandum est, si reliquis quoque Ecclesijs suum ius in constituenda religione, & disciplina Christiana tribuatur. Neq; vero Ecclesiæ occidentalis statum labefactari, si pars eius aliqua insignis ad pristinam dignitatem, & formam instauretur, & exornetur. Neque successionem violari, si Episcopi Apostolicum munus in cõstituendis, & repurgandis Ecclesijs hactenus ferè neglectum sedulo exequãtur. Neque defectionis, & Schismatis crimen in curri, si vrgente Ecclesię necessitate, aliud præsentibus moribus dissentaneum, diuinis uero literis, & antiquis moribus cõsentaneum instituatur: modo per liuorem, & odium à reliquo corpore non recedatur, neque temerario præiudicio reliqui condemnentur, sed ut sæpe dicitur, Charitatis, & Concordię Christianæ vinculum retineatur.

De Orthodoxis porro Principib⁹, quos reliqui reijciunt Euangelici, velut homines errori obnoxios, longe tamen modestius sentiunt Mediatores. Magnam, ait, Defensor Insontis libelli, hodie esse sectarum

ctarum varietatem, qui aliquo sunt ingenio norunt. At ne vna quidem est tã inepta, quæ verbũ Dei non venditet, iactet, sibiq; vendicet, imò veritati etiam opponat. Quæ ratio satis certè mouet minimè stupidos, & eos qui aliquo studio salutis afficiuntur, ne nudis verbis statim fidem adhibeant. Quomodo igitur examen hoc est instituendum, attentè est considerandum. Non poterit autem meo quidem iudicio certior, aut compendiosior adinueniri methodus, quam vt eruditæ antiquitatis vestigijs insistamus. Optimi Magistri, atque Duces, nobis esse possunt Ireneus, Tertulianus, Augustinus, qui plurima huius generis certamina posteritati reliquerunt. Dum autem traditiones Apostolicæ, à non Apostolicis, Patres à Patribus, Concilia à Concilijs, excernũtur, licitum esse vult, nimis sibi tribuens Cassander, homini fideli dubitare (verba sunt eius propria) ac iudicium suspendere, in illis Christ. fidei articulis, quos sub æternæ damnationis pæna, certo, & indubitato credendos firme, & perpetuo docuit, ac proposuit Christi Ecclesia Catholica. De ritibus porrò Ecclesiasticis, ita sentit, & loquitur. Mediator Veranius, in libello De officio pij viri. De cæremonijs verò, quæ ordinis in Ecclesia conseruandi, vel disciplinæ in populo constituendæ causa institutæ, vel vsu receptæ sunt, ita statuo: cæremonias, quæ à Christo ad colligendam noui populi societatem institutæ sunt, quæ Sacramenta vocantur, castè, & integrè obseruandas: nihil eorum institutioni, tanquam mutilatis, & imperfectis addendum, neque vt superfluis detrahendum. Interim Apostolis eorumq; successoribus ius, potestatẽq; concessam credo, vt pro tempore, & vtilitate Ecclesiæ ritus quosdam, & cæremonias instituerct, quibus in publicis Ecclesiæ conuentibus sacramenta illa diuinitus instituta administrarentur: tum ẽt quibus disciplina populi, tanquam Polyticis quibusdam legibus, sine quibus societas nulla consistere potest, regeretur, & cõtineretur. Interim tamen in istorum rituum dijudicatione duplicem errorẽ cauendum censet. Primum, Ne nimio superstitionis odio ij ritus, qui tollerari, citraq; impietatem seruari non possint, pro noxijs, & impijs temere damnentur, & abijciantur. Deinde. Ne cæco cæremoniarum amore, & inconsiderato Ecclesiasticæ potestatis zelo superstitiosi, & impuri ritus pro religiosis, & sanctis defendantur, & exigantur. Quæ tamen diiudicatio homini in rebus Ecclesiasticis, vt cumq; versato, nulloq; partium, aut personarum studio præpedito, auditu facilis erit. In primis autem obseruãdum erit, in his ritibus, & obseruationibus, multis modis vitium accidere posse, vno modo cum ijs ritibus, quorum bonus vsus esse potest, falsa opinio, & alienus finis adfingitur: quæ opinio cum in animis hominũ, & non rebus ipsis insita est, rectè sentienti, legittimeq; vtenti præiudicare non potest. Aliquando ritus ad pium vsum instituti, superstitione populi in abusum vertuntur, qui abusus publica authoritate tollendi, priuata autem cautione vitandi sunt: bonus autem vsus, si quis est, retinendus. Scitè dictum est à quodam scriptore Italico nostra ætate. Tanti non debet esse vllus abusus, vt propter ipsum tollatur bonus vsus. At magis pro conseruando bono vsu, corrigendi sunt abusus, si qui sint in Ecclesia. Quanquam hæc superstitio, vsque eo inualescere potest, vt publica authoritate, rem quoque ipsam, cui superstitio adiuncta est, è medio tolli conueniat, vt de æneo serpente, ab Ezechia Rege factum legimus. Nonnullę quoque huius generis constitutiones sunt, quæ quamuis exiguum vsum habere videantur, tamen vnitatis retinendæ, & scandali vitandi causa seruandæ sunt. Aliæ eius generis sunt, vt cum plerumq; vtiles esse possint, tamen non raro tempus incidit, vt priuatim eorum obseruatio, vel impossibilis, vel noxia sit, vt in ieiunijs, vel delectu ciborũ, haud raro ægrotis, & debilibus accidit. Hic à verbis statuti ad mentem institutoris, & Ecclesiæ confugiendũ esse non dubito. Non diffiteor tamen postremis hisce temporibus, vna cum ignorantia, auaricia, & ambitione, superstitiosos quoq; nonnullos cultus, & ritus in Ecclesiam irrepsisse, ita vt vitium ipsis rebus inhæreat, ipsorumque obseruatio fidei integritati officiat. Hos

vt pu-

vt publicè per eos, quorum in Ecclesia summa potestas est, tollendos: ita priuatim cuiq; vitium agnoscenti cauendos, neminem inficiaturū puto. Addit in defensione libelli, idem Veranius, quod Bucerus aduersus Latomum, idem de his ipsis ritibus senserit: non esse necesse omnia vertere, quæ supra mille annos in vsu fuerunt: noua vero tantummodo, & noxia irreligiosorum hominum inuenta, cōmutanda esse antiquis dogmatibus, & institutis. Et in Dialogo Germanico de præparatione ad Conciliū, ad Guilhelmū Comitem à Nassau. Illis, inquit, tantummodo institutis contradicitur, quæ recentiores Pontifices, & Episcopi suæ tantum vtilitatis, & dignitatis gratia constituerunt: non uerò ijs, quæ sancti, & antiqui Patres, & ueri Episcopi instituerunt, & obseruarunt. Extant, & moderatiora scripta Philippi Melanchtonis, de cæremonijs, ut cum scribit ad Philippum Ducem Gattorum. Rogo vestram Celsi. propter Christum, vt quantum fieri pie potest, pacis publicæ causa, veteres cæremonias conseruet: nunquam enim mores, & ritus, sine magnis scandalis nouantur, & Christianismus in ritibus minime est situs, sed in timore Dei, fide, charitate, & obedientia erga Magistratus.

Romanam porrò Ecclesiam Mediator iste, & laudat simul, & mordet. Nam & si doctrinam Apostolicam, quod ad capitales religionis articulos attinet; Sacramēta quoq;, vt sunt à Christo instituta retineri, seruarique in Ecclesia Romana fateatur: cæremoniarum quoque, & rituum priscæ Ecclesiæ imaginem in ea conspici, tum & perpetuam Præsbyterorum, seu Episcoporum, iam inde ab Apostolis successionem numerari. In Eucharistiæ tamen celebratione, & dispensatione non nihil vitij videri, testatur. In clero priscam integritatem desiderari, & prorsus Ecclesiam, non parum ab antiquo decore diuersam, multis morbis, & vitijs deformatam, nonnunquam etiam gubernatorum tyrānide miserabiliter pressam affirmat. Nec eos damnandos putat, qui in fundamentis Apostolicæ doctrinæ persistentes, studio syncerę religionis, cum in aliqua Ecclesię parte correctionem necessariam putant, præeuntes, summa authoritate, accedente communi illius Ecclesiæ consensu, aliqua in fidei doctrinæque genere repurgarunt. Et cæremonias præterea nonnullas, etiam si sint vetustiores, modo id populi magna vtilitas, & propè necessitas exigat auferendas, & alias in eorum locum pietati, & disciplinæ conuenientiores sufficiendas existimat.

Ieiunia quod attinet, illa quidem non improbat Mediator, carnes tamen in Macello quottidie prostare venales iubet. Et adducta Erasmi authoritate, tollerabilius arbitratur, vt sexcenti vescantur carnibus citra necessitatem, quam vt vnus propter Ieiunij superstitionem, periclitetur de vita.

De Calicis vsu, optandum, ait, & vehementer elaborandum, vt antiqua illa & longo tempore perpetuata integra Sacramenta administrandi consuetudo generali constitutione reuocetur, & calicis, seu sanguinis Dominici publicus vsus non abolitus, & perpetuo edicto non abrogatus, sed temporario statuto, & sub forma, vt aiunt, prouisionis intermissus, atque suspensus, exigente illud temporum necessitate, cuius causa sępe Ecclesiastica statuta mutantur, denuo restituatur. Quod si tam citò, vt generali constitutione id fiat obtineri nequeat, considerandum pijs, & eruditis viris relinquo, quibus vera Ecclesiarum conciliatio, & piarum conscientiarum pacatio cordi est, consultum ne, & probandum censeant, si quæ Ecclesiæ citra acerbam, & odiosam aliarum Ecclesiarum infectationem, & damnationem, manente concordiæ vinculo Christianæ, adhibita quoque diligenti inculcatione fructus, qui ex huius Sacramenti participatione suscipitur sensim, & paulatim vtriusque Sacramenti vsum reducant. Aquam Baptismati destinatam: item cærei Paschalis benedictionē, & accensionem, certis precibus, & cęremonijs quodāmodo sanctificari, illo tempore vsum aliquē habere potuisse asserit, cum pręsens circumstaret regeneratorum cætus, cui⁹ gratia hæc oīa suscipiebantur. Nunc verò inanis & quasi anima destituta hæc põpa videtur,

cum

cum nemo adsit eorum, quorum gratia à maioribus hæc instituta fuerunt.

Chrismatis vsum vetustissimũ, & per omnes totius orbis Ecclesias summa consensione, & religione obseruatum esse fatetur. Nunc vero, &si non prorsus abrogandum, ne veteri Ecclesiæ iniuria inferatur, adnitendum tamen, & laborandum esse censet, vt citra superstitionem vsurpetur.

Hæc, & istius modi consilia Mediatores, nouandarum rerum cupidissimi, è suo cerebro effundunt, vt paulatim assuescant homines, maiorum instituta desere re, & tanto postea facilius fidei retinacula perrumpant. Tres esse aiunt isti ipsi Mediatores Christianæ prudentiæ regulas. Prima est. Non temere, & passim vbiq; dicendum, quod de religione sentias. Altera. Nnnquã dicendum contra, quã sentias. Tertia. Vbi gloria Dei, & proximi vtilitas postulat, libere, & cõstanter dicendum quod sentias. Ad hos Mediatores adiungi potest, & debet Ioan. Sturmius, qui conatus est (vt ipse testatur in præfatione in Psalt. Conradi Heresta chij: & Genebrardus in Chronolog. meminit) nouam quandam sectam Argentoratum introducere 1578. quam mediam viam appellabat: absq; offensione Catholica, & protestantium. Ad eam autem firmandam ex singulis decem Circensibus Imperij Prouincijs septẽ eligendos censuit, qui eiusmodi Confessionem scriberent, quæ vtriq; parti non displiceret, ita vt 70. virorum consilium concordiã statuat, receptis è Concilio Trident. quæ placerent, & hominibus placere possint, reiectis cæteris, adhibita etiã charitatis regula directa nõ ad seueritatem, sed ad mansuetudinem. Multas alias artes, & thechnas Mediatorum istorum, in sua Euangelica Inquisitione. Ederus, vir doctissimus conscripsit, quos Hoffchristen, id est, Aulicos christianos appellat, sursum deorsum omnia in religione miscentes, vt ventri, & arculæ benè sit. Sed vani semper fuerunt, & erunt istorum conatus. Si Deus est sequimini illum, ait Prophera. Si Ecclesia est Ecclesia, & Ecclesia est columna veritatis, state in illa.

Ipse quoque perditissimus Caluinus, istiusmodi Cassandriana, seu pacificatorum consilia diris omnibus deuouet. Acerbissimam enim respõsionem conscripsit aduersus quendam Mediatorẽ (Cassandrum scilicet,) quem meras impostu ras, & præstigyas spirare testatur, flexiloquumq; vocat, & Oenobarbum, & lamiam, & laruam, in antro delitescentẽ, & in sterquinio iacentem: qui viginti annorum spatio ad mediam quandã, & flexuosam religionem cudendam sit abusus, vt duarũ Missarum species comminiscere tur, siccã videlicet, & humidã. Exclamat ad extremũ. Pax tua, nugator, cuius studio quæuis pietatis ludibria obtegis, quando ter proditoria est, à nobis procul facessat.

Nos quoq; nõ cũ Caluino, sed cũ Augustino exclamam⁹, & dicim⁹. Volũt vnã linguã, veniãt ad Ecclesiã. Sed hęc de Mediatorũ erroribus sufficiant, quibus Aulæ Principum nimis proh dolor abundant. Istos porrò an ad Caluinistarum, vel Trideistarum, vel Lutheristarum cætum aggregare debeamus, difficille est diuinare. Sicut ipsi nesciunt quid credunt, ita nos ignoramus quo gradu, & ordine vagos istos homines collocemus.

Mediosiandrini.

Mediosiandrini sunt (vt habet Staphilus. De Concordia discipulorum Lutheri) Brentius, cæteriq; Theologi Tubingenses. Hi enim; cùm Oliander hominem essentiali Dei iustitia iustum dixisset, & Illyricani hominem solum imputatiue iustum haberi correxerunt, vtroſq; media via interposita correxerunt, quod scilicet, in hac vita homo imputatiue iustus reputetur, in fœlici autem patria fore illum ea iustitia iustum, qua Deus ipse per essentiam iustus existit. Hęc Staphilus. Ad Luthericolarũ cohortem pertinẽt.

Melanchtonici.

MELANCHTONICI, à Philippo Melãchtone Achate fidelissimo Lutheri, & errorũ audacięq. administro, & Synagonista dicũtur. Vittem-

tembergeñ. Scholæ Præceptore, & Grammatico, qui Lutheri ſui doctrinam initio profeſſus, diſſentire poſtea in articulo de libero arbitrio, deq; Cæna, & cæremonijs cæpit: idq; illi objicit Illiricus, & Saxonici Euangelici, deprauatoremq; appellat, quod doceat hominẽ poſſe ad gratiam Dei recipiendam ſeſe præparare, ex puris naturalibus viribus: falſi etiam crimen impingit, ob Auguſtanã Confeſſionem, Lutherique libros adulteratos, & libellum ſupplicatorium edidit pro Synodo in Saxonia congreganda; ferre enim Stoicus, & rigidus Lutheri diſcipulus non poterat, vt Magiſter, & Dominus, à Philippo damnaretur, quaſi impiam, & cum Hæreſi Manichæorum congruentẽ, de libero arbitrio ſententiam tueretur. In doctrina quoque de Iuſticia, teſtatur Hoſius ex Oſiandri Nicticorace, Melanchtonem iſtum quaterdecies opinionem ſuam variaſſe. De præceptis, & conſilijs Euangelicis ſenſit initio cum Luthero, nullum ſcilicet eſſe in Euangelio præceptum. Poſtea vero mutata ſententia expreſſe docuit, nullũ prorſus eſſe in Euãgelio conſilium, ſed omnia, quæ commẽdantur eſſe præcepta. Notiſſimus eſt ille quoque hominis error, quod æque proprium ſit Dei opus, Iudæ proditio, atque Pauli vocatio: Dauidis adulterium, & Manlij Seueritas, cum Deus omnia in omnibus faciat, non permiſſiuè, ſed potenter. In articulo vero de Cœna, ſub vitæ ſuæ finem, longè quam ante apertius, & à Luthero, & ab Auguſtana Confeſſione, & à cæteris Sacramentarijs, & à ſe ipſo diſceſſit: quippe (vt Copus annotauit) qui in Cæna ſua Euangelica, ijs potius verbis. Hęc eſt participatio corporis mei, quam illis. Hoc eſt corpus meum, vtendum putauit. Audiuimus olim ex Hoſio, quod ſub vitæ finem iſtius diuiſionis, & diſſidij, quod in religione videbatur, adeo puduit, piguitq; Philippum, vt aliquando ſeſe ſuis amicis aperuerit, quod in Poloniam ſecedere Vittemberga cupiebat: vt ingratorum diſcipulorum furori cederet, deq; fidei controuerſijs in Ciuitate Poſnanieñ. quietius deliberaret, dum Oecumenicum Concilium cogeretur, cui intereſſe, decretiſq; eius ſtare cogitabat, quic quid tandẽ de Lutheri decerneretur doctrina. In ædes quoq; ſuas ſi vixiſſet, & Tridentinũ veniſſet, recipere hominẽ decreuerat Hoſius, omniaq; tẽtare, vt relicto Lutheri ſui Cacangelio Chriſti Euangelium ſequeretur. Sed mors, & Philippi cogitationes, & pios conatus Hoſij, perturbauit.

Memorialiſtæ.

MEMORIALISTAS vocat Ederus in prima parte Euangelicæ ſuæ Inquiſitionis, qui credunt, & docent, nil aliud eſſe Euchariſtiam, quam memoriale, vel ſignum quoddam, ad excitandam memoriam Dominicæ paſſionis. Dicunt autem, quod tam corpus, quam anima hominis ex Chriſto paſcitur, & alitur, non quia corporaliter manducatur, ſed quia per fidem quodam imputatiuo modo pro tali reputatur. Ad eandẽ cohortem pertinere dicit eos, qui externorum ſignorum ſumptionem non putant neceſſariam: ſed fidem ſolam, vt manducaſſe tum ſtatim videantur, cũ primum credũt: immo, aiunt, manducare nil aliud eſſe, quam credere. Sunt, & tertij generis, qui putant in Euchar. ſe fieri, participes ſpiritus, & virtutis carnis Chriſti, non alicuius viſibilis, & tangibilis corporis. Hæc Ederus.

Mennonitæ, ſiue Malliapi.

MENNONITAE, ait Lyndanus, per Belgium vocantur à Friſone quodam Mennone Simonis, unius factionis Anabaptiſticæ Miniſtro Viſmarienſi (nam alteram excommunicauerat,) homine, qui cęteris, vt habet Hoſius, præſtare eruditione videbatur. Hic non contentus Baptiſma violaſſe, etiam Chriſtum negat ex virginis carne, aut humana ſubſtantia natum, ſed ex Patris ſubſtãtia cœlitus attuliſſe corpus, vt habetur in colloquio Viſmarieñ. Verba eius

ba eius propria citat Hutenhouius in colloquio eiusdem Memnonis, cum Micronio Vismariæ habito. Menno rursum, ait, orditur disputationem, de humana Christi natura, cuius originem ex celesti Dei patris semine, non autem ex Mariæ virginis substantia esse asseruit. Tanta porro fuit in hoc suo asserendo dogmate audacia, vt ausus fuerit nominatim in concione recitare, aliquot Lutheranos Concionatores subitanea morte abreptos, qui suum dogma infestarunt, Vincentium quendam, cum Vismariæ è suggestu profiteretur anno 1555. se Anabaptistas infamaturum, dum os sibi esset patulum, è vestigio obmutuisse, & domum fuisse deportatum. Alios in mensa narrat, cum ipsi morte minitarētur, subito extinctos: Coniugia propter infidelitatem, & excōmunicationem facile dirimunt. Anabaptistas ab alijs Anabaptistarum sectis ad se transeuntes, tertio baptizant, idq; vxori Thomæ cuiusdā accidisse, Protocolum Franceralense Articul. 12. testatur, quæ post sumptum Colonię de marito capitale supplicium, ad Menniſtas deffecit, tertioque baptizata est. Alibi vocantur Malliapi, eodem testante Lyndano.

Methaphoristę.

METHAPHORISTAE sunt ex Sacramentaria factione, qui authore Staphilo, asseuerant Christi corpus postquam ascendit in Cœlum plane Deū esse factū, omninoque proprie dici debere, Corpus Christi est Deus. Cum ergo quæritur, quomodo corpus Domini adsit in Cœna. Respondent adesse quidē verū corpus, sed tale corpus tamen, quod iam sit diuina essentia, & Deus simpliciter: non caro humanę naturæ consubstātialis. Ita scribit Suencfeldius in multis libris, & præcipue, in. De duplici Statu Christi.

Methonimici.

METHONIMICI, Turriano teste, alienam doctrinam asserunt à scriptura sacra. Vocat autem Methonimicos genus quoddam Sacramentariorum, qui verba Christi (Hoc est corpus meū) Methonimicè, siue figurate intelligenda putant, quasi panis in Cœna propositus, cū sua Methonimica significatione, Christi carnem nobis per fidem exhibeat: vt aliud pro alio intelligatur. Sicut illud (Petra erat Christus) Methonimicè intelligendum est, sic verba Christi intelligi debeant (Hoc est corpus meum) vt sic apud illos Christus sit in Sacramento, tanquā in signo tantū, sicut apud Iudæos in Manna. Docent enim nomen corporis Christi, positum esse pro signo, & figura corporis Christi: atq; ita figuram dictionis constituunt in prædicato, & attributo, nō autem in uerbo (est) Vnde Viretus Methonimiam, inquit, quam eorum aures in verbo (est) respuunt, collocemus in nomine corporis, vt corpus capiatur pro corporis figura, & significatione. Contra hanc Methonimiam, & Methonimicos Caluinicolas, doctiss. librum edidit Franciscus Turrianus de Sanctissima Eucharistia, contra Andream Volanum Polonum, huius Methonimiæ obstinatum assertorem.

Molinei.

MOLINEO, & Molineis, has asscribit Hæreses Sanctius, & Sanderus, ipso etiam Buccero in testimonium aduocato, quod doceat Iesum nascentem adaperuisse vuluam Mariæ. Sic enim blasphemus ille loquitur. Præterea vero hęc illius verba non minus impia recensēt: Errarunt Monachi, & sacrificuli, Doctoresque Papistici vrgentes merita tum in carnationis, tum Natiuitatis, tum tentationum, & afflictionum Christi. Nihil hæc omnia proderant nobis, nil poterāt, sed sola mors Christi, sola à Deo acceptata pro expiatione nostrorū peccatorū, & iure vitæ æternæ. Hæc Carolus Molineus. Petrum quoq; Romæ non fuisse obstinate deffendit. Sed hoc illi, cum alijs multis cō mune.

Monasterienses.

MONASTERIENSES, secta sunt Anabaptistæ Monaster. Vestphaliæ oppidi ciues, & incolæ: qui Ioannem Bokeldi sartorem Leydeñ. sordidumque institorem, Regem Monasterieñ. per seditionem factum, (vide Cochleum, & Surium) sectati, omittunt in sua Cœna illa Christi verba. Hoc est corpus meum, & eorum loco dicunt. Accipe, ede, memento domini, vt Erasmus Alberus lib. 2. contra Carolsta. testatur. Addit Carion, quod occupata ciuitate, quasi arcem Syon, nouo suo, cœlestiq; Regi pararunt, & nouam Hyerusalem vocauerunt. Rex autem ille cælestis, aliquot simul vxores duxit, quarum nonnullas ficto quodam cœlestis Patris mandato, capite minuit. Plenę sunt Historiæ, quæ ab istis phanaticis Monasterij per summum scelus tentata, patrataq; sunt.

Muntzerani.

MVNTZERANI, à Toma Muntzero, siue Monetario dicuntur, Anabaptistarũ (vt multi putant) parẽte, qui primus (vt ait Hosius) à Lutheri secta desciuit, nec minus Lutherum, quod nimium laxasset: quam Papam, quod nimium astrinxisset conscientias, damnandum putauit. Iactabat hic diuinitus sibi traditum Gedeonis gladium, quo compelleret omnes ad instaurandum nouũ Christi Regnũ. Quamobrem, & totam fere commouit Germaniam: rusticos in exitium dominorũ armauit, proposita spe dulcissimę libertatis: quorum diuersis in locis vltra centum millia perierunt. Ipse vero captus, fertur ex animo doluisse, erroresque (vt habet Surius) reuocasse, & præmissa confessione, & communione sub vna specie, caput carnifici præcidendum obtulisse. Eius errores, sic describit Lyndanus. Homines non suæ factionis, vocabat thorum infidelium pollutum, & diaboli prostibulum: Baptisma infantium nõ esse ex Deo: infideles omnes cum Principibus, & Magistratibus occidendos: libertatem per Principes extinctam, esse armis vindicãdam, Hosius vero ex Philippo Melanchtone, hæc præterea de illius doctrina recenset. Primum hortabatur suos, vt à manifestis criminib⁹, qualia sunt adulteria, cædes, blasphemię sibi temperarent. Secundo vt corpus castigarent ieiunio, vilitate vestium, pauca loquendo, toruum obtuendo, barbam non radendo. Tertio vt secreta ioca peterent, deq; Deo sæpè cogitarent, quid sit. Num nostri curam gerat. Num vera sit fides nostra. Quarto signa simul à Deo postularent, quibus ostenderet, quod sumus illi curæ, quodq; fides nostra recta sit. Quinto scripturis non fiderent, accepti vero Spiritus Sancti, somnia certissima esse signa persuasum haberent. Sexto, habere se mandatum particulare, vt mutaret regimen sęculare. Testatur de Muntzero Alberus contra Carolstadianos, tam magnũ fuisse scripturarum contemptorem, tam solicitum visionum, & apparitionum sectatorẽ, ut de ipso quoq; Bibliorum nomine ludos sibi faceret. Quid Bibel, Babel, Bubel, Bobel, mihi Dei spiritus loquitur.

Musculani.

MVSCVLANI, dicuntur, ab Andrea Musculo insigni Luthericola. Docebat is, Lyndano teste contra Stancarum, & Osiandrum scribens, Christum esse non modo secundum vtramq; naturam iustificatorem nostrum, sed etiam diuinã eius naturam in Cruce, & passam, & mortuam. In cuius etiam blasphemiæ confirmationem libellum edidit nomine Lutheri idem affirmantis, sicut ex eiusdem Lutheri libro de Concilijs videre est. Docet etiam Ecclesiam ex solis electis constare, & illa Pauli verba, vbi Ecclesiam vocat columnam, & firmamentum veritatis, intelligi vult de vna illa Catholica, Orthodoxa Ecclesia, quę est communio Sanctorum, & electorum, in toto orbe cunctis sæculis Christo credentiũ: nõ aũt de hac Catholica Quã eius falsissimã circũscriptionẽ doctissime refutat Stapletonus, in demonstratione Principiorum.

Near-

Nearriani.

NEARRIANI, in Polonia nostra vocantur, cum ab alijs multis, tum à viro doctissimo Possevino, quasi noui Arriani, Arrianæ scilicet perfidiæ instauratores. Eorum authorem esse, vult Belarminus, Valent. Gentilem, ac tria docere scribit. Primò tres esse spiritus æternos, Patrem, Filium, & Spiritum S. essentiali numero differentes. Secundo, has tres personas non esse æquales: sed Patrem longe esse eminentiorem cæteris, ita vt ipse essentiator, cæteri duo essentiati debeant existimari. Tertio filiũ Dei non esse ex nihilo, sed ab æterno ex Patris substantia. Plura in hoc genere dicuntur, vbi de Gentilistis, Trideistis, & horum similibus agitur.

Nestoriani Noui.

NESTORIANI Noui, ait Lyndanus, errorem Nestorij à 200. Patribus in tertio Ephesino Concilio damnatũ, renouant. Obijcit hoc Zuinglio Luther⁹, cum dicit, in Commentar. ad Hæbreos, sibi paulo ante fuisse negotium cum Nestorianis, qui pertinacissimè contra me disputabant, quod diuinitas Christi non posset pati. Immò Zuinglius, ait ibidem Lutherus, contra me scribebat super hoc dicto. Verbum caro factum est, & simpliciter volebant legendum, verbum caro facta est. Ratio, quia Deus non potest mutari in corpus, Hosius præterea Nestorianis tribuit, quod Beatam Christi Virginem Matrem, non sustinent audire Dei genitricem, & ob hoc docuisse Zuinglium, quod Christus propterea profeciſſet sapientia, quia secundum humanam naturam finitus esset, & mensus.

Neutrales.

NEVTRALES vocat Staphilus quosdam Sacramentarios docentes, quod neque vna species, neque vtraque sit necessaria ad salutem; sed sola fides, ad percipiendũ Cænæ fructum sufficit. Aiunt præterea à Luthero suo docti. Si concilium statueret, sub vtraque specie communicandum esse, tũ contra vellent, aut sub vna specie Laicos communicare, aut etiam vtramq; reijcere. Ex qua tam ancipiti doctrina hoc consecutum est, vt quam plurimi Lutheranorum, intra decem annos ad cœnam suam non accesserint, alij nunquam, quæ communior est, & magis vsitata Lutheranorum praxis. Missæ quoque cuiusdã nomen alicubi retinuerunt. Kyrie Eleyson in templis, sacrisq; suis, & Sanctus, & Agnus Dei, cantillant, quandam veteris habitus speciem retinentes: quod nos ẽt Francofordiæ ad Oderam olim vidimus.

Nicodemici.

NICODEMICOS, dissimulatores, siue cessatores, vocat Lyndanus, qui siue sint animo Catholici, siue Hæretici, neutrum tamen ore profiteri, præsque ferre consueuerunt. Nocte quasi cũ Christo, die conuersantur cum Antichristo: Missam audiunt in Catholica, & Cõciones in Synagoga: si Principi placet, si arculę commodum est, à Lutheri parte stabunt, ijdem, si incommodum est, Lutherum statim faciunt ipsissimum Antichristum: cæremonias Ecclesię libenter irridẽt, signum crucis sub pallio effingunt: abusus frequenter exprobrant, de Pontifice, Cardinalib⁹, Episcopis cõtemptim loquuntur: qui cum potestate versantur, Hæretica decreta statuunt, bona Ecclesiastica libenter vsurpant. Si fides Orthodoxa, vel Ecclesiæ causa, aut Ecclesiastici ordinis dignitas, in foro, templo, curia tuenda est, statim illud Gamalielis occinunt. Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus dissoluetur, si verò ex Deo est, non potestis dissoluere illud. Summa est, religionem, vt pilam habẽt.

Iam impellunt, iam repellunt Tales olim Augustinus, Temporales. Hosius noster sua lingua (Ialouue Katoliki) hoc est macilentos Catholicos. Ederus vir doctissimus (Hoffchristen) aulicos Christianos vocabat, & describebat: quo etiam nomine multa incommoda, & persecutiones in Ciuitate Vienensi pertulit. Tales etiam Panico timore laborare, querebatur olim Hosius, quod in conspectu Regum loqui, & pro veritate stare propterea formidarent ne panem, ne census, ne reditus, ne gratiam Principis amittant, scripturam etiam corrupisse memorabat: cum pro Κυριο scriptum putarent Καιρο, vt vbi habetur, Deo, siue domino seruire, regnare est, ipsi legant, Tempori seruire, regnare est. Ocioli itaque sedent, ruentis religionis spectatores: qui etsi errores cupiant abolitos, vt vna regnet veritas: digito tamen uno cursum impietatis nō impediunt. Parcendum aiunt, (vt habet Lyndanus) infinitę errantium multitudini, pestem esse animarum hæresim, quæ leuioribus facilius, quam asperioribus sanaretur medicinis. Cæterum cum constet, & dissimulantes silentio suo, & Cessatores ocio suo, Christi causę maximopere incommodare, eadem proculdubio, ait Lyndanus, istis omnibus erit mercedis, in illo iusto iuditio, portio, quæ manifestis, atque ex professo Christi hostibus hæreticis. Vtinam, ait Scriptura, vel calidus, vel frigidus esses, sed quia tepidus es, euomam te ex ore meo. Tum, & illud. Qui mecum non est contra me est qui mecum non colligit spargit.

Nudipedes.

NVDIPEDES, secta sunt Anabaptistę, qui cum videri vellent in Morauia Apostolicæ vitæ, & paupertatis imitatores, omnia relinquebant: omnia sua alijs communia faciebant: domum, liberos, negotia relinquentes per agros vagabantur, calceos abhorrebant, vnde, & Nudipedes sunt appellati, pecuniam non contrectabant, vulgi denique cultum, & vsum ciborum, armaque detestabantur. Et ideoq; spirituales quoque, seu separati, appellari volebant.

Ochiniani.

OCHINIANOS vocatos legimus, à Bernardino Ochyno Italo, Apostata Frāciscano, quos Capucinos vocāt. Is ex Italia Geneuam profugus, cum Seruetj magis, quam Caluini doctrinam, cū puro, puto, verbo Dei congruentem putaret: nec eam profiteri ꝓp Caluini Tyrānidē auderet, Geneua paulo post in Germaniam, inde peruenit in Poloniam. Ibi Dialogos quosdā Atheismis pleniſſimos edidit, Regiq; Sigismundo Augusto, & Palatino Vilneń. Radziuilo, & alijs heroibus inscripsit. De his in suo de adoranda Trinitate iudicio, & censura, hæc quæ sequuntur, scripta reliquit Hosius, vbi Psalmi locum illum enarrat Hieronymus, & Augustinus. Vt destruas inimicum, & defensorem (sic enim legit Augustinus) inimicum, & defensorem siue vltorem, hæreticum intelligi volunt, qui cum nequitia sua fidem, & Ecclesiā Christianam expugnet, defendere tamē eam assimulat: ipsissimus, hoc est Ochynus. Est enim idem inimicus, & defensor. Nec vllo tempore magis inimicus, quam quo se maxime simulat esse defensorem. Vix vnquam sana doctrina, quā Ecclesia Catholica profitetur, hostem sibi habuit magis infestum, quam hunc: qui tamen interea sibi partes illius defendendas sumit vltro. Verum ita defendit, ut facile nequissimum prēuaricatorem agnoscere liceat. Nō est hic necesse recensere singula, foret enim id nimis longum, sed pauca tamen breuibus attingam. De Polygamia Dialogum quendam edidit, in quo quibus potest fortissimis argumentis, quendam illam approbantem: se vero Ecclesiæ doctrinam tuentem inducit: qua quidem in re se talē defensorē præstat, vt ludere potius cum aduersario, quam serio rem agere videatur. Haud aliter enim, quam si victus esset argumētorum illius vi, concedit ad extremum quod ille vult, et vt id faciant monet, ad quod eum Deus impellit. An autem magis fidū defensorem, agit in eo dogmate tuēdo, quod vnū est de prēcipuis fidei nostrę capitibus, quo Sāctam Trinitatem, &

esse, &

esse, & adorandam esse, Christumq; natura Dei filium esse, Catholica profitetur Ecclesia. Ipsa præfatio, quam ei Dialogo præfixit, satis indicat, qua fide rem agere proposuerit. Narrat enim se propterea Dialogum hunc scripsisse, quod suspectum eum haberent nonnulli, quasi nõ crederet esse Trinitatem. Cæterum ita suspitionem hanc diluit, in isto Dialogo suo, ut si quis dubitasset antea, quod Sanctissimæ Trinitatis infestissimus hostis esset, lecta eius defensione dubitare deinceps non possit. Itaque cum esset sibi cõscius eius rei, pluribus verbis in præfatione purgat sese, si non tanta vi probatã à se, defensamque esse Trinitatem, quãta debuerit: si locus, & argumenta, quæ contra sunt adducta per se ieiune refutata esse, quisque dixerit. Secutus est autẽ is exemplum Lutheri. Nam sicut Lutherus de Sacrificio Missæ Sathanam secum disputantem, ac multos locos, & argumenta proferentem inducit, quibus eam in contemptum adduceret, & vt abrogaretur, persuaderet, sic & hic facit in dogmate de Sancta Trinitate, quam in Dialogo quodam idem, qui Missæ sacrificium Spiritꝰ grauiter oppugnat simul, & Christi diuinitatem, & ex orco reuocat omnia quæcunque, vel à Praxea, vel ab Arrio, vel ab Eunomio, vel ab alijs hæreticis pridem allata, non semel sunt in Oecumenicis concilijs cõdemnata. Quorum præiudicijs cum victum esse videret aduersarium, authoritatem eorum, quin, & Sanctorum Patrum eluat, nec his armis i cum aduersario congrediendum esse censet, neque præter scripturarum authoritatem valere quicquam vult, nec aliquid se præter illas, & Apostolorum Symbolũ recipere profitetur, dumque reliqui Sanctæ Trinitatis hostes Nicœnum quoque Symbolum admittere se profiteantur, & hoc iste reijcere videtur. Itaque cum ad pugnam ventum est, nil aliud, quam ludos quosdam agit, & quamuis aliud præ se ferat, oppugnare tamen potius Ecclesiæ dogma, quam propugnare videtur. Neque uero contentus fuit in hoc dogmate talem se præstitisse, longius etiã progreditur. In penultimo Dialogo, Philosophum quendam inducit, qui se religionis omnis expertem palam professus, non ille quidẽ prorsus Deum esse negat, quẽ primum esse motorem concedit, sed eum nec adorandum, nec ab eo præsidij quicquam expectandum esse docet: scripturarum etiam, quas Canonicas vocamus, & quas esse diuina quædam oracula certo persuasum habemus, & veritatem, & authoritatem vehementer oppugnat: cui cõtradicit quidem Ochynus, in spe ciem. Verũ, si quis, & hunc, & alios Dialogos omnes diligenter excutiat, quod à me nõ sine magna molestia factum est, non aliud eum credere videbit, quam quod Spiritum, & Philosophum loquentes inducit: hoc est, nullum vt esse Deum credat, cui curæ sint mortalium rationes. Hactenus Hosius. Hunc hominem rectè quidã propterea natum ait, ne solus Seruetus omnium impurissimus, teterrimusq; hæreticus videretur.

Oecolampadiani.

OECOLAMPADIANI, à Ioanne Oecolampadio Brigittano Apostata, nomen acceperunt, qui Basileæ viuens, tantum sibi in omnem Magistratum Ciuitatis imperium vsurpauit, vt Erasmo teste, qui nutibus eius non parebat, mox ordine moueretur, qui eius auaritiam odisset, quod domui domum, agrum agro copularet, non impune ferebat. Errores hominis ii recensentur. Docet nullum vllo pacto bellum esse gerendum. Nam sicut in lege veteri bella multa legimus, quia Deus iusserat: ita in lege Christi bella nulla gerere debemus, quia id Christus prohibuit. De cæna Domini sic sentit & loquitur, tempus est ut probemus verba Cænæ Dominicę eodẽ Tropo dicta, quo illa Apostoli, Petra autem erat Christus, hoc est Petra significabat Christum, vel erat figura Christi. Neque in hoc contenderim, si quis per corpus, magis figurã corporis intelligi, quã verbũ (Est) velit, p significat interpretari. Vtrũq; n. probo. Nã eundẽ sensum reddit, siue interpreteris (Est) significat, siue corpꝰ figurã, & Sacramẽtũ corporis. Nos sensum non verba quærimus. De adoratione Eucharistiæ,

de libero arbitrio, de Sanctorum inuocatione cum Luthero sentit. In reliquis ad Sacramentarios est referendus.

Occulti occultorum.

OCCVLTI occultorum, ad cohortem Clancularioru m à Lyndano referuntur: ob admirabile latendi studium, Domi se, suosq; docent, templa nulla ingrediuntur. In hortis plerumq; conueniunt, ibique cœnitant, & cătillant. Ad Castra Anabaptistarum pertinent.

Ollarij.

OLLARII, hoc nomine appellati sunt, ait Lyndanus, quod suos coniuratos, non nisi mensa bene instructa inuisant, atq; ita fratrum, quos dicunt, bona liguriunt, quos alioqui instituti scopus experientia notus, facile dissipauit. Sed hi magis inter deliros, & Lurcones, quam inter famosos nostræ ætatis hæreticos, sunt deputandi. Tales olim Pinczouię, tales in Volia visi sunt propè Cracouiam, tales in Grodzisko propè Posnaniam, qui post cœnas illas, si dijs placet, Euangelicas triduo quandoq; & vltra helluabantur, integra abligurientes patrimonia: vbi infanda multa perpetrabantur, & hospites receptatoresq; conuiuarum ad extremam inopiam redigebantur, & male plerumque mulctabantur.

Opinatores.

OPINATORES, seu Docetas vocat doctissimus Sanctius, in libro ad edicta veterum Principũ, de licentia sectarum, genus quoddã armatorum Hugonaldorum (sic enim loquuntur) qui, quasi soli Regnum Galliæ possideant, non nisi omnium cœdes loquuntur, & exitia: agunt conuenticula, quando, & vbi ipsis placet. In Magistratus, & negotia Reipub. ambitiosè irrunt, vbi modo via ostenditur, publica grauamina constituunt, alijs præ se neglectis, de omnibus ad arbitrium decernunt: Sacerdotia, & Ecclesias, fraudare, in uadere, depopulari, atq; omni sacrilegio se contaminare, direpta ex Ecclesijs Siccarijs elargiri, atq; ad Ecclesiasticos, & reliquos Christianos lædendos, & omnibus contumelijs proscindendos, incendere: Psalmos ad seditionem fictos canere, sum mam, & supremam pietatem putant. Et sicut olim ex simili licentia colendi, quod liberet, aut faciendi quod placeret factũ est apud Aegiptios, vt alius veneraretur felem, alius canem, alius crocodilum, alius aliud animi sui portentum: sic apud nos, ait Sanctius, iam propagatur Doce tarum, seu Opinatorum perfidia, qui fidẽ vniuersam Christianam, nihil aliud esse volunt, quam opinionem. Ex ea porrò hi prodeunt, qui sectarum pertesi, omnem religionem abijciunt: & quorum omnem escam abominata anima dixit. Non est Deus. Isti porro tales Docetæ seu Opinatores, ad Atheistarum potius cuneum quam ad Hæreticorum ordinem referendi videntur. Propius enim ad Gentilismũ accedit, qui opinatur, quam qui Deum esse non credit.

Orales.

ORALES vocat Ioãnes Sturmius, in Antiproemio partis secundæ Antipapi Quarti, qui non libenter patiuntur Euchariſtiam manibus sumentium accipi, ut fiebat Argentinæ. Cum ego (loquitur de se Sturmius) in hanc vrbem primum veniſſem, ut à pleriſq; etiam fiebat, dum nobiscum Bucerus vixit. Nunc enim ore excipi Panem Domini volunt, vt oralem suam manducationem, venerabiliorem statuant: ignari quæ veneratio debeatur cœnæ Dominicę. Hæc Sturmius in Antipapo.

Oran-

Orantes.

ORANTES ad Anabaptistarum colluuiem ab Hosio referuntur: Lyndanus vero ait, quod toti erant precibus diditi, quibus mala omnia putabant se auertere, vnde cæ media tollebât, vt soli Deo relicti, in ipso, vt aiebant, toti consisterent, seque totos illi permitterent. Plerumq; in extasim rapti mira effutiebant somnia. His contrarij sunt nõ orãtes, quibus plena est Anglia. Testatur Andreas Philopater, in responsione ad Edictum Reginæ promulgatum Londini contra Catholicos, anno 91. Magos existimari, aut Dæmones exorcizare, qui genib⁹ flexis orationẽ in Anglia nũc faciũt. Verba eius sic habent, in quinta sectione Edicti. Et notandum profecto est, uel maximè, hanc vestem ouilem orationis, & deuotionis, quam hoc loco induit Elizabetha, eiusmodi planè esse, ita vt ab omnibus facile internosci possit, non esse ipsius: solo enim verbo consistit hęc Deum inuocandi prætensa deuotio. Nam neq; Elizabetha, neq; alius ferè quispiã eorum, qui religionem eius sequuntur, præsertim qui in Palatio viuunt, operãq; & consilium ad hæc nequissima contra Catholicos præstant, orationis exercitiũ pili faciunt, neque vnquam ferè de eo loquuntur, nisi fortè, vt hoc loco, ad ostẽtationem. Ita ut uerè vestimentum esse nudum orationis vsum appareat, sed ab istis ad fuccum, et fraudem tantummodo assumptum. Et certè qui in Aula Anglicana diutissimè vixerunt, omnino affirmant, vix vnquam se Reginam serio orãtem vidisse: quãquam frequenter sacellum suum diebus festiuis magno quidem ornatu, et pompa adeat: sed hoc ad splẽdorem, & authoritatem fit: tempus verò colloquijs, immò iocis etiam, et risu, vt plurimum, teritur: neque facilè vel genu flexio alicuius, vel pectoris tunsio, vel labiorum motio, vel alterius cuiuscunq; siue exterioris, siue interioris reuerentiæ signum cernitur.

De Comite vero Leceſtrenſi, qui magnus Euangelicorum Mæcenas: Catholicorum verò hostis extitit, mihi ipsi aliquando in Italia fassus est vir quidam nobilis, sed religione minimè Catholic⁹, se multis annis eidem Comiti intimè in cubiculo inseruijsse, neque vnquam tamen hominem orantem perspexisse, uel vnam tantum orationem Dominicam recitãtẽ. Quod, & de alijs quoque plurimis religionis Anglicanæ proceribus, & magnatibus, (præsertim verò Palatinis) certissimè constat. Immò et in reliquum etiam irreligionis istius populum, adeò res hæc manauit, vt suspectum planè habeant, si aliquem orationi deditum animaduertant. Nec diu est, (vt nobis retulit, qui rei interfuit) quod hæretici quidam carcerem de repente ingressi, cũ Sacerdotem fortè, qui captiuus detinebatur, genibus flexis orãtem inuenissent, magna irrisione exclamantes percontati sunt, an Magus fortasse esset, & an illis exorcismis dæmones adiuraret.

Osiandrini.

OSIANDRINI, in ea potissimum Prussiæ parte, quæ Duci subest viguerunt, ab Andrea Osiandro Lutheromanita accepto nomine, qui Alberto Duci fuit charissimus. Docet is hominẽ iustificari non fide, sed essentiali iusticia Christi, in nobis habitante, ut non sit gratiæ in credentibus, sed naturę. Sic enim legitur, in querella Lutheri. Hic etiam alterum se Enoch iactitabat, & Christi passionem, & mortem nullum nobis fructum attulisse putabat. De hoc iustificationis articulo, tantæ fuerunt excitatæ Tragediæ inter Philippum, & Osiandrũ, vt non longe, ait Hosius, res abfuerit à seditione. Missum est, ait, Vittembergam, vt de doctrina eius iuditium fieret, damnata est per Philippum, Pomeranũ, Forsterum, & alios. Missum & Vittembergam, approbata est per Brentium, & qui sunt eiusdem sectæ. Sex & triginta, ait Osiander, loca scripturę collegi, quibus habitare Deum in nobis ostendi, creditum non est, statim autem, vt Philippus breuem schœdam conscripsit, qua testatus est ita se rem habere, creditum est. Queritur igit mirabiliter vim fieri ęterno ver-

no uerbo Dei, verba hominum verbis Christi anteferri. Vicissim itaque a Philippianis, vt ipse testatur, egregiè est verborũ flagellis castigatus. Vocatur enim Hæreticus, Antichristus, Iudæus, niger Diabolus, Draco, homo nefarius, conscleratus, hostis Christi: conspectum hoc quoque esse, quacumque incederet, quod eum in specie canum, duo diaboli commitarentur, quos tamen non cuiuis videre liceret; quod eo tempore, quo cibũ, & potum in hypocausto inferiore cũ suis sumebat, in superiore, vbi vacare solitus erat literarum studijs, sedens in illius loco diabolus, visus fuerit scriptitare. In summa, tantum fuit odium Osiandro conflatum, vt non ipse modo tanquã impius haberetur, verum etiam qui sermones eius audiebant à communione cæterorũ, qui se pios existimabant, arcerentur, ac ne sepultura quidem communi digni ducerentur. Hactenus Hosius. Alijs in rebus Lutheri somnia secutus est.

Pacificatores.

PACIFICATORES, ita describit in suo Apologetico Lyndanus. Sũt ait, ex Nouatoribus, qui mediatorum siue pacificatorum personam sibi sumentes, vt funesta isthæc religionis dissidia in Romano Imperio componant, nil absurdi fore putant, si pleraq; vsu in Ecclesia recepta, pacis, & concordiæ causa omittãtur. Rempub. enim, ait, quæstui habentes permiscere student. confessionẽ confessioni, ritus ritibus, fidem perfidiæ, pleraq; etiam clanculũ abolere. In Conuentu Torgen. in quo de admittendo Interim tractabatur, inter alia rituum capita, Exorcismum, Vnctionem olei ægrotorum, & festum corporis Christi reliquerunt. Pacificatores verò circumgestationem, & eleuationem tollendam censuerunt. Sacramenti, inquiunt, honor diu sine circumgestatione constitit, & hodie constare potest: cum præsertim hodie nõ deuotioni populi, sed pompæ magis, & ostentationi illa circumgestatio seruiat. Fuerunt in Polonia qui pacem Ecclesiarum statim coituram existimauerunt, si calix laicis, vxores Sacerdotibus, Deo vulgares laudes, & preces tribuerentur. Missam alij, Dominicis tantum celebrari. Quadragesimæ obseruationem cuiq; esse debere liberam putauerunt. Siue inpane, siue cum pane, siue sub pane corpus Christi credatur, non curant, modo ne credetur, sub panis, & vini specie verum corpus contineri.

Hos ipsos Pacificatores his verbis describit, & depingit Veranius Modestus Pacimontanus, in libello, De officio pij viri. Ex quo apparet, ait, duobus modis in vtrislibet castris aliquem versari posse. Vno modo, vt vnius partis propugnatorem, & alterius partis infestum hostẽ: altero modo, vt intercessorem, & Pacificatorem: qui quamuis in alterius partis castris maneat, alteram tamen partem, & eiusdem Reipub. membrum, amore prosequitur. Quare non ad eius euersionem, sed conciliationem potius, & confederationem consilia sua refert: quo fit, vt qui in aduersa parte prudentiores, & æquiores sunt, eum non vt hostem, & inimicum, sed vt ciuem, & amicum habeãt. Fit quidem non rarò, vt feruente inter vtrosque pugna, vtrinque plagas accipiat: qui tamen si aliquando se collegerint, ardorque illæ pugnæ deferbuerit, bene ab eo sibi consultum, gratiamque illi se debere fatebuntur.

Hic tamen apparet, quam deplorandа, & periculi plena sit conditio eorum qui hanc viam ingredi, ac Pacificatorum munus tueri volunt. Nam cum duæ hæ, tanquam factiones, vniuersum penè Europæ Christianismum inter se partitæ sint (quamuis altera in duas quoque partes, ea sq; fere pares dissecta sit) fit, vt plerisque in locis acrioribus illis partiũ Patronis gubernationẽ tenẽtibus, vix æquis his, & moderatis hominibus locus detur: im mò plerumque vtrisque aduersariorũ loco, & exitij habentur, fortunarum, capitisq; periculis exponuntur.

Ad hunc Pacificatorum seu Sequestrorum numerum, & ordinem adiungit Cornelius Lensæus Callidius, in suo De spiritu vertiginis libello, Erasmum quoque Roterodamum, cuius conniuentiam, siue condescensionem vehementer impro-

improbat. Tribuit illi, quod in libello De farcienda concordia, senserit, & scripserit totam hanc litem, & controuersiam, totamque tempestatem, qua grauissima nunc affligitur Ecclesia, extingui posse, si quæque pars alteri se accomodaret, & quasi transactione quadam componeret: cum nec inter chariſſimos amicos constet amicitia, nisi vicissim ad quædã vitia conniueant, sibiq; vicissim cedant. De libero arbitrio, ait, quod spinosa sit verius, quã frugifera disputatio: & si quid quærendum esset in Theologicis Diatribus, sobrie, inquit, discutiatur. De oratione pro defunctis. Pij, ait, affectus est credere preces, ac pia opera virorum prodesse defunctis: & quibus nondum hoc persuasum est, non obstrepent simplicitati aliorum, sed tanto benigniores sint, erga pauperum inopiam subleuandam, quominus credunt defunctos viuorũ benefactis iuuari. De Sanctorum inuocatione sic quoque titubat. Religiosi, ait, affectus est credere, sanctos ac sanctas, quos Deus mortali corpore grauatos tanti fecit, vt ad illorum preces Dęmones expulerit, mortuos ad vitã reuocauerit, nunc quoq; nonnihil apud eum posse. At quibus diuersa cedit opinio, pura mente, syncerague fide inuocent Patrem, Filium, & Spiritum S. nec conturbent odiose eos, qui citra superstitionem implorant Diuorum suffragia. De illa porrò grauissima quæstione Catholicorum cum Arianis ob nouum nomen, Consubstantiationis, tale visum est Erasmo ferre iudicium: quod profecto quasi signum quoddam sequuntur, huius sæculi Nearriani. Ait is, in Epistolam ad Hebreos scribens. Res sanè indigna meo iudicio, ob quam oriẽs, & occidens exitiali bello inter se conflictarentur, & orbis concordia turpiter scinderetur.

Isdem Sequestris, seu Condescensoribus tribuit Cornelius, quod Belgicorum motuum, & seditionum causam, non diuersitati religionum tribuant, sed alia ex alijs comminiscuntur, vt quidquid credendi licentiam stabiliant. Aiũt motus propterea suscitatos, quod legitimus Princeps, Rex Philippus, à Prouincijs diutius abesset. Alij concredita infirmiori sexui gubernacula, calumniãtur. Alij admissos in secretum cõsilium ignobiliores personas. Alij Principum, & Nobilium maiorem, quam par erat suspitionem. Alij Rubei galeri iactantiam. Alij Bifurcatas mitras multiplicatas. Alij Deglubita, & per commendas comesta Cænobia. Alij in fratrum mendicantiũ humeros reijciunt, quiritantes, horum occultis inspirationibus, & clandestinis delationibus nimium faciles, ac patulas fuisse Magnatum, ac Principum aures. Alij in dissolutum clerum: alij fabam in laicorum gregem, qui publicis functionibus præeminent, iaciunt. Vulgus autem promiscuum clamitat externum præsidiũ Hespericum, omnium harum calamitatum, causam existere. Hæresis porrò nemo istorum meminit, quam omnium in toto orbe motuum, & seditionum primã, & præcipuam causam, & fomitem extitisse certum est. Sed id tacere bifrontiũ Pacificatorum religio suadebat. In ipsis Regni Poloniæ Lublinensibus Comitijs 1569 cælebratis, bifrontes isti Pacificatores, Hosium Cardinalem vehementer obtestabantur, ne in ampliſſimo Regni Senatu verba pro religione faceret, aut pro Catholicis contra Hęreticos vehementius, vt solebat, loqueretur. Cauendam esse seditionem, tempori dandum esse præsentem Regni religionisq; statum: venturum tempus aliud, cum omnia vicissim sponte sua pristinam viriditatem recuperabunt. Quid porrò in hoc genere vel fecerit, vel dixerit Hosius, in Historia Vitæ, quam scripsimus, recensemus. De his in hæc verba Sanderus quoque scribit. Extat, ait, liber inscriptus, De officio pij Christianæ pacis vere amantis viri, vigente hæresi. In eo verba Pacificatoris istius hæc legimus. Qui Christo capiti, & reliquo Ecclesiæ corpori, charitatis vinculo connectuntur, nullo modo, vt Scismatici, & ab Ecclesia alieni habendi sunt: etiam si ab alia Ecclesiæ parte potentiori, & gubernationem obtinente reiecti, & ab eorum communione separati videantur. Itaque, ait Sanderus, iste putat eos, qui saluo Apostolorũ Symbolo, siue Romanã, siue Luteri, siue Caluini Ecclesiam frequentant, modo

eam

eam Ecclesiam, à qua magis dissentiunt, hæreseos non damnent, veram Christi Ecclesiam: esse Authorem libri Cassandrum faciunt, cuius Ideas, siue opinationes egregie confutatas vidimus, cum ab alijs tum à Michaele Bayo, Ioan. Lensęo Belliolano, & Cornelio Loeseo Calledio. Sed, & Caluinus, & Smidelinus pacificatorios quosdam libellos ediderunt, & alij plerique Pauli præceptorum immemores. Quæ conuentio Christi cum Belial? quæ societas luci cum tenebris? Porro fructum istarũ pacificationum, & compositionum duarum religionum hũc in Gallia extitisse testatur, Admonitio Anglorum Catholicorum, ad Gallos Catholicos, vt post colligationem prætensarum fidium cũ vera Catholica fide, Gallia remanserit sine fide. Narrat etiã auctor libri decretum fuisse in quodã Hugonotorum Synodo, siue conuentu, quod non solum necessarium sit, sed etiam laudabile maxime in Principibus viris simulare, & dissimulare religionem, idque vt magis etiam persuaderent, fictam quãdam admonitionem edi curauerunt ad Regem Nauarræ; vt ne abnuat vniri Ecclesiæ Catholicæ. Item quandam obiurgationem ad Episcopos Regni simulationes istas reprehendẽtes. Item considerationes quasdam de nationali Concilio, quibus artibus (quod equidem dolendũ est) magis profecerunt, quam Ecclesiæ Dei expediebat, nisi quod filij huius sæculi prudentiores sunt filijs lucis. Videntur autem Pacificatores isti cum Mediatoribus idem sentire, sed tamen ab Authoribus alio, atq; alio nomine discernuntur.

Pacifici.

PACIFICI, sic à Lyndano describuntur. Inter Anabaptistas, inquit, alij se Pacificos iactant, vnde & sese apud imperitam plebeculam nomine domus pacis vendicant. Hanc autem tãdiu amplexantur, donec impune in omnium fortunas, adeoq; corpora grassari liceat, pro ut suo exemplo docuerunt Amsterdami 1535. & anno sequenti Leidis, & per varia Hollandiæ, & Frisiæ loca in Pœldiko, Hazerszon, & Ouusudelkostie.

Parlamentarij.

PARLAMENTARII Episcopi, & qui eorum doctrinam sequebantur in Anglia, Sandero teste appellati sunt, qui legittima ordinatione destituti, vt pro Episcopis, & Pastoribus haberentur, bracchium sęculare inuocare coacti sunt, vt laici Magistratus confirmationem in futuris Comitijs acciperent: cuius authoritate, si quid minus rite, nec ad præscriptum legum in priori inauguratione gestum esset, aut omissum, ipsis à Regio Parlamento condonaretur, idque postquã Episcopali officio, & Cathedra absq; vlla Episcopali consecratione, aliquot annis iam functi fuissent. Vnde Parlamentarij dicebantur. Hi ad Caluinopapistas pertinent, quos acerrime persequuntur Puritani.

Paschatitæ.

PASCHATITAS ab inferis reuocarunt hoc sæculo Euangelici, de quibus sic habet Lyndanus. Sunt, inquit, Sabbatarij, qui an cum Sabbato, & Dominicam colant, incertum habeo. Sanè huic fabulæ, præludium diabolus studuit per Lutherum edere: qui lib. de Concilijs persuadere conatur Principibus, festum Paschæ esse inter immobilia festa computandum, vt in quamuis diem incidere queat, sicut dies Natalis, & Apostolorũ, Iudaisare enim, & nimis superstitiose agere Ecclesiam, & Patres Nicęnos ait, quod post plenilunium Martij, diem Paschatis, in diem Solis collocarunt. Quamobrem etiam non esse Euangelicis inusitatum die Dominico ieiunare. Feria vero Sexta carnibus ingurgitari, idque scribit Caluinus.

Pasto-

Pastoricidæ.

PASTORICIDAS vocat Lyndanus, genus quoddam Caluinistarum, & Anabaptistarum crudele, & sanguinarium, qui in Pastorum, & Sacerdotum certissimam necem conspirabant, quasi Deo sacrificium oblaturi, si quamplurimos iugularent. Horum scelere, & audacia plurimi per Flandriam, & Galliam periere, iniecto in collum laqueo in profundas fossas obscura nocte præcipitati, & submersi, idq; etiam Sanctius memorat in lib. quem de templorum direptione edidit 1562. ad quē remittimus.

Pastillarij.

PASTILLARII sunt, eodē Lyndano teste, qui corpus Domini in Eucharistia præsens quidem illud adesse fatentur, sed sic esse in pane, aut sub pane somniant, sicut est farina in pastillo, aut pillulæ in ouo, aut infans in cunis. Sic quatuordecim illi Pastores Sueuici, quorum Brentius antesignanus cum Oecolampadium oppugnarent communi scripto prodiderunt, Cæteris in rebus cum Luthero sentire existimantur.

Paulini.

PAVLINOS sese dictitant, ait Lyndanus, multi per Nvvaterlandiā ab assiduo, perpetuoq; D. Pauli Apostoli studio, à cuius fide, vitæque præceptis, ne latum quidem vnguem se discedere vaniſſime gloriantur. Ad sacramentarios pertinent.

Pelagiani Noui.

PELAGIANOS huius sæculi, ita Staphilus depingit in Apologia. Noui Pelagiani, inquit, huius nostri sęculi sūt, qui dicunt non esse in paruulis peccatum originale, sed esse morbum quendam non morte damnandum. Docent etiam quod Numa, Cato, Scipio, & similes præstantes viri Ethnici, quamuis caruerint uera fide venturi Christi, saluos tamen factos virtute legis naturæ. Paruulos quoque fidelium, hoc solo nomine, quod filij sunt fidelium, regnum cœlorum consequuturos putant: idque ipse Lutherus, Hosio teste, Zuinglianis exprobrat. Hesusi⁹ quoque non solum Lipseñ, sed & Vittembergeñ Theologos ait asserere Synergiam, & cooperationem humanæ voluntatis in conuersione, qua homini non renato tribuitur facultas se applicandi ad gratiam, & verbo Dei ex sese assentiendi, quod ipsissimū sapit Pelagionasmū. Eosdē errores Ioanni Phephingero Pastori, & Schołę Lypseñ tribuit Lyndan⁹. Dial. 2. Dubitācij. Eosdē Melāchtoni quoq; Illyric⁹.

Pfefingeri.

PFEFINGERI, à Ioanne Pfefingero Pastore Lypsenſi vocantur, qui cum schola Lypsenſi Pelagij Hæresim renouauit. Testatur Nicolaus Amsdorphius: et Lyndanus citat, quod in publica disputatione definieri hominem suis naturalibus viribus assentiri verbo, promissionem apprehendere, & Spiritui sancto non repugnare posse.

Piccardi.

PICCARDI, genus hæreticorum est, ait Hosius, quod non apud Orthodoxos modo, verum & apud Hæreticos summæ semper fuit abominationi, à Piccardo quodā ex Gallia Belgica oriundo sic appellati, qui Adamitarum hęresim in Bohemiam inuexit. Et alio loco. Quot quot à nobis, inquit, discesserunt, vel Piccardi sunt, vel Caluiniani, aut Lascani, aut Nestoriani, aut Seruetiani, quibus concedendo calicem, nemo satisfecerit. Qui legerit Apologiam Piccardorum horum reperiet in ea, quod Piccardi non minus prope Bohemos illos insectantur, qui in sola vtriusq; speciei communione acquiescunt (cætera vero vide-

videri Catholici volunt) quam eos, qui per omnia sunt Catholici. Ipsius quoq; impurissimi Lutheri tale fuit de Piccardis nouis iudicium. Hæc ideò, inquit, cõmemoro, ne Piccardi nostri vicini, Hæretici, infœlix populus, qui fætore Romano gaudet, sicut Pharisæus super publicanum, non autem compatitur, ne inquam illi nos crederent nescire vitia, & labes nostras, &c. In resolut. Propositio: solut. 80. Hoc genus sectariorum aliquandiu Posnaniæ viguit, sed iam Caluinistis locum dediſſe videtur.

Pneumatomachi.

PNEVMATOMACHI, hoc est, Spiritui Sancto bellum inferentes, & olim errore suo Ecclesiam Dei turbauerunt, & hoc sæculo rediuiui in Polonia, proh dolor, & in Transyl. è tenebris emerserunt. Docent Transyluani Ministri, Spiritum Sanctum propterea nõ esse Deum, quod nusquam in scriptura appelletur Deus, aut Dominus: id tamen, ait Belarminus, non acuratè probant. Valent. Gentilis semper ferè dicebat, de Spiritu Sancto non esse quęstionem. Istorum, vel Simmystæ, vel discipuli vocantur in Polonia Bideitæ, vt iam dictum est, quod Patrem tantum, & filium Deum faciant, Spiritum S. digitum esse Dei tantum, nõ autem Deum, aut tertiam diuinitatis personam statuant. Horum præsultor Farnouius, & Casanouius dicitur, qui in Cõuenticulo quodam Leuartouien. in Polonia adeò graues erant in disputatione Lutheranis, & Zuinglianis, vt cum non haberent miseri, quod responderent, librũ tantum Zanchij de tribus Eloym, legendum Bideitis aduersarijs suis offerrent. Vnde fuit maximus omnium auditorum risus consecutus, quod ex eo audiuimus, qui præsens interfuit. Iosias Simlerus 1582. quatuor libros edidit cum hac inscriptione, De æterno Dei filio, & de Spiritu Sancto aduersus veteres, & nouos Antitrinitarios, id est Arrianos, Trideistas, Samosatenianos, & Pneumatomachos. Budnens quoque Lituanicus Pseudopropheta ad istorum colluuiem pertinet, qui ex scriptura 11. loca collegit probaiteque contendit, quod Spiritus Sãctus non sit Deus: De eo suo loco plura iam dicta sunt.

Pœdobaptistæ.

POEDOBAPTISTARVM frequens apud Scriptores mentio habetur in duplici sensu. Nam, & Anabaptistæ Catholicos vocant Pœdobaptistas, quod infantes baptisent: & Catholici vicissim vocant Pœdobaptistas, quod baptismum infantium prohibeant, sicut vocamus Euangelicos, quod Euangelium pessundent, alio nomine vocantur Antipœdobaptistæ. Sicut autem Anabaptistæ in infantia baptisatos rebaptisandos tum putant, cũ vsum rationis habuerint: ita Pœdobaptistę ne cogantur iam baptisati rebaptizari malunt infantes non baptisari, sed tempus rationis sine baptismo expectandum censent. Huius erroris, & perfidiæ causas, Benedictus Aretius Pastor Bremen. ad Christoph. Tretium Polonum scribens, has ab Antipœdobaptistis, Pœdobaptistis afferri scribit, & simul refutat. Quod baptismus in locum Circumcisionis non successerit, ideòq; non esse tanti momenti existimandum, quanti homines Christiani hactenus credidere. Quod Circumcisio non nisi vni sexui mandata erat: contra Baptismus vtrique sexui conuenit. Quod circumcisio non nisi octauo die fiebat: contra baptismus nunquam non administratur, dummodo baptisatus crediderit. Quod circumcisio etiam adultis citra vllam verborum formam administratur: contra baptismus sine illa forma (Ego te baptiso, &c.) fieri nequit. Quod baptismus nisi ritè administretur reiteratur Act. 19. at circumcisio, ēt à fœmina collata, nequaquam repetitur, Exod. 4. Quod circumcisio nemini ex Gẽtilismo conuerso dabatur, si non illi manendum erat inter Israelitas, patet ex Naamano Syro, Lebrone, Nabuchodonosore: at baptismus nemini Mortalium non concedendus, si modo credat. Quod circumcisio idem Sacramentum, quod baptismus erat, ergo circumcisionis figura

erat

erat diluuium, ſicuti baptiſmi fuit 1. Petri 4. quod vtique falſum eſt. Quod ſi circumciſio idem eſt cum baptiſmo, ergo Iſraelitis aut duę circumciſiones, aut duo baptiſmi erant 1. Corint. 10. Quod ſi circumciſio idem eſt quod baptiſmus, ergo Chriſtus, Apoſtoli, & quot quot erant ex circumciſione bis fuerunt tincti, quod eſt abſurdum. Quod Manna quodammodo reſpondebat Cænæ Dominicæ, ſed manna Iſraelitarum nondum adulti liberi veſcebantur, cum tamen Cæna Dominica eiuſmodi infantibus non liceat vti, iuxta illud, Probet autem ſeipſum homo, nã non poteſt rationis expers ſeipſum probare, ergo non valet argumentum à circumciſione ſumptum. Quod baptiſmus datur in remiſſionẽ peccatorũ. Contra circumciſio non niſi ſignaculum fidei erat. Quod baptiſmus facit, vt Chriſtum induamus. Gal. 3. Contra circumciſio efficit vt nil nobis Chriſtus proſit. Vnde itaque concludunt Pœdobaptiſtæ, cum baptiſmus non ſucceſſerit circumciſioni, quod non eſt infantibus neceſſarius.

Pœnitentiarij.

POENITENTIARII, ſecta ſunt Molles Confeſſioniſtę, qui, teſte Staphilo, ſeptem craſſiſſimos errores admiſcuerunt doctrinæ de Pœnitentia, quo ẽt nomine Lypſeñ, & Vittembergeñ. Theologos accuſat Illyricus, in ſuo ſcripto, contra corruptellas Euãgelij, edito 1559. Ienæ. Sed quia librum ad manum non habemus recẽſere errores non poſſumus. In libello tamen de veris, & falſis Adiaphoris, hæc eius verba leguntur. Planè impium eſt, quod in Lypſico Interim, in articulo, de pœnitentia, de fide prorſus ſiletur. Atque ita ſalutaris doctrina de pœnitentia, pro qua tamdiu cum aduerſarijs, tamque vehementer pugnauimus corrumpitur. Item, quod poſt abſolutionem, ponitur vox ambigua ac late patens (vas dem anhengingiſt) perquã non eſt dubium, quin ſignificentur indulgentiæ, & ſatisfactio, quæ ſunt plane impia. Per eam enim à Chriſti vnica ſatisfactione, ad illas vaniſſimas nugas conſcientiæ adducuntur, & alioqui extrema impietas eſt in doctrina de Pœnitentia, fidem ab iſtis Pœnitentiarijs more Papiſtico omitti. Hæc Illyricus.

Polygamiſtæ.

POLYGAMISTAE ſunt ex Anabaptiſtarum familia, qui Staphilo teſte, docent, licere vni viro habere plures vxores eodem tempore. Item licere fratri, vxorem viui fratris ducere, idque re ipſa fecit Ioann. Lenidenſis, Rex Monaſt. & Ochynus in ſuis Dialogis Sigiſmũdo Auguſto Regi dicatis idem vt faceret ſuadere non dubitauit, & Cratouiæ in latinis, & Italicis ſuis ſermonibus palam id ipſum docere, prædicareque auſus eſt: ſed horribili mulierculam fremitu explosus, neruos, & pedicas, & virgatores, vt Plautus loquitur, fugiens, in Tranſyluaniam ſe recepit.

Polytici.

POLYTICORVM genus ambiguum eſt, & Homericæ Chymeræ perſimile, ante leo, cauda Draco, media parte, Capella, Corde Athei, ore dubij, opere hæretici, ita vt Hoſius crediderit eos manifeſtis hęreticis eſſe plerumque nocentiores, quia facilius virtutis, & officij ſimulatione decipiunt. In religionis negotijs verba adhibent partim ambigua, partim obſcura, partim flexiloquia, ita vt in omni eorum oratione, & ſcriptione res ſemper duas notare, obſeruareq; liceat. Vitæ fructum in religionum ſimulatione, & diſſimulatione ſitum putant, ſi res, ſi ſpes, ſi metus obijcitur, ſiũt illico ex Chriſtianis Lutherani, & ex Luth. Chriſtiani, ad omnem occaſionem, vultum frontem, oculos, mores, omnes attemperant. Eos rectè quidam Aſotijs propterea ſimiles eſſe voluit, quod arcam Dei, hoc eſt fidẽ Chriſti, iuxta Idolum Dagon, hoc eſt iuxta Euangelicorum perfidiam ſtare volunt, in eodem templo, & nutantem cadentemq; conſilijs, vt poſſunt, & authoritate, qua pollent erigunt. Alij hoſti-

bus

bus Iudæ, & Beniamini comparant, qui ad Zorobabel, & ad Principes Patrũ loquebantur. Aedificemus vobiscum, quia ita vt vos querimus Deum vestrum. Sed recte eos reprobauerunt Principes Patrum Israel. Non est nobis, & vobis, vt ędificemus domum Domino Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Deo nostro. Ac vtinam idem istis Polyticis, nostri Principes dicerent. Porrò errores Polyticorum aliquot recenset liber Parisien. de Regis abdicatione lib. 1. cap. 3. Aiunt Regem nullis legibus subijci, sed supra legem esse. Quamobrem vt boni Regũ suorum serui (ita enim se appellant) dum illis mortem gerant, secure se quid uis agere posse putant: gladio percutere, mechari, bonos opprimere, iniquos soluere, rapinas, vel in templis exercere: plane vt ad illum Assasinorum album pertinere videãtur, qui (vt scribit Aemilius) circa annum 1235. in Perside nullam legem, neque fidem agnoscebant, præter Principis sui voluntatem, sic & isti Regẽ suum, solius Dei, non hominum iudicio subiacere: populo non aliud, quam vt oret, & patienter ferat, relictum esse. Cap. 1. lib. 1. Suum esse, Reges à seruitute vindicare, & libertatem Regiam asserere. Lib. 1. cap. 22. Catholicos calumniãtur, quasi suas res non Reipub. agant. Cap. 27. quasi perduelionis doctrinam doceant. Cap. 29. Docent etiam pietatem fidem religionẽ, contemni oportere, lib. 2. Cap. 7. Vtramq; religionem tuendam putant, vt Cheuerinus in suis habet literis, Regis nomine ad Aurelienses datis Anno 1585. Lib 2. cap. 16. Crimen grauius nullum agnoscunt, quam si quis Regi suo contradicat. Cap. 18. Docent etiã non teneri quenquam, vt de ijs quæ ad Rempub. siue statum spectant, verbum in Confessione Sacramentali faciat, Cap. 10 frugi homines, Regisq; seruos nude, ac simpliciter se profitentur: Dei seruum, si quis se dicat, protinus corrugata fronte, vt amentẽ, ac furiosum auersantur. Cap. 20. Supra omne ius Regem esse: nullum esse ei superiorem: Dominum omnium esse: quidquis ei in subditos licere, vt pius videatur, tametsi nõ sit satis, esse. Cap. 33 Sed & ipsi Regi tantisper seruiendum dum commodum rebus suis sit. Religionem nil aliud, quam Phantasma, ad eludendos ac terrẽdos nominis opinione homines, commentum esse putant. Turcici Imperij formam in Galliam introducere cupiunt. Si quis quidem frangat, non propterea reijciendum, aut reprobãdum putant, quia quid deinceps in animo gerat ignoratur. Lib. 3. cap. 6. Prælatus quidam Blæsis dixit, facta Regis honoranda, intelligens etiam in scelere, Lib. 3. cap. 25. Religioni tantisper seruiendum putant, dum arculæ commodet. Si de hæresibus agitur, aiunt, hæreses oportere esse. Si quis perduellionis accusatur, parcendum putant: neminẽ esse qui non peccet, futurum vt resipiscat. Nõ licere hominibus repudiare, quos pœnitentes paratus est ipse Deus admittere. Hæc liber Parisiensis,

In tertia verò parte concertationis Ecclesiæ Anglicanæ, ad persecutores Anglos pro Catholicis ista verba legimus. Etsi Polytici religionis interdum nomen prætendunt, tamen verè eorum prima, & præcipua cura circa statum temporalem vertitur: & consequenter circa suam, vel Principis, vel Reipub. fœlicitatem. Maiora crimina putant aduersus Rempub. ciuilem, quam aduersus Ecclesiam: aduersus corpus, quam aduersus animam: magis negotiose de tributo Cæsaris, quã de cultu Dei disputatur, grauiusq; puniũtur in Principis, quam in Dei omnipotentis Maiestatem commissa crimina. Omnes denique Polytici: deliberationes ad Principis commodum, & dignitatem præcipuè conseruandam, & si hoc etiam è re Principis existimatur, quo minus ad Dei quoque gloriam aliquando conferantur, causam non dicunt. Porrò ipsis etiam Euangelicis, genus hoc Polyticorum ad tollerandum nimis difficile videbatur. Testes sunt oculati Centuriarum Magdeburgen. fabri. His enim verbis in Epistola dedicatoria, tertia Centuria vtuntur. Sicut olim Pontificij Proceres, in Ecclesia scelerate Regna huius mundi inuaserunt, ita nunc vicissim Polytici, illotis quasi manibus in gubernationem illã spiritualem irrumpunt, falcemq; vt paulo post sequitur, in alienã messem mittunt

tunt, & alienam functionem temere inuadunt, quemadmodum Osias, qui cum sint Polytici Magistratus, aut ipsorum serui, tamen magno cum supercilio, audent nouas religionum formas componere, easq; Ecclesiæ Ministris offerre tali cum imperio, ni applaudant sine contradictione, se suo sceptro illos expulsuros, aut punituros, quod etiam faciunt absq; omni misericordia. Sed Illyricus genus hoc Polyticorum vocat Epicureos Magistros, in libello de veris, & falsis Adiaphoris. Sic enim loquitur. Sathan qui nescit moderationem adhibere in suis technis, & fraudibus, semper eis, vel manifestam impudentiam, vel apertam Tyrannidem coniungit. Sic etiam facit in Adiaphoricis consilijs, quæ etsi satis subdola, & vafra sunt, tamen, quia videbantur indigere aliquo scripturæ loco, diabolus extrusit alios Epicureos Magistros prioribus impudentiores, qui Adiaphoristis auxilium præstarent, & audentius defenderét Adiaphoricas mutationes, & fraudes. Hi eo dementiæ venerunt, vt astruant ad pericula vitanda, & ad huius vitæ commoditates retinendas, licere in religione quaslibet corruptellas admittere, & octo inferiora præcepta decalogi violare: qua doctrina, ne, Sathanas quidem ipse, aliquid impudentius ausus fuit proponere vnquã. Et paucis interiectis. Si mens mihi vera præsagit, hi polytici gubernatores introducent nobis talem administrationẽ Ecclesię, qua sub fine sæculi, partim impostoris, partim crudelitate ita extinguetur fides Christi, vt apud pauciſſimos pura inueniatur, cum Filius Dei aduenerit, vt viuos, & mortuos iudicet, & regnum Sathanæ cum omni hypocrisi, & impietate destruat, & funditus euertat.

Si Catholicis, si Orthodoxis Episcopis non creditur, Polyticos istos Cõsiliarios, & Theologos esse fidei pestes, saltẽ Euangelicis Ministris credatur vociferãtibus, quid isti Polytici Epicurei repleant Ecclesias Idolomania, & Christianismum conuertant in Epicureismum. Hactenus Illyricus, cui° nullũ verbũ verius. Ita porrò multorũ mẽtes error iste demẽtauit, vt si rei agi debeant (vt loquitur Tacitus) acie vincendi videantur.

Postellani.

POSTELLANI, à Vilhelmo Postello Barentonio ducunt originem, qui Lyndano teste, disciplinarum, linguarumq; propè omnium exoticarum ad miraculum vsque peritissimus, inanes quasdam ex Rabinorum, & Talmudistarum, somnijs inuexit nęnias, quas adeo tetras & abominandas censet, P. Palladius, vt pijs eas reuelare auribus indignum putet. Infanda enim quædam in orbem euomuit circa Annum 1550. de Trinitate Mundi, corporis, & animatum, De Veneta Virgine, de Christo intoxicato, de matrice mundi. Clauem etiam absconditorum scripsit, vbi se profitetur declaraturum, quod nec Apostoli, nec ipsa (inquit) Ecclesia, potuit ad hanc diem portare. In Elia Pandocheo, vniuersas omnis generis hominum sectas per Christũ somniat saluandas. Scripsit & de Natiuitate mediatoris vltima nunc futura, cuius operis Authorem in titulo libri vult esse Spiritum Christi, et in fine præfationis hæc scripta non esse sua: sed Christi, inquit, sensibiliter in nobis suum Euãgelium exponentis. Iactat quoque Angelũ Raziel varia sibi mysteria reuellasse. Hæc Lyndanus.

Præmonstratenses.

PRAEMONSTRATENSES, ita depingit Hosius, lib. 1. de Hæresibus. Apostata ille Præmonstratensis docuit non esse infernum, neq; descendisse Christũ ad inferos, Sanctos Patriarchas, & Prophetas in inferno non fuisse, quin Christum etiam ipsum, quoniã desperare visus est, cũ diceret. Quare me dereliquisti, hoc nomine condemnatum esse. Hęc ipsa omnia Lyndanus recenser. Addit deinde, quod apud mortales, hoc meruit præmij Apostata, ob atrociſſimã in Christum blasphemiam, vt sua cum impietate adeò sit hominibus execrabilis, vt ne nomen quidem eius superesse voluerint.

Prote-

Protestantes Spirenses.

PROTESTANTIVM nomẽ, post illos in veteri Testamẽto notatos, qui nec voci Dei, nec Prophetarũ monitis obedire voluerunt, deq; eo protestati sũt, isto quoq; sæculo in Germania cępit emergere, Surio teste, qui dicit. Ex hoc Spirensi Conuentu, ita discessum est, ut Ferdinandus Rex non minimo dolore ex amissa Vngaria affectus, & anxie metuens reliquis ditionibus suis, nulla potuerit à Protestantibus auxilia impetrare, nisi eos sineret sua retinere dogmata. Itaque publico decreto permissum est, ut in fidei, & religionis negotio, ita se gererent, vti, & Deo, & Cæsari facti sui rationem possent reddere: nil tamen deinceps innouarent, vsque ad Concilium. Enimuerò illi in hoc ipso Conuentu protestati sunt se summi Magistratus decretis quibusdã non posse subscribere: ideoq; ad Cæsarem prouocarunr. Inde primum ortum est Protestantium nomen, quod ẽt quędam Ciuitates liberę amplexę sunt. Isti perfidiam Lutheri mordicus sese retinere gloriantur, quamuis huius nominis, & appellationis authoritatem suis quoque erroribus, & moribus omnes etiã Antilutheranæ sectæ obtendant.

Protestantes Anglici.

PROTESTANTES Anglici vi cissim in fidei ratione à Germanicis dissentiunt. Isti enim se Lutheranos, & Cõfessioniſtas simulant. Illi prorsus Anti lutheranorum, vt Martyris, Buceri, Zuinglij, Caluini, & id genus Sacramentiperdarum perfidiam amplectuntur: præterea vero ambigua sunt in suos Principes fide, legitimæ enim potestati tandiu obtemperandum putant, quamdiu ipsa legi diuinæ non repugnat. Citat author responsionis ad persecutores Anglos librum quendam, Goodmanni principalis Anglicanæ apud Geneuen. Ecclesię Ministri, cuius hæc ẽ inscriptio. Quemadmodum superioribus Magistratibus obediendum sit. In eo extant Euangelicæ in Principes perfidiæ sempiterna monumenta, Scoticis non dissimilia, quæ iã citauimus his verbis ab authore expressa. Quãdiu Principes, & Magistratus, etiamsi coram Deo impij sunt, sceleſti, & reprobi: tamẽ curant Dei leges custodiri, & obseruari ab alijs, tandiu debemus illis obedientiã: sin verò audacter, & ipsi leges Dei trãsgrediantur, & alijs id ipsum præcipiant: tum perdiderunt eum honorem, & obedientiam, quam alias subditi eis præstare tenebantur, neque deinceps habendi sunt pro Magistratibus, sed puniendi tãquam priuati homines cap. 9. fol. 118. Et iterum cap. 13. fol. 180. Si Princeps, & Magistratus omnes repugnent legi diuinæ, habetis vos, qui è populo estis, expressum diuini verbi testimonium pro parte vestra, & Deus ipse vobis Dux, & signifer erit, qui præcipit non solum Primatibus, & Magistratibus auferre malum ex ipsis, siue Idololatriam, siue blasphemiã, siue apertam iniuriam: sed hoc à tota multitudine requirit, cui gladius iustitiæ ex parte commissus est. Ideoque si Magistratus omnes simul despicere velint iusticiam, & leges Dei, vestrum est, o populares, contra Magistratus, alioſq; omnes eos defendere, & conseruare, quanta maxima ui, & contentione potestis. Hoc enim Deus à vobis postulat Exod. 17. Toti populo hoc onus incumbit, vt animaduertat in Idololatriam quamcũque, nemo excipitur siue Rex, neque Regina, siue Imperator. Hactenus Goodmanus. Sic deinde vim, & naturã Protestantium Anglicorum describit eiusdem responsionis Author. Ex his omnibus facile lector deprehendet, & obstupescet istorum hominum (Protestantium) in sua fide, & Polytia in constantiam, Euripo, aut Vertumno, mutabiliorem. Si de illorum statu agas, vt pro Catholica fide quicquam moliaris, mox tibi occinunt proditorias assertiones. Non est resistendum Christo Dei, sed Regi quasi præcellenti obediendum: neminem sibi posse vendicare imperium, in illam quæ superiorem in terris non agnoscit: sed à solo Deo pendet, multaque, & polytica, &

Philo-

Philosophica, & Theologica corradunt, vt ne nil dicere videantur. At si vicissim in quæstionem ipsorum religio veniat, aut potentior aliquis Monarcha ceruicibus Protestantium immineat, tum nec Philosophia, nec Theologia, nec vnctio, nec successio, nec Regis præcellentia, nec eius celsitas, qui neminem in terris agnoscit superiorem, nulla denique prærogatiua Regia legibus sufficere potest, vt eos a suorum populorum motibus, & furoribus immunes reddat. Et paucis interiectis. Isti homines Protestantes despe. rati, & factiosi, quamdiu principes, Principumq; leges habent voluntati suæ indulgentes, prospero eo fortunæ flatu optime norunt vti. Sin vero Principes eorum placitis refragantur, leges ve illis sint aduersariæ, mox vincula omnia obedientiæ, & fidelitatis abrumpunt: Maiestatem aspernantur, cædibus, incendijs, & direptionib' s vbique grassantur, & ad omnẽ rerum diuinarum, & humanarum contemptionem ruunt præcipites. Hactenus Responsionis author.

Psalliani.

PSALLIANOS, isto quoq; tempore, è tenebris emersisse, testatur Hosius, qui ex illis Pauli verbis. Oportet semper orare, & non deficere, nullum tempus à vocali oratione Christiano homini vacuum esse debere contendunt, sed perpetuum oration's vsum sine intermissione tanquam necessarium ad salutem requirunt. Ad Anabaptistarum castra pertinent, & ab Euchitis paruo interuallo dissident, de quibus iam actum est.

Pseudoecclesiastæ.

PSEVDOECCLESIASTAS dicimus, eum Euangelicorum gregem, qui duplicem Ecclesiam (vt habet Sanderus) excogitarunt. Vnam quæ veram doctrinam profitetur, & Sacramentis recte vtitur, quæ cerni quoque potest, in qua sunt multi verè pij, in qua sunt, & quidã Hypocritæ, sed exterius in doctrina, & Sacramentorum vsu consentientes. Alteram verè piorum, & electorum quæ sit columna, & firmamentum veritatis, qui cætus (inquit) Illyricus, in lib. de Sermone Sacrarum literarum, magis creditur quam corporeis oculis cernitur. Idem Magdeburgenses docent. Cent. 1. cap. 4. Porrò Heluetij videntes Magdeburgensium opinionem de Ecclesia duplici, non esse scripturis sacris consentaneã, in Confess. edita 1566. Cap. 11. fatentur, vt vnum Deum, & vnum Mediatorem', sic vnum Pastorem, vnumq; gregem, seu Ecclesiam esse. Et deinde non ipsam, quæ vna est, verum ipsius membra ita distinguunt, vt alia triumphent, alia militent. Sed cum ad rem, de qua agimus, hoc est, ad columnam, & firmamentum veritatis ventum est, ita scribunt. Non errat Ecclesia quamdiu innititur Petræ Christo, & fundamento Apostolorum, & Prophetarum. Nec mirum h erret quoties deserit illum, qui solus est veritas. Putant ergo columnam veritatis errare posse, quia putant Ecclesiam Christũ deserere posse. Duas præterea vere Ecclesiæ notas statuunt. Verbum Dei legitimè annuntiatum, & Sacramenta rite administrata. Hæc Sãderus in visibili Monarchia.

Pseudoeuangelici.

PSEVDOEVANGELICOS vocat Hosius, & reliqui scriptores Catholici, omnes eos, qui relicta Ecclesiæ Catholicæ communione, in qua credentes omnes (introducto ab Apostolis ipsis, in ciuitate Antiochena nomine) Christiani vocabantur, Euangelici dici maluerunt, quemcumque tandem Euangelij sensum sequerentur, siue quem Lutherus, siue quem Caluinus, siue quem Seruetus, & Volanus adducit, quorum tantam esse arrogantiam, tantam sui obliuionem, ait Hosius, vt alios omnes stupidos, bardos, truncos esse, necin scripturis videre quicquam: se veros solos sapere, se solos esse persuasum habeant, qui sunt veram scri-

pturarum intelligentiam aſſecuti. Nomen eſt omnium ſectarum generale.

Pueris ſimiles.

PVERIS ſimiles, citat in ſuo Antibrentio Hoſius, eoſque ad Anabaptiſtarum ſectam aggregat: quid docuerint, aut quod vitæ genus ſecuti ſint, non commemorat: nec nos de hoc ſectæ genere quicquam alicubi legiſſe, aut obſeruaſſe meminimus.

Puritani.

PVRITANOS in Anglia ſic deſcribit in libro de Sciſmate Anglicano, Sanderus. Diuiſit hoc tempore in Anglia Deus linguas hæreticorum. Nam præter vnum, qui aſſerebat quendam Ioannē Morum tunc viuentem eſſe Meſſiam: & præter varias Fratrum Amoris, Anabaptiſtarum, & Atheorum, noua etiam rigidorum Caluiniſtarum ſecta, qui Puritani appellantur ſcriptis, & concionibus, vulgares Proteſtantes exagitare cæperunt. Ritus eorum Eccleſiaſticos, & Regiam, ſeu Parlamentariam Eccleſiæ gubernandæ formam de capitibus pluſquā centum, vt impiam, ac ſuperſtitioſam redarguentes. Fautor iſtorum, & patronus eſt Comes Huntnigtonicæ, optimi Cardinalis Poli, peſſimus pronepos. Et lib. de Viſib. Monarchia ſic loquitur. Puritani in Anglia, pars quædam eſt ſectæ Caluiniſticæ, niſi quod cæteris puriores haberi volunt, adeò vt recuſent in his locis orare, baptiſare, aut conuenire, quæ Catholico ritu vnquam conſecrata fuerunt. Eius factionis Prothoplaſtes Sampſon quidam fuiſſe exiſtimatur, qui mille aureorum annuis redditibus carere potius elegit, quam vt Miniſter Eccleſiæ cuiuſdam cum eſſet, habitum Præsbyteri geſtare, vel ſolo ſacerdotali pileo indui in animum induceret, uxore ad conſilium hoc ſtimulante. Quod ad doctrinā attinet, præter Zuinglij, & Martyris errores, hos qui ſequuntur ſuos proprios, & particulares habent. Non ferunt quod in Clero quiſquam ſit alius alio ſuperior, & ideo ualde egre ferunt, quod Caluiniſtę permittunt Archiepiſcopos habere iuriſdictionē ſuper Epiſcopos, & Epiſcopos ſuper inferiores miniſtros: quod quoniam reliqui Caluiniſtæ permittunt, Puritani vocant eos Papiſtas: quia eodē inquiunt, iure, quo vnus Archiepiſcopus poteſt habere iuriſdictionem ſuper omnes Epiſcopos vnius Regni, poteſt, & vnus Papa habere iuriſdictionem ſuper omnes Epiſcopos, totius mundi. Quod neutra ſecta admittit. Non ferunt etiam Puritani, quod Caluiniſtæ ad confirmandam doctrinam ſuam, aliquando allegāt S. Auguſtinum, & alios antiquos Patres, quos omnes vſque ad vnum reijciunt: tū quod ſecundum ipſos Eccleſia ſtatim ab ipſis Apoſtolorū temporibus fuit corrupta: tum quod admittendo aliquos doctores antiquos, videant neceſſe fore admittere humanas traditiones. Non ferunt, quod Caluiniſtæ admittunt Principes ſęculares habere poteſtatem condendi leges, circa cęremonias Eccleſiaſticas. Non ferunt vſualem modum celebrandi feſtum Paſchæ ſemel in Anno: eo quod Reſurrectio Domini, ſemper deberet verſari in memorijs hominum: & non ad aliquod particulare anni tempus eius memoria debet limitari. Narrauit etiam nobis vir, & pietate, & dignitate Illuſtriſſ. Cardinalis Alanus, cum hæc noſtra reuideret, quod inuenti ſunt inter illos plerique, qui deficiente vino celebrarunt, & communionem obtulerunt in cereuiſia, reclamantibus licet nonnullis eiuſdem farinę miniſtris. Volunt etiam quando aliqua congregatio, vel conſiliū ad conſultandum de aliqua re conuocetur, vt vnus aliquis ex illa congregatione communi omnium conſenſu eligatur, qui ſolummodo durantibus negotijs ſit illius congregationis caput, & gubernator. Admittunt tamen nomen Epiſcopi, dummodo ſit paſtor vnius Eccleſiæ tantum. Nam Epiſcopos in Sacerdotum ordinem redigere ſatagunt: vellent etiam quod Magiſtratus compelleret Catholicos venire ad ipſorum prædicationes, & quod ſepè examinarentur ſi proficerent in ipſorum doctrina: quod ſi doctrinam ipſorum non acceptarent, tunc abſcinderentur. Et dicunt, quod maior ſeueritas

eſt

est nunc exercenda in tẽpore legis Euangelicæ, quam olim in tempore legis veteris: & reprehendunt Caluinistas, quod sint contrariæ sententiæ. Caluinistę etiã, contra accusant Puritanos, tanquam Arrianorum, & Anabaptistarum fautores: & sic se inuicem verbis adeò virulentis proscindunt, vt verisimile sit eos tandem ad arma venturos. Malus quippe malo, quo propius adhæret, eo maior fit illi inimicus. De his ipsis Puritanis ita scribit vir eruditus Ninianus Vinzetus Scotus, in Flagello hæreticorum. Puritanos propterea vocãt, quod spretis omnibus Christianorum cæremonijs, & ritibus circa Sacramenta, & pollitiam Ecclesiasticam, rametsi vbiq; terrarum ab ipsorum Apostolorum ætate ab Orthodoxis magna cũ vtilitate seruatis: ex oculis penitus, & memoria hominum externaq; omnia, quæ hebetes sensus nostros ad pietatem extimulent, auferenda esse decernant. Res mira. Decreuere interalia absurda plurima, atque plane impia, ipsi homines cum sint, sed qui humanas traditiones, quasi ipsi plane diuini, & omnẽ carnem exuti, plus quam hostiliter insectantur. Decreuere, inquam, vbicunque in Brittannia dominari permittuntur, atque consistere, indictis seuerioribus pœnis, ne vila, quid dicam Apostolorum, & Beatissimæ virginis Deiparæ, sed ne ipsi⁹ Christi nati (ô Spiritum Machometicũ) circumcisi, à Regibus adorati, passi, resurgentis, aut ad patrem ascendentis, descensus ue Spiritus Sancti in Apostolos, annua celebraretur memoria. Prodijt anno 1593. responsio Andreæ Philopatri ad edictum Reginæ contra Catholicos. Recẽset in eo verba Puritanorũ propria, quid de fide Reginæ suæ, deque ea religione sentiant, quæ hodie in Anglia authoritate Regia defenditur. Verba eius sic habent. Quod si quis hanc esse dicat vnius tantum hominis, vel in vno tantum articulo, dissensionem, proferam totius multitudinis (eorum, qui Puritani à pura Caluini sectanda doctrina nominantur) consensum, qui scripto publico Comitijs exhibito, vniuersam fere religionem (quæ hodie in Anglia authoritate regia defenditur, & Euangelium hoc loco ab Edicto vocatur) impugnant, rident, & conuellunt. Scribunt enim sectam hanc errores continere penitus intolerabiles, & manifestam à Christo defectionẽ: verbum Dei circumcisum esse in Anglia, & alligatum: Sacramenta corrupta, & profanata: statas in Ecclesia Anglicana precandi formulas, fœdos continere abusus, varias, & impias battologias, mendacia aperta, stoliditates vel manu tractabiles, multaque cum scripturis diuinis pugnãtia: Pseudoepiscopos Anglicanos meras esse reliquias seminis Antichristiani, bellum Christo indicere, ideo sic de illis sentiendum esse omni vere Christiano, vt de iuratis plane Christi, Ecclesiæq; suæ hostibus; reliquos Reipub. Anglicanę rectores, politicos, & Atheos, siue Iudeorum, siue Turcarum, siue Hipocritarum Angliæ Protestantium partes tueantur, perinde illis fore in die Domini, quando Sodomæ, & Gomorræ tollerabilius erit, quam ipsis iudicium. Hæc Puritani.

Denique Martinus Marloratus, cæteriq; Puritani, qui recentissime quidem: sed omnium longe acerbissime, inuidiosissimeque contra præsentem Angliæ sectam (quam Regina vocat Euangelium) scripserunt, hanc generalem propositionẽ tuentur: nimirum, quod post tot annorum diligentissimam, acerrimamque frumenti huius Euangelici cribrationem, quicquid expressum est bonæ, puræq; farinæ (vt ipsissimis eorum verbis vtar) id totum penitus ad se, id est, ad Puritanorũ sectam transijsse; reliquis vero Zuinglianis, Lutheranis, vel Protestantibus, Reginę religionẽ defendentibus, furfur tantum, & siliquas remansisse: quãobrẽ etiam Reginales, & Parlamentarios Episcopos, Prælatos, Decanos, à sua Puritana perfidia dissentientes miris verborũ aculeis pungunt, flagitia exprobrant, vitam sceleratam non solũ commemorant, sed in Diaria quoque, & Commentarios referunt. Aiunt ex is, qui in clero magnifice dominantur vix vnum reperiri, qui ex aliqua particula nobilitatis existat. Ministerium quippe verbi Caluiniani tam ignominiosum iam esse, & despicabile ipsorum etiam hæreticorum oculis, qui nobilitate aliqua pol-

lent, et tot hominibus perditis, infamibus, et sceleratissimis communicatum, vt nemo fere nisi inopia compulsus ad illud se adiungat. Pierius certe, qui sedem Archiepiscopalem Eboracensem occupat, & Coperus, qui Vintouien. omnium locupletissimam vsurpat, Oxonij ambo nati sunt, alter aratore paupere, sutore alter, planè mendico. Audeo, ait author Responsionis affirmare, nullum esse genus hominum, cuiuscumque conditionis, aut perditionis etiam sit, ideſt siue Aulicum, siue Militare, siue Calonũ, siue Cytharedorum, siue Ganeonum, aut si quid aliud vilius, licentiosius, aut cõtemptibilius sit, qui peius audiant hodie ob vitæ flagitia apud Anglos, quam turba Ministrorum Caluinianorum. Et de vulgaribus quidem, infimisq; verbi Ministris ad ea me refero, quæ indies ferè in iudicijs publicis, ac tribunalibus de eorum factis, sceleribusque necessario decernuntur, & in Acta publica referuntur, vbique enim de flagitijs conuicti (ait prius in sectione tertia) ad omnia promiscue tribunalia turpissimè condemnati, & patibulis quoque sæpissimè adiudicati cernuntur. De Magnatibus verò, & honoratioribus, id est de Episcopis, Decanis, Archidiaconis, cæteriſq; prælatis, videantur libri varij nuper editi, idiomate Anglicano ab eorum fratribus Puritanis, & Bruniſtis, quibus Patrum suorum turpitudines (præcipuè verò Episcoporum) non reuelantur modo, sed diuulgantur etiam, & in propatulo ponuntur. Quorum nonnulla, vt vel ex inuidia nouorum istorum dogmatizantium conficta, vel liuore, & odio (quod nullos extare Episcopos vellent) amplificata cõcedamus: multa tamen ita publica esse cognoscuntur, & communi ferè omnium voce ita contestata, vt negari posse non videantur. Vt est illud de pannorum furto, quod de Elmero Pseudoepiscopo Lõdineñ. narrant. Illud etiam adulterium manifestum Sandesi Archiepiscopi Eboracensis, qui cum octuagesimum ætatis annum excederet, suamq; domi apostata libidinosus vxorem haberet, cum aliena tamen inuentus est fragrante delicto in diuersorio publico, à Roberto Stapleto-no. Equite aurato sectæ Caluinianæ, qui publicè etiam hominem eius rei accusauit, licet nõ exiguo suo malo id fecisse constet, quòd Euangelio suo maculam quandam ea re aspergi hæretici iudicarent. Sed hæc de impuris Puritanis sufficiant.

Quadrisacramentales.

QVADRISACRAMENTALES sũt ex Mollium Confessioniſtarum secta, qui Staphilo teste, quatuor tantum recipiũt Sacramenta, Baptismum, Cœnam Domini, Absolutionem, & Sacerdotium. Ita ait, ex locis communibus Philippi tenetur in Vittembergeñ. districtu.

Quintiniſtæ.

QVINTINISTAE, à Quinto Piccardo professione Sartore vocantur. Hic (ut habet Caluinus) in Brabantia, & Hollãdia multos errores sparsit, cum quodam Coppino Insulano, eamq; potissimũ hæresim quæ Libertinorũ vocatur à libertate Euangelij quam prædicant. His, authore Lyndano I. nihil æque displicet, neque magis ab eis improbatur, atq; simplex, proprius, & germanus scripturæ sensus. 2. Christus est illis Sathanas, & contra vitium virtus, & virtus vitium; nil enim ex eorum sententia peccatũ, nisi eorum opinione, qui se peccare putant. 3. Verus Dei timor, & eo imbuta conscientia pro inferno illis habetur: pro Paradiso autem conscientia diuini iudicij contemptrix, secura, stupida, & consopita. 4. Omnia simulare, & dissimulare pro fundamento sui iaciunt Euãgelij: quo facilius spirituales (sic enim se admirantur, quod spiritũ sequebãtur viuificantẽ) decipiãt carnales, id est nõ suæ haræ porcos. 5. Scripturas rident ac pro fabulis habent. Quinimo (ait Caluinus) porcus ille Quintinus, vnumquemque

Apoſto-

Apostolorum aliquo notabat Scommate, Paulum vocans vas fractum, Petrũ Christi abnegatorem, Ioannem iuuenem stolidulum, Mathæum fæneratorem. Hi Atheistæ potius censendi sunt, quam Caluinistæ.

Quadritheitæ.

QVADRITHEITAS, siue quaternarios, ait Iordanus Theologus Parisien. præter tres illas Hypostases, quartam quandam essentiam inducere: cuius participes sint tres illę, & quæ sit alia, & aliud, quam ipsæ, persona: vel in qua tres personæ subsistant, & quasi pendeant: eamque doctrinam tribuit Bezæ, & Bezitis, ob excogitatas nouas, & antiquis Patribus incognitas de Deo, & Trinitate elocutionis formulas, ex quibus quarta quædam essentia, alia, atque aliud à tribus personis, & iam iuxta numerandi rationem elicitur. Quem errorem, & in Caluino reprehendit. Danæum certè Caluinolatram in responsione 1581. Parisijs edita, grauiter obiurgat, quod se Quaternitatis patronum faciat, & à Catholicis quidem contendat, ut ab illis locutionibus abstineant (Deum de Deo. lumen de lumine) tum, & ab illa (Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis) & earum tamen loco dicere, credereque iubeat, quod tres personę, in una deitate subsistant, etiamsi sic (eodem ipso Daneo teste) nunquam ante hęc tempora pronũciatum à quoquam fuerit. Verba formalia sic habent. Perperam, ait, desensionem deriuas ex illo loco Pauli. Qui cum in forma Dei esset. Nam, non ait Paulus subsistere, sed esse ὑπαρχειν, & ὑφισασθαί, hoc est, esse, & subsistere, multum differunt: suppositа subsistunt, id est per se, & in se: sunt non in aliquo. Natura est in suppositis, non per se, & separatim. Hinc veri Philosophi substantias secundas in primis subsistere perpetuo docuerunt, vniuersa in indiuiduis, communia in singulis, non contra: ne ut Porphirius tangit, ipsa per se cohęrere videantur. Ostendit itaque Daneo Iordanus, Catholicè quidem, & Latine dici. Naturam diuinam esse in humana, & naturam humanam esse in diuina, per intimâ illam vnionem, quam Hipostaticam appellamus. Cæterum illud, nec Latinè, nec Catholicè enuntiari. Naturam diuinam subsistere in humana: alioquin in Christo duæ essent personæ. Vide Iordanum in doctissima responsione ad Daneum. Extant acta Colloquij Montbergarten. & ad ea Responsio Theod. Bezæ. Producitur ibi Thesis. 6. Virttembergen. Theologorum. Quæ si subsisteret, iam in Deo non esset Trinitas, sed Quaternitas. Aiunt enim, filium Dei communicare suas proprietates naturę humanæ assumptæ, verbi gratia, omnipotentiam, omnipresentiam, &c. Sed cum id vehementius oppugnarent aduersarij, Vittembergenses se explicant, cum aiunt, hæc verba non sic intelligenda, quasi filius Dei in assumptam naturam humanam, ita suas proprietates effuderit, sicuti aliquid ex vno vase in aliud effunditur vt humana natura per se, & ex se (etiam in abstracto, seu extra vnionem personalem considerata) habeat peculiarem omnipotentiam, quæ sit, iam ipsius nonmodo propria, verumetiam proprietas. Sic enim in Christo constituerentur duæ diuinitates, & per consequens in Deo non esset Trinitas, sed quaternitas. Itaque sic sentiendum censent, si vnio personalis solui: & Christi tamen humana natura constare posset, tum humanæ naturæ, neque omnipotentia, neque omnipræsentia recte tribui posset. Vide plura in ijsdem Actis. Idem sentire videntur Theologi Casimiriani in sua de Bergensi cõcordia admonitione. Aiunt enim, contra Vbiquitatiorũ figmenta, cap. 8. Falsissimum est, & mõstrosa blasphemia ex Euthichianismo, & Nestorianismo, tanquã Chymera quędam conflata, videlicet nullum esse discrimen præsentiæ Dei in creaturis, quas nõ facit omnipotentes. Etsi enim natura humana non sit omnipotens, tamen manat ingens discrimen, inter præsentiam Deitatis, in hac massa naturæ humanæ, & in alijs rebus: videlicet vnio, seu copulatio arcana, & ineffabilis, huius naturæ cum persona λογου, cuius nullũ est exemplum in rebus alijs. Sicut Deitas

vnita humanitati, non humanitatem, sed hominem Deum facit: sic omnipotentia quæ nil aliud est, nisi ipsa Deitas vnita humanitati; non humanitatem, sed hominem facit omnipotentem. Humanam verò naturam omnipotentem, omniſciam, immenſam facere nil aliud est, nisi eam Deificare, cum idem sit omnipotentem esse, & Deum esse. Id itaque si subsisteret, non iam Trinitatem, sed Quaternitatem haberemus, carnem scilicet Christi Deũ factam, quasi quãdã quartã personã.

Valent. quoq; Gentilis, Caluino, & Geneuensibus Miniſtris exprobrat, quod Quaternitatem statuant. Extãt Acta perfidiæ, & de eo sumpti supplicij, ab Aretio ædita. Inserta est Gentilis supplicatio, q̃ ad Senatũ Berneñ. è carcere dedit. Hæc eius uerba leguntur fol. 25. Non dubito quin ex mea confeſſione intellexeritis, me sat diſertis verbis ostendisse, sententiam D. Caluini. Quaternitatem statuere, non Trinitatem. Ego uero ingenue fateor me non posse tuta conſcientia Quaternitatem D. Caluini admittere. Exhibeat ille, vt Dei tantum Miniſtrum decet, ueram Trinitatem, & nulla erit inter nos controuerſia. Ipſius quidem præcipuæ partes erant, se tã execrabili culpa expurgare, scrẽs se malã cauſam apud ſanctiſſ. Dei tribunal minime posse ſuſtinere, ne verbum quidem fecit, sed totum tempus terens in conuitijs, & nescio quibus nugis Serueti, artificioſe quidem, sed parum honeſte eluſit. Equidem bis cepi rem (ut dicitur) acu tangere, sed ille ſua mordacitate, & conuitijs me ſemper deterruit. Inſuper minatus est hoc in caput meum esse vertendum. Verba quoq; proceſſus criminalis in Gentilem sic habent. Admonitus in carcere fuit Gentilis, à Dominis noſtris, & à verbi Miniſtris, & conuictus ſcripturæ teſtimonijs, noluit per aliquod tempus culpam agnoſcere, immo perſtitit tam in ſermone, quã in ſcriptis obſtinate, & impudenter, impietatem ſuam aſſerere, cõuitia, & blaſphemias addendo, nos fingere Quaternitatem, duos Patres, & Deum Turcarum. Fol. uero 16. Sic uiciſſim Gentili reſpondent Geneuenſes. Quod ex noſtra sentẽtia colligere te putas Quaternitatem hoc est cerebri tui commentum. Gloriaris quidem cęleſti reuelatione errorem tibi esse traditum. Quaſi verò ignotæ sint nobis næniæ magiſtri veſtri Gribaldi, quas tuus condiſcipulus Georgius ſedulo huc illuc curauit ſpargendas. Nam vbi pinxit figuram, in qua Patrem facit Deificatorem Filij, & Spiritus, alteram nobis falſo, & perfide adſcribit, quaſi deriuatiuè fingamus prodire ex vna eſſentia tres perſonas, quum tamen certo certius sit, non abſtrahere nos perſonas ab eſſentia: sed quamuis in ea reſideant diſtinctionem interponere. Tibi paralogiſmus tuus arridet. Eſſentia in ſe metipſa, est uerus Deus, quælibet perſona eſſentialiter est verus Deus, ergo est Quaternitas, non Trinitas. Nos vero filium eſſentialiter Deum esse aſſerimus, quia vnicus est ille Deus, cuius ſimplex est eſſentia, præterea autem reſpectu perſonæ à Patre genitus est.

Sed piget pluribus verbis, cerbereos iſtorum latratus perſequi, liceat illis per nos comedere ſe inuicem. Spes est in Deo quod citò conſumentur. Nam iſti Serueti, Gribaldi, Gentiles, iſti Triteiſmi, & Quadritheiſmi ad magnas anguſtias redigunt in patria noſtra, Caluiniſmum.

Reformatores.

REFORMATORES, vocat Ederus in ſecunda parte Euangelicę ſuę inquiſitionis, tractatu quarto, Euangelicæ perfidiæ eiuſmodi ſectatores, qui tam fidem Chriſtianam, quam reliquas omnes ſectas, & perfidias imperfectionis accuſant, & vbique inueniunt quod vel parũ, vel nimium putant: & propterea in omnibus omnium ſectis aliquid ſemper reprehendunt, & aliquid inueniunt quod reforment, non iuxta orthodoxorum Catholicorum regulam, ſed iuxta priuatam ſuam opinionem, ac ita iam excreuit iſtorum Reformatorum numerus, ut nulla iã ſit ſecta, uel ſicut ipſi vocant Confeſſio, in qua aliquid reformatione, & correctione dignum non inueniant: vnde natę sunt tam numeroſæ, tamque variæ in templis ordinationes, & agendæ, in quibus

tamen

tamen illæ perfectiſſimæ,& abſolutiſſimæ putantur,quę quam plurimum in ſe nouitatis habeãt, & quam minimum cum antiquioribus conſentiant, in eoque ſtudio valde ſibi placere videntur, & ſe hoc nomine nouos Chriſtianos,& reformatæ fidei reformatores nuncupãt. Hęc Ederus.

Richeriani.

RICHERIANOS ad Sacramẽtorum caſtra pertinere dicit vir doctiſſimus Ederus,in ſua Euangelica Inquiſitione,à Petro Richerio Carmelitarũ Apoſtata nomen ducentes. Is præter reliquos omnibus Sacramentarijs communes errores, ab vſu cœnæ, & à communione Chriſti corporis auditores ſuos propterea dehortabatur, quod ſpes aſſequendæ vitæ æternę nõ ad corpus, ſed ad animam pertineat, non carni ſit,ſed animæ promiſſa: ita vt ex vſu Euchariſtiæ non poſſit vlla in anima vtilitas expectari. Nonnunquam etiam negare cũ Martione videntur, Carnis reſurrectionem.

Sabbatarij.

SABBATARII, ſiue Sabbatariani ſunt huiuſce tempeſtatis hæretici anno 1539.ſuſcitati, ſecta Anabaptiſtæ,qui Staphilo authore, Meſſiam veniſſe negant, legem perpetuo duraturam affirmant,Sabbatum more Iudeorum colunt, diem Dominicam aſpernantur, ſolumq; Patrem inuocant, Filium, & Spiritum Sanctum videntur negligere: de quibus vide Luther.contra Sabbatarios. Illuſtrẽ quandam Madonam ſcimus in Polonia Sabbata cum Iudæis coluiſſe.

Sacerdotales.

SACERDOTALES vocat Staphilus,qui docent quod omnes Chriſtiani ſint Sacerdotes, quodque tã viris,quã mulieribus liceat in Eccleſia verbum Dei prædicare, Sacramẽta adminiſtrare, ſoluere, & ligare. Omnes enim homines æqualiter eſſe Sacerdotes. Sacros ordines eſſe fabulam, & commentum humanum dicunt. Ita Luth. in Capt. Babylon. & Illyricus in Apolog. contra Iuſtum Menium.

Sacramentarij.

SACRAMENTARII ſunt orthodoxæ, de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento doctrinæ corruptores, & depravatores. Horũ iſto ſæculo primus author fuiſſe exiſtimatur Andreas Carolſtadius Archidiac. Vittembergeñ. Lutheri fideliſſimus Achates. Is Melanchtone teſte, primus omnium auſus fuit aſſerere, non eſſe præſens in Cœna Corpus Domini, primumq; de Euchariſtia tumultum excitauit 1524. Verba Chriſti in eum ſenſum detorquens. Corpus meum quod pro vobis datur, eſt hoc, quod hic aſſidet menſæ. Ad ſectam Antilutheranorũ pertinent: & ſunt in 40. prope ſectas inter ſe diſſectas diſſecti, prout videre eſt in omnibus ſectis, quæ Antilutheranorum. aut Sacramentariorum nomine inſcribimus. Tales ſunt Zuingliani, Caluiniani, Laſcani, Martyriani, Volani Methonimici, Tropiſtę, Antinomi, Accidentarij, Subſtantiarij,& alij. In Gallias 1533. Franciſco Rege irrepſerunt, illiq; tantas clades,& vaſtitates per hos 50. annos attulerunt, vt maiores, vis omnis immanium Turcarum, & Barbarorum adferre non potuiſſe exiſtimetur. Furias potius infernales,quam homines dixeris: etiam ipſo Bugenhano teſte, qui ſic contra Sacramentiperdas exclamat. O ſancte Diabole, ſi hoc tibi non eſt verum corpus, verus ſanguis Chriſti, tamen Eccleſiæ Chriſti eſt, uel inuitis portis inferi. Rũpantur vel illia Codro. Hunc audite, Lutherus ét pluribus in locis lingua ſua vocat(Vuerteufelte, Vberteufelte, Durchtẽteufelte Ketzer) perdiabolatos, ſuperdiabolatos, transdiabolatos hæreticos: nec certe eo quicquam vnquam dixit verius. Cæterum vt eſt error fecundus, iſti viciſſim in manipulos diuiduntur: Alij ſunt

Sacramentarij veteres: alij noui. Veteres vocantur, Carolstadius, Zuinglius, Oecolampadius. Noui vero Caluinus, Beza, & his similes. Veteres docent, & confitentur Eucharistiam nil aliud esse, quam panem, & vinum, externum quod dam, & vacuum signum, quo verum corpus, & sanguis Christi minime contineatur. Noui autem fatentur Christi corpus, & sanguinem vere, & substantialiter in cœna participari, quanquam non ore corporis, sed fidei, atque spiritus. Veteres ipse Lutherus testatur Tom. 3. Germ. statim à principio in quinque, vel sex capita fuisse diuisos. Primus, inquit, erat Carolstadius cum suo Tuto. Secundus Hudelricus Zuinglius, qui vocé (est) per significat interpretabatur. Tertius Oecolampadius, cum figura corporis. Quartus ordinem textus inuertit. Quintus iam in via est, qui verba mutat. Sextus adhuc quasi in partu hæret: & verba textus ventilat. Veniet etiam fortasse septimus, & cartas lusorias permiscebit. Porro ijdem Sacramentarij in Gallia quidem diuiduntur in Polyticos, & Caussarios. In Anglia in parlamentarios, & Puritanos, quod suo loco dictũ est.

Sacramentarij Clancularij.

SACRAMENTARII Clancularij, siue Secreti, siue Laruati, vocantur à Lutheranis, cuneus quidã Caluinistarum. Qui illis permixti viuũt, opinionem suam de Cœna, tempori, & occasioni accommodantes, Ioan. Schutz in serpente antiquo fol. 297. testatur à Lutheristis per contumeliam vocari Semizuinglianos expectantes, Spiritus lucem fugientes, venti flatum obseruantes, vespertiliones, noctuas, & id genus. Sunt enim omnibus simulandi, & dissimulandi artibus instructissimi, idq; se à Caluino, Bucero, Philippo didicisse gloriantur, & Augustanæ quidem Confessionis se esse profitentur: verum tamen in illius de cœna placitis, & decretis non acquiescunt. Lingua Lutherani, animo sunt Caluiniani. Istos sibi, omni humanitatis, & modestię genere deuinciunt. Istos omni arte, & studio promouent. Suam de Cœna Confessionem verborum in volucris obtegunt, leniori, mitioriq; forma verborum vtuntur, nec quidquã in hoc genere, nisi cothurnos loquuntur, vtrique pedi aptos. Interim alia venena inspergunt. Nonnunquã enim, licet rarius, de persona Christi, de dextra Dei, de Ascensione Christi ad cœlos, deq; Petri vocabulo, Acto. 3. ἀπέχεσθαι dulciter, & sine stomacho, coleraq;, tamquã aliud agentes philosophantur. His vestigijs multorum animos irrepserunt, sub Augusto Saxoniæ Electore: idq; videre licet in nouo Cathechismo Vittembergen. Theologorum, quo etiã nomine ex omni Electoris ditione abire iussi sunt, tanquam Augustanæ Confessionis verbicidæ, aut Lutheranæ doctrinæ laniste.

Samosatenici Noui.

SAMOSATENSIVM antiquam hæresim primus ab inferis hoc sæculo nostro Seruetus Hispanus reuocauit. Eum porrò secuti sunt Ministri Trãsyluanici, quorum Princeps Georgius Blandrata, & discipulus eius Franciscus Dauid. Eorũ doctrina, ait Belarminus, tres grauissimos errores cõtinet. Primo asserit nullam esse in Deo distinctionem personalem. 2. asserit Christum ante incarnationẽ, nil fuisse, nisi in mente Dei per ideam. 3. asserit Christo, homini communicatã à Deo diuinitatem, non per generationem æternam: sed per actionem gratiæ, ac inhabitationem, ac proinde posse dici, Christum Deum, sed Deum factum, & temporalẽ, non æternũ. Porrò de inuocatione huius, quem sibi effinxerunt Christi, variæ sunt inter illos altercationes, ac in tres quasi sectas diuisæ. Franc. Dauid, & multi ex Hungaria Ministri, docent Iesum Christum non esse inuocandum, sed solum Patrem, qui solus est verus Deus, & solus hoc tempore curam gerit Ecclesiæ. Faustus Socinus asserit in Confutatione, Christum in precibus inuocari posse, sed maioris esse perfectionis, ad Deum Patrẽ recta accedere. Blandrata verò docet, Christum non modo inuocandũ esse, sed

sed etiam debere inuocari, non esse imper fectionem ad eum confugere. Qui Christum inuocandum docent, plusquã 50. scripturarum testimonia proferunt. Qui non inuocandum asserunt, certissima ratione demonstrant aduersarios secum ipsos pugnare: quippe qui nolint inuocari sanctos, quia non sunt Dij veri, & tamen Christum inuocari velint; quem palam affirmant non esse Deum verum. Hæc Belarminus. cap. 1. de Christo. In Poloniam quoque nostram hæc pestis perua sit, ita vt integri cœtus Samosatẽsium alicubi videantur, quos non soli Catholici, sed & Hæretici Lutheristæ, Zuingliſtæ, Volaniſtæ, grauiter insectantur. Illi vero se propterea Dei Martyres iactitant. Ab istorum insania fœliciſſime non ita pridem, ad Ecclesiam Dei discessit, insignis medicus Lublinensis, Gaspar Vilczkouuski, causasq; suæ conuersionis edito libello, orbi notas esse voluit vniuerso, dignas sane, quæ legantur: cui propterea ne manum de more porrigere, nec Aue dicere reliqui Samosatenici voluerunt.

Sanctuli.

SANCTVLOS eosdem vult esse Lyndanus cum Catharis, de quibus iam dictum est, quia se iactabant sine peccato esse, & propterea illud (Bulingero teste) in Oratione Dominica omittebant. Dimitte nobis debita nostra.

Sanguinarij.

SANGVINARII sunt ex Antiluther. secta, qui humano poto sanguine more Catilinario ad sua sese sacrilegia, & homicidia obstringebant. Talem Anabaptistarum sectam esse Antuerpiæ non ignotam narrant quidam fide dignissimi. Hęc Lindanus.

Sathanistæ.

SATHANISTAS vocat Hosius, Euangelicos omnes quocumque inuicem nomine discernantur. Ait enim. Aduersari ei, quod ab Apostolis traditum est, & vnanimiter ab omnibus per orbẽ Christ. vniuersum, in Ecclesia Dei, totis 1500. annis, semper obseruatum, quid est aliud, quam Sathanam agere? Sathan enim cõtrarius, repugnans, vel aduersarius dicitur: cuius non est aliud studium, quam vt ob hoc ipsum pleraque reijciat, quod ea videt tanto Christianorum omnium consensu obseruari. Sic ferè fecit ille, qui se plurimum salis cum Sathana comedisse gloriabatur: quamuis laudanda sciret esse, non aliam tamen ob causam à suis respui volebat, quã quod authoritate Conciliorum sancita, summoq; totius orbis consensu recepta essent ab omnibus, & approbata. Et post pauca. Ad hunc itaq; modum decretis, & traditionibus Ecclesiæ repugnare, & ob hoc ipsum eas aspernari, quia sic visum est Ecclesiæ, & Spiritui Sancto, hoc est Idololatriæ scelus admittere, hoc est in Spiritum S. peccare, hoc est hominem exuere, & Sathanam induere, & qui tali sunt ingenio prædi ti, nõ alio sibi magis appositio nomine possunt appellari, quam si vocentur Sathaniſtæ. Hæc Hosius.

Saxonici.

SAXONICI, sæpe vocantur à Flacco, Hesusio, Kemnitio, Matheologi Vittembergen. Scholæ, sub Duce Saxoniæ Electore viuentes: sæpe etiam Electorales Theologi dicuntur. Hi doctrinam Philippi, & eam Confessionis Augustanę correctionem sequuntur, quam fecit Philippus, & Interim Lypsicum amplectuntur, multaq; esse volunt ex Lutheri præceptis, & constitutionibus Adiaphora: de quibus iam multis in locis, multa dicta sunt.

Schapleri.

SCHAPLEROS vocat Sixtus Senensis, Christophori Schapleri hominis Lutherani, & è cohorte Triariorum, sectatores. Is duodecim Articulos conscripserat de libertate Christiana, & euulgauerat, inter quos hic erat præci-

præcipuus. Tributa non esse pendenda Magistratui. Ex hac doctrina spe libertatis acquirendæ maxima pars rusticorũ accensa, dicitur arma cœpisse aduersus legitimos Magistratus.

Scholarchæ.

SCHOLARCHAS nescio quos acerbissime perstringit, & damnat in suo Antipapo quarto, Ioannes Sturmius, quorum Principes facit, Triumuiroſque appellat, Lucam Osiandrum, & Ioannem Pappum, Pacificum, Robertum, sæpissime, & indignissime interpellans: propterea quod auditoribus suis persuadere nõ cessent, vt Concordiæ Bergensi subscribant, idq; etiam per decem continuos annos in Ciuitate Argentineñ. laborarunt. Errorem porrò Concordiæ Bergeñ. hunc præcipue persequitur, & oppugnat, quod Brentianam, & Smidelianam vbiquitatẽ statuat, & Christi corpus, vt ait, in omnibus cantaris Torgeñ. cereuisiæ coquãt. Queso vos (ait in prima parte commonitionis) Scholarchæ considerate quo hominum erumpat temeritas, utq; audacia Confess. Augustanam, Corpus doctrinæ Saxonicarum, & Misnicarum Ecclesiarũ, exterminãt, cuius Philippus Melanchton author, & scriptor fuit: quod apud omnes principes nostros authoritatẽ habuit: quod hucusq; à Principibus deffensum ẽ, & exterminant per summam iniuriam, & contumeliam Philippi Melanchtonis, qui primus ex viris literatis ad Lutheri partes secessit à Pontificijs, qui perpetuus fuit illius, & fidus quasi Achates, cui Princeps Elector Saxonic⁹, & Philippus Lãdgrauius (quos honorificæ memoriæ causa sæpè nomino) mandarunt, vt Confess. Augustanam conscriberet: consenserunt etiam, vt Apologiam adderet: quã post Comitia permiserunt, vt emendaret. Prima enim tẽporis causa, data Cæsari erat. Qui, inquam, Philippus omnibus Comitijs, in quibus de Religione quæstio fore videbatur, interfuit, qui Principum in Religionis negotijs quasi orator fuit, quem Italia, & Hispania admirata est, & non solum præsidium, sed & ornamẽtum doctrinæ nostræ fuit: qui Vittembergam nunquam deseruit, qui, vt ne alij desererent, Pomeranus, Maior, Cruciger, Milithius, hospes meus, anno quadragesimo octauo, auctor, & suasor fuit: qui hac sua commoratione Ducis Mauritij causam, ab inuidia illius temporis, multa ex parte liberauit: & qui, & Mauritij Ducis, & Electoris iam Augusti semper cupidus, semper studiosus fuit, semper eorum virtutes singulares est admiratus. Hunc virum pauci homines, & quidem tales, audent oppugnare, vt vlla illius memoria reliqua sit, vt in perpetua infamia cineres illius iaceant, vt cognatis propinquis, & amicis eius vix locus sit, vbi se contineant, & quod amplius est, iam etiam Augustanam Confessionem exterminant, & cum verbo nõ istud faciant, re uera tamen moliuntur: & cum istud sese facere negent, tamen faciunt. Hæc de Scholarchis, Sturmius, tam intelligens scriptor, quam olim Petilianus, qui August. teste, nec dicere potuit, nec tacere. Mihi certe cum è Biblioteca viri doctissimi Lyndani, librum istius boni Sturmij nactus perlegissem, visus est scriptor iste omnium esse simillimus illi Valentino hæretico, cuius informes errores, & graculis similes garrulitates, & recitat, & refutat, Tertullianus. Casum scilicet illum sophiæ ex desiderio patris periculosissimum, Hori auxilium oportunissimum, Entimeseos, & coniunctæ passionis expensum, Christi, & Spiritus Sanctus pedagogatum, Oeonum tutellarem reformatum, Soteris pauoninum ornatum; Angelorum comparaticium, Antistatum Pleromatum scœuam; siparium cothurnationem, Aeonum concinnationem, Achamot pipiationem, Imaginem patris, & ignarum matris, Demiurgum: Vel ut nostra nostris temporibus comparemus; ita mihi visus est ad rem scribere: sicut ad rem, & scripsit, & locutus est, ille Minister Euangelicus, cuius concionem Nasus in secunda Centuria (Euangelischer Varheitt) recitat. Fratres, scriptura dicit: Si videris fratrem tuum necessitatem haben-

habentem, erue sibi oculum dextrum, et si perseuerauerit pulsans, aufer sibi, & sinistrum, & reliqua. Et si esurierit frater tuus, appone illi lapides, & ligna, dicens. Dic vt lapides isti panes fiant. Et comedit volumen illud grande. Et ambulauit, in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: ab hora sexta, vsq; ad horam nonam. Et circa horam nonam exclamauit, Saule Saule, quid me persequeris? At ille respondit. Nec tibi nec mihi: sed diuidatur, tum iratus percussit eum in posteriora eius, & amputauit illi auriculam dextram dicens. Amice, non facio tibi iniuriam. Tolle quod tuum est, & abi. Et quæ apud Nasum sequuntur. Quem ipsũ Sturmium, si Lutherus ipse legisset: puto insulso blateroni non aliud respondisset, quam quod habet in Disputationibus Circularibus.

Composi. tola tese, tentiq; soci bate
Qui vis excluſum crimen, per temporis vſum.

Sciſmatici.

SCHISMATICORVM appellatio omnibus in vniuersum sectis, quæcunque à Catholica dissentiunt, conuenit. De his sic loquitur Hosius. Nil est Brenti, quod ita grauiter feras, vos pro talibus haberi, quales vos ipsi facitis. Ab Ecclesia Dei vos ipsos præciditis, altare contra altare erigitis, cathedram contra cathedram constituitis, veteres ritus abrogatis, nouos instituitis, non à priuata vnius alicuius ex priscis illis doctoribus sententia, sed à communi omnium opinione totius Ecclesiæ consensu comprobata, discedere vobis fas esse ducitis: vt ita vos non solum a nostri tẽporis (quæ tamen diuersa non est) verũ etiam ab illa, quæ fuit Apostolorum prisci temporis Ecclesia, in qua fuerunt præclara illa lumina, Hieronymus, Augustinus, Cyprianus, Basilius, Chrisostomus, Ioannes Damascenus Theophilactus, & alij multi viri sancti esse separatos doceatis, & interea molestè fertis, si quis eo vos nomine appellet, quod non modo scripta vel dicta: verum etiam ipsa facta vestra vobis imposuerunt. Et rursus in De Catholica Ecclesia. Sed si quis Brenti, inquit, recta ratione rem expendat, huius discessionis, qua vos à nobis, nefario Schismate separastis, arrogãtiam, fastum, proteruiam vestram, præcipuam fuisse causam dixerit. Nam cum nonnihil gratiarum, donorumq; suorum Deus in vos sua benignitate contulisset, cum nec ingenium vobis, nec doctrina, nec linguarum peritia, nec præclara plerisque dicendi, scribendiq; facultas, deesset, has esse Dei gratias obliti (quas ille sicut nõ paucis Catholicis, ita vestrum nonnullis quoque largitus est) sic vos ipsos amare, sic vobis ipsis placere, sic vos magnifice efferre cæpistis, atque eo insolentiæ prorupistis, vt haud aliter, quam si à vobis verbum Dei processisset, aut in vos solos peruenisset, illius possessione reliquos omnes excluderetis, & vniuersum orbem Christianum aut cæcitatis, quod non videret in scripturis, ea quæ vos videre vobis videmini: aut impietatis, quod sciens, prudensq; agnitam veritatem oppugnaret condemnaretis. Hæc Hosius. Schismatici quoque vocantur Græcanici ritus sectatores, sed cum ijs nobis hoc loco sermo non est.

Semiarriani.

SEMIARRIANI, hoc quoque sæculo vocantur in Lithuania, qui & à Lutheri, & à Caluini placitis discesserunt: neque tamen cum Nearrianis per omnia cõsentiunt. De Patre enim, & filio bene quidem sentiunt: Spiritum autem Sanctum non de diuina substantia, nec Deum verum, sed factum, atque creatum prædicant, adeò quidem, vt eum coniungant, atque comparent creaturæ. Alio nomine vocantur Bideitæ, vel Pneumatomachi, de quibus iam dictum.

Frequens est Semiarrianorum
in libris Lituanicorum
ministellorum
mentio.

Semi-

Semichristiani.

SEMICHRISTIANI sunt (authore Hosio) qui cũ de Christo capite credant, quæ credenda sunt omnia: priuata tamen sua libidine certis in titibus ab eius corpore se diuidunt. Tenere ij quidem caput se putant, non autem tenent corpus. Itaque dimidia ex parte volunt esse Christiani, dimidia ex parte Hæretici, aut Schismatici, vt pote Lutheri, aut similium, cum tamen (ipso Christo dicente) nemo duobus Dominis seruire queat. Itaque aut totus Christianus oportet sis, aut totus Lutheranus, nil est quod in vtramque partem claudicare velis. Coangustatum est stratũ, dicit Propheta, ita vt alter decidat: Nõ possunt esse in eodem strato, hoc est, in eodem hominis corde Christus, & Lutherus: alter excidat necesse est. Non possunt eodem operiri pallio. Hæc Hosius.

Semicatholici.

SEMICATHOLICOS ita describit Lyndanus. Sunt, inquit, per Belgium non obscuri nominis, qui sese (vt loquuntur) Neutrales gerunt: qui in Catholica, & Romana permanentes Ecclesia (sic enim verbis profitentur) de fœdis aliquot eam repurgare conantur erroribus. At si de hominum moribus satagerent corrigendis: nos sanè vltroneos haberent suffragatores. Iam cum erroris norent, quod erroris est vacuum, rursus pro Euangelio arripiũt, quod Euãgelio est contrarium: homines miseri, sensu carnis suæ inflati, aliud consequuntur nil: quam vt ab utraq; parte male audiant, ac à neutra prorsus agnoscantur: vtrinque reiecti, vtrinque damnati, ac fere proscripti. Vnde uerè Semicatholici appellantur, quibus ista professio ad salutem non plus ipsis profuerit: quam Iudæis vnum eundemq; Deum colentibus, veri Dei cognitio, atque cultus Iudaicus.

Semiiudæi.

SEMIIVDAEI plerique vocantur in Lithuania, ijdem qui Iudaisantes, de quibus dictum est. Legis antiquæ obseruationem in multis putant necessariã, quia Christus non venit eam soluere, vel destruere, sed adimplere. Itaque & Christianos cum Christo ad implere eã oportere. Talem esse Glyrium quendam accusant cæteri Euangelici, idque Czecouicius in suis Dialogis testatur.

Semilutherani.

SEMILVTHERANOS esse vult Lyndanus, qui Lutheri placitis sua quędã, Euangelij prætextu assuunt. Tales esse vult Interimistas August. Interimistas Lypsenses, Adiaphoristas, de quibus iam suis locis actum est.

Semiosiandrini.

SEMIOSIANDRINI Lutherani sunt, & affirmant (vt Staphilus testatur) contra Osiandrum pro Antiosiãdrinis, in hac uita imputatiue haberi hominẽ iustum, in futura vero vita oportere hominem eadem iustitia, qua Deus ipse essentialiter iustus est, iustum re ipsa fieri. Ita sentiunt Tubingeñ. Theologi, & Ducis in Prussia liber de Osiandri controuersia editus: & Epistola Brẽtij ad suum Principem, de eadem controuersia testatur.

Semitransubstantiatores.

SEMITRANSVBSTANTIATORES vocat Ederus, in Euãgelica Inquisitione, cuneum quendam Lutheromanitarum, quorum in reliquis articulis sententiam amplectuntur: in Eucharist. vero docẽt, quod externa quidem, & visibilia signa panis,

panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi transubstantietur, ita tamen, vt ad speciem panis, species Christi corporis accedat, & ad speciem vini, species sanguinis. Sic enim verbum (trans) interprætantur, quasi præter, & ob hanc interprætationem se faciunt Lutheranos.

Separati.

SEPARATOS Lyndanus alio nomine vocat Nudipedes, seu spirituales, & ad sectam Anabaptistarum pertinere dicit. Vt liberius Euangelio suo vacarẽt, domus, & liberorum curam relinquebãt: negotia omnia abhorrebãt: pecuniam nõ cotrectabant, vulgarem, & consuetum ciborum, & vestium vsum asperiore viuendi genere, cõmutabant, & arma omnia detestabantur, austerum vultum præ se ferebant, crebros edebant gemitus, tristes, & soli esse cupiebant, vestę vili vtebantur, & ad præscriptum quarundã regularum cibum, potumq; sumebant, dormiebant, vigilabant, incedebant, seueram in speciem vitæ rationem ingressi, sed cito defecerunt in vanitatibus suis. Habebat enim aliquid in se ea doctrina, quod cum Deo sæculi, Deo ventre, Carne, & sanguine pugnaret, cum quo non pugnant Euangelici.

Sepulchrales.

SEPVLCHRALES vocat Sanderus, in visibili sua Monarchia, qui negant Christũ in anima descendisse ad Inferos, seu ad Lymbum Patrum, sed tantum corpore in sepulchro quieuisse, vnde & Infetos interprætãtur Sepulchrũ.

Ita Beza in cap. 2. Actuum, sõnia vocat quęcũque apud scriptores de Lymbo Patrum habentur.

Secta porrò sunt Caluinistæ.

Seruetiani.

SERVETIANI à Michaele Seruetо, homine Hispano vitam, & nomen acceperunt, Caluini quondam, & Farelli collega. De hoc ita scribit Hosius. Exorti sunt demum è Schola Lutheri, Ioannes Campanus, & ex Hispania Michael Seruetus, qui libros aliquot de Trinitatis erroribus, plenos blasphemijs ediderunt; in quibus Arrij, & Macedonij errores in lucem reuocare, & fidem Nicœni, & Constantinop. primi Concilij labefactare conati sunt. Solum enim Deum Patrem, & alium neminem innocari debere contendunt, quod ille solus videt corda nostra, quod nulla creatura facere potest. Lyndanus autem vocato in testem Caluino, in Africam profectum se, ait, vbi Alcoranum perdidicit, ex quo Ecclesiæ doctrinam in Machometismum transformare conatus est, docẽs (Palladio teste) Deum esse vnicam personam. Belarminus ita hominem depingit. Michael Seruetus iuuenis ferox, & audax, cum in Scholis Lutheri repeti audiret, verbum Dei non esse Patrum, aut Ecclesiæ explicationi, sed spiritus solius testimonio, atque iudicio alligatum: cępit, & ipse spiritum iactare, summum itaque se orbis Prophetam nominauit, ipso Caluino teste. Prophetica itaq; libertate assumpta libros inscriptos edidit, de erroribus Trinitatis, quorum summa est, Nullam esse in Deo distinctionem personalem, & Christum Dei filium appellari, quod ex ipsa Dei substantia caro eius in vtero virginis cõcepta, & conformata sit. Quas blasphemias, cum ne ipse quidem Caluinus ferre posset, hoc egit, vt Seruetus in media Geneuen. vrbe, igni traditus, cũ doctrina cõsumaretur 1555. sed non peregit. Plura enim in Regna, sceIerata eius doctrina peruasit.

Signi-

Significatiui.

SIGNIFICATIVI eandem cũ Sacramentarijs de Cœna Domini doctrinam profitentur, Staphilo teste, & ex Carolstadij, Zuinglijque Schola prodierunt, affirmãtes non esse verum Christi corpus in cœna, sed corporis signum tantum, ita vt panis ille propositus non sit, sed significet tantum Corpus Christi.

Silentes.

SILENTES Hosius, Tacentes vocat Lyndanus. Ad Anabaptistarum sectam pertinent, quod se fingerent perpetuæ orationi, vel meditationi sine vllo verborum strepitu vacare, Pytagoreumque renouare sylentium: nõ esse amplius concionandum contendebant, non etiam respondebant de religione rogati.

Sortiarij.

SORTIARIOS in Gallia frequentes esse liber Anonimus de Iusta abdicatione Henrici, & ad Diaboliſtarũ aciem pertinere, testatur. Homines sine Deo, sine sensu, quibus anima pro sale ẽ, vt pingues, & nitidos Epicuri de grege porcos possis agnoscere: frequens est apud eos annullorum, Pythonum, & Cartularũ numerus, inscriptis caracteribus sanitates promittunt, Phylacterijs expansis medicos se profitentur, idque tanta constantia, vt Artifex quidam Lutthetiæ inuentus sit, qui annulos propellendis febribus, in quibus barbara nomina scripta erant, valde exiguo prætio publice sine scrupulo, penæque metu venderet. Et quos sanandos suscipiunt eos in odium Catholicæ religionis verborum faci. bus accẽdũt.

Somniantes.

SOMNIANTES Lyndanus esse vult Anabaptistas, qui somnijs, reuelationibus, inspirationibus plurimum tribuunt, & Dei Patris voluntatem certius ex somnijs, quam ex Euangelijs percipi posse putant. De his plura videre licet in Enthusiastis, Suencfeldianis, & Munzeranis.

Spangebergici.

SPANGEBERGICI à Ioanne Spangebergio Lutheri discipulo nomen acceperunt, qui in libro, quem Margaretham Theologorum inscripsit, nil esse bonum, & Deo gratum asserit, nisi quod ab illo mandatum, atque præceptum est. Et Titulo de Concilijs, de paupertate verba faciens. Quotuplex, ait, est desertio facultatum, duplex. Altera fit nostra electione, sine mandato Dei, quam Christus apud Matt. 17. reprobat, dicens. Frustra me colunt mandatis hominum. Altera, quæ habet mandatum Dei, vt vocationem, & cum Tyranni cogunt, aut facultates amittere, aut ab Euangelio discedere. Hanc laudat Christus. Qui relinquerit, inquit, agrum, domum, &c. Docet præterea nullum humanum opus quantumlibet bonum esse vitæ ęternæ meritorium, neque ad eam assequendam necessarium. Nullum etiam peccatorem iustificari posse putat, nisi se esse iustificatum crediderit. Recensęt Prateolus.

Spirituales.

SPIRITVALES vocat Lyndanus, Antiluth, propterea, quòd se Spiritũ viuificantem sequi dicant, & iactitent, cæteros carnales appellant, vulgarẽ quoq; vestitũ, & ciborum vsum detestãtur, alio nomine dicti sunt separati, de quibus iam dictum est.

Stan-

Stancariani.

STANCARIANOS vocat alter ille patriæ noſtræ, quaſi Demoſthenes, Orichouius Roxolanus, Franciſci Stancari Mantuani ſectatores, & auditores, contra quos, & elegantem libellum, cui nomen dedit, Chymera, ad Sigiſmũdum Regem Auguſtum, conſcripſit: deq; ipſo Stancaro ſic in eo loquitur. Ad certamen hoc ſcribendi duæ me, ait, cauſæ adhortantur. Vna eſt charitas meorum, qui abs te capti è Ciuitate Dei, in ciuitatẽ diaboli ſunt traducti. Altera eſt, Hæreſeos crimen, cuius tu nomine eiectus è Mantua, pulſus ex Italia, prohibitus à Germania, nullum alium receptum habuiſti, niſi in ijs noſtris partibus, in quas irrepſiſſes nunquam, niſi prius ingenium noſtrum contempſiſſes, & niſi nos ſine Rege, atque lege viuere exiſtimaſſes. Et paucis interiectis. Dum nos literaturam illam tuam Hæbraicam ſtupemus, dum te patria profugum, naufragumq; Regno, mænibuſq; noſtris recipimus, ac te in Poloniæ ſedes, & domicilium collocari patimur, in impiam, & capitalẽ fraudem illam incidimus, vt non tantum locum daremus inter nos, ſed etiam tibi erudiendã publicè, in nobiliſſimo totius Sarmatię Gymnaſio Cracouienſi pubem traderemus, quaſi homini docto, pio, item, atque Catholico viro. Sed ſimulatio nulla eſt diuturna. Obrepſeras enim ad nos, vt vellere ſuo amicta ouis. Verum oblitus tui, in illo Gymnaſio cum vlulare incæpiſti, mox te vlulatu ipſo, lupum eſſe prodidiſti. Redi in memoriã, atque illam diem recordare, qua tu Pſal. illũ, Cũ inuocarẽ exaudiuit me Deus, & cenarraſti, quid tum egeris, ac dixeris, quæ tua tum ignoratio tui? quæ inſcitia? aut quæ impietas fuit? cum quidem, quaſi Gigantum Dux, bellum ipſi cœlo, atque cœlitibus omnibus inferres, atque omnes ex cœlo, exturbare conarere, tãta quidem impreſſione, vt etiam Virginem Matrem, nec dũ in cœlo eſſe, Chriſtumque coram intueri negares, & niſi Nicolaus Schadek Gymnaſiarcha Samuelem Cracouienſ. Epiſcopum per literas admonuiſſet te non id agere, vt Pſalmos interpretarere, ex pacto, ſed vt Pſalmos ipſos funditus euerteres, non erat nobis diutius Cracouiæ expectanda abs te Punica uox illa. Chriſtus non eſt Deus. Itaque tu eius impiæ fraudis ergo captus, ac Lypouicium in cuſtodiam ab Epiſcopo illo datus fuiſti. Vnde poſtea cuſtodibus prætio corruptis, furtim elapſus Pinczouiam Cracouienſ. Municipij oppidum, te contuliſti: vbi (paucis interiectis ſequitur) Punico incitatus furore in templa irruiſti, imagines diuorum ſuſtuliſti, memorias Martyrum deleuiſti, altaria euertiſti, ſacra prophanaſti, gazam Eccleſiaſticam diripuiſti: denique Sacerdotes publicos ex oppido exterminaſti. Poſtremo canones reformatorios nobis conſcripſiſti, quorum ſumma eſt, vt licere nobis arbitremur vetera Patrum inſtituta nouis impietatibus permutare: veteres religiones abrogare: nouas inſtituere: bona Sacerdotum diripere: & in illorum locum alios ſubſtituere. Regi non parendum, niſi præſcripto tuo imperanti: Sacerdoti non obediendum, niſi iuſſu tuo Eccleſiæ præſidenti. Addit ſub finem partis primæ. In hac Stancari ſecta, exoletus viuit vigetq; Arrius, dominatur Macædonius. regnat Neſtorius, Aerius verò eius ſectę proram tenet, atque puppim. Nam & hic itidem, vt Stancarus Laicum adæquat Clerico, ac ieiunia tollebat, & Sacrificiũ fieri vetabat, purgatoriumq; delebat. Deinde vero non contentus quod à maioribus ſuis aſſumpſerat, ſed etiam ex recentibus Hæreticis plurima addens, atq; immutans, omnes floſculos carpit, atq; delibat. Reliquum vt lubet reprobat, atq; repudiat. Caluinus dixit Mediatorem Deo Patre eſſe minorem, ex hoc ipſo Stancarus diuinitatem eximit, humanitatẽ autem ſolam, in Mediatore reliquit. Ad eundem modum in Cœna quoque a Luthero is idem ſumit panem, reijcit corpus, à Zuinglio itidem ſigna Cænæ, itidẽ ſibi aſciſcit, res autem ſignatas è Cæna eijcit, Cænamq; corpore, & ſanguine tã in ſigno, quam in ſignato caſſam, & inanem memoriolam quandam eſſe dicit: quondam paſſi pro nobis Chriſti. Ita hic

Stan-

Stancarus non corpus, atque sanguinem præsens cum pane, atque vino, vt Lutherus, neque signa tractabilia rerum signatarum, ac creditarum, vt prætendebat Zuinglius, sed absolutè panem cibariũ atque vinum cuparium in Cæna nobis dat. Quamobrem cum æque ab Hæreticis, vt à Catholicis in Cœna hoc suo memoriali pane sese Stancarus segregasset, prægaudio veri scilicet reperti illa Iambica furens videlicet Poeta exclamauit.

Cœna Papistica mala,
Lutherana multo peior,
Caluini omnium pessima,
Cœna Stancari diuina.

Hæc libuit è Chymera eloquentissimi Orichouij excerpere de Stancari, & Stãcarianorum doctrina, non Catholicis solum, sed ipsis etiam hæreticis inuisa, Caluino, Bezę, Lysmanino, Statorio, Crouicio, toti denique Pinczouianæ Scholę, e qua electus est, ac impressionem Arrianorum non ferens, ac plagas, & virgas metuens, in oppidum Russiæ Dubecium profugit, vbi illi de sua hæresi molestus esset nemo. Hæc ipsa omnia commemorantur ab Hosio, Staphilo, & Lyndano. Sed iam in patria nomen amiserunt, cũ authore sepulta est omnis eius gloria, Pinczouien. vero hominem diris deuouerunt, libros eius omnes Vulcano corrigẽdos tradideruut. Addit Hosius, quod exprobrat suis olim Pinczouien. Stancarus, quod miserint pro consilio de controuersia Mediatoris ad Geneuen. & Tygurinos Doctores, qui illis Arrianam, Euthichianam, Apolinaristarũ, Timotheanorum, Acephalorum, Theodosianorum, Gaianitarum, & Macarianorum Hæreses, pro fide Catholica remiserunt ipsi etiam inter se pugnantes. Quamobrem etiam Philippum, Geneuen. decreti fautorem, & hæreticum, & Arrianum appellat. Christum autem non nisi secundũ humanam naturam humani generis Mediatorem esse docet, & soli humanæ naturæ Mediatoris officium adscribit. Plura persequitur Orichouius. Extat præterea libellus paucorum foliorum authoris, & impressoris nomen abest nisi in fine A. R. quod forte Augusti. Rotundom significat, qui fuit vir doctiss. & Catholicissimus. & erat Aduocatus Vilnẽsis. Ei author titulum dedit, Collatio Nestorij cũ Stãcaro eius discipulo. In præfatione, doctrinam Stancari his verbis describit. In Polonia nostra in ipsis primitijs statim post iactum semen excitauit Sathan Gomesium Serueti discipulum, ex multis monstris hæreticorum conflatum. Post hunc tandem Stancarum verum Nestorium, & Sabellium planè per omnia Gomesio contrarium. Vt enim ille ita confundebat Christum, vt neq; homo, neque Deus esset, mutatum enim verbũ in carnem, & carnem in verbum asserebat. Ita iste diuidit Christum, vnum eundemque, vt alium faciat Mediatorem hominem, alium authorem Deum, apertèq; scribit duas personas sustinere illum, Mediatoris, & Collargitoris. Vnum scribit officia Mediatoris exequi: alterum esse, qui nihil horum officiorum Mediatoris attingat. Excluditur enim ab illis, vt pote quem ista vilia, & humana, vt summum dedeceant. Vnum fingit missum, à Trinitate hominem; alterũ qui non fuit missus, sed mittens: vnum humiliatum, seu exinanitum carneum; alterum, qui sese nunquam exinaniuerit, neq; diues existens pauper vnquã factus sit propter nos. Vnum Christum hominem orare; alterũ esse Christum Deum, qui hunc orantem exaudiat. Sed hæc de Stancaro sufficiãt.

Stebleri.

STEBLERI vocati sunt hoc sæculo, statim enim perierunt, rigidũ quod dam genus Anabaptistarum, qui gladiũ, & peram circũferre nefas ducebant, propterea quod scriptura prohiberet. Vim vi repellere, non esse Christianum existimabant: sed percutienti maxillam alterã obuertere: nec vlla de re iudiciũ agere. Huius generis hominẽ Nobilissimũ vidimus ante ãnos trigintain Comitijs Regni Poloniæ Lublinensibus, qui cũ olim esset Hosio Cardinali coniunctissim⁹, officij salutationisq; gratia, illo quoq; tẽpore accessit, viliſſimo habitu, agricolę instar indutus,

dutus bacillum manu gestans, quem ad repellendos canum morsus necessarium dicebat. omniaque hæc, quæ videntur stercoris instar reputare se copiose gloriabatur statim, vt esset per saluificã rectinctionem diuinæ essentiæ incorporatus: à qua sententia conatus est Hosius hominem amentem auertere: sed ille spiritu, quo plenus erat, prohiberi se dicebat; ne aures præberet incantationibus Papistarum.

Stembergenses.

STEMBERGENSES à Luca Stembergio dicuntur, qui suas blasphemias in ciuitate Olomuncen. euomuit 1561. Staphilo teste. Is sese Euangelicum Ecclesiasten, Lutherique, & Melanchtonis discipulum professus, primus omnium in illis partibus docuit, omnes eos, qui Sanctissimę Trinitatis nomen confitentur, & colunt, tres Deos falso comminisci, cum sit Trinitatis nomen superuacaneum, & inane: nec nisi vnus Deus sit in cęlo. Voluit itaque vt loco illius. O veneranda Trinitas caneretur, ò veneranda Dei bonitas. Optat etiam impius ille (horret animus scribere) vt dæmones omnes Trinitatem abducant, & asportent, nescire se, inquiens, vtrum fæmina vel mas sit: sed potius habere se persuasum, Trinitatem illam quandam fęminam fuisse, quæ tres maritos habuerit. Docuit præterea Christum non fuisse Deum verum, sed hominem duntaxat, instar aliorum mortalium, Mariæ, & Ioseph fabri lignarij filium. Non propria virtute diuina, sed virtute omnipotẽtis surrexisse à mortuis. Tum demum adoptatum fuisse in filium cum Ioanne baptizante vox è cęlo audi est. Hic est filius meus dilectus. Ridet Spiritum Sanctum, dicens nil aliud esse quam columbam. Dei genitricem negat perpetuam virginem extitisse. Sabbatum sanctificandum docet non Dominicam. Baptismum vocat Sathanicam institutionem, de Sacramento fatetur nihilominus se cum Melanchtone Præceptore suo sentire. Caspar Francus asserit eum nil prorsus credere. Cum aliquando pauciores haberet communicantes, & cęnæ reliquię non paucæ supererent, his dicitur verbis homines inuitasse. Venite huc, non enim eum possum deuorare solus. Hæc Lyndanus.

Substantiarij.

SVBSTANTIARIOS Lutheranos, vocant Accidentarij. Lutherani (hæc enim sibi inuicem nomina tribuunt) eos qui peccatum originis ipsam essentiam, naturã, atq; substantiã hominis esse docẽt. Vnde ét Manichęos appellarũt. Eius porro doctrinæ, & factionis Illyricũ Principem faciunt, & ob eam causam plerisq; ciuitatibus electum affirmant. Idem aiũt sensisse, & docuisse Spangebergium, & ob hoc ante paucos annos è comitatu Mãsfeldensi profligatum, alio migrasse. Addunt Accidentarij. Si hæc Substantiariorum doctrina vera esset, necesse esset consequi, vt vel Deus author peccati habeatur, vel Sathanas hominis creator existimetur. Sed, & de alijs fidei articulis inuicem dissident, de Inferno, de Christi descensu ad Inferos, de persona Christi, de tertio legis vsu, deque vocatione ministrorum Ecclesiæ: de qua Augustani Ministri, cum inter se acerbissime digladiarentur, aliquot ex illis ante triennium Augusta pulsi sunt.

Suencfeldiani.

SVENCFELDIANOS peperit Caspar Suencfeldius, de quo sic scriptũ reliquit Hosius. Quartum etiam Euãgelium edidit in lucem Suencfeldius, cõtra quem scriptos vidimus lingua Germanica quinque libros, quibus Flaccus cum eo rixatur. Hic cum uideret, & Lutheranos, & Sacramentarios, & Anabaptistas è scripturis errores suos confirmare: excogitauit, & ipse nouam Hæresim, ac scripturarum nixus præsidio, scripturis authoritatem omnem abrogare conatus est. Sic enim loquitur, cum suis. Non oportet quenquam legis, aut scripturæ esse peritum, sed à Deo do-

ctum. Nam etsi millies percurreris Bibliorum lectionem, tamen non nisi scripturæ peritus euades, & nunquam à Deo doctus. Non conuenit Christiano, nimiũ Scripturæ addictum esse, Deum audire oportet, huius voces de Cœlo expectandæ sunt, vt erudiant. Hæc Hosius. Staphilus verò sic habet. Suencfeldiani etiã ipsi in diuersas partes scindi cęperunt. Aliud sentiunt Vratislauienies, aliud Suidnicenses, aliud Glogouienses. Docet præterea humanam naturam Christi, esse genituram Spiritus Sancti, quasi medium quoddam inter creatorem Deum, & creaturam hominem, hac tamen ratione, quod eadem Christi humanitas post eius in Cœlum ascensionẽ omnino Deus effecta sit. Deinde verò, quod ea sapiẽtia iustitia, charitate, omnibusq; virtutibus, quibus Deus essentialiter præditus est, quilibet etiam sit homo, ex pari dignitate, & modo prędituſ, atque hac ipsa diuina natura Deus. Item quod Energia illa, quæ est in verbo Dei prędicato, sit ipse Dei filius ὁ λόγος. Addit Lyndanus. Sacramenti Eucharistiæ veritatem nouo modo euertit, faciens ex prædicato subiectum, ut sit sensus. Corpus meum est, scilicet, panis, vel cibus. Hunc Philippus per contumeliam Stencfeldium, quasi fœtentem campum, Centimanũq; appellat. Haber, inquit, milites passim, qui ipsius nomine non solum scribunt, sed ét seditiones mouent. Iactitant afflatus, & abducunt homines, à publico ministerio, & à lectione, & cogitatione doctrinæ.

Suencfeldiani Spirituales.

SVENCFELDIANOS Spirituales vocat Staphilus, Suencfeldij qui dem sectatores, & discipulos; sed in materia de Eucharist. & à Luthero, & à suo præceptore longius progressos. Adeò.n. verum Christi corpus, negant esse in Eucharistia, vt non dubitent Christi naturale corpus, posteaquam in cœlum ascendit in diuinam naturam transmutatum esse contendere, ac propterea externa signa esse vana, internũ solum Spiritũ sufficere. Hæc Staphilus Reliqua sunt Lutherani.

Suistę.

SVISTAS vocat Hosius, homines Euangelicos, qui turpe ducunt nomen à Luthero, Caluino, Zuinglio, & alijs hęresiarchis ducere, nec in earum doctrina plane acquiescunt, aut imitatores, & discipuli vocari volunt. Homine libero rẽ indignam putant, cuiusq; opinionibus ancillari (Rusticus aiunt, fuit Lutherus, Monachus Buccerus, Stigmaticus Caluinus, Carn fex Sudrouius) sed sui capitis somnia, sicut in gubernatione Reipub. mos patriæ est (vbi Royſio Hispano teste non Theodosij, non Iustiniani, non Constantini, leges non Codex, non Authentica citantur, sed illud tantum in dicendis sententijs occinitur (Tak mi szie vidzi) sic mihi videtur, quem etiam stylum appellabat Polonicũ Paragraphũ) sic in rebus religionis authores, & Duces fidei suę, non Lutherum, non Caluinum, Zuinglium, Stancarum, Sarnicium: sed nec Augustinum, Hieronymum, Cyprianum, sed seipsos, suique quisque capitis somnia sequitur. Isti (ait Hosius in Epistola ad Regem Sigismundum) neque Caluinistæ, neque Lutherani, neq; Anabaptistæ, sed Suistæ sunt, hoc ẽ suæ cuiusdam opinionis, & fidei. Nec enim isti Suistæ quod Luthero, vel Caluino; sed quod sibi ipsis videtur hoc pro verbo Dei volunt adorari. Tales fuisse ait eos qui fidiculam quandam anno 1561. conscripserunt in Polonia, Regiq; suo Sigismundo approbandam, atque promulgandam obtulerunt: quod in doctrina Cœnæ cum illa teterrima Bestia (Bezam vocãt) bipedum omnium, quadrupedũque nequissima, conueniant, in cæteris omnes omnium Hæreses delirant. Talis fuit Italus ille, cuius nomen Posseuinus reticet, qui Lublinum ueniens in Samosatenorũ cætu docebat, scripturam haud esse credenti necessariam, Spiritus cuique sui sequenda esse consilia, à quo solo vera religio, & spiritualis perfectio dependat. Huius generis illi quoq; ministri fuerũt, Barbus, Oulbras, & Hespina, qui in disputatione Parisien. a Vigorco, & Sãctio Catholicis doctoribꝰ, & Episcopis interrogati. Vnde

ti. Vnde petendũ putarent sensum Sacræ scripturæ: plane Suisticum (de quo nũc agimus) responsum dederunt: asserentes, quod in corde quisque suo, sensum Sacræ scripturæ haberet, ex Spiritus S. inspiratione, qui neminem vult perire. Meminit Bialobrzescius Cameneceñ. Episcopus, in sua Orthodoxa Confessione de vno Deo, de quodam Nobili, & non postremæ familiæ Polono. Cum de anima, & eius vita post mortem mecum (verba sunt authoris) differeret, confessus est se eum errorem à Ministris suis ad credendum accepisse: videlicet animam separatam à corpore, non mori quidem, neque corrumpi, sed circa corpus obdormire, vsque ad nouissimum diem. In illo autẽ die resuscitabitur pariter cum corpore, & sistet se ante iudicium Dei, Cum autem quærerem ab illo, quo testimonio scripturæ hanc confessionem suam confirmaret, allegabat illa loca scripturæ, quæ mortem somnum esse dicunt. Sed cum ostensum esset per me scripturam allegatam illi minime suffragari posse: quoniã in somno corporis non dormit anima, immo vigilat, vt superius ostendimus. Ille respondit, de Cœlo diuinitus esse illi reuelatam hanc doctrinam, ne à vobis Papistis vltra seducamur, qui terrebatis nos anima passibili, & excogitastis illi varios cruciatus. Ita Deus sua inspiratione ostẽdit nobis hæc omnia vana esse. Erat iste ex numero illorum, quos nouos Arrianos ipsi Euangelici appellant. Huius etiam generis viros, plerosque Nobiles prope Andreiouiam nouimus, cum quibus nobis non raro sermo de religione fuit, audacissime sibi scripturarum intelligentiã arrogantes: & nullo prorsus loco, tam Catholicorum, quam Hæreticorum doctorum authoritatem ducentes: quod genus hominum valde difficile solet ad gremium Orthodoxæ Ecclesiæ reuocari, cũ nulla cuiusquã authoritate moueantur. Cicero quoque quamuis infidelis, dignã tamen viro prudenti sententiam protulit dicens. Suos Deos, aut nouos coli, confusionem habet religionum. Longe vero verius, & elegantius Augustinus. Nil potest esse infœlicius homine, cui sui capitis figmenta dominantur, cum fieri facilius possit, figmenta colendo, quæ fecit, ne ipse sit homo, quam vt per eius phantasiam vera esse possint, quæ excogitauit homo. Alio quoq; loco cultores simulachrorum vocat, qui fantasmata sua colunt: & quicquid animo errante cum superbia, vel tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obseruant. Omnium autem verissime dicit ipse Dominus apud Ezechielem. Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suũ & nil vident.

Syncretisantes.

SYNCRETISANTES (Staphilo teste) sunt, qui suadent omnibus sectis, vt simulent saltem interea domi pacem, quando veram de religione concordiam inire non queunt, vt more Cretensis populi, eo coniunctioribus animis sues communes hostes inuadere possint, atque superare. Ita Melanchton sentit contra Staphilum scribens, & Smidelinus nouæ Concordiæ faberculus. Augustanæ Confessioni adhærent, in qua sunt molles illi Philosophi, & Vittembergeñ. Theologi, qui volunt ἤθικοι, & mansueti, homines q; præ cæteris cordatiores videri, & quandam cum alijs sectis pacem colere, sicut quondam Meletiani, & Rhethorij. Citat Lyndanus.

Synceri.

SYNCEROS, inter Anabaptist. Hosius, & Lyndanus referunt, sed ijdem esse videntur qui spirituales, & Sanctuli de quorum erroribus satis iã dictum est.

Synodici.

CITAT etiam Ederus, quoddam Euangelicorũ genus, quos Synodicos appellat, qui docent impossibile esse stabilem stabiliri concordiã in rebus religionis, nisi prius Neochristiani fixam, & stabilem aliquam inter se credendi rationẽ inueniant, quam etiam omnibus vijs, & vestigijs quærẽdam, persequẽdamq; putant: ac propterea menstruas ferè Synodos, & quottidiana Colloquia, & Comi-

tia instituunt: vt aliqua tandem ratione mutuam inter se stabiliant concordiam, sed ea quam firma sit, acta eorum Synodica ostendunt, quorum bonam partē produximus. Legatur volumen Vittembergen. Synodorum, legatur Aldemburgen. Maulbruneñ. Colloquium, maximam in omnibus omnium sollicitudinem perspicies, vt Catholica Ecclesia oppugnetur, & opprimatur: minimam, vt veritas inueniatur, & vnitas stabiliatur.

Tacentes.

TACENTES, alio nomine vocãtur, quos iam Silentes descripsim⁹, qui Pytagoricum renouant silentium, cõcionandum non esse statuunt, nec respondendum de religione, etiamsi rogentur. Indignum esse mundũ aiunt, qui Dei verbum audiat. Reliquis in rebus cum Anabaptist. sentiunt.

Temporales.

TEMPORALES, seu cessatores vocat Lyndanus, quos iam Nicodemicos diximus, homines in religione, nec calidos, nec frigidos, qui Christi causã, Christo, & tempori relinquendam putant, aut certe non maiore contentione pro ea laborandum censent: quam temporis ratio, vel mores hominum, vel ipsius Principis desideria patiuntur: occasionibus, & momentis fidei negotia definiunt, idq; neruum sapientiæ vocant. Cęterum vel vni⁹ noctis excubias pro pierate agere, plenũ temeritatis consilium arbitrantur. Parcendum censent (vt habet Lyndanus) infinitæ errantium multitudini, magnũ esse mali remedium indulgentiam: prudentiam, & moderationem adhibendam vociferantur: vt ne quibusdam intempestiuis remedijs, & violentioribus (vt Hosius noster loquitur) attrectationibus, exacerbari magis vlcus, quam curari videatur. Ac ne sine verbo Dei, Christi causam prodidisse videãtur, scriptũ aiũt. Tempus loquendi, tempus tacendi, tẽpus dilectionis, & odij, tempus belli, & tempus pacis. Non esse ante tempus eradicanda Zizania, ne simul & triticũ euellatur. Pleriq; etiam rem religionis vino, & cæruisiæ esse similem volunt, quæ cũ quieuerit, spõte sua feces in imã deijcit, cũ agitatur fex, quæ subsiderat, ad summa recurrit. Scripserat olim ad Hosium Regni Senator (quem prætereo) Rempub. esse nauis instar. In ea religionem, vt mercaturam contineri. Ante omnia itaque Reipub. salutem præstandam putabat, actum demum Religionibus occurrendum. At vir Dei Hosius, istos temporum, & occasionum seruos, viros illusores vocabat, Christo resistentes. Qui dixit. Primum quærite Regnum Dei, & cętera adijcientur vobis: proram, & puppim Reipub religionem esse dicebat, huius humeris Regna omnia niti: hoc fundamento omniũ Imperiorum molem sustineri; etiam, aiebat; Ethnicus ille Poeta dixit.

A Ioue Principium.

Huius enim salus inter illa Cætera cõtinetur, quæ Christo promittente adijciũtur, Regnum Dei quærentibus. Quamuis autem Catholicos sese profiteantur ij, quos Temporales vocamus, æque tamẽ nocent Ecclesiæ Dei intermissione officij, ac Hæretici denuntiatione supplicij. Qui homicidam non prohibet, dum potest, occidit. Dum volunt Neutrales isti, ait quidam, Christum habere cum multis sectis in eodem corde; facilius effecerunt, vt Christum amitterent, quam vt eũ multis, falsisq; fidibus miscerent. Etiã ipsi Theologi, & Ministri Casimiriani in admonitione sua, quam Christianam vocant, de libro Concordiæ Bergensis: dissimulare rem religionis, seruireq; tempori, non esse viam idoneam putant, ad concordiam, & sanationem Ecclesiarum. Sic enim in Proemio loquuntur. Postulat ergo & salus Ecclesiæ falsorum dogmatum, & falsarum accusationum, refutationes solidas quidem, & ex verbo Dei sumptas: sed tamen limites modestiæ, & dilectionis Christianæ, non egredientes. Nouas subinde, & versutas corruptellas excogitat, & spargit; noua & ingentia crimina impingit Ecclesiæ, & Euangelio Sathan. Quidni vicerit, si nemo quicquã horum refellat? Quid ergo tale silentiũ fieret, nisi manifesta preuaricatio in causa Christi? Deinde vero, & res ipsa ostẽdit,

dit, dissimulationē non esse viam ad concordiam, & sanationem Ecclesiarum, & conscientiarum idoneam: sed necessariā esse causarum morbi, & salubrium remediorum monstrationem. Quod si autem aduersarij veritatis pertinaciter sua placita defendere rixando, & conuitiando non desinant, iam non defensores, sed oppugnatores veræ doctrinæ, causam turbationum præbere omnibus pijs, & sanis manifestum erit: nobisq; sufficere Dauidis quereleam, & excusationem. Ego pacificus, sed cum loquor, illi belligerantur. Hæ igitur sunt causæ, quæ nobis silentium excutiunt, & gemitus nostros extorquent. Quantum enim nobis lætitiæ afferre poterat, & debebat vtrorum Principum, & aliorum gubernatorum optima Ecclesias paccandi voluntas: tantum nobis doloris, & mæstitiæ affert, quorundam Theologorum importunitas, qui bonorum credulitate abutentes, sanctum illorum, & laudabile propositum, ad finem longè alium atque illi cogitant hoc est, ad stabilienda suam in Ecclesia existimationem, & dominationem Pontificiam detorquent: persuadentes eis vafris sermonibus hanc esse viam ad Ecclesiarū cōcordiā: si ipsorū placitis subscribāt Principes, & subditi, & ab his dissentientes tanquā hæreticos, & catharmata cōdemnēt, proscribāt, & persequantur: atq; ita sub sācto, & plausibili nomine cōcordiæ, Syncretismos in sua officina fabricatos, mūdo conantur obtrudere, quibus Ecclesiæ magis dilacerantur, conscientiæ magis perturbātur, veritas obscuratur, & hostiū sæuitia acuitur, & confirmatur. Hoc malū qui animaduertūt illos Deo, Ecclesiæ, ijs qui à sophistis decipiuntur, posteritati, & sibi ipsis debere non dubitamus hoc officium, ne silentes ac dissimulantes connitentes; sed admoneant illos qui in fraudem illiciuntur, ne dū seruire Deo, & cōsulere Ecclesiæ volunt, idq; se facere existimāt, illū offendāt, hanc lędāt grauissime. Hoc igitur dū ex officio nostro agimus, nequaquā sumus hostes, & turbatores pacis: sed eā ardentissimis votis à Deo petētes, talē cōstitui cupimus, quæ sit pia & salutaris Ecclesiæ: non aūr, quæ sub titulo pacis, & concordiæ homines à Deo: Ecclesias autē, & mēbra Christi inter se longius disiungat, eisq; persecutiones, & erumnas augeat, flāmis dissidiorū maioribus, quam hactenus fuerunt, accensis. In Admonitione quoque Gallica Catholicorum Anglorum ad Catholicos Gallos, legitur, quod Ministri Biarnenses dispensauerint, & facultatē Principi dederint, ut ad tempus religionē suā dissimulet, seq; Catholicū quando id expedit, & vicissim Reformatæ religionis, quando itidem expedit profiteatur: cum inter hos & illos in duobus tantū punctis oīs differentia consistat. Citat Ioannes Hesselius cuiusdam Authoris Anonimi libellum, De officio pij viri, in quo oēs eos sine differentia ferendos, sine exceptione, in Regnis, & prouintijs docet, qui Symbolum Apostolorū recipiūt, deq; Christo capite rectē credūt, & Ecclesiam Christi vbi eacunq; sit, diligunt, nec se in cæteris quæ ad fidei substantiam non pertinent sectarijs, eorūq; doctrinis diuersum sentiētibus hostes p̄beāt. Tales enim uero nihilomin⁹ Christianos, atq; adeo Catholicæ Ecclesiæ Christi mēbra dici posse, ac debere.

Transconditionatores.

TRANSCONDITIONATORES vocat Ederus, manipulum quendā Sacramentariorū, qui pro Catholica Trāsubstātiatione panis, & vini, & p cōsubstantiatione Lutherana, quādā statuūt Trāscōditionationē. Tales.n. reijciūt quidē Transubstātionationē: sed sibi tñ fingunt post Cōsecratione siue benedictionē panis, & vini aliquid plus esse, quā merū panem pistorium, aut vinum de taberna.

Trinitarij, seu Trideistæ.

TRINITARIORVM castra multas phalanges habent, sicut & Lutheranorū, & Caluinistarū, multasq; sub hoc uno nomine hęresum, & errorū species cōprehēdūt, sed oīs eorū contentio circa Dei essentiā personā, & Trinitatē, circa nomina Patris, & Filij, & Spiritu Sācti, eorūq; proprietates, & attributa versatur. Libet elegantem tabulā addere quā suæ responsioni Iordanus ad Daneū appositit in qua figillatim, & ordine huius generis errores oēs, tam noui quā veteres recēsentur.

∴ *Athei, plane Hi nullum Deum esse dicunt.* 1

Homines alij sunt. qui.

Deum quidē esse aliquē, sed in illius explicatione grauiter errant. Eorū alij personas, & Hypostases in diuinis.

Tollunt, idq; vel.

Verbis ipsis, & aperte, quales.

Iudęi. 2
Monarchitæ. 3
Deitæ. 4
Machometani. 5
Nomina, & appellationes nudas eiusdem, & vnius personæ, sed sonis diuersas, vt Simoniani. 6

Re ipsa, & effectu, ut qui Hypostases nil aliud esse volunt, quam nudā animi cogitationē ideſt vel.

Diuersos vnius, & eiusdē rei, status, actiones, vel ἐνεργειας, diuersaq; officiorum vnius et eiusdem personæ vocabula, ideſt, accidentia ratione duntaxat distincta, ut Sabelliani. 7

Qualitates rei eidem inhærentes, quæ non subiecto, & ἀπαρξει inter se distinguuntur, velut in eodē homine candor, & proceritas corporis insunt, ideſt, accidentia re distincta, vt Aetiani. 8

Resident ias quasdam, vel imaginarias proprietates, quasi essentiæ laruas, siue umbras vel speculi species, & simulachra, vt Caluinus, Schekius, Zanchius, Daneus. 9

Reliquunt: sed eorum alij.

Quaternitatem constituunt, id est præter tres illas Hypostases quartā quandam essentiam inducūt, cuius participes sint tres illę, & quæ sit alia, & aliud quam ipsæ personæ, vel in qua tres personę subsistant, & quasi pendeant.

Marcitę. Appollinaritę. Tetratæitæ. Bezitæ. 10

Alij.

Trinitatē quidē retinent, sed in ea distinguēda, eiusque natura docenda peccāt Nam ij vel.

In vniuersū ipsius distinctionis, & emanationis personarū rationem perperam tradunt, & inducunt. Eorum enim Alij.

Vnitatē quidē essentię retinere conantur, sed in ea Hypostases confundūt, id est personarū realem distinctionē, vel sub sistentiam nō cōstituūt. Hi Trinitatē esse volunt, uel.

Extensionem vnius rei, velut ceræ, vt Marcelliani. 11
Dissgregationem vnius luminis in plura, vt Hierarchitæ. 12
Implicationem, & comprehensionem mutuam, tanquam vasorum, & pilarum intra se implicatarum, & contentarum, vt Metangisinonitæ 13
Tres personas esse tres formas in vna eademque materia, vt ceræ insculptas, vt Triformiani. 14

Trini-

Certarum tãtum personarũ ratione, & distinctione cõstituenda. Nã eorum alij perperã distingũt inter se, vel.

Trinitatẽ quidam Personarũ, & earum realem distinctionẽ retinere studẽt, sed essentiæ vnitatem tollunt, horum enim alij contẽdũt tres personas esse.

Tres personas esse, veluti tres nodos in tabula cohęrente, quorũm vnus nil essentię ab alio accipiat præter ordinem primi, secundi, tertij, vt Caluinistæ. 15

Tres Deos re ipsa diuersos, vt Tritheistæ, siue Trinitarij. 16

Tres eiusdem totius, & compositi integrales partes, vt Seruetiani. 17

Tria vera eiusdem speciei indiuidua, & tres numero diuersas essentias separatim, à sese subsistentes, vt Triousiani, parum absunt hi à Tritheitis. 18

Tres sic esse Deos, vt penes vnũ sit tota Deitas, & per se: in alijs gratia dono precario tantum insit, & creata, vt Ariani, Seruetiani. 19

Tres sic esse vnum Deum, vt Pater sit reliquorum essentiator, id est secundę eiusq; & alterius essentiæ, à sua diuersæ effector, vt Valentinus Gentilis. 20

Tres esse, vnũ Deũ, collectiue, siue aggregatiuè, vt multi hoẽs unus populus, multi lapides vna strues, vt Ioachimus, Abbas. 21

Tres esse autotheos, id est, tres sic esse vnum Deũ, vt singulę personę sint à se Deus, vt Caluinistæ, confundentes voculas à se, & per se. 22

Tres esse vnum Deum æquiuocè, vel vt materia & forma vnum constituunt, vt Schekius.

Patrem, & Filium, & horũ quidem alij Filium creaturam esse dicunt, qui tamen sit Patri vel.

ὁμοιος similis idq; vel.

Essentia, & voluntate simul, vt Aetiani, siue Semiarriani priores. 23

Voluntate tantũ non essentia, vt Acatiani posteriores. 24

ἀνομοιος dissimilis vt.

Eunomiani.

Aetiani. 25

Anomæi.

Seruus vt.

Eudoxiani.

Duliani. 26

Filium, & Spiritum Sãctũ.

Negant enim Spiritum esse Sanctum, & procedere à Filio vti à Patre. Græci. 27

Vel dicunt esse filium Filij, & Patris esse nepotem, vt Semimacedoniani. Trinitarij. 28

Spiritum Sãctũ, & Patrẽ.

Spiritũ Sanctũ negant vere Deũ, sed tantum Patris vim effusam in creaturas, vt Seruetiani. 29

Vel creaturam, vt Macedoniani. Iudæi. 30

Ministrum, & Patris, & Filij faciunt Angelis præstantiorem. Eusebiani. 31

Autoteon, αὐτόυσιον siue Deum à se non à Patre, & Filio, vt Schekius, Caluinitæ, & Authotheani. 32

Horum errorum maiorem partem ſuſcitarunt, iſto in fælici ſęculo Trinitarij. Duce, & Authore homine Hiſpano, Michaele Seruetо, de quo iam actum eſt.

Citat Hoſius non illepidam Apoſtrophen Trinitariorum ad Tygurinos, à Gribaldo factam, & ex eo libro excerptam, quem Duci Chriſtophoro obtulit: vbi air. Nec mirum magnopere eſt, antiquos illos doctores Deum hunc Trinitatem nimium ſubtiliter excogitaſſe, à ſcripturæ veritate penitus aberrantes. Iam enim Chriſtiana religio humanæ auctoritati, & inuentioni nimium tribuere cæperat: & à ſimplicitate doctrinæ Apoſtolorũ longe deflectere. Quemadmodum, et in Cęna Domini, & quotidiana corporis Domini oblatione, eos omnes euidenter erraſſe vos ipſi egregie docuiſtis. Quod ſi antiqui omnes, ex illo ſancto IESV CHRISTI myſterio commemorato nil integrum, aut purum retinuerũt: quid mirum ſi ex omnibus aliqui, & ſane pauci, etiam immaginarium, & confuſum loco veri, & ſimpliciſſimi, atque puriſſimi Dei temere ſurrogarunt, quem poſtea errorem improuidi ſucceſſores, veluti Epimetheus Pandoram, totis vlnis amplexi ſunt. Porro abuſiuus ille Euchariſtiæ rit⁹, uſq; ad noſtra tẽpora conſeruatus, non omnino Scripturæ fundamento deſtitutus videbatur, quem tamen grauiori adhibita interpretatione, & maturiori iudicio confirmati penitus emendaſtis. At vero hic Deus Trinitas, à paucis primum inuentus, & à multis poſtea ſuſceptus, vniuerſæ ſcripturæ contrarius, vos etiam accerrimos profeſſores inuenit, qui etſi pro eius fundamento, ne ſyllabam quidem ex vniuerſa ſcriptura producere valeatis, hunc tamen tam impium & manifeſtum errorem, vna cum Papiſtis mordicus, & vſque ad ſanguinẽ propugnatis: non alia certa ratione, niſi quod hunc ipſi errorem non animaduertiſtis: ſed cum cætero grege parum cogitantes, imprudenti Iudicio deuoraſtis, quem nũc euomere (ſaluo honore veſtro, & veſtri nominis exiſtimatione) vos non amplius poſſe nobis certè nimis impie ꝓſuadetis. Verum quidquid ſibi vniuerſus mundus perſuadeat, quicquid maligna eius calliditas moliatur, ſtabit perpetuo fidelis & inconcuſſa veritas, ab ipſo Dei filio, & eius Apoſtolis firmiter complantata. Hactenus Gribaldus.

Sequitur Hoſius. Num autem ex hoc præclare non colligitur. Si licuit vobis in vſu Cænæ Domini, & quotidiana corporis eius oblatione vniuerſam Eccleſiam erroris condemnare, cur nobis idem quoque non liceat, in hoc de Trinitate dogmate. Palladius quoqu; 19. horrendos iſtorum Triſteiſtarũ errores recẽſet. Poſſeuinus in notis diuini verbi plenius etiam, vt pote oculatus, & auritus teſtis, omnia iſtiuſmodi perſequitur.

Triſacramentales.

TRISACRAMENTALES Staphilus appellat, quia tria tantum Sacramenta recipiunt, Baptiſmum, Cęnam Domini, & Abſolutionem. Pro abſolutione alij Ordinationem, alij Matrimonium ſubſtituunt, errantes, & errorem mittentes. Sic non pauci Lutheriſtæ ſentiunt, & pleriq; Caluiniſtæ.

Tropiſtæ.

TROPISTAS ita Sanderus deſcripſit, de Viſibili Monarchia. Exploſa tam Lutheri quã Carolſtadij, & Ioannis à Lasko, falſa opinione, ad id ventũ eſt, vt ſaltem aliquis alius Tropus prꝛter numeri mutationem in ipſa Enunciatione Chriſti quæreretur: dum enim Sectarij plerique oẽs volunt Pronomen (hoc) ſignificare nil, niſi hunc panem: dicunt ita ſe rem habere, ac ſi Chriſtus dixiſſet. Hic panis eſt corpus meum, vt ita dum duæ ſeparatæ naturæ ſimul copulantur, ſalua vtriuſque ſubſtantia, hic panis in ſimilitudine quadam ſignificetur eſſe corpus Chriſti, & ita ſignum eius eſſe, quemadmodum Petra olim fuit. Dicunt itaq; per idem Pronomen, non niſi panem vere, ac naturaliter demonſtrari, corpus autẽ Chriſti, non quidẽ per Pronomen (Hoc) demonſtrari, ſed adumbrare volunt, per modum quendam loquendi figuratiuum. Vnde Fyguriſtę, & Tropiſtæ, dicti ſunt Hæc Sanderus. Inter Tropiſtas refert Staphilus, Oecolampadium. Et ad Sacramentariorum colluuien pertinent.

Tyrco-

Turcochristiani.

TVRCOCHRISTIANOS dicimus eos, qui Christi Baptismate fuscepto in 14. Capitibus, vt notauit Lyndanus, dogmata sequuntur Machometis Alcorano cõmunia. Contempsit Baptismum Machometes, contempsit & Pacimontanus, & alij: Polygamiam ille permisit, eandem, & Ochynus prædicauit, & Hetzerus 13. viuas vxores habuit. Ille nouum Testamentum mutilauit; hoc & Lutherus violauit. Septuaginta ex Alchorano Sectę natæ sunt, nos ex Cacangelio Lutheri plures 270. numeramus. Ille doctrinæ suæ nõ nisi legem diuinam esse iudicem voluit, idem volunt omnes Euangel. sectæ. Ille quadragesimã trãsmutat, Lutherus abrogat. Ille diem Veneris pro die Dominico colit, isti Sabbatum. Ille Mechensium idola Allot, & Tagot aboleuit, isti Christi, & Sanctorum imagines eius euertunt. Ille Mariæ Deiparæ, Sãctorumq; cultum abrogauit; isti & Mariam, & Sanctos blasphemijs proscindunt. Ille negabat cuique aliena prodesse bona opera, isti & propria. Hoc peiores Euangelici, quod verbi misterium omnibus baptisatis concedunt, omnesque vbique credentes esse volunt Sacerdotes: ille vero non nisi Muphtios, Caddos, & Talimeanos sacrorum habere curã voluit. Illi Christum Deũ, Deiq; viuentis filium, omnibus maledictorum notis, omniumq; blasphemiarum fœditate proscindunt: at Machometes, etsi non vt Deum; tamen vt Deo apprime charum, & eximium Prophetam in honore habent. Circumcidendi quoque artificium, & cœrimoniam in Patriam inferre decreuerunt. Miserunt enim Constãtinopol. Dambrouskij quendam, in quodam Anabaptistico cœtu communibus suffragijs, & impensis deputatum, qui artem Circũcidendi à Caddis, & Taleamanis Turcicis perdisceret. & in patriam inferret, sicut alio loco dictum est.

Triousiani.

TRIOVSIANOS nominat in sua Responsione Iordanus Parisien. Theologus ad Daneum, genus quoddam Trinitariorum, quia tria vera eiusdem speciei individua, & tres numero diuersas essentias seperatim à se subsistentes esse crẽdunt: quos etiam parum à Tritheistis abesse testatur, qui nude, & simpliciter tres Deos re ipsa diuersos statuunt: Secta hæc paucorum est, & inter eos solos versatur, qui sibi cati, & eruditi videntur. Daneus quidem Bezæ tribuit, ob nouas, & Patribus ignotas enuntiandi formulas, à Caluino, & ipso etiam Beza excogitatas: in quibus ita sibi cati, & prudentes videntur, vt exclamare cum illo Patre libeat. Mirum ni pœniteat Christum, quod Apostolos voluntatis suæ interprętes pręmittere in orbem vniuersum properasset, nec Bezam expectasset interprætem. Riuulus hic est exiguus è Trideistarum fonte.

Tygurini.

TYGVRINI vocantur Magistri Scholæ Tygurinæ, qui illum Caluinianæ doctrinæ articulum, quod Deus, & author, & impulsor sit malorum, damnauerunt, & reliquos eius libros Vulcano, vt ait Hosius, proprerea corrigendos obtulerunt. Iudicium quoque suum, & Cẽsurã ad Polonos remiserunt de Fide Sanctissimæ Trinitatis, quam apud eos maleferiata quædam capita oppugnanda susceperant. In eo vicissim Patrũ, & Cõciliorum authoritates in exilium à Lutheranis actas, in sedes suas reuocant: easque quam merito debent uim habere contra Trideistas voluerunt, quam illis contra Catholicos ademerunt. Vide Censuram Hosij. Quod ad doctrinam de cœna attinet. Initio quidẽ Carolstadij expositionẽ ceu nimis durã, & violentã respuebãt, ita vt etiam Senatus cauerit, ne libelli Carolstadij venderẽtur. Vide Suriũ. Postea tñ in Sententia Zuinglij acquieuerunt,

runt, & multis in rebus à Geneuensibus discesserunt. De ritu Cœnæ, quē seruant Tygurini, liber ex Surio ascribere. Finita concione, mensa in templum, seu domum infertur, mappa insternitur, canistrum azimo pane plenum apponitur, catini, ligneaq; pocula vino implentur: accedit ad mensam Minister cum diaconis, cœtum ad attentionem excitat, alter eorum verba Pauli ad Corinthios: alter partem. cap. 6. Ioannis recitat. Dicto Symbolo monentur omnes à Pastore, vt quisque seipsum examinet, & exploret ne indigne cœnam sumat. Inde se omnes ingenua demittunt, & orationem Dominicam recitant. Ea absoluta pastor accipit panem, & alta vicissim voce Cænę institutionem recitat: ac ita panem Ministris distribuit, & poculum porrigit. Illi vero in illis ipsis catinis panem, & vinum in cyathis circumferunt, & populo exhibēt. Quisq; in manus sumit, quod traditur à Ministris, edit, & proxime assistenti partem porrigit, similiter & de poculo facit. Postea Minister verba Christi ad Passionem euntis ex Ioanne perlegit. Hoc finito in genua procumbunt, & gratijs actis abeunt.

Valdenses.

VALDENSIVM nomine isto quoq; sæculo appellati sunt Posnaniæ, & in alijs Poloniæ locis Lutheranæ perfidiæ sectatores. Nam & illi docebant, quod Romano Pontifici obedire Christiani non tenentur: quod illius decreta, & Canones nullius sint momenti: authoritatem conficiendi Corpus Christi, datam etiam esse Laicis, modo iusti sint. Semel in anno Missam celebrabant, absq; forma verborum Christi. Hoc est Corpus meum. Sed dicendo tantum septies Pater noster, & benedicendo Panem, & vinum. Indulgentias ridebant. Purgatorium negabant, Tres tantum ordines admittebant. Sanctorū inuocationem detestabantur. Dies festos, & ieiunia contemnebant. Citat Sanderus ex Guidone, & Anmonio. Ex his, huius sæculi Valdeñ. quædam recipiunt, quædam reijciunt, prout omnium Euangelicorum mos est, fides arbitratu suo in horas prope singulas fingere, & refingere.

Vbiquitarij.

VBIQVITARII, Vbiquetij, vel vt loquitur Sturmius. Vbiquitatis spō si, hac ipsa, qua scribimus tempestate, bonam Germaniæ partem perturbarunt: & æquè acerbè cum suis Euangelicis, atq; cum Catholicis de veritate suæ doctrinæ contendunt. Docent autem (vt doctissimus Belarminus paucis verbis comprehendit) Christi corpus per vnionem ad verbum, semper re ipsa, & de facto esse vbiq;, nec posse redigi ad vnum locum. Lib. 3. cap. 4. Porrò secta hæc apparuit in mundo ad destruendam Sacramentariorum Hæresim. Cum enim Lutherani Catholicam de Transubstantiatione doctrinam per summā audaciam reprobassent, & verā nihilominus veri corporis in Eucharistia præsentiam in sumptione saltē esse voluissent, modum præsentiæ, ait Sāderus, talem inuenerunt, vt dicerent, Corpus Christi post ascensionem in Cœlum, vbiq; esse: atq; eo modo in pane manducari, dum panis erit, quo modo Christus accepto pane dixit. Manducate, hoc est Corpus meum, quasi diceret. Edite hoc, quod in pane est. Illud enim est corpus meum. Hac itaq; monstrosa, ac Deo hominibusq; tam Catholicis, quam Hæreticis inuisa præsentia constituta, dici nō potest quam se ridendos propinauerint insulsi isti Vbiquitistæ. Legimus Ioannis Sturmij Rectoris Academię Argentoratēn. Ambrosiam ad Ioannem Pappum: legimus Palinodiam eiusdem ad Lucam Osiandrum. Legimus Antipappum, Antiproemium, Antiosiandrum. Non Euāgelistarum: sed impudicarum meretricū, immò verò damnatorū Cacodæmonū rixas, & contentiones infernales diceres. Idq; tam casta, & dilucida latinitate, & phrasi, vt nisi quis Milphionem interprętem adhibeat, tam bene Sturmium intelligat, quam Poenum Agoraſtocles, in Plauti Pænulo.

Cuius quidem hercle orationi, Oedipo. Op° cōiectore ē, q Sphingi interpres fuit.

Voca-

Vocatur à Pappo Sturmius, Vesperti lio, mus non mus, doctor non doctor, volucris non volucris. Ille vicissim Pappũ, & Osiandrum sponsos Vbiquitatis, vespas, crabrones, miluos, Listricæ Dianæ membrum, Choragosq; tristissimi tripudij, Triũuiros, Scholarchas: & quid nõ (O iucundum Catholicis spectaculum) appellat? eisq; sex horrendos errores attribuit, quos lapides, & saxa appellat: immò occulta Bergensis Concordiæ (quã lepido nomine Dianam mammatam vocat) venena, annis decem (vt ait) intra pomeria vrbis Argentineñ. radicata.

Primum esse vult. Christus non per claustra virginalia genitus, sed vt per lapidem sepulchralem, ita etiam miraculose, vt loquuntur, ex vtero Mariæ in lucem penetrauit.

Christus non pedem longum nec crinem latum, ad cœlos ascendit. Christi corpus, vbiq; est, & cum Hyerosolimæ pateretur, & cruci suspensus pependit, & in sepulchro positus est, etiam Romæ, & Athenis, in Cœlo, in omnibus locis mortuus, & viuus fuit. Christi corpus etiam secundum humanitatem, in omnibus lignis, lapidibus, arborum folijs, in omnibus herbis, Cantaris ceruisiarijs est. Cœlum cœli summum est, infernus phantasma. Cœlum, & Dei, & Diaboli habitaculum est.

Ascensus qui creditur in Ecclesia Catholica post mortem, ascensus verus non fuit: duo veri fuerunt, vnus post salutationem Angelicam, alter posteaquam expirauit. Cur non decimum addunt. Omnis fides nostra ludibrium est. Addit in Ambrosia, quod Iacobus Andreas præcipuus Vbiquitatis assertor, doctrinam hanc suã sic definit. Propter vnionem Hypostaticam, vbiq; est corpore Christus, qui exaltatus est super omnes Cœlos, vt compleret omnia, qui sedet ad dexteram Patris, quæ vbiq; est. Ad populum Phaleras (respondet Sturmius) ad plebem offucias, ad procos cerussam, ingyneeea fucũ, non ad literatos, & vocatos Sanctos. Et iterum in Antiosiandro. Tu si triginta annos conciones Argentorati haberes nunquam tuus essem auditor: triginta proximis annis ego continuis te non audirem, si mihi tacendum esset & silentio meo comprobandi tui clamores, Christũ à Gallicanis, & Anglicanis, & Heluetici cis, & Phrisijs, alijsq; Germanicis Ecclesijs, vinctum, ligatum, cathenatum, in cœlo teneri, nuda solum signa, ab his affirmari, negare ipsos omnipotentiam Dei & omnipręsentiam Christi, & Deum authorem peccati asserere. Te vero contra statuere Christi corpus, non solũ in Cæna, sed etiam vbiq; esse, fuisse in India, cum Hyerosolimę cruci suspenderetur: in cœlo corpus, & humanitatem fuisse, simul, ac diua Virgo salutationem, & adũbrationem Sancti Spiritus accepit: non vere ascendisse, duos alba vestitos spectra fuisse, & totam illam Christi Triumphalem ascensionem, spectrum fuisse. Nullum locũ in cœlo, in quo consideat possidere ipsum, quia supra omnes cœlos ascendit, nullo loco corpore suo circumscribi, sed cœlos omnes ipsum cœlũ cœli, ab ipsius corpore, & humanitate cõprehendi, & complexum esse: & tam late Corpus Christi pertinere, quam latè dextera Dei se extendat. Hæc me cogis, vt annos Triginta meo silentio comprehendam, Porrò erroris huius vbiquitatis primus author fuisse Brentius existimatur. Refutationẽ autem eius inueniet Lector apud doctissimum Belarminum, & in Germanico libro Entdekung Petri Hanonij Saxonis. Pertinent autẽ ad Lutheranorum sectam.

Vinarienses.

VINARIENSES Theologi sæpe citantur, tam à Catholicis, quam ab ipsis Euangelicis scriptoribus, ij sunt Ducum Vinarieñ. Magistri, & Ministri, Augustanę, vt aiunt, Confessionis fidelissimi sectatores, & constantissimi Lutherizantes. Narrat Hosius quod viderit librũ Ducum Vinarieñ. in quo nouem, & aliũ Ministrorum Mansfeldensium, in quo vndecim sunt sectę condemnatæ. De singulis earum, cum à nobis suo loco, & ordine actum iam sit, hoc loco Vinarieñ. istorum errores non repetemus, vim tantum nominis explicamus, quod in istorum libris sæpe citatur.

Vnsti

Vncti.

VNCTI (Sandero teste) orti sunt Anno 1570. in Suria Comitatu Angliç, apud Banstediũ ex Caluinistarum secta. Vnto quodam Duce: Docent autem peccare neminem, nisi qui veritatem ab ipsis prædicatam non recipit. Totum nouum testamentum dicunt rerum futurarum prædictionẽ esse. Itaq; Christum, quem semel venisse non negãt, iterum ante diem iudicij rediturum expectant: docent etiam, cui semel remissa sunt peccata, eum iterum non peccare. Doctis autem viris omnem prorsus fidem abrogant.

Zuingliani.

ZVINGLIANORVM, & origo, & doctrina notior est hoc sæculo, quam vt nos pluribus verbis commemorare sit necesse. Authorem habuerũt Vdalricum Zuinglium Canon. Constantien. qui cum Andreæ Carolstadij discipulus esset, ab illa tamen Magistri sui de Cœna interprætatione, tanquã insulsa discessit, qua dicebat, Corpus meum quod pro vobis datur est hoc, quod hic assidet mensæ, & in eius locum nouam suam opinionẽ effingere, spargereq; cœpit, quam sese in Batauia cuiusdam Epistola, Hesusio teste, reperisse fatebatur, vbi, hoc est, pro hoc significat, accipiendum didicit. Præterea verò peccatũ originale, naturæ tantum esse morbum voluit,, non peccatum. Illud vero Ioannis primo, Lyndano teste, ita legi voluit. Et verbum caro facta est, non factum: idq; etiam Lutherus asserit lib. de Concilijs, quem deinde Zuinglius ita verborũ flagellis castigauit, vt hæreticum vocaret, & per omnes libros scriberet, propterea quod acerbius sententiæ suæ de Eucharistia repugnaret. Hos Trideista Gregorius solos tãtum parietes in Ecclesia Dei disiecisse ait. Turrianus porrò quadragies mutasse sententiam suam de Eucharistia spatio trium annorum asserit, ipso etiam Ioanne Fabro viro doctissimo attestante.

Zuingliocaluinistæ.

ZVINGLIOCALVINISTAS vocat Petrus Scarga in 12. Artibus contra Volanum, & Iurgeuitius in sua responsione, manipulum quendam Sacramentariorum Vilnensium, qui Præsultore Volano Lituanico Secretario, & Iobo, atque Stanislao ventripotentibus ministris, verbi præconibus, partim cum Zuinglio docent, quod panis in Cœna propositus Christi Corpus non sit, sed significet, partim cum Caluino, quod non sit nuda significatio corporis, sed quod vere manducetur, & vere bibatur, spiritualiter tamen, mente scilicet, in beatorum sedes erecta, vbi vere, & realiter Christi Corpus ad Patris dexteram residet. Ita pro Concione Sudrouium, quem carnificem Leopolien. appellant, dixisse testatur Iurgeuitius anno 1578. Hactenus docuimus in Cœna esse figuram corporis Christi: nunc non figuram, sed verissimum Christi corpus esse constanter asseueramus. Cum autem intelligentiores percunctarentur de hac ita decantata præsentia, & veritate. Aiunt vnũ pro omnibus Volanum in hæc verba respondisse: diuinum Christi corpus quidẽ extra cœlum nec esse, nec esse posse, ex eo tamen corpore in Cœlo constituto, succũ ad nos defluere, quo in Cœna Sacra corpora, & animæ nostræ asperguntur, atque hoc esse comedere vere, & realiter corpus pro nobis traditum, & bibere sanguinem pro nobis effusum. Volanum hunc, alij baiulum Zuingliani Cacangelij: pleriq; Caluinistarum pharmacopolam: alij Euangelicum Canalistam, &c. Iurgeuicius autem terræ filium, Magiæ, & maleficij authorem, bobus stabulandis, stercorandisque agris peridoneum mancipium appellat. Scarga vero totius Lithuaniæ Euangelicorum Ducem: nisi quod ministri appellationem erubescat, propterea quod sit nobilitate donatus, & nouum nomen Secretarij magni Ducatus Lithuaniæ vsurpet, re vera tamen

tamen, ait Zuingliocaluinistici Ministri, omnia munera exercet, disputat, docet, instruit, scribit, Zuinglianam Synagogã dirigit, ministros constituit, Proceres Synagogæ in ordinem cogit, in conuentibus procerum obstrepit, scripta pestifera per Poloniam spargit, nullis conuitijs, & maledictis parcit. Cæterum noui Ebionitę, hoc est, Budneistæ, & noui Samosatenici, hoc est Czechouitæ grauissime dolent, & conqueruntur, quod pleriſq; viris magnificis, fronte, & supercilio imponat, artibusq; suis in nouo adhuc Papatu (Zuinglium, & Caluinum nouos Papas vocant) detineat. Eius errores in tractatu suo de Eucharistia, multos enumerat doctissimus, et nobis amicissimus Turrianus. Methonimiam in verbis Cœnæ asserit. Hæresim Theodori Mapsuestię renouat. Miraculum quod in Sacra Eucharistia ex Euangelio Ioannis colligitur abnegat. Verba Christi de manducatione corporis sui apud Ioannem prolixe differentis, ad solam fidem alligat. Vim verbi (species) quo Catholici vtũtur ignorat. Augustini, Cypriani, Teophilacti verba de Eucharistia, vel corrumpit, vel dissimulat. Adorationẽ Eucharistiæ post Concilium Lateranẽs. cæpisse narrat, & malos Christi corpus in Sacramento sumere negat. Addit de isto Pharmacopola Iurgeuicius, quod cum Præceptore suo Caluino profiteatur nescio quem saporẽ, siue succum, ex Christi carne expressum ad suos Syneuangelicos dimanare: quo & corpora eorum, & animi in Cœna perfunduntur, sic enim scribit. Ita vero sola anima per fidem corpore Christi vescitur, vt immortalis, ac cælestis vitæ succus, nõ minus in animam, quam in corpus ipsum ex carne Christi viuifica defluat. Et iterum. Inde Christi potẽtia eluescit illustrius, quod cum carnem suam in cælum subduxerit, sic tamen illam omnibus fidelibus communicat, vt non minus vitæ cæleſtis, ac plane immortalis succum ex illa percipiamus, quã sol hic visibilis cuncta radijs suis illustrat. Cæterum paulo post & succi, & sui, miser Volanus oblitus, secumq; (vt in sua responsione ex Emanuele citat Iurgeuicius, in eodem libro) pugnans, nec carnem Christi, nec succum, neque mente, neq; corpore fideles verius suscipere asserit, quam si caro Christi nusquam extaret. Ait enim, baptisma non minus nos Christi facit participes, quam Sacramentum Cœnæ Dominicæ. Et iterum. Non tantum Cœnæ Domini, aut baptismi Sacramento esse tribuendũ, vt corporis illius mystici nos faciant esse participes: sed Christianorum filios omnes, iam incorporatos Christo nasci. In baptismo vero, & Cœna Deum solummodo testari, quod facti ipsum non pęniteat. Primo itaq; Volanus licet imaginariam, aliquam tamẽ manducationem in Cœna statuebat, postea vero, & manducationem, & bibitionem, nil amplius efficere vult, quam vt testificemur nos Christo incorporatos esse. Eam porrò doctrinã, & cæteros Dei sui Zuinglij errores, vt magis faceret vendibiliores, Tabernariorũ more hæderam suspendit, Patrum enim, & totius antiquitatis authoritatem contemptam, à pleriſque, neglectãq; dolet, proq; eorum dignitate, mira verba fundit sapientia. Postquam autem satis magnificè dilaudauit, sicut araneus, ex salutaribus herbis venenum fugit, sic iste è Sanctorum Patrum scriptis, doctrinæ suæ fœditatem astruere contendit: ac ita simul notatum illum in Psalmo, Inimicum, & defensorem agit, dum optimis Patribus laudes eas tribuit, quas habent, & doctrinã affingit, quam non habent. Sed omnes eius fabulas, & Capharnaiticas quæstiones doctissime prius Pater Emanuel, postea Torrensis, Scarga, & Iurgeuicius refutauit: magicæq; superstitionis præterea arguit, quod amissa pecunia, vt audio, & bobus, vt furem exploraret, dedit cuidam ad comedendum caseum, cum notis nescio quibus superstitiose impressis. Huic suam linguam Iacobus, & Stanisla' Ministri, tali Magistro dignissimi vendiderunt, promittentes miseris auditoribus in sua Cœna corpus, & sanguinem Christi exhibere: at cum ad Cœnam ventum est, iubent eos panem ac vinum manibus accipere, & ore comedere, ac interim mentem in Cœlum leuare, ad Christi corpus, ibi, & non alibi existens, & per fidem illud comedere. Non aliter profecto, ait Iurgeuicius, quam ille fecit, qui

ami-

amicum ſuum inuitauit ad perdices, & cum ad prandium ventum eſſet, apponit illi perdices ex pane confectas, dicens. Amice has perdices manu cape, & ore ſume, ſed interim dum eas ſumis, mentem eleua ad perdices in aere volantes, & illas ſpiritualiter, & mente comede. Ipſi quoque Samoſatenicæ, & Ebioniticæ doctrinæ in Lithuania profeſſores: contra quos Pareneſin, & reſponſionem ad noua eorum obiecta, Volanus edidit, egregiè verborum flagellis hominem caſtigarunt, ſcripta eius plumbeum gladium, & laneum, ſiue ſtramineum flagellum vocãt: atque à probatis à Volano Patribus ad reprobatos ab omnibus Euangelicis (inter quos & Volanus) Patres appellant adeoque ſunt illi graues, & moleſti; vt contra eos non amplius verbi Dei ſcutũ opponat: ſed ad cruces, ad laqueos, ad tormenta, ad ignes, tanquam Hæreticos poſtulet, ſicut iam ante dictum eſt.

Et hę quidẽ, lector, noſtri ſæculi ſectæ, ad noſtram hucuſque peruenerunt noti tiam. Rogemus omnipotentem, ſicut ro
Cap. 1. gauit Nahum, vt non adijciat vltra, vt pertranſeat Belial: ſed iam vniuerſus intereat: vtque dicat Angelo percutienti. Ceſſet iam manus tua. Sed niſi, vnde diſceſſum eſt, eo redeatur, errationis non facient compendium. Os habent, linguã, perfidiam, malitiam, atque audaciam. Theſaurus illis in lingua ſitus eſt. Nugas nugari, doloſque dolare, nunquam equidem deſinet errorum impunita licẽtia, quieſcere neſcia. Valde paucos deſeſſos uidere licuit (ait ille) male qui facere occeperunt. Planctus eſt, ait Eſechias, & erit in planctum. Et Eſaias.
Ca. 19. Vnuſquiſque adhuc carnem brachij ſui vorabit. Manaſſes Ephraim, & Ephraim
Cap. 9. Manaſſen, & ipſi ſimul contra Iudam. Neſciunt videlicet, quã difficile ſit opugnare Eccleſiam, quia nullam habent Eccleſiam.

Mihi quidem dignum illud conſideratione videtur, quod accidit Ionæ à facie Domini fugienti; Interrogatus enim à Nauarchis. Quod eſt opus tuum? quæ terra tua? & quo vadis? vel ex quo populo es tum? Non reſpondit, quo iret: ipſe enim neſciebat quo ibat, qui ſe à Domino ſeparabat. Neſcit enim omnis quo it, qui Dominum deſerit. Sed ait, Hebreus ego ſum, & Dominum cœli timeo, qui fecit cęlum, & terram. Sed & illud huic ſimile, cum Hagar ancilla, à facie Saræ Dominæ ſuæ in deſertum fugiſſet. Interrogata enim ab Angelo, vnde venis, & quo vadis? Ad primum quidem reſpõdit. A facie Sarę Dominæ meæ ego fugio. Ad ſecundum non reſpondit, quo uadis. Sciebat vnde veniebat, neſciebat quo properabat. Neſcit enim plane omnis quid facit, qui Domini voluntatem non facit. Neſcit quo fugit, qui Dominum fugit. Et propterea in deſerto, ait Scriptura, & in ſolitudine oberrabat, ſicut iam eos omnes, errare, & oberrare oſtendimus, qui à facie Dominæ ſuæ, matris ſuæ Eccleſiæ Catholicæ profugerunt. Tulerunt Dominum meum, ait Magdalena, & neſcio vbi poſuerunt eum. Quæſo te, Nonne illis iam illud Haggei competit? Seminaſtis multum, & intuliſtis parum. Comediſtis, & non eſtis ſatiati. Bibiſtis, Cap. 1.
& non eſtis inebriati. Operuiſtis vos, & non eſtis calefacti. Reſpexiſtis ad ampli? & ecce factum eſt minus. Acceſſiſtis ad aceruum viginti modiorum, & facti ſunt decem. Intraſtis ad torcular, vt exprimeretis 50. lagenas, & factæ ſunt viginti. Intuliſtis in domũ, & exſuflaui illud.

Seminaſtis, ò Miniſtri, magnifica promiſſa, quod eſſeris reformaturi Eccleſiã, ita vt omni ruga, maculaq; careret, & Babilonem fabricaſtis. Comediſtis panem in Cæna, & Chriſti corpore non eſtis ſatiati. Bibiſtis calicem, & ſanguinẽ Domini nõ guſtaſtis. Operuiſtis vos templorum ſpolijs, & in mendicitate viuitis. Intuliſtis in domos veſtras bona Eccleſiaſtica, & nunc (vt veſter quoque Lutherus loquitur. Die Ritter gutter, haben die kirchen gutter gefreſſen.) Bona Equeſtria deuorarunt bona Eccleſiaſtica. Putaſtis quod agri Deo ex ſeruis eius donati, viginti vobis darent modios, & ipſi vix dant decem. Quod ex torcularibus veſtris exprimeretis quinquaginta lagenas, & factæ ſunt viginti. Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus, Sacramenta promiſiſtis, iuxta Chriſti, & Apoſtolorum inſtitutionẽ miniſtrare, & alia

quidem

quidem reprobastis, alia castrastis. Imaginum cultum ab abusu repurgare voluistis, & vos omnes Sanctos contempsistis. Ministros verbi promisistis Dei Apostolis similes, & ipsi sunt vitiosa nuce vitiosiores. Ad libertatem omnes vocastis, & in vilissimorum hominum seruitutem conieciſtis. Solidam de Deo doctrinã proclamastis, & vel ipsa asina Baal, posset esse vestrorum Magistra Magistrorum. Multa possunt dici in hoc genere, quæ lector Deum timens, & cor habens cogitabit. Quam ob causam dicit Dominus Exercituum? Quia domus mea deserta est, & vos festinastis vnusquisque in domum suam. Si posueritis facies vestras, ait Hieremias, vt ingrediamini AEgiptum, & intraueritis vt ibi habitetis, eritis in stuporem, & in maledictum, & in opprobrium: gladius, quem formidatis, ibi comprehendet vos. Fames, pro qua estis solliciti adhærebit vobis, & ibi moriemini. Sicut vicissim Catholicis accidit, quod idem promittit. Si quiescentes manseritis in terra hac, ędificabo vos, & non destruam, plantabo, & non euellam. Manserunt in terra sua Catholici, & magna est (Christe bone tibi laus, & gloria) tam in Præpositis, quam in Subditis ædificatio consecuta: in timore Domini, in cultu Dei, in zelo, in pietate, in Sacramentorum frequentatione, in templorum ornatu, in eleemosynis, orationibus, pauperum amore, Hospitalium cura, conscientiarum examine, & his similibus. Vt aurum in igne, splenduerũt in tantis tempestatibus Catholici, cũ vicissim, vt palea, fumos dederint Euangelici, sicut cœnum, & vnguentum, pari motu agitatum, illud horribiliter exhalat hoc suauiter fragrat. Ponant corda sua super vias suas Euangelici, ex illa die, & in futurum. Ita se rem habere perspicient. Reflorescere quodammodo, pristinamque suam viriditatem recuperare iam videntur, illi qui languebant Orthodoxorum animi. Qui vel vnius societatis IESV, cuius hodie laus est in Euãgelio, Prouincialia Diaria inspexerunt, minora nos de magnis loqui perspicient.

Cũ è contra apud eos, qui in Aegiptum ingressi sunt, vniuersæ pietatis consecuta sit destructio. Quid pietatis? Vniuersæ fidei ipsissimũ occasum, in hoc, quod sequitur capite ostendemus.

Trismegistus in De Veritate.

HABENT quippe omnia falsum quid, in mutatione. Nihil enim quod non manet in se ipso verum est, omne quippe quod alteratur, falsitas est, non manens in quo est.

Et in De Pietate, & Philosophia.

QVOD semper fit, semper etiam corrumpitur. Quod semel factum est, nunquam corrumpitur.

Secta-

Sectarum huius ſæculi Cathalogus.

A

Accidentarij.
Adamitæ.
Adiaphoriſtæ.
Adeſſenarij.
Aegidiani.
Aeriani.
Ambroſiani.
Amniſtitę.
Amſdorphiani.
Anticaluiniani.
Antichriſtiani.
Anabaptiſtæ.
Angelici Doctores,
Antidæmoniaci.
Autimariani.
Anticatholici.
Antidiaphoriſtę.
Antinomi.
Antipapiſtæ furioſi.
Antipapi.
Antioſiandrini.
Antiſuencfeldiani.
Antiſtancariani.
Antitrinitarij.
Antiſturmiani.
Apoſtolici.
Apologetici.
Arriani noui.
Arrabonarij.
Auguſtiniani.
Antilutherani.
Authotheani.
Atheiſtæ.

B

Battemburgici.
Belliani.
Bezani.
Bibliſtæ.
Bideitæ.
Biſacramentales.
Bifidi.
Blandratiſtæ.
Boquinij.
Brentiani.
Bucerani.
Binderliani.
Budnæi.

C

Cacangelici.
Calixtini.
Caluiniſtæ.
Caluinomaſtigæ.
Caluiniſtæ Pacifici.
Caluiniſtæ Cauſsarij.
Caluiniſtæ Liberi.
Caluinopapiſtæ.
Colloquiſtæ.
Campaniſtę,
Carolſtadiani.
Cœleſtes Prophetæ.
Cathari.
Cenſores,
Centuriatores.
Chriſtodini.
Chriſti familia in domo charitatis.
Chriſtini.
Circumciſi.
Colludentes.
Communia habentes.
Commutatores.
Clancularij.
Condormientes.
Confœderati.
Confeſſioniſtæ Auguſtani.
Confeſſioniſtæ quatuor Ciuitatum Zuingliani.
Confeſſioniſtæ noui.
Confeſſioniſtæ prouinciales.
Confeſſionis Auguſtanæ Aemuli.
Concordiſtæ.
Confeſſioniſtæ recalcitrantes.
Conniuentes.
Conſiſtoriales.
Conſubſtantiatores.
Currus ſtercorum.
Coturnifices.

D

Dauid Gregoriani.
Dæmoniaci.
Deiſtæ.
Dei Terreni.
Defertores.
Diaboliſtæ.
Duitæ.

Ebe-

E

EBeriani
Ebionitæ noui.
Extatici.
Eiulantes.
Eleutero Baptistæ.
Energici.
Euthusiastæ.
Essentiatores.
Euchitæ.
Euangelici.
Eutichiani noui.
Examinatores.
Extrauagantes.

F

FArelliſtæ.
Fanatici.
Figuriſtæ.
Flacciani, vel Illyricani.
Fratricelli.
Fratres amoris.
Frontones,

G

GEusij.
Gentiliſtæ.
Gnoſtici.
Goetæ.
Gribaldi.

H

HHamſtedei.
Heſuſiani.
Hofmanici, alias Melchioriſtæ.
Hortenſes.
Hugoniſtæ.
Hutti tæ.

I

IConoclaſtæ.
Ienenſes.
Impeccabiles.
Infernales.
Infernales alij.
Interimiſtæ Cæſarei.
Interimiſtæ Lypſici.
Interimiſtę Francici.
Inuiſibiles.
Iſcariotiſtæ.
Iudaiſantes.
Iudeo Trinitarij, ſiue Iudęi circumciſi.
Iudeochriſtiani.
Iuſtificatorij.

L

LAicocephali.
Laſcani.
Libertini.
Libertini ſecundi generis.
Libertini tertij generis.
Liberi fratres.
Linguatarij
Loiſtæ.
Lutherani
Lutherani molles.
Lutherani rigidi.
Lutheropapiſtæ.
Luthero Caluiniſtæ.
Lntheroſiandrini
Lutherozuingliani.

M

MAioriſtæ.
Machiauelliſtę.
Macedoniani noui.
Maieſtatici.
Mannarij.
Manichæi noui.
Manifeſtarij.
Manus Impoſitorij.
Mansfeldenſes.
Martyriani.
Maſſiliani.
Mediaſiandrini.
Mediatores, ſiue Moderatores.
Melanthonici.
Memorialiſtæ.
Mennonitæ.
Metaphoriſtæ.
Methonimici.
Molinei
Monaſterienſes.
Muntzerani.
Muſculani.

N

NEarriani.
Neſtoriani noui.
Neutrales.
Nicodemici.
Nudipedes.

O

OChiniani.
Oecolampadiani.
Occulti occultorum.
Ollarij.
Opinatores.
Orales.

Orantes.
Osiandrini.

P

Pacificatores.
Pacifici.
Parlamentarij.
Paschatitæ.
Pastoricidæ.
Pastillarij.
Paulini.
Pelagiani noui.
Piccardi.
Pneumatomachi.
Prædobaptistę.
Pfefingeri.
Pœnitentiarij.
Polygamistæ.
Polytici.
Postellani.
Præmonstratenses.
Protestantes Spirenses.
Protestantes Anglici.
Psalliani.
Pseudoecclesiastæ.
Pseudoeuangelici.
Pueris similes.
Puritani.

Q

Quadrisacramentales.
Quintinistæ,
Quadritheitæ.

R

Reformatores.
Richeriani.

S

Sabbatarij.
Sacerdotales.
Sacramentarij.
Sacramentarij Clancularij.
Samosatenici noui.
Sanctuli.
Sanguinarij.
Sathanistę.
Saxonici.
Schapleri.
Scholarchæ.
Scismatici.
Semiarriani.
Semichristiani.
Semiiudæi.
Semilutherani.
Semiosiandrini.
Semitransubstantiatores.
Separati.
Sepulchrales.
Seruetiani.
Significatiui.
Silentes.
Sortiarij.
Somniantes.
Spangebergici.
Spirituales.
Stancariani.
Stebleri.
Stembergenses.
Substantiarij.
Suencfeldiani.
Suencfeldiani Spirituales.
Suistæ.
Syncretisantes.
Synceri
Synodici.

T

Tacentes.
Temporales.
Transconditionatores.
Trinitarij, seu Trideistæ.
Trisacramentales.
Tropistæ.
Turcochristiani.
Triousiani.
Tigurini.

V

Valdenses.
Vbiquitarij.
Vinarienses.
Vncti.
Vergeriani.

Z

Vingliani.
Zuingliocaluinistæ.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

Euangelicorum multæ fides, ad hoc esse cæperunt, ne vlla sit. Itaque omnes à Lutheranismo ad Atheismum, & Epicureismum, vt Sphera ad centrum, vel eunt, vel peruenerunt.

Hierem. 23.

In nouissimis diebus intelligetis consilium eius.

Ioel. 1.

Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate.

Psal. 14.

Dixit impius in corde suo, non est Deus.

Prouerb. 18.

Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit: sed sequitur eum ignominia, & opprobrium.

ABYSSVS Abyssũ inuocat, ait Scriptura. Lutherus peperit Carolstadiũ, Carolstadiº Zuinglium, Zuinglius Caluinum, Caluinus Seruetum, Seruetus Blandratam, Blandrata Ochynũ, Ochynus Budneum. Ex his porrò nati sunt partim Machometistæ, partim Atheistæ. Ad hoc enim, ait Athanasius, cæperunt esse multa numina, vt nulla sint numina: ad hoc multi dij, vt nulli sint dij, ad hoc multæ fides, vt nulla sit fides. Plato quoque diuinus, multitudinem Deorum nullitatem Deorum, multitudinem religionum, nullitatem esse vult religionum. Sic accidit apud Euangelicos. Indulgentiarum, & aquæ benedictæ contẽptum, secuta est imaginum euersio, Imaginum euersionem Sanctorum despicientia, Sanctorum despicientiam Scripturæ perturbatio, Scripturæ perturbationem Sacramentorum diminutio, Sacramentorum diminutionem Symboli confusio, Symboli confusionem Trinitatis contumelia, Trinitatis contumeliam Dei negatio: & certè nemo isto nostro sæculo visus est, qui ad istum impietatis verticẽ non per istos gradus ascenderit. Nemo enim repente fit summus, ait Bernardus, nec volando, sed ascendendo scalæ summitas apprehenditur. Quemcumq; igitur Trideistam, & Atheistam aspexeris, eum per scripturarum parietinas, per Sacramentorum reliquias, per Symboli ruinas ascendisse putabis: ijsdem plane vestigijs, ijsdemq; omnino gradibus, quibus impium ad impietatis apicem ascendere consue-

consueuisse, mellifluus testatur Bernardus, vbi duodecim superbiæ, quæ mater est Hæreticorum omnium, gradus enumerat: quos hoc loco libet recensere, vt omnis qui legerit, & Deum negare noluerit, atque ad Atheismi memoriam horruerit, caueat omnino vel primæ vestigia in istius scalæ gradibus ponere.

Primus est curiositas. Cum superba præsumptione, grex Euangelicorũ à Luthero doctus indagare cœpisset, cui bono in templis aqua benedicta proponeretur. Cur Ecclesia panem, candelas, vinum, auenam, ignem, fructus, & similia benediceret. Cur doctrinã de Purgatorio doceret. Cur Sanctorum imagines altaribus imponeret, vbi Missæ, vbi Trinitatis, vbi essentiæ, personæ, vocabula, in scripturis ostenderet.

Secundus gradus, Leuitas animi. Cũ de eo dubitare cæperunt, quod scriptum illis quibus volebant verbis, non inuenerunt.

Tertius, inepta lætitia. Cum se isto sæculo verum scripturæ sensum inuenisse gauderent, quem per 1500. sæcula nemo nisi hæreticus viderat.

Quartus, iactantia. Cum se solos sapere sibique arrogare, cæteris omnibus scripturarum intelligentiam adimere ausi sunt: nouos sese Elias, Enochos, Euangelistas, Gedeones, Ecclesiastes, Paulo doctiores, Maria meliores, & id genus, appellantes.

Quintus, singularitas. Cum suã quisque fiduciam strueret, deque suo nomine vocari discipulos cuperet Lutheristas, Caluinistas, Ochinistas, &c. nec vllius iudicio, vel authoritati quicquã tribuendum, nec vlla prorsus in re cuiquam mortalium cedendum putaret.

Sextus, arrogantia. Cum quod se esse putant vbiq; prædicant, & omnia sibi supra omnes alios arrogant.

Septimus, præsumptio. Cum suæ infirmitatis obliti ipsam veritatis, & pietatis arcẽ occupasse se præsumunt, Patres, Concilia, antiquitatem, vniuersitatem, consensionem pili non facientes, nec vllius præceptoris Scholam ad perdiscendum fidei tramitem ingrediendam putantes.

Octauus, defensio peccatorum. Cum errores, quos ob præsumptionẽ non agnoscunt, & diuinarum, & humanarum legum authoritate, tanquam ipsissimam veritatem defendere contendunt.

Nonus, simulata confessio. Fit enim aliquando, vt se nequiter humilient sicut habet Ecclesiasticus, cum tamen interiora eorum plena sint dolo. Ita Lutherani in doctrina de Trinitate nequiter se humiliant Ecclesiæ. Cum tamen vellẽt ne memoriam quidem superesse Ecclesiæ. Ita se Christum confiteri, pro Christi gloria agere, pro Christo viuere, pro Christo mori vociferantur: cum tamen Christi fidem omnibus vestigijs persequantur.

Decimus, rebellio. A simulatione vir tutis facilis est transitus ad intermissionẽ virtutis. Nihilo, est enim propius, quod non est, sed esse simulatur. Ita videmus Euangelicos verbo Dei tandem rebellasse quia simulatè tenebant, Deo repugnasse, quia simulate colebant. A veritate defeciisse, quia simulatè quærebant. Qui obedientiam Principi suo simulat, aut est, aut propè rebellis est. Quia fidem Christi simulatè, vel sicut in Patria loquimur per caudam tenuerunt, fidem amiserunt. Seruus quem non amat facile domino rebellat.

Vndecimus, libertas peccandi. Eam Euangelici, & armis extorquere, & legibus stabilire contenderunt. Inde natum est Interim Augustanum, fœdus Smalcaldicum, fœdus Bernense, & apud nos Confederatio. Volunt habere omnino Euangelici pereundi licentiam, & si quis obsistat vim fieri verbo Dei vociferantur.

Duodecimus, est Consuetudo peccandi. Impius, ait Scriptura, cum in profundum venerit contemnet. Ita Euangelici in errore viæ suæ longo tempore confirmati errores non agnoscunt, sicut longis febribus exossatus, ipsam amplius febrim vix intelligit.

His itaque gradibus ad impietatis arcem ascenderunt Euangelici, vt dicerent in corde suo, non est Deus. Nam cũ aliud hodie, cras aliud, aliud hic, aliud alibi, aliud stantes, sedentes aliud, crederent, consequens erat, vt nil crederent, & fierent

rent in populum Asotiorum.

Hieronimus, mille in locis, per omnia similes esse vult Hæreticos Idololatris. Irænæus Ethnicis peiores vocat. Epiphanius vero in Ancorato, longe adhuc esse vult dereriorem hæreticum homine plane infideli. Incredulitas enim, ait, fidem accipiens corrigi potest, fidei vero peruersitas incorrigibilis est, & ægrè saluantur, nisi sane donum, & gratia aliqua è superis accesserit.

Athanasius autem Hæreticos, & Gentiles appellat, & animum plane Ethnicũ habere affirmat, & Pharaenes, Hærodes, & Pilatos vocat, idque illis quod Idololatris accidisse testatur, qui à statuis, & imaginibus charissimorũ hominũ quas honorabant, ad hoc insaniæ genus peruenerunt, ut serpentes pro Deo colerent. Quid serpentes, quos rerum natura generat, ea quæ nusquam sunt, nec vnquã in rerum natura visa sunt, mente, & cogitatione effinxerunt, numinaq; fecerũt: Deos quosdã Canicipites, Serpenticipites, Asinicipites, vt Aegyptij. Iouem, Amon, Veruecino capite, vt Lybes. Ita Haretici, ait, primis secunda, secundis tertia, ac deinde posteriora quæque efferatiora excogitarunt, eoque processerunt, vt ipsum etiam verum ac legittimum, reque ipsa Deum, & Christi Patrem reijcerent: atq; ad hoc quotidie multas fides effingerent, ne ulla sit: idque ex ipsorum Euangelicorum testimonijs ostendemus, quod eẽs illorum assectæ, aut sunt, aut fiunt Athæistæ, atque ad hoc centrum veluti Sphera quędam properãt, ut dicant in corde suo. Non est Deus: sedeantque, vt olim filij Israel, sine Rege, sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Seraphin, & quod consequens est, sine Deo.

Narrat Hosius, & Genebrardus testatur, editum fuisse ab Euangelicis librum quendam, suppresso tamen Authoris nomine, cum hac inscriptione. De tribus orbis impostoribus, Mose, Christo, & Machometo, tantamque eius impietatem, ait, extitisse, vt à plerisque Euangelicis Principibus, qui tamen Christiano homini libera esse, volunt, & fidem, & reliqua omnia, ferri, tollerarique non potuerit: sed statim, vt in lucem emerit suppressus sit, ne mortalium animos omni in vniuersum religione solueret, & quod consequens erat: in ipsos Principes arma subditorum irritaret. Supprimi tamen in Gallia non potuit, vbi nimis multum, ait Genebrardus, multorum manibus teritur.

Caspius Franken Saxo, cum Germaniam, Vngariam, Flandriam, & Helueticos Cantones peragrasset, & cum Euangelicis Rabinis, qui doctorum virorum opinionem assecuti videbantur, de fidei controuersijs contulisset, omniaq; apud omnes incerta inuenisset. In Poloniam quoque veniens, arcem tandem eius doctrinæ, quam Euangelici profitentur, occupauit. Theses enim quasdam Cracouiæ edidit, quarum hæc erat summa. Nihil esse, nec quicquam excogitari potuisse rationi humanæ, communique sensui magis aduersarium, & contrarium, quam id quod in uniuersum docet Fides Christiana, quam tamen blasphemiam apud Patres Societatis IESV in Ecclesia Sanctæ Barbaræ, non ita multo post, me præsente, recantauit: sed non ita multo post, ad vomitum redijt.

Frãciscus Dauidis Claudiopolitanus, Thesi quinta, Religionem Christianam ad Hyerosol. tantum excidium perdurasse affirmat, nec locum nisi ex parte habuisse in orbe, aut habituram esse, donec IESVS iterum ad nos redierit, & in hoc mundo in ipsa Vrbe Hyerosolima instaurata, supercarnali populo Iacob, vt cæteri Reges terræ solent, iustissimè tamen, & sanctissimè regnauerit.

Narrat præterea Genebrardus, in sua Chronologia, quod quidam Natalis Iornett. Ludimagister Caluinianus in ciuitate Metensi librum conscripsit contra Patriarchas, & Prophetas, Apostolos, eos vt Impostores, & falsarum religionum authores, traducens.

Gulielmus quoque Coubrigius, vt habet Alanus in Dialogis, docuit in Anglia Christum non esse mundi redemptorem, sed deceptorem, Christi no-

nomen esse fœdum nomen, & propterea illud ex omnibus libris suis expunxit, vniuersos præterea, qui in Christum, & nomen eius crediderunt, esse damnatos affirmat.

Ioannes Sturmius in tertia parte Antipapi 4. quam inscripsit Antiproemium. Inter alios sex detestandos errores, quos Concordiæ Bergenſi, & eius sponſis Pappo, & Osiandro tribuit, ad hunc eos Colophonem peruenisse testatur, vt omnem fidem ludibrium putent. Ait enim, cœlum cœli somnium illis est, Infernus phantasma, cœlum, & Dei, & Diaboli, habitaculum est.

Ioannes Vetus vir doctissimus, & mihi amicissimus, testatur fuisse Geneuæ Ministrum, in Ecclesia, quam Italicam vocãt, qui suadebat docendos esse populos, animam cum corpore extingui, si simul omnem Papatum extinctum vellent.

Hedio, scribens ad Philippum, testatur Sathanam callidum, ita varie multos suo tempore exagitasse, vt dum iam hoc, iam illud crederent, postea nil prorsus crederent, & euaderent in populum Asotiorum.

Vigandus Atheistarum genus tam esse frequens inter suos Euangelicos testatur, vt in libello, quem de Deo, contra Arrianos nouos in Polonia edidit, nouẽ rationes afferendas putauerit, quibus probat esse Deum, qui videat, sustentet, atq; gubernet res humanas.

Vitigistus, Anglus Caluinista, scribens contra Puritanos grauiter queritur Angliam suam plenam esse Atheistis.

Viretus testatur reperiri non paucos ludi Magistros Epicuri de grege porcos, qui in Scholis soliti sunt occinere, Mens perit, & Corpus vereque beatum illum prædicare, qui vt est apud Virgilium.

Metus omnes, & inexorabile fatum.
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari.

Ochynus in Polonia libris editis, vocat in dubium. An aliquis sit adorandus Deus, & an illi curæ sint res mortalium.

In libello Parisien. de Regis abdicatione, fit cuiusdam Principis mẽtio, qui Capucinum quendam de rigore vitæ, atque professione interrogans, hoc sermonem conclusit Epiphonemate. Id verò fieri non potest, vt sit vnus Deus.

Alter quidam aulæ Parasitus, loquens de fratre Anglo ex Buchijagij comite facto Capucino, Papæ ait, quam deceptus est opinione sua Angelus, si neque Deus est, neque Paradisus.

Myronius quoque religioso quodã viro de pœnis inferni coram Principe disserente. An credis, ait, ò Prnceps infernum esse?

Alphonsus Pisanus, testatur inuentum esse Cracouiæ hominẽ, cuius nomini parcit, qui in publica Euangelicorum disputatione, Deum negauit.

Lambertus Danæus Castallioni tribuit, quod Iouem inuocauerit. Citat Iordanus.

Nos quoque Parisijs cum essemus, audiuimus inuentos esse Euangelicos, qui vno, & altero à Ciuitate miliari Bacho, & Veneri thure in ignem proiecto, sacrificabant.

Narrat Iordanes, in versione Gallica Bibliorum frequentissime, nomen Iechoua, in nomen Iouis, siue Ioua cõmutari.

Bezæ quoque tribuit, quod in cunctis suis Cantilenis Iouam, Iouemq; occinat, licitumque esse velit dubitare, de rebus non modo vtilibus, verum etiam necessarijs, quale est, an Deus sit. Citat etiam ex nuncupatoria eius Epistola quam præfixit libello quæstionum, & responsionum, Christianorum, hæc verba. Etsi enim illa Academicorum ἀκαταληψία, nostræ persuasioni ex Diametro repugnans ex Ecclesia prorsus explodenda est: & inanis curiositas, valdè reprehendenda, in hac tamen humani iudicij imbecillitate, iudicio dubitare de rebus necessarijs, & vtilibus, non tantum licere, verum etiã oportere, modo eorum similes non simus quos dicere consueui semper quærere, vt nunquam inueniant.

Ioannes Spangebergius, in libello, cui titulus. Verax narratio beneficiorũ, &c. Postquam, ait, ad mirabili quadam, & singulari gratia Antichristianismi siue Papatus horrenda mendacia ac doli, deceptiones que manifestatæ sunt, incipiunt iam homines nihil amplius credere: & postea quam à vinculis Papatus se liberos esse vident, volunt etiam esse liberi, & soluti,

ab Euan-

ab Euangelio, & à Præceptis Dei, & volunt, vt deinceps rectum sit, & iustum, quicquid vnicuique visum fuerit.

Testatur liber Parisien. inueniri in Gallia homines Magicæ impietatis studiosos eosque ipsis etiã Ethnicis deteriores, quia cum illi aliquem tamen Deum arbitrantur, isti eum esse dæmonem non ignorantes, eiurato nihilominus omni, quod dicitur Deus, pollutisque sacris omnibus, fidem omnem abnegantes, honore, cultu, votis, obsequio prosequuntur, eo vsq; dejecti Vesaniæ, vt sub teterrima hirci specie in parte corporis obscæniſſima, eum oboſculentur. Quamobrem vocat eos διαβολοβρησκας seu διαβολολαθρας id é cultores, vel adoratores diaboli, seu mauis vno vocabulo, diabolitas, seu diabolistas. Cap. vero 18. lib. 2. testatur fuisse sub Carolo nono Cænomanum Destalæum primi nominis diabolistã, cum alijs centum, & quinquaginta primæ notæ, ac Nobilitatis in Gallia viris, & fœminis. Repertus etiam est Paribjs Anno 1578. execrandæ societatis libellus, in quo diabolistarum nomine, Christianissimi eiurationes ritus, & blasphemiæ continebantur, eorum Archimistes, & cæremoniarum Magister homo in cælix corpore, atque mente cæcus, vnus pro omnibus suspensus est: Solenne est huic societati, quicquid in Deum blasphemiæ dici, aut congeri potest, dicere. Nec desunt qui referant, & ex ipsorum confessione acceptum cõmemorẽt, quod istorum Docetarum, seu diabolistarũ numerus ad 6000 millia, eoq; amplius, in sola Gallia excreuerit, ita obcæcatorum, vt gloriari non dubitent, se esse diaboli charactere insignitos, imo vbi vinum incaluit, detestabile Symbolum illud, nudata carne, iucunditatis causa, ostendere non verentur.

Meminit, & de coniectis in ignem Lutetiæ infantibus sine baptismo, vt indè Sathanæ sacrificium fieret, idque ex quadam obstetrice intellectum, quæ se que rebatur domo sua cum infantulo recens nato, in tenebris per vim raptam, oculis velatam, curru per vrbem circumductam, vt nesciret quo pergeret, in cubiculum introductam, infantulum recens natum, præsente infœlice matre, morituram nisi faceret, coactam esse in ardentem rogum inijcere, & crudele morientis infantuli spectaculum intueri.

Meminit etiam Cap. 29. cuiusdam Atheistarum Idoli in secreto deuotionis Hieronimitanæ adito, quod ad castrum Vicenarum, tertio ab vrbe Parisien. miliari constructum est à Ciuibus Parisien. inuenti. Crux erat aurea puluinari serico affixa, vitalis, vt creditur, ligni partẽ habens, duobus hinc inde circumdata (dictu horrendum) confectis ex argento in aurato capri pedibus, villosisque tæmoribus, Satyrorum seu dęmoniorum figuris, tergo ad crucem verso, vascula e Cristallo, atque in ijs nescio quid execrandi pulueris gerentibus.

Et lib. 2. cap. 10. testatur idem liber, Galliam vniuersam Atheistis, & Polyticis esse plenam, qui sese viros frugi nominant, & Regis sui seruos, nude, & simpliciter profitentur. Dei seruum, si quis se dicat, corrugata fronte vix audiunt, ac vt amentem, & furiosum amerisantur: & vt pelli saltem suæ, quicquid de anima fieret, prospiciant, parendum esse in omnibus docent Regis sui voluntati. quid quid tantem ille velit, atque præcipiat, atq; ad id teneri omnes affirmãt. Atheos autem expresse, & nominatim vocant Dehum quendam, & Domuncium.

Narrat Hosius post mutuam Euangelicorum inter Euãgelicos colloquio Malburgen. disputationem, & excommunicationem institutam. Ad extremum fuisse quandam quæstionem de Cœlo, idque etiam, ait, nimium altercando perdiderunt, ita vt prẽter infernum, nihil reliqui post mortem superesse fateantur.

Audiuimus etiam de quodam Leuan in Lithuania, qui ex Iudeo Christianus, ex Christiano Zuinglianus, ad extremum factus plane ἄθεος in sua infidelitate mortuus est.

Ante biennium Protestantes Caluinistæ, Puritanum quendam, nomine Kett, è Prouincia Noruegen. flammis vltricibus corrigendum, & dedocendum obtulerunt, propterea quod Christum in rerum natura fuisse negabat, etsi concederet eum Christum, quem passim orbis profitetur, & fuisse in terris, & ea docuisse, quę

noui Testamenti libris cõtinentur, necessariò fidem esse præstandam omnibus ijs, quæcumque docentur, in Papatu.

Carnis etiam resurrectionem negabãt, quia Christus pro nobis resurrexit. Iehoua quem Iudæis locutum scripturæ testantur, non Deum, sed dæmonem fuisse, affirmabat.

Iordanus Theologus Parisien. in sua responsione, Danæum Euangelicum Ministrum, Paganum Poetam appellat, Iouis inuocatorem, & cultorem, & Pagano miseriorem: Atheum, quod neque vllos gentium Deos recipiat, neque Christianorum Deum, hoc est Sanctissimam Trinitatem credat, aut inuocet. Idem citat Valleum quemdam Euangelicum Ministrum, quod apertè Atheismi patrocinio, & professionem susceptisset. Ait enim. Soletis vos plerumq; omnem religionem deserere, & vos vel Machometismo, vel Atheismo affigere. Sic enim Blandrata, e Caluinita, abiecto omni Christi sensu Machometanus euasit. Sic Valleus ex Gæneuensi initiato: discussa omni religione, Atheus extitit, & postquam pro Atheis scripsisset in Malbertina platea superioribus annis incendio consumptus est.

Castallio quoq;, in scripto, de Dei prædestinatione, Bezam, Caluinumq; acerbissime obiurgat, eosq; planè impios demonstrat, & prophanos, quod verbo saltem fatum tollerent, re ipsa expressius stabuerent, quam vlli vnquam Stoici, quam vlli vnquam Athei.

Martinus Bialobrzescius Episcopus Cameneceñ. in Confessione sua de vno Deo, narrat audiuisse se ex quodam Nobili Polono non postremæ familiæ, quod Euangelici Ministri inter alios multos hunc quoque articulum ad eredendum sibi tradiderunt. Animam separatam à corpore non mori quidem, neque corrumpi, sed circa corpus obdormire vsq; ad nouissimum diem; in illo autem die resuscitabitur pariter cũ corpore, & sistet se ante Iudicium Dei. Cum autem quererem ab illo, quo testimonio scripturæ hanc Confessionem suam confirmaret, allegabat illa loca scripturæ, quæ mortem somnum vocant. Sed cum ostensum esset per me, scripturam allegatam illi minime suffragari posse, quoniam in somno corporis non dormit anima, immò vigilat, vt superius ostendimus: ille respondit de cœlo diuinitus esse ministris suis reuelatam hanc doctrinam: ne à vobis, ait, Papistis vltra seducamur: terrebatis nos anima passibili, & excogitastis illis varios cruciatus. Itaque Deus sua inspiratione ostendit nobis hæc omnia vana esse.

Georgius Ederus, in secunda parte Inquisitionis Euangelicæ, testatur cursum omnem Hæreticarũ fabularum ad Paganismum, tanquam ad centrum suum properare, idq; ait, non ita pridem in duobus Caluinisticis prædicatoribus Heildebergæ obseruatum est, quorum vnus ob Atheismum gladio percussus, alter Cõstantinopolim profugus, ibique Mamalucus factus est.

Possevinus eruditissimus Theologus ad Sereniſſimum Stephanum Poloniæ Regem scribẽs his verbis vtitur. Audi Rex id, dequo Deus scit, quia non mentior. Cũ Geneuam, ex Galliæ Prouincia Massilienſi, abducta ab hæreticis fuisset adolescentula, Missam detestari est iussa, quę dæmone deinde suggerente, ipsum etiam Deum apertius conceptis verbis, traditaque dæmoni Schedula, pernegauit. Ex eo tempore cum incubis rem habere, & facinora quæque committere, ac publice testari cæpit. Vbi in eandem Prouinciã redijt neminem à se præter Sathanã agnoſci, aut coli dicebat. Itaque ne ipsius quidem Dei nomen pronuntiare voluit, coram senatoribus his, qui forte adhuc Auenione superstites sunt, quique cum apud sese iudicium de illa haberent, totius rei seriem in Acta publica retulerunt, tandé exorato Deo resipuit, & cum quadraginta dies ad supplicium, quo fuerat mulctata sese pararet, miratam esse diuinam erga se clementiam, quam lachrimis ante iudicum subsellia, extollens, Sacramentis expiata ad locum supplicij accesſit. Quid Deus optime (cum, & ipse adesse) retulit de Hæreticorum fallaciſſimis fraudibus mulier moritura, & mortem (vt diuinæ iustitiæ Christo miserante satisfaceret) non detrectans, cum tamen haud difficile ex custodia potuisset aufugere.

In eadem Epistola, recitat Possevinus, quod

quod in Vngaria ante paucos annos acciderat. Caluinianus quidam Minister, Præfectum Turcarum vrgebat, vt sectam ipse suam captiuis Christianis sine periculo posset exponere, asserens, Hæreticorum, id est, suum Euangelium Alcorano siue Machometi legi non adeo esse dissimile. Sanctorum enim, aiebat, virorum qui sunt in Cœlis preces, purgatorium item, & alia, (vti vos Machometani facitis) nos quoque Caluiniani negamus. Antiquas bibl othecas, & Synodorũ memoriam, vti vos feciſtis, ipſi etiam sustulimus. Quod edixit Machometes, ne quis aduersus suam legem disputaret, eam vero iureiurãdo obstrictus fateretur, id nos item Geneuæ cauemus. Nam vel ex pueris nouam fidei nostræ confessionem, à nobis tantum æditam, extorquemus: & hos quamuis quod recitant non intelligant, ad præstandum tamen iusiurandum cogimus. Plures aliquando vos Machometani vxores, aut concubinas ducitis. Et nos Caluiniani mulierem, superstite licet marito posse seiungi, & cum alio viro coniungi (alteram licet habeat hic vxorem) non ita ingens facinus arbitramur, Sacraria templaq; in Synagogas, siue Moscheas mutastis, aut detraxistis. Nos quoque Sacrarijs direptis, eadem vel in nostra confistoria, vel in equorum stabula vel armentaria conuertimus, ac denique solo æquauimus. Scripta de virginitate, deque alijs eiusmodi Apostolicę Ecclesię vestigijs, non agnoscitis, nec vero qui virginitatem voueant habetis. Nos item Caluiniani, nihil vnquam pro virginitate, cæterisque huiuscemodi rebus in lucem edidimus, quin vero, & Cœnobia virginum antiquissima erasimus. Conscientiæ libertatem vnicuique in vestris ciuitatibus permittitis, hanc nos quoque & à Regibus, & à Rebuspub. vel armata manu exigimus, nisi quod in nostris locis nemini eandem libertatem concedimus: ac ne Catholicum quidem librum retineri libẽter sinimus. Ad hæc Turcarum præfectus, quem Bassam vocant. Quin, ait iam vos Caluinianos, & nos eosdem breui futuros videos: nisi quod reliquo nobis aquæ potu, vos tamen vinum omnino retineri, eoq; inebriari voletis.

Prodijt Cracouiæ libellus 1588. cuius hæc est inscriptio. Symonis religio, incerto authore. In eo de Simone loquuntur hæc verba, Simon in libro diuulgato Vilnæ, apertè, vt docet, suæ religionis fundamenta, non vult Deum esse animum, aut mentem, siue intelligentiam, non motorem, vt Peripatetici tradunt: sed quendam calorem. Quamobrem, ait, cœlum veneramur ac terram: illud quia sit genitor: istam quia omnium mater. Et concludit author. Hoc est ergo Symbolum Simonis Theodorianum. Credo in tria, cœlum atque terram. In cœlum Patrem, atque creatorem omnium. In terram rerum omnium matrem, atq; nutricem. Et in cœli formam omnia sentientem, & intelligentem. Ede itaq; ait, bibe, lude, iam Deus figmentum est. Addit præterea, folio 9. infrascripta verba Simonis, ex pagina 47. & 51. libri sui Vilnensis. Cœlum genitoris loco, terram autem matris rerum omnium materiatarum veneramur: non motrix intelligentia, sed viuificus calor est cœli forma, & causa perficiens, cœli calorem, ne cum Hypocrate libro de carnibus, vocem omnia intelligentem, ac scientem præterita, & futura, religione ipsa impedior. Hoc tamen dicentibus, quod Hypocrates dixit, non repugnabo. Si dixero in actione nonnihil affici ab inferioribus Cœlum, ero idcirco læsæ Maiestatis reus. Minime vero domine Timo Simoni.

Extat impressum Coloniæ colloquium habitum Anno 1590. inter Gasparum Vlembergium Sacerdotem Catholicum, & Ioannem Rodingensem Caluinianum. Testatur in eo Vlembergius Ioannem Siluanum, & Adamum Neuserum, primarios Caluini sectæ Ministros, non tantum ex Caluinianis Arrianos factos esse, & ex Arrianis Machometanos: verum etiam Concionatores aliquot sub Electore Palatino, causæ suæ clam fauentes habuisse. Quin, & amicitiam, ait, contraxerunt cum Turcarum Sacerdotibus, & datis, acceptisque vltro, citroque literis Machometanam perfidiam in Germania quoq; propagare conati sunt.

Idem

Idem confirmat in eo libro, in quem ante dies aliquot incidimus, inscriptum, Graues, & iustæ causę, &c. Sic enim ait. Huiusmodi progressus, ex vno errore in alium, duo teterrimi nebulones, Ioannes Syluanus & Adamus Neuserus, concionatores in Palatinatu, partim secreto, & clam, partim, & publice fecerunt. Docemur autem istorum exemplo quantum in eos possit Sathan, qui relicto veritatis tramite, ab eo sese in errores abduci patiuntur. Syluanus primum ab Ecclesia Catholica defecit, ad Lutheranismum: postea longius progressus in Sacramentariorum sordes se demersit. Verum nec in ijs permansit: sed cum scio Neusero, quem diximus clam in Arianismum trâsilijt. Immo hos duos eo tandem perpulit Sathan, vt Alcoranum Machometis, & Turcicam perfidiam amplecterentur. Quin, & eandem Machometis abominâdam perfidiam libenter in Germaniam inuexerint: atque ita Turcis simul aditum aperuerint: nisi consilia eorum detecta, & conatus, elusi fuissent. Coniecti sũt primum in carcerem. Et Syluanus quidem Heildebergæ in foro capite plexus est. Alter vero Neuserus effracto carcere in Turciam euasit.

Caluinus quoque in Refutatione perfidiæ, & impietatis Valenti: Gentilis, tribuit cuidam suorum Euangelicorum factioni, quod Deorum myriadas audacter fateantur. Sic ait fol. 34. Quoniam multi hodie ex turbis, atque dissidijs veræque doctrinæ labefactione delicias sibi faciunt, nil mirum si Lugduni garrulus quispiam ex antro virulentiam suam euomuerit. Quinetiam exortus est Poeta, qui Valent. Theologiam suis carminibus ornaret. Inter alia non dubitat præclarũ illud axioma obtrudere.

—— Numero Deus impare gaudet.

Quid vero si tibi viciſſim obijciam nugator? Ter tria multiplica. Quam multos Deos scaturire necesse erit? Nec me latet, vos Deorum myriadas iam audacter fateri.

Ioannes Laskus Sarmata, sicut in Genebrardi Chronologia legimus, primo Trinitariorũ æmulus tuit sub anno 1565. mox Caluinista, postea frater Bohemus siue Piccardus, & anno 1585. libro Spiræ edito de Moscorum religione, Lutheranum se profitetur, sed magis ad Machometum, vel ad ἀθεοτητε prospectat. Ait enim, pagina 16. eiusdem libri, quod in Hæbraicis, Græcis, & Latinis vtriusq; testamenti Codicibus plurima sunt varia ta, multa ab Hæreticis sublata, depraua ta, commutata, addita: idque probat, Erasmi, Bezæ, Castallionis, Franci Lucæ, & Franci Iunij testimonijs, illud quoq; indigne ferr, Machometem dici docericq; Antichristũ, eique numerũ 666. Apocal. 13. assignatum conuenire pernegat.

Ext. t Lyndani Libellus, quem Christomachiam inscripsit. In eo testatur multos e Caluinistis fieri Turcas, plurimos existere Atheistas, verba eius sic habent. Hinc videmus tam multos Caluinistarũ Turcas fieri, vel suscepta ipsorum circũcisione carnali. Item plurimos inter eos existere Atheistas, de quo, & ipse Beza, & Henricus Stephani, & alij plurimi eiusdem fermenti pharisaici, suis de comanipularibus lugubriter conqueruntur, lamentantes non modo varia per Galliã inolescere Atheistarum genera, sed nomen etiam sibi vendicare Deistarum.

Idem in suo Rueuuardo, citat Erasmi Alberi testimoniũ, quod Philippus Stũcfius, ex Lutherano Zuinglianus, ex vna secta prolapsus in alteram, eo tandẽ venit dementiæ, vt quereret, quis nam nouit fuisse aliquem Christum, & an illa fecerit, quæ de illo scribuntur?

Ad hæc eo deueniũt dementiæ, ut quidam opinentur nouam esse fingendã religionem, quę sit ex Christiana, Mosaica, & Alcorano Machometi conflanda. Tales Venetijs, & alibi non paucos agere narant, qui occidentem orbem peragrarunt. Testatur Henricus Stephani, Vilhel Postellum haec Hypotesin Venetijs apud multos, & audiente ventilasse. Sed quid illi responderint sophi: non exponit, facile ex vnguibus leonem. Quid Parisijs hactenus sit molitus, varij varie nobis retulerunt, ad cuius Scholas parum Christianas, iam totos ferè annos duodeviginti, & quod excurrit, incredibili numero professionum omnium viri cõfluũt,

Para-

Paradoxas eius disputatione anidissime hauriētes. Sed qd priuatis in colloquijs, ceu misticis suis Arcoumatis instillet misticum, quidue Atheologicum, imo Christomacum, huius non est loci edicere. Postremo non desunt hoc infœliciſſimo tempore, qui omnem superantes nō modo impudentiæ, sed & blasphemiæ modum, audent scribere contra tres impostores Moysen, Machometum, & quem mihi religio est hoc loco præ blasphemiæ horrore (quia contremisco referens) nominare. Hæc si nō est Sathanica in Deū, & Christū eius blasphemia, nescio quid sit blasphemia: à quo Dominus Deus, totum tandē repurget orbem. Impij scripti exemplaria ex Francfordia euocaui. Nihil autem aliud retuli responsi. Nullum illic existere amplius, quod vniuersa essent in Galliam auecta. Vbi eius lectione Nobiles feruntur mirificè oblectari. Si Postellano auditorio, illi potissimum Veneto non probantur: equidem satis demirari non possum: cum istius Atheismi prēludia, & tam bella, ante annos fere nouem, in veneto Arsenali iecerit. Ilagogas, ex professo Christomachas: & ueriſſimo Luciano dignas. Ex quo venenato ouo, iam pridem Geneuæ ab aliquot Italis Philosophis posito, (sicut videre est apud Bezam in vita mendacissima sui Caluini) quid toti orbi expectandum, ni Deus auerterit propitius, diuinatu non est pijs difficile.

Sed & Ministri Caluinianæ perfidiæ sub Duce Casimiro, in Præfatione Admonitionis suę de libro Concordiæ, testātur multos in tanta religionum, & opinionum varietate euasisse ad extremum prophanos, Epicuros, Atheos, ridentes omnem religionem, & habentes pro fabula. Verba eorum sic habent. Expertus est omnibus temporibus, inde ab initio, & nunc experitur mundus, nullā esse veram, firmam, & salutarem coniunctionem hominum, nisi in Deo sint coniuncti. Ex hac enim re omnium maxima dissensiones, odia, & bella asperrima, persecutiones, & dissipationes tristissimę, promanarunt: ex quibus deinde nullum non malorum genus, tanquam ex Pandoræ pixide prouolauit, & miseros homines, præsertim vero Ecclesiā Dei, horribilium subinde tempestatum fluctibus inuoluit, atq; oppressit. Hæc autem lugubria, & cruenta certamina, dum nostra præsertim ætate, intuentur homines, varie afficiuntur. Multi palam prophani, & Epicurei, ridentes omnem religionem, & habentes pro fabula conficta à versutioribus ad continendum in metu, & obedientia imperitiores, stolidos esse indicant eos, qui pro religione tantos conatus suscipiunt, aut tanta mala patiuntur. Alij prętextum suæ impietatis inde arripiunt, quasi in tanta varietate, & tam acri defensione pugnantium opinionum non possint inuenire, quid sequendum sit. Alij fingunt, se credendo quod volunt coram Deo defungi posse, etiam si dicta, & facta sua omnium, quibus cum versantur obsequijs accommodent. Alij prædicantes tranquillitatem, concordiā, fœlicitatem, & optabilem statum superioris ætatis, qua vigebat, & regnabat in toto orbe Christiano Papatus, & conquerentes de nostri temporis infœlicitate, distractionibus, turbis, odijs, persecutionibus, insidijs, condemnationibus, proscriptionibus, direptionibus, cędibus, supplicijs, & vndique circunstantibus rerū, & vitæ periculis, ac detrimentis, vel contrahunt odium veræ religionis: causam horum ingentium malorum imputantes doctrinæ Euangelij, & partim ob status publici ruinas, partim ob suarum voluptatum, opum, & commodorum amissionem frementes, vel qui coercentur quidem aliquo pietatis fræno, nec tamen satis de cæleſti doctrina confirmati sunt, mirantur, si hæc doctrina sit vera, & diuinitus profecta: cur igitur eius prædicationem, & publicationem tanta moles malorum consequatur, & omnia in deterius ruant, quæ religionis emendatione meliora futura videbantur. Hæc sunt mundi, & carnis iudicia, quibus non aliquando commoueri, non est omnium.

Scarga in suo pro Sacratissima Eucharistia libro, testatur, quod Rakouienses, & Loscenses, in Lithuania Ministri doceant, & affirment, totum mundum verò Euangelij libro caruisse: nec vnquam promulgatum mundo fuisse, sed eius veritatis

ritatis lucem in hæc vltima sęcula reseruatam esse, nec per 1200. annos ex quo Homousiani, vt illi vocant, hoc est, Arrij illius hostis diuinitatis Christi expugnatores florere cæperunt, veritatē agnitam fuisse, sed quemdam alium Regem prodigijs, & potentia externa venturum, & promulgaturum Euangelium.

Extat doctissima confutatio Responsionis Guillelmi Vittakeri, per Ioannem Dureum Scotum Societatis Iesu sacerdotem conscripta. Producit testimonium Scotiæ Ministrorum, ex illorum in Biblia præfatione exceptum, quod ex quo nouū hoc Euangelium audiri cępit, innumeros in Regno Atheos esse cepisse: ad quam rem significandam, nouum ipsū nomen maioribus nostris inauditum, Godles, quod proprie Atheum significat, excogitarunt. Et cum nuper Natalis quidam ex Caluiniano Atheus factus, Metis in Lotaringa à Magistratu comprehensus interrogaretur: qua tandē via ad Atheismum peruenisset, respondit, quod res erat, Caluini Institutionibus, hoc se acceptum referre.

Extant Commentaria Innocentij Gētilletti I. C. de Regno, aut quouis Principatu recte, & tranquille administrando, aduersus Nicolaum Machiauellum. Sic in eo de Atheistis eorumq; technis, & artibus ad vniuersam extinguendam religionem institutis, loquitur. Infœlicissima vel hoc uno nomine nostra est ętas, quæ talibus Atheorum monstris infesta, atque infamis, vsq; adeo impietate, & Dei contemptu infecta est, eoque apud aulicos gratiosior sit. Quippe aulico sermonis genere, eiuscemodi Alastores, strenui viri, alacres, & obsequētes vocantur. Quod excussa omni pietate, & lectis Machiauelli libris, nulla religione impediuntur, quo minus quiduis audeant. Iubere veneno aliquem aggredi, aut iugulare: uenena spargere, & hecas distringere didicerunt. Iube, ut Catholicos honestos spolient, adeo cupide id agunt, vt ne ab Ecclesiasticis quidē manus abstineant. Sacerdotia militari habitu, & palliati occupant, neque in ijs vlla Ecclesiastici muneris parte defunguntur: mungere, tundere, deglubere, prima illis, & sola cura est. Immo nil vsq; ęquitiæ, nihil oneris, nil tributi reliquum faciunt, quod non excogitent, vt miseræ plebis fortunas, & sanguinem exsugant. Nuper vectigal in lites imposuerant in Gallia, neque cuiquā licebat cum quoquam iure experiri, & suum obtinere, quin partem summæ de qua litigaretur, tanquam vectigal pendisset: sed illud sublatum est, Machiauellitis frustra renitentibus, à Generoso Principe, ęlicis memoriæ (scilicet) Condeo. Inuenta quoque ab illis sunt noua portoria, & tributa in chartam, in hospitia, quę hospites, & viatores penderent, præterea immunitatem accipiendorum militum, tutellarum curationem, prefecturarum, consulatus, cæterorumque ciuilium munerum, quæ non nisi ab impijs; & nulla patriæ charitate affectis recusari possūt, venalem & stipendiariam fecere. Noua inuentio parui sigilli, quo contractus obsignantur, nonne ex eorum officina prodijt? Nisi Euangelici querelis, & clamore omnia impleissent (qui soli ad hanc diem aduersus istas hirudines liberam vocem mittere ausi sunt) iam cudebantur edicta, quibus imperaretur tributum in singulos infantes qui baptizarentur, & exigeretur dotium matrimonialiū vicesima, eaq; pecunia presens numeretur. Quid? Iuridicorum munerum venditionem, nonne in vsum reuocarunt, in Concilio statuum, quod Aureliæ ante aliquot annos habitum est, abolitam. Quis officia Consiliariorum stipendijs carentia ad conflādas pecunias inuenit? Quis præter eos magno Reipub. detrimento auxit per hosce annos, augetque præcium pecuniæ? Postquam redempturis, conductionibus, mensis, magnam vim capitatorum collegere, augent eorum prætium in versura: & distrahunt deinde collectis coronatis, pretium eorum quoque intendunt, denique omnis generis monetæ æstimatione exagerata pecunias nouo genere fenoris auctitant. Interea nemo queritur, quia priuatim nulla iactura fit: & quibus nūmi sunt, crescere videntur: sed tandem liquido apparebit (fortasse sero) materiam magnis turbis eam rem præbituram esse: quemadmodum etiam aliquando si.

milem

milem ob causam ortæ sunt. Cæterum isti pacis mentionem nullam admittunt, quia rebus turbidis licentius, & maiore præmio, minore metu, rapinas, & scelerum reliqua exercent. Habent in promptu Machiauelli placita, quib⁹ pacem mẽtiuntur. Princeps (aiunt) subditos metu continere potius, quam beneuolentia debet. Si pax, qualem isti rebelles flagitant, concederetur, videretur Rex timere subditos, quem ipsis formidini esse decet. Pacem quidem, quæ nobis talem victoriam de istis sponderet, qualem S. Bartholomei die tulimus, nõ inuiti daremus. Nam & hoc alterum est ex ipsorum dogmatibus, Principi fidẽ, & promissa seruanda non esse, nisi quantum postulat ipsius vtilitas, denique non minimam esse Principis dotem, ingenium pro arbitrio, & tempore scire fingere, vt more vulpis, quos vollet in insidias pelliciat, pellectos instar leonis iugulet. Miramur eos, qui tam impure loquantur? tam flagitiose viuere? & nihil esse libidinis, nil fraudis, nil sceleris, quod isti non moliantur: quia nullum esse sibi Deum persuaserunt, qui de tot sceleribus, ac flagitijs pœnas aliquã do expetat? Miramur Galliæ vastitatem, parentes liberis, fratres fratribus, quæ in pace chara, & sancta sunt, ciuilibus discordijs infensa, & confusa, Ecclesiam collapsam, plebem perditam, nobilitatẽ propemodum extinctam. Nos Dei iusta ira, nos nostra impietas, in discordiam egere, alij impium animum palam gerunt, alij quos ire obuiam nascenti malo decebat, dissimulando tantam pestem alunt. Ergo nos Deus merito eadem pœna inuoluit, neque vnquam horrendum illud impietatis crimen, Domini manum, & cælestes pœnas effugit. Et paucis interiectis. Possem enumerare multos effrænatos Dei, & religionis contemptores, quos Deus acerrimè est vltus: & exemplorum veterum, recentium etiam, copia est. Memoria nostra Iodellius tragœdiarum scriptor, tragicum exitum inuenit, nam luxu ganea, stupris ex Epicureorum disciplina, patrimonium quum consumpsisset, miserrimo genere mortis, fame interijt. Lignerolius aulicus, qui ut industriam, & dexteritatẽ suam probaret, in aula palam Atheismũ profitebatur, quomodo perijt? Vnde se auctum iri sperabat, ibi perniciem inuenit. Landius Bassius Vasco, & alij quorum nominibus parco (propter propinquos, quorum honori, & famæ id à me datur) nonne postquam religionis cultum abiecerant infœlicem vitæ exitum nacti sunt? Hæc Gentiletus.

Caluinus, in institutione aduersus Libertinos cap. 4. doctrinã eam, quod anima non minus, quam corpus mortalis sit in Gallia, Flandria, Olandia, in Brabãtia, cæterisq; Germaniæ inferioris, regionibus, tam longè lateque sparsam asserit, vt horribile sit auditu, quam illic infecta sint omnia.

Guilelmus Roseus in lib. de Iusta Reipub. Christianæ in Reges Hæreticos auctoritati, perfidiam hanc familiæ Amoris Londini tribuit, à qua in Angliam quoque peruenit. Sic enim loquitur. Quod enim in Gallia, in Germania, in Flandria, totoque Belgio, tanquam ipsa Euãgelij huius medulla, & nucleus, tam operose fatum est, id ipsum in vicina quoq; Anglia ita succreuit, & maturuit, vt illic in plurimis locis eorum studiosè terantur libri, personent Conciones, multiplicentur diaconi, & seniores, celebrentur cœnæ, & cõgregationes, prædicetur Symbolum, quorum Symboli hic vnus isque primarius est articulus. Christianum hominem à bestia nihil penitus differre, neque ab eo reddendam esse vnquam operum suorum rationem, sed instar bruti animalis moriturum, nec vnquam, vel corpore, vel anima resurrecturum.

Edidit Ioannes Bodinus, librũ de Dęmonomania, in quo de Magis, de Lamijs, & sortilegis copiose agit: facit in eo magi cuiusdam insignis, quem Trescalem vocant, mentionem, qui cum esset à Carolo 9. Galliæ Rege in carcerem compactus, vita illi deinceps propterea concessa fuit, vt alios item maleficos enunciaret. Fertur is interrogatus de Conplicibus suis respondisse, quod trecenta essent hominum millia, qui fœdus cum Dæmone in Regno Galliæ, omni reprobata religione, sanxerunt. Horum autem in primis extitisse præcipuos, viros aulicos, & potentes, per quos Magiæ, & Dæmonomaniæ

maniæ ſtudia ſollicitiſſime latiſſimeque propagabantur.

Prodijt etiam anno 1593. Romæ impreſſum Elizabethæ Angliæ edictum, cũ reſponſione per Dominũ Andream Philopatrum Præsbyterum. Teſtatur in eo, magnas in Anglia radices agere Atheiſmum, eiuſq; iam publicos extare profeſſores. Verba libri ſic habent in prima ſectione edicti. Si Gualteri quoq; Raulæi ſchola frequens de Atheiſmo paulo longius proceſſerit (quam modo ita notam, & publicã ſuis in ędibus habere dicitur, Aſtronomo quodam Negromanteo præceptore, vt iuuentutis nobilioris, non exiguæ turmæ, tam Moyſis legem veterem, quam nouã Chriſti Domini inſulſis quibuſdam facetijs, ac dicterijs eludere, ac in circulis ſuis irridere didicerunt) ſi hæc inquam ſchola radices, ac robur ceperit, & ipſe Raulæus in Senatum delectus fuerit, quo Reipub. quoque negotijs præſideat (quod omnes non ſine ſumma ratione expectant, cum primas apud Reginam poſt Dudlæum, & Hættonnum teneat, & ex gregario prope Hyberniæ milite mirũ principem, ac potentem ſola Reginæ gratia, nullis præcedentibus meritis videant euaſiſſe) quid inquam erit expectandũ aliud, niſi vt aliquando edictum aliquod à Mago illo, atque Epicuro Raulæi præceptore conſcriptum, Reginæ nomine euulgatum cernamus, quo plane omnis diuinitas, omnis animæ immortalitas, & alterius vitæ expectatio dilucide, clare, breuiter, & citra ambages tollatur: & leſæ maieſtatis accuſentur, tanquã Reip. perturbatores, qui contra iſtiuſmodi doctrinam tam placidã, & ſeſe in carnis vitijs volutantibus hominibus ſuauẽ, ſcrupulos cuiquam, aut moleſtias moueant.

Sed iam tandem, & libro, & capiti finem imponamus. Nam & iſtorum blaſphemiæ vltra Atheiſmum, quo progrediantur non habent. Hic eſt portus, hic ſcopus, hic terminus, hæc Cynoſura, quo Sathanas cum Lutherum ſuſcitaret, collimabat: niſi quod ad hoc impietatis faſtigium aſcendendo, non volando voluit peruenire. Nam ſi in illã orbis Chriſtiani vnitatem ante annos 70. cum vnum, & idem omnes, vbique credebant, nec vlla erant in Orbe Chriſtiano ſciſmata, irruiſſet, & dixiſſet, Chriſtus nugæ, ſcriptura fabulę, fides effutiæ, aures fortaſſe non inueniſſet, quæ blaſphemiam tollerarent. De gradu in gradum aſcendendo, intra annos non ita multos, quo voluit peruenit, & quod voluit, obtinuit. Quippe in ſęculum quietum, & otioſum incidit, ac vtinam minus otioſum reperiſſet, minus profecto decepiſſet. Quanto autem minus occupatum inuenit, tanto magis ipſe occupauit. O ſi hoc dicentibus Chriſti ſeruis, orbis Chriſtianus credidiſſet initio, quod aquæ benedictæ contemptionem diuinitatis ſecutura eſſet contemptio, quod qui fregiſſet candelam ceream, fracturus eſſet, & Euchariſtiam, quod qui ſancti neglexiſſet imaginem, neglecturus eſſet & Trinitatẽ, quanta mala Reſpublica Chriſtiana non vidiſſet, ſicut nec ea Regna viderunt, vbi iſti animarum Pyratæ non intrauerunt: nec populi cereos, & imagines contempſerunt. Initijs tantum, initijs tantũm, opus eſt Diabolo, ſicut iam ex Chriſoſtomo diximus, & hoc ſolum ei laborioſum eſt. Si vero nactus fuerit initium nocendi omnia ſibi ipſe ſuopte ingenio veſtigat, & amplificat. Nam qui modica ſpernit paulatim decidit, ait ſcriptura. Immo vero auſus eſt idem aureus Doctor ſcribere, non tanto ſtudio fugienda ſibi videri grauiora peccata, quanto quæ leuiora cenſentur: quod ab illis abhorret ipſa natura ſponte ſua. Cæterum dum hæc contemnuntur ex paruis maxima fiunt noſtra deſidia. Nam gradatim ſemper ad magis enormia peruenitur. Reſiduum quippe (vt apud Ioel legimus, Erucæ comedit Locuſta, reſidium Locuſtæ, comedit Bruchus, reſidium Bruchi comedit Rubigo. Vel ſicut Amos habet. Si fugiat vir a facie Leonis, & occurrat ei vrſus; & ingrediatur domum & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Scitum eſt illud, & iſto loco dignum exemplum, quod Dorotheus ſcriptum reliquit. Cap. 5.

Frater quidam fuit, qui cum aliquid boni de fratre quopiam quiſquam prædicaret, ſtatim reſpuebat eum, dicens. Quis eſt ille? Non eſt qui momenti ſit

alicuius

alicuius nisi Zosimas, & qui cum eo sunt. Post cępit, & hunc contemnere ac nihili pendere dicens. Nemo est, qui quicquam valeat, præter Diuum Macarium. Et non multo post ait. Quid est Macarius. Nullus quicquam est, præter Basilium, & Gregorium, atq; etiam paulo post cæpit & hos truncij facere, dicens. Quid est Basilius? Quid est Gregorius. Nemo quicquam valet nisi Petrus, & Paulus. Cui ego dixi. Certe Frater, & eos etiam contemnes. Credite mihi, non mentior, non multo post dicere occepit. Quid est Petrus? Quid est Paulus? Nemo est alicuius momenti nisi Sancta Trinitas. Postmodum uero, & contra Deum ipsum superbire cœpit, & insolescere. Denique ad eum modum delapsus est, in perditionis barathrum.

Quo uno crimine, etsi nullum in conspectu Dei crimẽ sit abominabilius (nam qui non credit iam iudicatus est) tanta est tamen Dei nostri bonitas, tanta salutis nostræ sitis, ut ne hoc quidem crimen esse irremissibile voluerit ijs, quibus constans adest erroris emendandi voluntas, nec ad damnabilem incredulitatem, irremissibilem adiungunt, desperationẽ: quã per illum puteum intelligi forte voluit
Psal. 68 Propheta, cuius os claudi super caput suum metuebat, in illo Psalmo, vbi quosdam gradus enumerat peccatorũ, dicẽs. Eripe me de luto, vt non infigar, libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.
In Psal. 68. Tunc enim coarctat puteus super hominẽ os suum, ait Augustinus. ideò, profunditas iniquitatis, quando non solũ mersus in peccatis iacet: sed etiam perdit additum confessionis. Lutum putemus immundam cogitationem: profunda aquarum consensionem: tempestatem aquæ, locutionem: profundum operationem: os putei desperationem. Qui cauit cogitationem, cauebit & operationẽ, nec perueniet ad desperationem. Lutum visum est quibusdam, aquæ aspersione eluendũ, Lutheranismus, quem olim Hosius quoque tenuiorem cunei partem appellabat. Ex hoc Luteo descensum est ad aquas. In aquis factæ sunt tempestates. Tempestates merserunt eos in profundum. A Lutheranismo itum est ad Caluinismũ, a Caluinismo itum est ad Tritheismum, à Tritheismo ad Atheismum, a quo nisi quis pedem referat, os putei claudetur super ipsum. Metuenda ista res est vehementer, ait August. Si videritis hominẽ feciſſe iniquitatem, mersus est in puteum: quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius, & ipse responderit, vere peccaui, fateor, non super eum clausit puteus os suum. Cum autem videris illum dicere. Quid enim mali feci, factus est defensor peccati sui, clausit super eum puteus os suum, qua eruatur non habet. Amissa confessione, non erit locus misericordię. Tu factus es peccati tui defensor, quomodo erit Deus liberator? Vt ergo sit ille liberator, tu esto accusator.

An sine causa Apostolorum Principem in periculum abnegationis cecidisse legimus? Cecidit, pœnituit, surrexit, vt tibi cadenti, & pœnitendi exemplum, & surgendi fiduciam præbeat. Cecidit in puteum abnegationis, sed quia fleuit amare, puteus non clausit os suum super eum: quod fortasse clausisset, si Petrus os suum ad erroris cognitionem nõ aperuisset. Forte, & tu per eos gradus, quos diximus ad Atheismum peruenisti. Est spes nouissimis tuis, ait Propheta. Pœniteas, & surrexisti. Habent lachrimæ virtutem Baptismatis ad diluendã ẽt culpã negationis, ait Leo. Pôt aliquis dicere nõ peccaui. Non esse aũt pœnitendũ, si peccauerit, nulla barbarites hoc dicere audet, vt ait August. Vox ista ipsi⁹ quoq; naturę ẽ. Neminem stultum rei huius notitia deserit. Est quippe, ait alio loco, in animis nostris naturalis quædam, vt ita dixerim, sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens exercet mali, bonique iudiciũ, & vt honestis, rectisq; actibus fauet, ita siniſtra opera condemnat, atque ad conscientiæ testimonium diuersas partes domestica lege dijudicat: nec ullo prorsus ingenio, aut fucato aliquo argumentorum colore decipit: ipsis nos cogitationibus fidelissimis, & integerrimis sane testibus, aut arguit, aut defendit.

Serm. 9. de Pass. Domini Epist. 142.

Quid faceres si in puteum corporaliter cade-

caderes. Ipsa profecto intus loquens ratio tibi dictaret, per illud os, perquod cecidisti, exeundum esse: & si exire tuis viribus non posses, clamares, rogares, supplicares, omnes in auxilium vocares. Hoc faciant, qui in baratrum infidelitatis ceciderunt. Redeant vnde exiuerunt, clament, orent, rogent, supplicent: paratiorem inuenient Dominum ad præstandum, quam ipsi sunt ad rogandum: idque vt faciamus, ipse nos hortatur, dicens. Saltem à modo voca me. Pater meus dux virginitatis meę es tu. Ipse quod petimus præstaturũ pollicetur. Noli timere terra, ait Ioel. Exulta, & lętare. Reddã vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca. Fortitudo mea magna, quam misi in vos. O utinam, o vtinam Domine, iam tandem nobis reddas illos annos, vtinam innoues dies nostros, sicut fuit à principio, ita vt quod præsens sedecimum de fide, deq; omni sanctitate detraxit, reddat nobis quod imminet, decimũ septimum sæculum, ut iuxta suum numerũ, fiat nobis sæculũ quietis, sæculum otij, sęculum cessationis ab omni opere malo, & in Deũ blasphemia. Fiat Fiat.

Nos iam ad secundum librum accedamus, in quo decretum est ostendere Ministros istos non Christi, & Euangelij: sed Martis, & Bellonę esse ministros: nec solum charitatem, sed ipsam etiam exuisse humanitatem.

Hermes. Cap. 12.

Νόσος δὲ μεγάλη Ψυχεὶς ἀθεοτὴς, ἔπειτα δόξα εἰς πάντα τὰ κάκα ἑπακολουθεῖ, καὶ ἀγαθὸν οὐδέν.

Magnus animi morbus impietas, vel Dei carentia, quoniam illum opinio, & inclinatio ad omnia mala sequitur; boni autem, nihil.

Erasmus Rotherod.

Qui se sectis dedunt, prorsus exuunt hominem.

DE PHALARISMIS EVANGELICORVM

Liber Secundus.

IN QVO COMPENDIOSE recensentur crudelitates Euangelicorum, in templa, bona, donaria, Monasteria, & corpora Catholicorum.

STANISLAI RESCII PRESBYTERI.

IACOBI 2.

Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.

3. *Reg.* 19.

Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia derelinquerunt pactum Domini, filij Israel, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt in gladio.

Psal. 78.

Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerũt templum sanctum tuum, posuerunt Hyerusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ.

Thren. 4.

Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli: super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis.

Athanasius. In Apolog. de fuga sua.

Quis enim Arrianorum (Caluinianorum) scelera non videt? vt siti bundi sint, auidiq; sanguinis humani, versutijsq; suis, veluti sagenis, comprehendant, quos neci destinent. Plane hoc ipsorum opera declarant, ostenduntq; eorum animos, feris efferatiores, & Babylonijs crudeliores esse.

EVANGELICORVM PHALARISMI IN GERMANIA.

LABEFACTATA per Euangelicos sacræ Scripturæ maiestate, diminuta Symboli Apostolici authoritate, contẽpta Sacramentorũ vtilitate, reprobata Sanctiss. Trinitate, omni neglecta antiquitate, vniuersa proiecta pietate: cũ nouã in Synodis fidẽ fingere, noua cõflare Sacramẽta, nouã colẽdi Dei rationẽ instituere contẽdissent, mille sese conuitiorũ, & maledictorũ notis confixissent, in ducentas, & 70. sectas secti essent, potestatẽ à Deo constitutã contẽpsissent, Patres, & Concilia reprobassent, bonas literas, à quibus expectari tantarũ ruinarũ reparatio poterat, explosisset: ne quicquã omino supereſſet, in quo conuellendo vires adhuc ingenij, furentesq; animos occuparent, uiribus deinceps corporis, eam quæ adhuc in oculis mortalium, & in linguis confitentiũ, relicta videbatur Dei viuentis, memoriã, tollere, perdereque aggressi sunt Euangelici. Id enim consequẽs erat, vt facerent, cũ natura sua (Fidẽ enim sequuntur opera) tũ Gentiũ more, quibus eos similes Orthodoxi Patres docuerunt, & nos iam ante ostendimus. Sic autem de Gentibus Rex, & Propheta queritur. Deus venerunt gentes in hæreditatẽ tuã, polluerunt templũ sanctũ tuũ, posuerũt Hyerusalem in pomorũ custodiã. Posuerunt morticinia seruorũ tuorũ escas volatilibus cœli, carnes Sãctorũ tuorũ bestijs terrę. Effuderunt sanguinẽ ipsorũ, tãquã aquam in circuitu Hyerusalem: & non erat, qui sepeliret. Ijsdem plane vestigijs, Gentium æmuli Euãgelici, hæreditatem Domini inuadere, Sanctũ eius polluere, sanguinem seruorũ eius, tanquã aquã effundere, carnes eorũ bestijs terræ escam obijcere, & morticinia volatilibus cęli offerre debuerunt. Simul enim ista stare, simulque cadere consueuerunt, fidem Christi propagare, & seruos Christi honorare, fidem Christi abolere, & seruos Christi trucidare. Vas quoque electionis Paulus cum dixisset, Deum timete: statim adiunxit, Regem honorificate. Iudas quoque in sua Canonica describens homines Iesum Christum abnegãtes. Dominationẽ, ait, spernunt, Maiestatem autem blasphemant, optima, vt esse consecutio videatur. Qui Deum non timet, nec Sacerdotẽ tollerat, nec Regem honorificat. Qui Dei Maiestatem blasphemat, & dominationẽ spernit, & admonitionem contemnit. Deinde vero Gentium hoc esse proprium, ac peculiare munus, ipse nos etiam Sacræ literæ docuerunt, castris, armis, ferro, gladio, omni persecutionum genere, veram Dei viuentis fidem euertere, & Idolorum suorũ cultum, & perfidiam constabilire. Vobis dicitur, ait Nabuchodonosor, populis, tribus, linguis, in hora qua audieritis sonum tubæ, fistulę, Cytharę, &c. cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor Rex. Si quis autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. In hoc ergo quoque similes esse Gentibus Euangelici debuerunt, vt eos omnes, ad cruces, ignes, bestias, laqueos, equuleos postularent, ac raperent, qui sensum scripturæ in illorum capite natum, tanquam Dei viuentis verbum adorare, & à vero veri Dei cultu recedere detrectarent. Ipse denique fidei nostræ author, & præceptor Christus Deus noster, ita clare, diluci dę, luculenter, non Apostolis solum, sed omnibus in vniuersum fidelibus, cruces, mortes, persecutiones, promittit, vt quasi thesseram quandam statuere videatur, qua fideles ab infidelibus internoscerentur. Illos scilicet Christianos, & fideles existimandos, qui ferrent: eos autem Ethnicos, & infideles, qui iniurias inferrent. Tradent vos, ait, in Concilijs, in Synagogis flagellabũt vos, ad præsides & ad Reges ducemini, pter me, & eritis

odio omnib⁹ hominibus ꝓp me, & uos cõtriſtabimini, mũdus aũt gaudebit: & alia mille huius generis teſtimonia, q̃ ꝓtereo.

Sicut ergo in primo Atheiſmorum libro oſtendimus, quod Euangelici venerũt in hæreditatem Dei, quod templum Sãctum eius polluerunt, quod nouam hanc Hyeruſalem in pomorum cuſtodiam poſuerunt: ita hoc ſecundo Phalariſmorum libro decretum eſt, quam fieri poterit breuiſſimè recenſere, partim ex probatis bonorum authorum Hiſtorijs, Cochleo, Echio, Pontaco, Cromero, Genebrardo, Sanctio, Roſſeo, libro Antuerpien. & alijs partim: ex epiſtolis ad Hoſiũ datis: partim ex ſermone, & teſtimonio hominum fide digniſſimorum, partim ex his, quæ oculis ipſi noſtris vſurpauimus: quem admodum Euangelici effuderunt ſanguinem ſeruorum Chriſti, morticinia eorũ eſcas volatibus cæli poſuerunt, & carnes eorum beſtijs terræ obiecerunt, atque ad eorum ſocietatem aggregauerunt, quorũ pacientiam verbis efficaciſſimis diuinus Paulus, Hæbreis ſcribens mire dilaudat, qui per fidem Regna deuicerũt, ludibria, verbera, carceres, vincula experti ſunt, operati ſunt iuſtitiam, obturauerunt ora leonum, extinxerunt ignis impetum, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, egentes, anguſtiati, afflicti, quib⁹ dignus nõ erat mũdus.

Horrenda quidem, & intollerabilia uidentur, quæ olim Arriani, Euãgelicorum præceptores, & magiſtri, in Orthodoxæ fidei ſectatores, crudelitatum, & acerbitatum genera deſignauerunt, quæ Athanaſius memorat. Inaudita prope auſi ſũt Circũcelliones, quorũ Auguſtinus meminit. Infanda oĩa, nefandaq; ꝓpetrarunt Vãdali, q̃ victor Vticẽſis literis cõſignata, memorię tradidit hominum ſempiternæ.

At ego ꝓfecto nõ video, cur in hoc genere poſteriores ferre debeãt noſtri tẽporis Euãgelici, cũ nullũ immanitatis, & crudelitatis gen⁹ in omni antiquitate literis cõſignatũ videamus, q̃ iſti re, & veritate exequẽdũ non ſuſceperint: idq; parati ſumus oſtẽdere. Adſit nobis Deus veritatis.

Sed prius aliquot edicta Lutheri, & Lutheromanitarum, Barbarica, Phalarica, παταγω (vt Anacreõ loquit) καὶ ἀλαλύτω σκυθικοῖ: ſtrepitu, & fremitu Scithica, & eo quo pręceptore vrebatur, Tartareo Cacodæmone digniſſima videamus: & ex vnguibus Leonem.

Edicta Luth. & Lutheromanitarũ ſanguinaria, contra omnes ſtatus, & ordines.

Lutherus contra Papam. In aſſertione Artic. 34.

PRAELIARI aduerſus Turcas, ait Lutherus, eſt repugnare Deo, viſi tanti iniquitates noſtras per illos. Quod probo, ait, duplici experientia infœlicitatis noſtræ. Prior eſt, quod hactenus nihil proſperum habuimus aduerſus Turcam: & vires eius, atque imperium, noſtris bellis aucta ſunt in immenſum. Vbi ſi Deus non eſſet contra nos, & Turcam non haberet pro virga iniquitatis noſtræ, longe aliter ſors cecidiſſet, ad huc tamen obſtinata cæcitate opera Dei non agnoſcimus. Altera vero infœlicitas, maioris, inquit, dedecoris, & ignominiæ, quod tot iam annis paſſi ſumus nos deglubi per impoſtores, & Legatos Romanos, toties ad bellum Turcicum, indulgentijs, ac facultatibus impudentiſſime venditis, pecuniam, & ſubſtantiam noſtram deuorantes. Sic in vindictam iniquitatis noſtræ, dedit nobis Deus è Roma, truculẽtiores, cruentiores, inſaturabiliores Turcas, quã illi vnquam fieri poſſunt. Ad huc peiores hi Turcæ nos inſenſatos præſtigijs ſuis incitant aduerſus meliores Turcas, tantum, vt interim omnia noſtra confiſcentur ſub titulo belli Turcici. Qui habet aures audiẽdi audiat, & à bello Turcico abſtineat donec Papæ nomẽ ſub cœlo valet. Dixi.

Luth. cõtra Eccleſiã Romanã. Tom. 7. fol. 559. De antiqua vera Eccleſia.

HAEC meretrix Romana Eccleſia, quę pri⁹ fuit caſta virgo, & chara ſpõſa, facta ẽ ſciſmatica, & Apoſtatrix meretrix, domus

domus meretrix, clauium meretrix, quę sicut in domo Domina habet in sua potestate claues, lectos, culinā, cellariū, ita prauas, & peruersa, vt respectu illi⁹ vagę meretrices, foraneæ meretrices, cristatæ meretrices, (Feldhurt, laudhuren, heerhuren; sic .n. niger Cacodęmon per os illud sceleratū loquitur) Cāpanæ meretrices, Pruintiarū meretrices, magnatū meretrices fere sint sanctiores, quā illa, cū ipsa sit Archimeretrix, & ipsissima nigri Diaboli meretrix. Et iterum. Omne quod in Papatu est, mera est Diaboli peruersitas à fronte vsque ad calcaneum. In postilla domestica 1508. Vittemb.

Lutherus contra Clerum. In libro contra Epitomen Syluestri.

MIHI videtur, si sic pergat furor Romanistarum, nullum reliquum esse remedium, quam, vt Imperator, & Principes ui, & armis accincti aggrediātur has pestes orbis terrarum, remque iam non verbis: sed ferro decernant. Quid enim latrant perditi homines etiam communi sensu priuati, quam id, quod Antichristus facturus prędicitur. Si fures furca, si latrones gladio, si hæreticos igne plectimus, cur non magis hos magistros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus nostras in sanguine istorum lauamus. Et iterum. Quicumque dant operam, corpus, bona, honoremq; suum hic exponentes, vt Episcopatus destruantur, regimenque Episcoporum deleatur, hi sunt, dilecti filij Dei, ac vere Christiani obseruātes mandatū Dei, repugnantes ordinationi Diaboli, In lib. contra statum Ecclesiasticum. Et iterum, Monasteria solo æquare iubet, vt Diaboli lupanaria, Bullas discindere, atque abolere, & valuas in cinerē cōuertere. quibus eæ fixæ sunt, & Episcopos, e Christianismo, ceu fures, & latrones expellere.

Lutherus contra Cæsarem. Tom. 2. fol. 452. In libro de bello contra Turcas.

IAM deberemus verba illa prurientia, & placentia omittere, quibus hucusque Cæsaris, & Principum aures scalpebant, ad bellandum contra Turcam, tanquam ille esset caput Christianitatis, Promotor Ecclesiæ, defensor fidei, qui deberet Turcicam fidem eradicare. Non sic est. Cęsar non est caput Christianitatis, nec defensor Euangelij, vel fidei. Et iterum. Turpe quidem est Cæsarem, ac Principes manifestis agere mendacijs: sed turpius videtur eos simul, & semel contraria euulgare mandata. Eos profecto, & ebrios, & stultos Principes esse oportet, In lib. contra Epitomen Syluestri. Et iterum. Me quoque pœnitet, quod Vormatiæ Cæsari eo vsq; me submisi, vt vellem pati iudices super doctrina mea, atque audire si quis vspiam mihi errorem ostenderet. Non enim debuissem tam stultam exhibere humilitatem, In lib. contra Regem Angliæ. Et iterum. Idcirco (ait) ad Cæsarem siue ad Principem tuum te ad bellum vocantē, sic dicito. Bone Cæsar, bone Princeps, qñ seruas iuramentū, promissumq; tuum, quod in Baptismo iurasti, charus es mihi Dominus, eroque tibi obediens ad bellandum, quandocūq; volueris: sin minus alium tibi quære, qui obediat, In Præmonitione libri.

Lutherus contra Regem Angliæ.

In lib. contra Regem Angliæ.

QVIS est iste Henricus, nouus Thomista? discipulus duntaxat tam ignaui monstri, vt virulentas eius blasphemias

honorem ? Ego aduersus dicta Patrum hominum, Angelorum, Dæmonum, pono non antiquum vsum, non multitudinem hominum : sed æternæ maiestatis verbum Euangelicum. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic insulto, Papistis. Henricistis, Sophistis, omnibus portis inferni, Diuina maiestas mecum facit, vt nil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Henricianæ Ecclesiæ contra me starent : dogmata mea stabunt, & Papa cum Henricistis cadet, inuitis omnibus portis inferi, & potestatibus aeris terræ, & maris.

Lutherus contra Principes. Ex libro de Potestate seculari.

SCIRE debetis, quod ab initio mũdi, rara admodum auis est, Princeps prudens, adhuc multo rarior Princeps probus. Sunt communiter maxime fatui, ac pessimi nebulones super terram. Et ipsi sunt lictores, & carnifices Dei : & valde pauci sunt, qui non habeantur pro fatuis ac nebulonibus. Et iterum. Turca decies est prudentior, & probior Principibus nostris. Quid enim huiusmodi fatuis Dominis contra Turcã prospere succedet ? Conqueror ex immo corde cunctis probis Christianis, vt mecum commisereantur, super huiusmodi stolidos, fatuos, insanos, & amentes Dominos moriones. In Præfatione contra duo Cæsaris mandata.

Lutherus contra Aulicos, & Iuristas. Ex lib. contra Regem Angliæ.

SI ego Papam, qui omnium Regum Principum, Vniuersitatum, & Ecclesiarum vult esse Magister, nõ reueritus sum, meamque doctrinam, nõ solum de cœlo confectus sum, sed etiã defendi eam ab eo. qui plus potest, vel in minimo digito. quam possent mille Papæ, Reges, Principes, & Doctores. Quomodo nunc submittam eam istis visitatoribus. Aulicis, & Iuristis. Oportet eam perpetuo manere, velint, nolint. Trotz eis. Et iterum. Ego doctrinam meam non facile Aulicis, & Iuristis submiserim. In Resolutionibus Concl. 7. Et iterum. Quid ego fumosus, cinerarius, in Aulis Regum, & Principum quærito: vbi scio Diabolum supremo residere loco, summumq; ibi eius esse thronum. Christum ne igitur apud Diabolum inuenias: aut Diabolum contra voluntatem suam probum reddas ? Contra Epistolam Regis Angliæ.

Lutherus contra Rusticos. In Præludio Captiuitatis Babylonicæ. Anno 1520.

IN eo libello Luth. ad seditionem rusticos concitauit, docens Christianis nullam legem, siue ab hominibus, siue ab angelis ullo iure imponi posse, nisi quantum ipsi velint. Et iterum. Deum orandum esse, ne rustici Principibus obediant, vel in militiam eant, vel dent aliquid cõtra Turcas, Lib. de potestate seculari. Et iterum. Euangelij indolem esse, bella, & seditiones mouere. Oportet enim, quocũq; venit Euangeliũ, vt tumultuetur: nisi id faciat, nõ é verũ, Tom. 4. Ienensi Germ. Sed cũ rebellio in caput rusticorũ recidisset. Sic versa vite contra rusticos loquitur. Ego Mart. Lutherus, in bello rusticano omnes rusticos occidi. Iussi enim eos trucidari, omnium eorum sanguis, in meis humeris est, verum ego onus illud in Deum reijcio &c. Aurifab. in Collo. tt. de Bello.

Luthe-

Lutherus contra omnes Catholicos. Ex Epistola ad Turcum.

IVBET, vt absque misericordia perdantur omnes Papistæ, & ex ossibus, siue cranis capitum illorum magis bibere libeat, quam ex sciphis auratis. Et iterũ. Scio, & sum certus Dei gratia, quod in scripturis doctior sum, omnibus Sophistis & Papistis. Fui enim primus, quem Deus in hunc campum posuit. Is quoque fui, cui Deus hoc primum reuelauit, ad prædicandũ vobis eiusmodi verba. Quod si proterue contra me agere Papistæ voluerint: ego quoque proterue agam: ac uidebo vtra pars tandem obtinuerit. Quinimo prouocaui alicubi, non solum omnes Papistas in vnum, sed, & Diabolos omnes simul cum vniuersis tumultuosis. Iam omnes in vnum, in quo sicut in vnum estis, & in vnum pertinetis Diaboli, Papistæ, Tumultuosi in unum cumulum acriter aduersus Lutherum vos Papistæ ab auteriori parte. Vos tumultuosi à posteriori. Vos Diaboli ab omni parte, incitate, venamini, exagitate alacriter. Veram habetis feram, ante vos, Iacente Luthero, salui estis, & victoriam obtinuistis. In 500. Articul. In Capt. Babylon. & Epistola contra Regem Angliæ.

Muntzerus contra Principes. In Epistola ad Rusticos Turingiæ.

NON oportet nos diutius dormire, chari fratres. Deus enim sicut olim Moysi Deut. 7. sic mani festauit, & nobis. Sollicitate ergo in pagis, & oppidis præsertim Mettallarios, alioſq; bonos compotores pariter qui ad bella valebunt. Nolite obedire, nolite adulari diutius peruersis, fatuis, impijs Principibus, Nebulonibus. Incipite, & bellate bellum Domini tempus est valde. Pergite pergite, & nolite misereri.

Zuinglius contra Principes. Lib. 4. Epistolarum.

ROMANVM Imperium immo quodcunque imperium, vbi sinceram religionem opprimere cœperit, si nos illud negligenter patimur non minus contemptæ religionis rei erimus, quam ipsi oppressores. Exemplum est. Hier. 15. vbi exterminationẽ cõminatur Deus Israeli, quod Manassen permisissent impune esse pessimum. Et iterũ. Quando Rex perfide, & extra regulã Christi. egerit, potest cum Deo deponi. Cum autem manifeste impios, & dilinquentes non animaduertit extra regulã Christi ambulat magis vero cum sceleratos prouehi, & innoxios prograuat. Et alijs in locis passim occinit, Euãgelium sitit sanguinẽ.

Caluinus contra Principes. In 6. Cap. Danielis.

ABDICANT se terreni Principes dum insurgunt contra Deum, imo indigni sunt, qui censeantur hominum numero. Potius ergo consuere oportet in illorum capita, quam illis parere, vbi sic proteruiunt, vt velint spoliare Deum iure suo. Addit paulo post. Nisi oẽs superstitiones aboleantur, Deus ius suum minime obtinebit. Et iterum. Hodie (ne repetamus veteres historias) vt Reges omnes fere fatui, & bruti sunt, ita etiam sunt quasi equi, & asini brutorum animalium. Quo igitur quisque audacior est, atque proteruior, eo plus authoritatis consequitur in aulis. Merito nobis deflenda est hæc Regum socordia, qui superbe contemnunt Dei Dona in optimis quibusque, qui possent præesse in maximam vtilitatem populi, & interim habent in delicijs homines stupidos, & sui similes, & non efferunt nisi suos lenones, & scurras, & homines nihili quos Deus ignominia notauit.

Buchananus Scotus, contra Principes. In libro, Quomodo Reges imperare suis populis debeant.

DOCET. Quatenus Regibus obedire subditi teneantur: quæue esse causæ possint, vt Reges, & Principes Catholici, Orthodoxi, à subditis suis loco suo moueantur, deijciantur, in carcere compingantur, & mactentur, & quales in eorum locum reponantur.

Et hæc quidem sunt Ministrorum verba. Iam videamus verbera.

His.n.& alijs ei⁹ generis seditiosissimis consilijs in vulgus disseminatis, quã horrendæ sint in orbe Christiano clades, cædes, mortes, vastitates legum, & Regum ruinæ, Regnorumq; & Rerumpubli. excidia cõsecuta summatim cõia attingem⁹.

Primus omniũ fuit in Germania Thomas Muntzerus ex Orthodoxo Presbytero, Lutheranus, preco, qui sanguinaria Lutheri consilia, re, & veritate est executus. Cum enim in plerisq; Germaniæ locis libertatem Euangelicam prædicasset, imperitam Rusticorum multitudiné pro adeunda illa ipsa libertate ad seditiones, & arma capienda, concitauit, eosque in Clerum primo, deinde etiã in ipsos Principes incendit, & quasi quoddam signum ad omne nefarium facinus audendum, atque designandum sustulit.

Anno enim Domini 1525. magnus in Franconia, Thuringia, Vestphalia, Lotharingia, Sueuia, agrestium hominũ factus est concursus: & infanda multa in ordinem Ecclesiasticum, & reliqua loca sacra, scelerate admissa. In sola namque Franconia ducentas, & eo amplius arces, & Monasteria expilarunt, incenderunt, & euerterunt. Testis est Cochleus, & Surius.

Ludouicum Comitem Heluesthenum, qui in matrimonium habebat Maximiliani Cæsaris notham filiam occiderunt. Imagines Sanctorum, Cyboria, Baptisteria euerterunt, diuina Sacramenta fædissime conculcarunt, omnem cultum diuinum sustulerunt: Equitum, nobiliumq; bona diripuerunt; atque ad subiugandos sibi Comites, à Stolberg, à Schuartzburg, ab Hoestein, & à Mansuelth animum adiecerunt: in quo scelere adeò iactanter confortabat suos Muntzerus, vt pro Concione diceret, se omnes bombardarum globos excepturum esse, sine damnò in manica sua: sed non est iudicium contra dominum. Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Principes enim collecta non adeò magna militum manu, imbellem Rusticorum multitudinem ad internecionem profligarunt: ita vt vltra centum millia per ipsi diuersis in locis crederentur. Ipse verò Muntzerus, cũ altero quodam apostata Fistulatore, captus, cum prius errores suos, summa cum deuotione reuocasset: & venerabile Sacramentum præmissa confessione ritu Catholico, sub vna specie accepisset, ictu gladij vitam finiuit.

De hoc ipso Rusticorum bello, sic habet Cochleus, in Actis Lutheri. Multa Rusticorum millia, insurrexerunt in Sueuia, multa in Alsatia, multa in Franconia, multa in ripa Rheni, multa in Thuringia: profligato vno cuneo, mox obijciebatur alius. Antequam vero iustos conscriberent exercitus, Principes, à tumultuantibus turbis grauissima passim, & vndiq; illata fuerunt damna, indiripiendis, dirimendisq; Monasterijs, templisq; & arcibus, & intra vnum mensem Maiũ maiores clades, cædesque, & vastitates passa est superior Germania, quam decenali bello tum à Gallis, & Hispanis passa sit Italia. Scribit enim dominus Conradus Vuinpina, vir grauis, & eruditus homo senex, & Francus, in vna Franconia deuastata esse Monasteria, & Arces 293. Et vnus Lotharingiæ Dux Anthonius in vna Alsatia super 26. millia Rusticorum occidit. Quot autem occidit liga Sueuica, multis in Sueuia, & Franconia prælijs, & conflictibus? Quot Elector Palatinus? Quot Marchio Casimirus? Quot alij? Nam longe aliud erat hoc pugnæ genus, quam in instis bellis esse

esse solet, vbi Rex contra Regem, au Princeps contra Principem, instructis ordinibus, & acie bus pugnare solet. Hic .n. Rustica turba rei militaris ignara, inermis, & inordinata, proruens, aut in globum sese agglomerans metu, non tam pugnam, quam cædem instructis principum exercitibus obtulit. Vnde factum est, vt quam plurimi Rusticorum cæsi fuerint. Ex parte autem Principum per quam pauciſſimi. Quia neque dimicare neque stare in prælio sciebant Rustici.

Et nõ solũ in rure, verumetiã in Ciuitatib⁹ multæ eo tẽpore oriebãtur seditiones, vbi plebs in Clerum, atque etiam in Senatum consurrexit: sed ita, vt non cędibus, & armis, ac vastationibus desæuiret, sicut desæuiebant Rustici, sed impijs ac ac fatuis legibus, in gratiam noui Euangelij, suam exerceret temeritatem, & insaniam. Verbi gratia. Francfordiæ ad Menum, seu Mogonum plebs, quam duo præcipue seditiosorum ductores, quorum vnus erat Sartor, alter Sutor, ad seditionem excitabant, in ferijs Paschalibus, magno impetu insurrexit, vndique ad arma concurrens, quando audiebat non longe abesse Rusticorum contra Archiepiscopatum Moguntinum insurgẽtium cuneos, vt eo maiorem incuteret metum, & terrorem, tum Clero, tum Senatui.

Primus itaq; seditiosorum concursus, & impetus fuit in Monasterium Prædicatorum, citra tamen direptionem, ac deuastationem vllam: vinum duntaxat bibendum imperiose postulatum est, è Monachorum cellarijs: duo Decani, Fridericus Martoff. ad S. Bartholomeum, & Ioannes Cochleus ad Beatam Virginem haud ignorantes, quam infensam in se præcipue haberent plebem; hic quidem quod in Lutherum quędam scripserat: Ille vero quod in Parochiali Ecclesia nouos Lutheranorum ritus non admiserat, aufugerunt, priusq; clauderentur portę.

Plebs vbi in apertam seditionem transijt, mox clausis portis, nutu suo agebat omnia. Senatus non minus metuebat vim, & bonorum direptionẽ, quam Clerus. In maximo autem periculo fuissent duo Ciuitatis Decani, si remansissent. Facto igitur in domos eorum impetu, vbi eos non repererunt seditiosi, in solum vinum ira transijt. Et Cochleo quidem minus damni fuit illatum, eo quod mater eius decrepita, domi cum sua ex filia nepte sola derelicta commiserationem promeruit aniili eiulatu. Deinde regimen sibi plebs arrogans, potestate Senatui abrogata, nouam constituit curiam in ædibus, & curia S. Anthonij. Tũ 24. ex plebe delectis summam potestatem, ac vis omne totius Ciuitatis sibi vsurpabant.

Conscripserunt itaque 47. articulos, quos pro legibus haberi volebant, nec à minis, & terroribus destiterunt, donec, & à Clero, & à Senatu consensum vniuersalem extorquerẽt. Sed & absentibus Decanis minaciter scripserunt, ni consentirẽt, & redirent intra proximum mensem, sua amissuri essent Sacerdotia, alijs qui consentirent conferenda. Quibus sanè minis, ab altero cui frater germanus in Senatu erat, & quidem vir optimus, extortus est tandem consensus.

Vilhelmus quoq; Lyndanus Rusticorum furores, & obiectas Germaniæ calamitates his verbis commemorat, in suo Dubitantio. Rustici, suo Abbati Rampido rebelles, mox Algoici Episcopo Augustano, & Vlmensibus vicini ad 4000. confluxerũt, deinde quinta Martij, iuxta Valtije tanto concurrebant numero, vt eodem mense, infectis octo Cuneis, oppida plurima, pagosq; occuparint. Ad Liypheim Vlmensium à liga Sueuica trucidati ad 4700. aut in Danubium præcipiti de rupe de præsſi. In vicinia mactati 1500. Decima octaua Aprilis Rustici suum Comitem de Helffenstain cum 13. Nobilibus; crudeliter interfecere, in Vinsperg quem in lanceas adactum illos trucidasse, narrat Alberus. Reti quoq; suum Comitem Ludouicum, vna cum oppido Oethinghen capiunt, atq; Monasterium diripiunt, Casimirus Marchio ad hęc occidit 2500.

Apud Eluangen occupatam, cum duabus arcibus occisi 500. In Virttembergeñ. Ducatu, occisi 6465. In Vinsperg. 400. Dux Lotharingiæ Anthonius per Alsatiam intra triduum occidit 26600. alij scribunt 30000. Mense Maio per Turiñgiam Thomas Muntzerus occisis Iuldæ

1100

1100. captus est, in fuga iuxta Isenacum, trucidatis suis coniuratis 6000. sed resipiscens confessus, atque Catholicæ Christi Ecclesiæ reconcilliatus, decollatur.

Per Franconiam vbi tam arces Nobilium, quam Monasteria diripuissent, atq; exusissent ad 300. passim cæsi sunt 11600.

Casimiro captiui remissi sunt, ex Herbipoli 1484. Palatinus internecione deleuit 4000.

Hessus cũ Saxone ad Frankenhausen. 6000. trucidarunt.

Alibi quoque incerto numero plurimi cecidere rustici, quorum summa à sola Liga Suenica creditur occisa, supra centena agricolarũ millia, desideratis equitibus tantum 25. & 200. peditibus.

His adde Triginta illa Millia, per Anthonium Lotharingum in agro deleta.

Neque vero huius Lutheranæ seditionis flamma sese ruri continuit, sed & Ciuitates plurimas cum occupasset, Ciuium sanguine fuit restinguenda, quod suo malo in hunc vsq; diem deplorant, Francofordia, Moguntia, Colonia.

Certe plurimi passim Magistratus, de Rerumpub. salute merito solliciti, cum populo suo Euangelico istam viderent minimè improbari fabulam, à suis magis, quam ab exteris sibi metuentes, vix quo se verterent habuere.

Basilienses vnum ex Euangelij columnis, in exilium abire iubebant, quem Satellites narrabant se nocte S. Parasceues deprehendisse, non adorantem crucem Christi, sed in Paphiæ Deæ mysterijs operantem: vti Erasmus testatur, Epistola ad fratres inferioris Germaniæ.

Farellum quoque (nisi ipse ille sit, quẽ diximus in lupanari tam sacro tempore deprehensus à Satellitibus) cum ab ipso seditionem metuerent, quippe qui sic in monte Pellicardi (ait Erasmus vbi sacrã rem gesserat seditiosus, audæ linguæ, & vanissimus, vt bis inde refugerit) cupiẽtes Basilæam à seditione tutam, exulatũ ire iusserunt, idem Basylieñ.

Sic per Hollandiam Anabaptistã quendam simulasse muratam in vinum aquã: Caprotum item piscium, quos paulo ante in puteum iniecerat, miraculum notius est, immo, vt quidam aiunt ex Actis publicis demonstrari posse, quam vt sit verbosius referendum. Plurima quoque de Georgio Dauidis audiui ab oculatis testibus, quæ conceptam passim de eo magiæ opinionem mirifice confirmant.

Memini, & Dordraci illũ simili artificio elapsum audire, cum in nauigio sua venenata dogmata aspergere nõ dubitasset, vbi solet ista pestis grassari. Haud infrequenter etiam egredientem de naui, vectores quidam obseruare constituunt, quonam diuerteret hospitij causa, vidét quidem egredientem, sed cum paululum esset progressus, euanuit. Ab istis non est alienum quod quidam aiunt, eo fuisse dementiæ delapsum, vt subinde in aera ad pedes sex, aut ad hominis staturam eleuaretur. Argento enim viuo copiose suos calceos aiunt replesse, eiusque vi in aera sublatum.

Cæterũ de Monasterienſibus illis Anabaptistis, certò certius est conatos fuisse simulata sanguinis pluuia, alijsque imposituris suum confirmare Pseudoeuangelium. Eo etiam insaniæ quosdam Tyguri fuisse redactos testatur Bullingerus, vt sibi dona linguarum polliceri à Patre Cælesti non dubitarent: sed eos vanissima illusit spes. Sicuti, & per Hollandiam nouum manna de Cœlo expectantes Adamitas. Illud tamen intactum præterire non possum ex fide dignis me audisse, tam efficacem fuisse Sathanæ in Anabaptistas imposituram, vt simulato quasi miraculo, dum sese illi fanaticæ factioni deuouerét Sacra possent legere, quod antea neque norant, neque didicerant. Sed si ab ipsis resipiscant, reuulsis præstigijs, vna cum animi pœnitentia perit & legendi scientia.

Equidem istud diu pro fabuloso habui, donec apud Harlemensem Ciuitatẽ vir Cathol. N. minime ignotus, narrabat suam vxorem, vbi vi in cubiculum perrupisset in quo expanso capillitio inter fratres sedebat Anabaptismum susceptura vi extraxisse, legentem nescio quæ ipsorum Mysteria: quam domi cum moneret, vt aliquid legeret, illa sene litteram quidem amplius nouisse respondit. Simile, & Louanij de iuuencula quadam ab Anabaptismo resipiscẽte, iam pridem audiui

diui. Hucusq; Lyndanus.

Scribit Nasus vixisse adhuc circa annum 1570. Fabrum quēdam Lignarium, qui in oppido Eijslingeñ. tractus Vlmensis, sacras imagines demolitus erat, & mōtem Oliueti affabre olim à maioribus compactum, dissipauit, Christi imagini Hyerosolimam super Asellum ingrediētis, duos protensos digitos primum amputauit, postea reliquum corpus comminuit: sed non ita multo post, duos, & ipse manus suæ digitos in palestra quadam ab homine amicissimo amputatos, in vindictam facinoris amisit.

In oppido Hostrat supra Danubiū, opifex quidam imagines sacras bipenni cōminuebat. Casu accidit, vt exile ligni fragmētum in faciem hominis subsiliens, cutem extremam ita læserit, vt ferè, nec sciret, nec curaret. At intra paucos dies, cancri in modum ita faciem omnem vulnus illud exesit, vt sine labijs, & dentes, & mandibulæ apparerent: idq; miser accidisse ob imagines violatas palam profitebatur. Vltio diuina sane verisimilis, nec illi absimilis, quam Athanasius recenset de iuuene Arriano, qui Thronum Ecclesiasticum conuulserat, ex quo fragmentū ligni in ventrem ipsius resilijt, & mactauit. In Epistola ad solitam vitā agentes.

Maguntiæ quoq; populus transuersim actus, ęquè ut Francofordieñ. multa procaciter egit in Clerum, toto triduo clausis portis manens in armis. Cogebatur Clerus, etiam ad iniquas pacis conditiones descendere, maxime quod Rustici tumultuantes seditiosorum audaciam augerent: sed non diu post extincta illa aggrestium hominum colluuie, & Francofordieñ., & Moguntinensium temerarij ausus repressi sunt, & in irritum redacta, quæcunque à Clero per vim, & seditionē extorserant.

Anno 1527. cæpit emergere in Germania Hæresis Anabaptistarū, ij quāuis pietatis quandam, & humilitatis speciem præ se ferre viderentur, multa tamen infanda multis in locis perpetrarunt. Inter alia pernicioſa, damnataq; dogmata Baptismum quoq; paruulorum reijciunt, & omnia volunt esse communia, etiam vxores: perinde vt olim Plato in sua Repub. Dicuntur autē sese ad nefarias libidines, eiusmodi verbis prouocare. Spiritus meus concupiscit carnem tuam, veni itaque, & faciamus mirabilia. Sur. us in Commentarijs.

Talis congressus apud Apocellam in Heluetijs accidisse memoratur, vbi 300. Anabaptistæ homines Phanatici, post decātatas Dei sui laudes, extinctis lucernis, brutorum instar, fœda sese libidine contaminarunt. Deinde in editum quendam montem conscenderunt, ibique existimātes sese ex illo ipso monte post egregiam illam suam peccatorum expiationem cum aīa, & corpore (mitt sporn vnd stiuuel,) vt dicitur, in cœlum assumendos aliquot diebus manserunt: dum fames cogeret ad mentē redire meliorem. Cochleus, & Surius.

Rottemburgi ad Neccharum fluuium Michael Cellarius Apostata Monachus multa cum primis absurda, & impia in populum spargebat dogmata, quibus in Principes, tam Ecclesiasticos, quam seculares seditionem concitabat.

In Sueuia quidā Sacerdos docebat instare finem Christianæ fidei: quod cū lex Moysi 1500. annis durauerit, Christiana quoque lex non esset diutius duratura: quamobrem adesse iam tempus vociferabatur, quo deberet alia fides, aliaq; lex hominibus tradi.

Alius quidam in oppido Heluetiorum Sanct. Gallo fratri suo Germano caput præcidit, inspectante vtroq; parente, & cū causam tam horrēdi perpetrati facinoris interrogaretur, diuinitus id sibi imperatū esse respondit, & impune tulit.

Basileæ Mense Februario, Euangelici Ciues tumultuari cæperunt, & duodecim Senatores loco mouerunt, quin, & sacras imagines, vt supra attigimus in templis omnibus demolliti sunt, ceu Idola quædam, ita persuasi a suis doctoribus, quasi eadem sit apud Christianos ratio imaginum, quæ fuit olim apud Ethnicos Idolorum. Missam quoq; prorsus abolēt, nihil deinceps habituri commertij cum incruento illo Ecclesiæ sacrificio. Ipso die Cinerū statuas, vel imagines ligneas distribuerunt in homines tenuioris fortunæ, vt illis barbaro imprimis exemplo, ad

focos

focos, & ignes ab vterent. Plebs vero tãta contentione eas sibi sigillatim vendicare conabatur, vt ad aceibas quoque pugnas ventum sit: Qua re factum est, vt in noué congestæ strues ante summam ędem flammis simul omnes concremarentur. Quo nomine certè, nemo iam Euãgelicos Arianorum filios, non rectè vocauerit, qui & ipsi olim, Athanasio teste, præter vim Præsbyteris, et Virginibus illatam, sub sellia quoque Ecclesiæ, Thronum, mensam ligneam, tabulas templi, & cætera, quæ potuerunt foras elata combusserunt, ante vestibulum, in magna platea, & thura insperserũt. Epist. ad solit. vitã agẽtes.

His rebus gestis lætum illum diem egerunt, tam egregio, scilicet, patrato facinore. Alijs quoque in locis fæuitum est in imagines, vel statuas, Missęq; Sacrosanctum Sacrificium explosum.

In Ciuitate Vestphaliæ Monasterienſi paulatim sese Anabaptistę insinuarunt, & in excidium tam Ecclesiastici, quam sæcularis Magistratus conspirarunt. In horum armati proruperunt, Magistratum Ciuitatis omni administratione priuauerunt. Et ex his qui excedere Ciuitate volebant, adeò nihil cibi, & potus efferre permiserunt, vt etiam mulieribus quibusdam, quæ agmen infantium partim ferebant in vlnis, partim ad manus trahebãt, vascula cereuisiæ plena, qua fatigatos in itinere paruulos recreare debebant, adimerent, & tam ex ipsorum, quã infantiũ manibus panes triticeos, quos eis mestæ matres vel ad solatium, vel etiam ad leniendam famem dederant, eriperent.

Paucis post diebus, eos qui suæ sectæ non erant, spoliatos prius hostilem in modum, ad vnum omnes exegerunt, nihil eis suarum rerum relinquentes, nisi si quam vestem non admodum bonam fuissent induti, adeo vt corallia quoque infantibus detraxerint, nec à conuitijs in abeuntes abstinuerint, vocitantes eos impios, & Paganos. Pro gentibus enim, & infidelibus habebant omnes eos, qui suæ sectæ non adhærebant. Exturbatis itaque omnibus Præsbyteris, Monachisque, & omni populo Catholico, atque etiam Lutheri parte, Vrbem obtinuerunt Anabaptistæ, ex infima plebe, & ex peregrina colluuie conuennarum, nouum Ciuitatis corpus regimenque constituentes, atque pulcherrimas tum Canonicorum, tum Patriciorum, & Senatorum domos inter sese distribuentes.

Eorum præcipuus Propheta Ioannes à Leidis oppido Hollandiæ, artificio Sartor, post oppugnationem ab Episcopo frustra tentatam, suis persuasit, Deum sibi per Spiritum mandasse, vt Rex fieret Israel, & iustitię, sicut Dauid fuerat, ac toti dominaretur orbi, perderetque omnem potestatem tum secularem, tum Ecclesiasticam, & nemini parceret, nisi ijs qui suam reciperent fidem, fierentq; subditi iustitiæ. Cum ergo nemo auderet Spiritus oraculo contradicere, constitutus est, generali suorum consensu Rex. Qui Regno sic obtento, mox magno apparatu regalem instituit curiam, diuersisq; officijs, & magistratibus distinxit. Atque insigni Pompa se, suosque Ministros exornauit holosericis, auratisq; atq; argenteis indumentis, quæ in templis abstulerat. Ipse autem gestabat Coronam triplicem, ex auro præcipuo, & cathenã auream gemmis adornatam, pomum itẽ aureum, cui parua crux aurea superposita erat, cum hac inscriptione, Rex iusticiæ super terram, Gladium præterea aureum cum capulo argenteo. Sic & Reginam suam, eiusq; virgines, prætiosissimo splendore fecit ornari. Ter itaque in hebdomada sic adornatus procedebat in forum, ibiq; in sublimi throno residebat, Satellitum stipatus caterua. Quicumque ergo causam illi suam propositurus erat, in accessu bis curuabat genua, ac semel procidebat pronus in terram, antequam negotium proponeret. Rex autem cunctis formidabilis in Maiestate, nouas condidit leges. Permisit vnicuique viro, quatuor, quinque, sex, aut septem vxores. Ipse quatuor habebat, & quintam super induxit. Præcepit omnibus puellis duodecim annos habentibus, vt nuberent, viris autem, vt vni vxorum tam diu condormiret, donec grauidam redderet, deinde cum alia concumberet, Paulo post instituit Cænam Domini, circa atriũ maioris Ecclesiæ, in qua sanè consedisse dicuntur 4200. homines, quibus Rex, &

Regi-

Regina cum Miniſtris ſuis ad menſam ad miniſtrabant. Dederunt autē primo tria fercula de carnibus elixatis, & aſſatis. Deinde ſumpſerunt Rex, & Regina placentas triticeas, quas fregerunt, alijſque porrexerunt, dicentes. Accipite, & manducate, atque annunciate mortem Domini. Similiter, & cantharos vini, cum hiſce verbis. Accipite, & bibite ex eo omnes, atque annunciate mortem Domini. Sic etiam ſedentes poſtea alter alteri porrexerunt, hiſce vſi verbis. Accipe frater, aut ſoror, & comede ex hoc. Sicut Chriſtus tradidit ſe pro me, ita ego me tradā pro te. Sic poſtea Rex quoq; & Regina cum Miniſtris ſuis, atq; cum ijs, qui ex vigilijs aduenerant, cēnam itidem cælebrarunt aſſidentes menſæ. Peracta autē cæna, interrogauit Rex in genere totū cætum, an parati eſſent omnes facere, ac pati voluntatem Patris. Cunctis annuentibus, ait. Hæc eſt voluntas Patris, & hoc eius mandatum, vt aliquos veſtrum emittam, ad enunciandum mirabilia eius, quę nobiſcū fecit. Deinde nominatim ex Schedula legit Regius Propheta Ioannes Varendorphius, ſex, qui irent Oſnaburgū: ſex, qui Caſſeldiam: quinque, qui Varēdorphiam, & octo (inter quos, & Prophetа ille erat) qui Suſatum proficiſcerentur. Rex dedit vnicuique nummum aureum valoris 9. florenorum: & viaticum præterea: qui mox relictis omnibus, adhuc veſpere illo egreſſi, cum peruenissent in ſupradictas vrbes vicinas, horribili clamore intonuerunt, dicentes. Conuertimini, & agite pœnitentiam, tempus enim hoc breue eſt, vt Pater ſit vobis miſericors. Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Quod ſi pacem non receperitis, breui ſubuertetur Vrbs veſtra. Deinde procedentes acceſſerunt ad Prætoriū cuiuſlibet vrbis, & coram Senatu expandētes in terra pallia ſua, nummoſq; illos ex auro pretioſos, ſuper ea proijcientes, dixerunt. Nos à Patre huc miſſi ſumus, ad anunciandum vobis pacem, quam ſi receperitis, bona veſtra in commune tradite. Quod ſi nolueritis, nos hoc aureo nūmo proteſtamur coram Deo, quod pacē eius non recipitis, ſed contemnitis. Et addiderunt, nunc eſſe tempus illud, de quo Prophetæ omnes prædixerūt, quod Deus nihil habere aliud vult ſuper terram, quā iuſticiā. Poſteaq; ergo Rex ſuo functus officio totum orbē Iuſticiæ ſubiugauerit, tunc Chriſtus tradet Regnum Patri ſuo.

At miſeri, ac phanatici homines illi, etſi gratioſe primū à Ciuibus auditi, atq; recepti fuerint, præſertim Varendorphię & Caſſeldiæ, quæ vrbes ſub Epiſcopi Monaſterienſi ditione ſunt, tamen breue fuit gaudium eorum. Epiſcopus enim admoto exercitu ſtatim eos ciues coegit, vt furioſos Prophetas illos in manū ipſi⁹ traderēt.

Oſneburgi quoq; mox, qui eo venerant comprehenſi fuerunt, & Epiſcopo traditi. Nam & ea Ciuitas illi paret.

Alij item octo, qui Suſatū venerāt, vbi compertum fuit, quod ſeditionē excitare contenderent, capti, ac vltimo affecti ſunt ſupplicio. Eſt enim vrbs illa grandis, ac populoſa, quæ etſi ſubeſſe deberet Epiſcopo Colonienſi, tamen illum non recipit, ſed vtitur libertate, & iure ſuo.

At qui Epiſcopo traditi fuerunt, non libere, ſed per torturas interrogati, omnia intrepide confeſſi fuerunt, ad mortem parati, adeò vt ne vnus quidem ex ijs oblata ſibi vltro venia reuocare, aut errorem ſuū agnoſcere voluerit, vſq; adeò valide afflati erāt à ſæuo, ac ſanguinario ſpiritu.

Interrogati itaque de ſtatu Ciuitatis Monaſterienſi. multa conformiter reſpondiſſe feruntur, quanta adhuc eſſet abundātia in auro, argento, alijſq; prætioſis rebus, item in ſiligine, in hordeo, in lardo, in puluere tormentario. Cęterum modicum ſupereſſe ſalis, caſeorumq;, & butyri. Eſſe aūt ibi adhuc bis mille, & 200. viros armis, ac bello validos, quib⁹ ſenæ sūt vxores, ſinguliſq; noctibus vigilare quingētos: Regē autē eorū expectare nouas copias ex Phriſia, & Hollādia, qb⁹ receptis, velle egredi, totāq; ſibi ſubiugare terram.

Sed illud quoq; memoria dignū duco, quod cum Epiſcopus Monaſterienſi. rebellē Ciuitatē obſediſſet, atq; ad eā miſeriā redegiſſet, vt obſeſſi mures, & glires vorare miſeri cogerent, & panis loco, corio, pellibuſq; cōtuſis vterētur: Rex ipſe nihilomin⁹ de cōſueto ſuo luxu, pereūtibus ſubditis, nequicq; remittebat: quorū casū vna ex Reginis miſerata, dixit, rē eā nō videri

ſibi

sibi Deo gratam. Id vero vbi Rex resciuit in forum eam cum cæteris vxoribus produxit, & caput illi manibus ipse suis præcidit. Aliæ Reginæ ad tam præclarum facinus cantillantes, Deo Patri gratias egerunt. Ipse vero Rex cum vniuerso populo hilares choreas ducebat.

Narrat etiam Bullingerus, quod quidã ex istis Anabaptisticis Enthusiastis, Thomas Sciekerus fratrem suum vterinum in conspectu parentum, & aliorum factiosorum, in genua procumbentem capite truncasset, Anno 1526. Februarij 7. Muleagi. Id autem se feciſſe iussu, & volũtate Patris omnipotentis affirmabat.

Hoc Anno 1556. obijt Basileæ Dauid Georgius, pestilentissimus Hæreticus, cuius suprà mentio facta est. Fertur is Delphis apud Bathauos ortus. Porrò cũ Cæsar in inferiori Germania eius dogmata persequeretur acerrime, Basileam se contulit Calẽdis Aprilis, Anno salutis 1544. cum aliquot comitibus. Ibi Ciuitatis statu diligenter explorato, quæstus de suis calamitatibus, quas Euangelij causa perferret, a Senatu supplex petit, vt Christi Iesu, & Euangelij causa in Ciuitatem cum familia satis ampla recipiatur. Senatus liberaliter respondet, & copiam illi facit, cum suis Basileam commigrandi. Erat homini corpus quadratũ, barba flaua, oculi glauci, & micantes, sermo grauis, & sedatus, totius corporis motus, status, incessus decẽs, & ad omnem vt videbatur probitatem compositus. Accepto Senatus responso, octauo Calendas Septẽbris, redit Basileam, cum multa familia, vxore, liberis, clientibus, & seruis, reliquoque comitatu: & in Ciuitatem adscribuntur. Deinde intra vrbem domum sibi comparant, extra vrbẽ arcem, & prædia quædam opima emunt, connubia cõtrahunt, & modis omnibus ita se comparant, vt viri boni, & religiosi viderentur, ne quisquam de eis siniſtre suspicaretur. Huiusmodi artibus id homo versutus effecit, vt à plerisq; magno in præcio haberetur. Hanc autem falsam opinionem augebat magna vis auri, & præciosæ res, quas secum attulerat, & ex inferiori Germania quottidie adferebantur, præterea Regalis quoque splendor, & apparatus: sed cum quadam modestia, & tranquillitate coniunctus. Habebant in ampla illa familia, singuli quique suas functiones, nec quisquã supra vires, aut inuitus ad aliquid faciendum cogebatur. Porrò callidus homo, non Dauidem Georgium: sed Ioannẽ à Bruk se nominabat: triaq; ab illis diligenter curabantur. Primum, ne Dauidis Georgij nomen proderetur. Deinde, cuius in Patria conditionis fuisset. Postremo, ne dogma suum ulli vel Basilienſi, vel Heluetio aperirent. Interim in Germania inferiore, & alijs semotis locis, literis, libris, nuncijs sectam suam continenter fouebat, apud Heluetios incredibili silentio tegebat. Sed quid humana possit versutia contra consilium prepotentis Dei. Ex ipsis familiaribus eius, de eius doctrina quidam dubitare cœperunt. Ex ijs facile Principem ad se vocat, cui alioqui plurimum confideret, nec sine stomacho ex illo percontatur, cur de re certissima dubitare voluerit, an non credat se verum esse illum Dauidem, à Deo missum, vt his extremis temporibus regnum Israeliticum restituat tabernaculum Iacob instauret. Sed post multam disputationem ipse mansit in sententia, & à Dauide fertur ab alienatus, monuisse etiam permultos, vt à pernicioſissima secta quamprimum discederent.

Ad huius admodum cõiuncti viri defectionem, accessit, quod è duabus, quas intra Vrbem habuit ædibus, altera fulmine tacta est, altera quam in pascuis magnificè extruxerat, cum præciosa supellectilli conflagrauit, nec diu post domus, in qua ipse habitabat, tabulatum repente concidit: omnium vero molestissime fertur tulisse, aduentum cuiusdam viri grauis ex Germania inferiori, qui Basileæ Dauidem ipsum, totamque eius familiam descripsisset. Eo percepto nuncio primũ eius coniunx morbo correpta moritur, & mox ipse quoq; excedit è corpore, qui se Christo Domino prætulerat, & immortalem finxerat. Fuit hoc Anno Christi 1556. 8. Calendas Septembris, Sepultus est honorifice in æde diui Leonardi. Eius mors non mediocriter perturbauit discipulorum animos, qui eum nunquam moriturum putarant, nisi quod homo vetera-

ratorius falsa persuasione eorum sustentabat spem, quod pollicitus esset se intra triennium ad vitam rediturum, & præstiturum ea, quæ ipsis ampliter promisisset. Post obitum eius paulatim cæpit latens fraus aperiri, ita vt plerique iam sentirēt eum, qui se Ioannem à Bruk, atque etiā ab arce, quam Basileæ emerat, Ioannem à Benningen, falso appellarat: Dauidem Georgium esse, sectæ pestilentissimæ authorem, qui se Regem, & Christum sceleratissime asseruisset. Hæc fama permouit Senatum Basilieñ. vt rem diligentius inuestigandam susciperet. Itaque 4. Idus Maij anno 1559. (libet enim hic totam historiam vnum in locum congerere, ne postea sit necesse per partes absoluere) Dauidis Georgij iā mortui, filij, & quotquot in eius erant familia, mares, quidā etiam extra familiam clientes, & amici in curiam accersuntur. Vbi eò venerunt omnes, Tribunus plebis, nonnulla præfatus de illorum simulatione, & dissimulatione, postea interrogat, num Ioannes à Bruk, sit proprium hominis defuncti nomen, an vnquam siue priuatim, siue publicè docuerit, & quæ eius doctrina fuerit. Ibi à nonnullis responsum est nullam ipsos habere propriam sectam: à nonnullis vero, non aliam se tenere religionem, quam quæ Basileæ doceretur. Nec se aliud nosse viri nomen, quam Ioannis à Bruk, quod à patria haberet, priuatim quidem illum, non tam docendi, quam adhortandi causa quædam inter suos dixisse, nihil a Basilienſium Concionatorum dictis discrepantia. Erant homines vndecim, cumque hac ratione nihil esset compertum, iubentur secedere, & singuli reuocantur, & separatim interrogantur. At nec sic quicquam repertū est. Itaque iubentur omnes isti in carceres abduci, & haberi in vinculis, mittuntur interim à Senatu, qui in illorum ædibus scripta omnia conquirant, si quid forte inde cognosci queat. Facta conquisitione, permulti libri, & literæ repertæ cū ipsius Dauidis ad viuum picta imagine, asportantur, danturq; Theologis, & Iurisperitis quibusdam, examinandæ nunquid in ijs sit diuersum à religione recepta. Faciunt illi diligenter, quod iussi erant, & Dauidica ad Senatum referunt. Senatus porrò mittit ad eos, qui in vinculis erant septem viros rerum Capitaliū, qui sęuera primum interrogatione, nihil ab illis impetrant. At tamen cum non nihil quidam titubare viderentur accuratius inquiritur, & ibi tum quidam fatētur, qui se Ioannem à Bruk dixisset, eum esse Dauidem Georgium, cuius nomine in Germania inferiore tot essent turbæ excitatæ. Porrò cum eis nonnulla doctrinæ eius decreta proponerentur, fatebantur se illam doctrinam nunquam ex eo audiuisse: nec in libris eius inuenisse, sed se prorsus eam detestari, quod si tamē in aliquo errarint, vel etiam nunc errent, cupere institui rectius. Hæc vbi ad Senatum septem viri retulerunt, missi sunt Cōcionatores certi, & Theologi tam ad eos qui in carcere erant, quam ad eiusdem familiæ fœminas omnes, vbi ad eos ventū est, vno ore tam viri, quam fœminæ respondent, se detestari ea, quæ ipsis tanquā Dauidis Georgij inuēta, essent proposita, & eam complecti fidem, quæ Basileæ tradatur. Deinde Senatus Dauidicæ doctrinæ capita quædam Academiæ, & Concionatoribus censenda proponit. Omnes igitur à Rectore Academię conuocantur, veniunt ad Concionatores, cunctiq; ea capita damnant, postea Senatus iubet homines è carceribus educi, & sub certis aliquot conditionibus dimitti. In ijs cōditionibus etiam illa fuit, vt Dauidicos libros omnes, siue typis excusos, siue manu scriptos, qui vllo modo Dauidicū fermentum redoleant, quos apud se habeāt, mox in Curiam apportent: nec vllū Batauica lingua scriptum librum apud se retineant. Hac quidem ratione possent facile extingui Hæreses omnes, si sic cum omnium damnatorum dogmatū scriptis ageretur. Sed hanc legem in suis scriptis non facile tulerint dogmatistæ Zuinglia-ni, & eorum similes.

Biduo post Iudices rerum Capitalium, de Dauidis Georgij Cadauere, libris, & reliquis ad eum pertinentibus in aream productis, extremum iudicium instituunt. Inter alia obijciunt, quod ob eius pernicioſam sectam multi vtriusque sexus, atque etiam propria mater eius in inferiori

Ger-

Germania vita mulctati fuerint, atque ea causa ipse inde aufugerit, licet aliud Basileæ prætexeret: deinde pronunciant eius scripta omnia flammis exurenda, eius cadauer siue ossa, & quicquid reliquum in eius sepulchro fuerit, effodiendum, extra portam in supplicij locum, vna cum libris, & imagine eius, ad viuum picta à carnifice trahendum, illicque simul omnia in cineres redigenda, sicut cum ipso Dauide fieret si superesset. Porrò bona eius omnia in ærarium publicum inferenda. Postremo, si quis contra hoc iudicium quicquam dixerit, fecerit, eadem pœna plectendum. Sic illius insani hominis memoria prorsus abolita est. Cũ carnifex cadauer eius cõburere voluit, prius illud ira erexit, vt ab omnibus, qui nominem nouissent viuum, facile agnosceretur. Nam satis adhuc integrũ erat, præsertim flaua barba. Erat autem hoc modo ornatus. In capite vilosum è serico pileum purpura suffultum habebat, & è Rosmarino Corollam, caput puluini non ignobiles fulciebant: ipse vndulata toga, quod Cambelotum vocãt, vestitus, ac Syndone munda inuolutus. Sic enim hæredes eum sepeliendum curauerant. Combustus est autem cum scriptis suis coram maxima hominum frequentia. Fuit ille Dauid, vir magno ingenio (licet Patre, vt aiunt ludione natus, & ipse in prima ætate pingendi vitri artem sit secutus) sed malo, prauoq;, quod ex plurimis eius libris, Hollandica lingua compositis, potest animaduerti: linguæ latinæ, & omnium aliarum, nisi Patriæ rudis fuit. Eius autem doctrina multos continet execrabiles errores, de quibus iam dictum est.

Basileæ Anno 1529. Imagines omnes, magno furore grex Euangelicorum deturbabat. Cum ad imaginem Christi Crucifixi, quę in medio tẽplo erecta erat, ventum esset, vt maiorem Papistarũ Deũ (sic enim vocabãt) maiorè ignonimia dignam putabant, Carnificem accersẽrũt, qui sæua bipenni truncum crucis præcidit. Ipsa vero mole sua in terram cadẽte, Carnifex imaginem Crucifixi flagellis primum cedit, auriculas abscindit, manus, & pedes detruncat, oculos eruit, ad extremũ alligato ad caudam equi trũco, ex Ecclesia ad furcam, ad eum modum pertraxit, quo fontes, & damnatos solitus erat trahere: sed non ita multo post, ille ipse carnifex ad suspendium ob scelera damnatus, illo ipso equo est extractus.

Anno 1523. Ciuis quidã Torgauiẽn. ex Monasterio Mimisensi nouem Sacras Virgines Vittembergam adduxit clam, quarum vnã non longe post, Luth. incestis sibi nuptijs copulauit, & in huius Ciuis, & facinoris defensionem, libellum etiam edidit.

Franciscus Siccingius, vir Nobilis, & Lutheri Spiritu plenus, spirans minas, & cædes in exitium ordinis Ecclesiastici, quo Præceptore fidem didicit, eodem authore sanguinem, Christi seruorum effundere cæpit. Archiepiscopo Treuerẽn. Imperij Electori bellum indixit. Ciuitatẽ obsedit, à qua tamen præsentis principis industria reiectus est, multa tamen subditis damna dedit. Landgrauio Hassiæ, adhuc puero grauissima damna intulit. Vrbem Mettensem ad indignã pacis cõditionẽ adegit. Non pauca damna hinc, & inde, Luthero impellente Germaniæ dedit.

Fuit Islebij insigne Monasterium virginum, in quo Florentina quædam, cum cæteris Monasticen, professa, corpore degebat, non animo. Erat illa iam Lutheri inescata blandissimis vocibus ad carnis sectandas voluptates, & Deo sacratas virgines egregie incitantibus, quasi nulla sit votorum vis, liceatq; spretis votis, spreto omni pudore, & verecundia, omni calcata honestate, & religione, post datã perpetuæ continentiæ fidem, transire ad nuptias, & Christo immortali sponso repudiato, homini mortali, breuissimæ cuiusdam captandæ causa voluptatis se sceleratissime prostituere. Itaque conquesta fuit illa cuidam è suæ stirpis hominibus, vitam Monasticam nullo pacto sibi conuenire, velle proinde se ex Monasterio discedere. Res delata est ad Abbatissam. Ea multis modis studuit, eam ab hac amentia reuocare, sed cum nihil efficeret, iussit eam ex Monastici Canonis præscripto asseruari in custodia. Accidit interea, vt quæ illi ad custodiam designata erat, ostium carceris casu quo

dam

dam apertum relinqueret. Quod cernens Florentina, clanculo inde se subduxit, & ad Lutherum, Patronum scilicet pudicitiæ, & integritatis profugit. Ille contra omnes Abbatissæ querelas graues, quibus illam profugam periurij, & voti violati ream accusabat, libellũ euulgauit, quo docere voluit nouus Euangelista, alumnus non Christi sed Iouiniani, aut alicuius eo deterioris, non sine præcipuo præpotentis Dei miraculo illã fuisse ex Inferno ereptam.

Circa Annũ Domini 1525. Zuinglius cum suis Ecclesiæ Tygurinæ Ministris, & Symmistis multum egit, in frequentissimo Tyguri Senatu, vt missa, & Eucharistiæ adoratio prorsus aboliretur. Restitit illis aliquandiu, vir quidam egregie Catholicus, sed quia plausibilis valde erat Zuinglij doctrina, quæ confessionem peccatorum, ieiunia, labores, pœnitentiæ, & id genus alia reijceret, decretum est in Senatu, vt missa deinceps in perpetuum exularet, & ut quidam ineptus ait, mox secuta est publica totius Ecclesiæ Tygurinæ gratulatio, & lætitia.

Georgius Pauius, mali præceptoris Lutheri pessimus discipulus, fraudem Lutherano Cacangelio dignissimam, in optimum Principem Georgium Saxoniæ Ducem, cuius Cancellarium agebat, talem admisit. Formulam effinxit, & conscripsit, fœderis cuiusdam icti, à certis Catholicis Principibus, contra Electorem Saxoniæ, & Hassiæ Landgrauium, vt eos in Catholicos Principes ad arma concitaret, vti etiam factum est. Formulæ illi commenticiæ appressit sigillum Georgij Ducis, legendam deinde obtulit Lantgrauio, qui viso Sigillo putauit rẽ prorsus veram esse, communicatoque cum Saxone consilio, grandem vterque conscripsit exercitum. cæteris interim Principibus mirantibus, quid ea militum conscriptio sibi veliet. Interim Landgrauius per literas hortatur Georgium Principem, vt illi fœderi nuncium remittat. Princeps Georgius lectis literis, & visa formula, cuius exemplum adeum Lantgrauius misserat, obstupuit, moxque datis ad Lantgrauium literis, generose, & luculenter illi sese purgat, inter alia grauiter postulãs, sibi ostẽdi virum, qui eam rem ad ipsum detulisset, deploratum, infamem, & periurum nebulonem, eum appellans. Excusarunt sese etiam, & alij Principes, qui hoc fœdere comprehensi ferebantur: sed tamen belli cladem à se auertere non potuerunt, tres viciniores Episcopi, Moguntinus, Herbipolensis, & Bambergensis, nisi numeratis centum millibus aureorum, imparatis enim magnus imminebat exercitus, cui ditiones suas populandas, & diuexandas obijcere noluerunt. Porro Lãtgrauius ne hanc fabulam ipse confixisse videretur, indicauit authorem, certumq; præfitit diem, ad quem adesset Regis Ferdinandi, Electoris Brandeburgen. & Ducis Georgij Oratores, hominem accusaturi, si quid haberent aduersus eum, venerunt Legati Principum, & multorum criminum, atque etiam falsi reum eum peregerunt. Cum enim sua decoxisset, multis vijs homine ingenuo plane indignis, pecuniam vndecunque conflare solitus erat, atque hoc nomine diuersas effinxerat Epistolas, quas Georgij Principis annulo obsignarat. Lantgrauius nomine fœderis ad ipsum falso delati, quatuor millia aureorum illi dono dedit, vt ijs æs alienum dissolueret, quanquam id maius esset, quam quibus vel tot millia sufficerent. Tandem cum non posset obiecta ipsi à Principum Legatis crimina diluere, turpissima illi ignominiæ nota inusta est. Et vitam quidem clementia Landgrauij Principis retinuit, sed nusquam fere tuto consistere valens, instar Cain vixit vagus, & profugus in terra, latitans, in vrbibus maritimis. Ad extremũ, cũ plerumq; maleficia meritas nõ euadant pœnas, Antuerpię comprehensus est, anno 1536. & sequẽtis anni, mense Februario post lõgos carceris squalores, & grauissima quæstionum tormenta, capite plexus, & in quatuor partes dissectus est. Inde pax redita Germaniæ nequaquam diuturna fuisset, Sueuici fœderis Socijs Lantgrauium incusantibus, quod confœderatis ipsorum iniuriam feciset, nisi ea res Vormatię opera Palatini Principis compositione transacta esset.

Anno 1531. Tygurini, & Bernates Euangelici Zuingliani ob odiũ verbi Dei,

& ob amorem verbi sui, Quinquepagicis socijs suis, nempe Lucernatibus, Vranis, Suicijs, Vnterualdijs, & Iugianijs, qui Catholicam religionem fortissime tuebãtur, conuehendę annonæ aditus omnes præcluserunt: quare vehementer afflicti Quinquepagici bellum Tygurinis, & Bernatinis indixerunt. Tygurini longè præstabant humanis copijs, & viribus. Quinquepagici causæ suæ æquitate freti, omnem suam spem in Dei auxilio collocabant. Die itaque 11. Octobris Tygurini apud Capellam Monasterium, Suicos, Iugianos, & Vnterualdios inuadũt Catholici fugam simulant, vt in paratas insidias hostem pelliciant, mox ex insidijs valido agmine prorumpentes, Tygurinos in fugam compellunt. Cæsi sunt ex Tygurinis 1500. & inijs omnium malorum inuentor, & caput Zuinglius, qui inuentus à duobus Catholicis adhuc spirãs, interrogatusque num confessione expiare se vellet, mortuum se simulans, nil respõdit. Et illi quidẽ hæreticũ non nouerãt. Alius vero superueniens, vt vidit miserũ, letale vulnus inflixit, deuulitque ad belli Duces, qui iudicio publico condemnatum proditionis, & hæreseos, flammis tradi iusserunt. Cæsi sunt cum illo etiam alij quidam Apostatæ insignes. Ferunt Tygurinos quosdam Zuinglij cineres domum asportasse. Sed intra paucos dies rursus maiores instruunt copias, accitisque Bernatibus ad triginta hominum millia producunt in aciem. Occurrunt illis Catholici, quorum tota cohors octodecim millibus constitit. Iterum concurritur: et infestis signis, Zuingliani ceduntur à Catholicis, fit fuga turpis Zuinglianorum, flumen quingentos absorbet. In conflictu septingenti prosternuntur. Id prælium commissum est Octobris die 17. Pessime habuit eas res Tygurinos, & Bernates, quod plurimi à paucis in fugam turpiter acti, & superati essent. Eam ob rem in auxilium sibi abscisciunt Basilienses, & Schaffhusianos, & Sangallios, & Mullusianos, eo consilio, vt noctu Catholicos imparatos inuadant: non latuit Quinquepagicos quid illi machinarentur, iubẽtq; suos interulas lineas armis superinducere, vt eo Symbolo noctu possint alij ab alijs internosci. Vbi ad pugnam ventum est, atrox fit prælium, iamq; Catholici non paucis amissis debilitari cœperãt: sed Deus qui pijs nunquã deesse solet, laborantibus opẽ tulit, adeo vt hostes fugã arripere cogerentur, aliquot millibus è suis desideratis. Fuit hoc die Octobris 24. Sunt qui scribant, vltima Octobris iterũ cõmissum esse prælium, multis Tygurinis occisione deletis. Est apud Heluetios templum quoddã in primis venerabile, & miraculis celebre, Deiparæ Virgini sacrũ. Eremũ appellãt. Ad id tẽplũ Quinquepagici processionẽ decreuerant à senibus, pueris fœminis, virginibus, omniq; imbelli turba peragendã. Tulerunt hoc ægerrime Zuingliani, iãq; constituerant illã ædem euertere, & imaginẽ beatissimæ Virginis Marię in frustra conciſam igne absumere. Sed ille tã barbarus, & à Christiana pietate alienus conatus, multo illis sanguine cõstitit, nec tñ voto sunt potiti suo. In his prælijs, cũ Zuingliani lõge essent armis, & milite superiores, satis euidẽter sese declarauit superni numinis fauor, quo freti Catholici, præclaras ex eis victorias retulerũt. Habebãt. n. Catholici in exercitu suo Sacrificos suos, quibus sua errata cõfiterẽtur, & quorũ Sacrificijs quotidie interessent, in quibus sane, religiose admodũ diuinũ implorabãt auxiliũ, vt ostenderẽt se nõ in armis, sed in potentia Dei spẽ suam repositisse. Cõstituerãt et 18. viduas, quæ p vices, nocte, ac die sænæ sẽper in tẽplo D. virginis eremitico, p exercitu depcarent.

Anno 1532. conati sunt Anabaptistæ, Amsterodamũ insigne Hollandiæ emporium, fraude & dolo obtinere, sed frustrã. Fuit per id tempus Phrisia quoque, ab ea hominum peste vindicata. Inuaserũt Anabaptistæ Amsterledamũ nocturnis horis, Senatũ vi occupãt, vigiles, & plerosq; ex Senatu perimunt, sed tandẽ superati, promeritis pænas luunt, easq; valde acerbas. Habuerunt Episcopum quendam suum, cuius caput affixũ palo in vrbis turri collocatum est. Iam paulo ante insigne quoddam Phrisiæ Cœnobium, aquarum ambitu egregie munitum, occuparant: sed Phrisiæ Præfectus, opportune illorũ conatibus occurrens, iugulauit omnes fortissime repugnantes, in quibus etiam virgines

quędam

quædam erant, quas ob pertinaciam eadē pœna inuoluit.

Inter præcipuos autem Phalarismos illa quoque rebellio censeri debet, cum ob amorem Euangelij Lutherani, pacē quā inter se seruare debent Christiani, Principes Euangelici, Dux Saxoniæ, & Lantdgrauius Hassiæ violarunt, malis consilijs Ministrorum, & Concionatorum suorum ad facinus adducti. Conscripserunt illi 80. millia peditum, & equitum 10. millia. Tormenta verò maiora 130. in aciē eduxerunt, vt pientissimum, & Catholicissimum Cæsarem, & Dominum suum Carolum V. tota si fieri posset Germania exturbarent. Puerum cum vneatore in castra Cæsaris mittunt, qui Epistolam minis plenam pertulit, ad Testamentum, antiquo Patriæ more deligatam. Mille Noningentos ferreos globos e iaculantur, qua tempestate, octo & amplius horis durante, Cœlum commouerant, & undas. Circa ipsum Cæsarem suos obequitantē, tam denti volabant pilarum imbres, tam sæpe ad pedes eius decidebant, vt negari non possit præsens illi ad defensionem numen diuinum adfuisse, neque enim tam densa illa pilarum tempestas, plures offendit, quam unum è stipatoribus Cæsaris, equos duos, & signum militare discerpū. Ad pugnam tamen vis illa imbelliū Euāgelicorum elici non potuit, Deo illis cor & mentem eripiente, nec aliud maius ope reprætum factum est, quam quod in reditu, magnam pecuniæ vim ab Ecclesiasticis extorserunt, & non ita multo post uicti, in optimi Cæsaris potestatē apud Vittembergam peruenerunt. Quo cum Cæsar cellerrimè profiscereturincidit in statuam Christi, e cruce pendentis, cuius pectus tormenti globulo traiectū erat, quod pius Princeps conspicatus, dolore q; cordis tactus intrinsecus, suspicit in cœlum. Et, ô Deus, inquit, modo velis, facile poteris tantum scelus vlcisci. Rem totam recenset Surius.

Anno 1549. Magdeburgenses iam antea proscripti Cæsar, cumque nollent decretum religionis Augustæ euulgatum recipere, maiorem in eos concipit indignationem. Hæc Vrbs ferè prima amplexa fuit Lutheri infaustum Euangeliū, erātq; illic hoc tempore aliquot strenui Lutherani Concionatores, Nicolaus Amsdorphius, quem Cæsar ex Numburgensi Episcopatu eiecerat, & Matthias Flaccꝰ Illiricus. Isti videntur commouisse Ciues, vt pertinaciter Cæsaris decretū repudiarent. Illiricus diu fuerat Melanctonis discipulus, sed cum videretur Melancton cum Vittembergensibus, & Lypsensibus non prorsus à Cęsaris decreto abhorrere, multa quoque concedere, scripsit, vnā cū socijs Magdeburgicis (qui nec latum vnguem vlla in re a Lutheri placitis discedendum putabant) contra Melanctonem, & eius asseclas. Scripsit in eos etiam Nicolaus Gallus, qui nisi fallor, id temporis Magdeburgi erat, postea vero factus est Superintendens Ratisbonensis. Hæc vero rigidorum, & mollium Confessionistarum (sic enim Catholici quidam eos vocant) contentio, tandem eo vsque prorgressa est, vt miser Illyricus tota fere Saxonia proscriptus, Ratisbonā vsq; ad Nicolaum Gallum profugerit, Vehemens est enim Illyricus.

Anno 1550. ipso Purificationis die solemni, Argentinensis Clerus Missam in tribus templis rursus celebrat, iam plusquam viginti annis intermissam. Ibi itidem Sleidanus mire est facetus, & Cæremonias Ecclesiasticas haud secus, atque Turcus aliquis, aut Scytha irridet. Eo autem die excitatus est Argentinę tumultus occasione quadam, & vsque adeo res periculi plena fuit, vt inde vsq; ad Pentecosten rursus diuina officia intermissa sint, oderant Clerum plerique vrbis incolæ, nec alio, quam Idolatrio loco habebant, pleraſque omnes Catholicæ Ecclesię cæremonias. Porro Apostatæ Bucceri idē tidem repetitæ incestæ nuptiæ, horrendæ in Eucharistiam, & alia Sacramenta blasphemiæ, diuinarum ac humanarum rerum, plus quam Babylonicæ confusio purū putum Euangelion videbantur.

Magna omnino, & incredibilia hoc Anno 1552. damna tulit Germania, idq; ab ipsis Germanis, qui se Germanicę libertatis vindices profitentur, præterquam quod etiam tres Germaniæ Episcopatus Gallus sibi vendicauit.

Dum Albertus in Franconia grassatur,

Mauritius, & socij exercitum eo mittunt, Albertus magna exacta pecuniæ vi, multis abductis captiuis obsidibus, è Norimbergica ditione, in Saxoniam cellerrime aduolat, multos Erphordiensis agri vicos diripit, Mauritius eius repentino aduentu commotus, omnes suos ad arma vocat Albertus eius finibus nil nocet, Halberstatenſi Clero magnam pecuniæ vim imperat, Henrici Brunsuicensis agrum incendijs vastat, Ferdinandus Rex, & Mauritius bellum ei denunciant. Norimbergenses eius ditionem inuadunt, editoque libro inter alia hoc ei obijciunt, ceu singulare quoddã inauditæ crudelitatis exemplum, quod cum Altorfum, atq; Laufum ditionis Norimbergicæ oppida occupasset, & oppidanos, & ruricolas, & pecudes incluserit eo animo, vt omnes exureret, eo incendio, pueros, mulieres aliquot grauidas, & non paucos ægrotos, conflagrasse.

Hoc 1554. Anno fuit quidam Parisijs qui se Ioannis Apostoli, & Euangelistæ mente perfusum diceret. Porrò, & Basileæ, & Parisijs visus est, qui genio Petri Apostoli se duce frui contenderet. Alius quoq; Basileæ asserere non dubitauit, se Mosis Angelum habere, prædixitq; Regem Galliæ ante Mensis Iunij initium, Protestantium dogma recepturum. Multos ille quidem initio commouit: sed vbi vidit Regem Franciæ constanter in auita religione permanere, subduxit se, veritus laqueum, furcifer, non finxissent isti, opinor talia, nisi vidissent homines plerosque incredibili stoliditate quibuslibet commentis facilè commodare fidem.

Anno 1557. octauo die Ianuarij mortuus est Albertus Brandeburgicus, qui intra paucos Annos, mirabiliter afflixit Germaniam. Primo cum Mauritio persecutus est Cæsarem, inde Norimbergenses, quos maximis affecit damnis, & Episcopos Herbipolensem, atq; Bambergensem. Postea à Gallo rursus defecit ad Cæsarem, cæsis multis Gallis, & capto egregio Gallorum Duce Aumalio. Deinde cum Mauritio acerrime conflixit, in quo multa Germanorum millia perierũt vna die, & Mauritius ipse cum duobus Henrici Brunsuicensis Principis filijs, multique Comites.

Aquisquanenses Caluiniani, acceptis non ita pridem Christianiss. Cæsaris Rodolphi mandatis, ut non nisi Catholicos in Senatum vrbis adhiberent, sectæ suæ more, tantum abest, vt legitimæ potestati obedirent, ut etiam magnas statim turbas concitarent, Tribus omnes atq; plebeios homines ad arma vocarent, claues vrbis, aerarij, armamentarij Magistratui eriperent: forum, mœnia, turres, propugnacula armato milite complerent, tormẽta in medio foro disponerẽt, magnãq; cum tanta petulantia crudelitatem exercerent, alijs ex clero occisis, alijs vulneratis, vt Magistratus Catholicus, & plerique ciues modestiores, & vniuersus ordo Ecclesiasticus vrbe excedere, vitęque suæ fuga consulere cogerentur.

EVANGELICORVM Phalarismi in Gallia.

SICVT Germaniam Lutheristæ, sic Galliã perturbarũt Caluinistæ. Anno enim 1561. dum Henricus Rex grauissimo bello multis annis implicatus teneretur. Caluinus cum suis summam nactus opportunitatem, pestilentissima scripta, tum Latino, tum Gallico idiomatè seminabat. Porrò successor eius Rex Franciscus, summæ spei adolescens, volens obuiam ire initijs, Regni ordinibus Conuentum indixit, componendæ religionis causa, sed is quoque non ita multo post extinctus, pium studium deserere coactus est. Successorem accepit Carolũ nonum, duodecim annorũ puerum: cuius adolescentia abusi Caluinistæ, nullum deinceps non ausi sunt scelestum facinus in Deum, & in Regem. Extat scriptum Galli: cuiusdam, in quo inter alia refert nefandissimum Geneuæ initum fuisse consilium, de Rege Francisco, Regina vxore, Regina matre Francisci, & eius liberis, proceribus, boniſque Magistratibus ad certum diem, cõmodo loco, per insidias

bdias trucidandis, atque eius crudelissimę, & post homines natos atrocissimæ conspirationis Bezam Principem, Caluinum authorem, Ottomannum subsignatorem, Spifamium suasorem, omnes Galliæ prædones, & laniſtas conscios fuisse.

Anno vero sequenti 1562. Cum primis infausta omnia Regno Gallię accidisse testatur Surius. Sęuitum enim est mirabiliter, & plusquam Turcice, vel Tartarice, in Sacrosanctã Eucharistiam, in res Deo sacratas, in templa, in Monasteria, in calices, vasa sacra, & id genus alia. Ex duodecim noui Euangelij buccinatoribus, qui inter alios verbi Dei Ministros se dicebant, octo, vel nouem erant desertores Monachi, quos euomuerat Christus ex ore suo, qui artibus, & fraudibus suis, animos hominum ita incenderant, vt vitam acerbam putarent, nisi vitam Catholicis omnibus eodem impetu eriperent. Aquitani itaque primi fuerunt, qui in sua regione, omnia sacra, profana fecerunt: quod cum succesſſisset, ad perturbandum statum ciuitatis Parisiensis animos adiecerunt. Duobus in locis Conuentus instituerunt, ad quos armati, & minas intentantes accedebant, obuios sæpè percutientes. Concionibus Catholicorũ, & diuinis audibus, quæ in templis habebantur oblatrantes. Si quis ciuium ab Hugonistarum factione alienus gladium gestasset, is ut seditiosus comprehendebatur, & mulctabatur. Tandem autem res in apertum erupit. Ipso namque die Sancti Ioannis Euangelistæ, cum ad suas conciones valde multi conuenissent Hugonistæ: & Catholici ad preces vespertinas, in Sancti Medardi æde cãpanas pulsarent, vociferari cœperũt, verbi Dei prædicationem, campanarum strepitu interturbari. Hac itaque arrepta occasione impetum in ædem, nec dum bene exædificatam armati fecerunt, vna manu gladium, altera ferentes sclopetum: & in auditores nil tale expectantes, plebemque miseram crudeliter sæuierunt. Sanctissimi Aniani Aurelien. Episcopi ossa exusserunt, Sacram Eucharistiam sclopetorum globulis traiecerunt, & pedibus contriuerunt.

Oblectandi gratia, vestiebant aliquem è suo grege vestibus sacris, tanquam iturum ad sacrificandum, & per vrbem cum ingenti triumpho circumducebant cantantes ludibrij causa, Te Deum Laudamus, vel Requiem. æternam.

Francisci Secundi, Regis sui fratris germani corpus, in æde Sanctæ Crucis conditum combusserunt. Campanas, & Candelabra in bombardas transformarunt, librorum maximam supellectilem exusserunt, Baptisteria cloacarum loco habuerunt. In templo Franciscanorum puluerem tormentarium reposuerunt, in quem ignis postea incidit, & omnia simul euertit.

Si qui Catholicorum Ciuitate excedere voluerunt, ob tantos furores, eos comprehensos, furti insimulabant, quasi vasa Ecclesiastica, quæ se pro fisco Regis corradere simulabant, surripuissent; & laqueo suspendebant.

Sacerdos quidam in solario domus Missam celebrabat, & assistentes Catholicos, ad constantiam, & pietatem hortabatur. Eum comprehensum ita ut erat vestitus per plateas ludibundi raptabant, vsque ad Portæ excubitores, vbi impositа capiti galea, & hasta humeris iniecta, libidini militum vexandum, ridendumque reliquerunt, & biduo ieiunare coegerunt.

Sacerdotes non paucos ad equorum suorum caudas alligatos, currentium vestigia sequi coegerunt, & cum deficerent, oculos eruerunt, nares, & aures præciderunt, nonnullis & virilia. Ad extremum, alios ad arbores alligatos, bombardarum ictibus confecerunt, alijs capita præciderunt, alijs cutem de facie detraxerunt, & digitorum extremas partes cum vnguibus resecarunt.

Ossa Ludouici 2. Galliæ Regis effracto Mausoleo ad cineres vsque combusserunt, statuam eiusdem, brachijs, & cruribus detruncatis, resectoque capite proiecerunt.

In Sacello Longauillano conditi erãt pleriq; Magnates è Regio stemate oriũdi. Eorum erута corpora, & frustratim

concisa canibus proiecerunt. Canonicos, & Sacerdotes dispersos, sistere se intra triduum Aureliæ per Præconem iusserunt, vt Ecclesiasticum argentum propalarêt, quod si non facerent, laqueos minabantur.

Corpora parentum, & cognatorum Regis Nauarrę inspectāte Regina, coniuge eruerunt, & exusserunt.

Beza, conuasata è Sacris Thesauris magna pecunia, pelli suæ prospiciens, Aurelia in Germaniam secedebat. In itinere bis, terue concionatus cum constantes in fide Catholica incolas inuenisset, omnes illius Prouinciæ Parochos, & Sacerdotes, magna pecunia vitam redimere iussit, quam cum repræsentassent, trucidari nihilominus ad vnum omnes imperauit.

In Turonēsi Ciuitate è tribus templis ingentem auri, & argenti vim rapuerunt, & gemmarum infinitum numerum.

Ibidem, grandeuo quodam, & religioso Monacho intercepto, virilia eius primo præciderunt, & mox ea cocta edere miserum compulerunt. Quæ cum ligurisset stomachum dissecuerunt, ventriculum euulserunt, & aperuerunt, vt viderent, vtrumnam illud edulium integrum descendisset, aut quo loco hæsisset.

Ibidem Sancti Martini sacras reliquias in summa veneratione toto orbe Christiano habitas in ignem proiecerunt, & cineres rapidis ludibria ventis disperserunt.

Rothomagi, immo per totā Nortmanniam templa omnia inflāmarunt, & cum illis vna vasa, & vestes sacras, in cineres combusserunt, quas cum redimere quidā oblata pecunia cuperent, non modo eas vendere noluerunt: sed potius discerpserunt, vel in ignem proiecerunt.

Apud Pictauos, asseruabantur ossa D. Hillarij Sanctissimi, & doctissimi Episcopi, quem D. Hieronymus non immerito vocat tubam latini sermonis, contra Arrianos. Ibidem erant ossa Radegundis Reginæ Franc. pientissimæ, vtriusque reliquias combusserunt, cineres disiecerūt. & præstantissimas, refertissimasque Bybliothecas incenderunt. Lugduni quoque Sanctissimi, & antiquissimi Martyris Irenei ossa concremarunt.

Anno Domini 1563. Guisius Dux fortissimus, cum prælia Domini in Gallia præliaretur, & quadam die sub vesperum Lygerim nauigio traijceret, à Poltroto quodam ficcario prece, & precio à conscelerato Beza, & cæteris Hugonistis, vt habet Bolescus, ad inferendam necē, conducto, tribus sclopeti globulis in humero dextro, lætaliter vulneratus, post paucos dies obijt. Addit Balduinus tellum illud Pistolicum Pultroti, inter Euangelicas reliquias in templo quodam Hugonistico religiose relatum, & Pultrotum inrer diuos, & Martyres Euangelicorum annumeratum.

Anno 1553. Fuit Hugonista quidam Parisijs, qui se Ioan. Apostoli, & Euangelistæ mente persusum affirmabat. Basileæ quoque visus est, qui gloriabatur Ducem se habere actionum suarum, genium Beati Petri Apostoli. Fuit ibidem alius, qui asserere non dubitabat se Moysis Angelum habere, & quod Rex Galliæ ante Mensis Iunij initium Protestantium dogma esset recepturus. Caluinus Solem se Galliæ vocare veritus non est.

Capta porrò Engolisma contra fidem datam, & iureiurando confirmatam Catholicos inuadunt Hugonistæ, & immaniter obtruncant.

E THEATRO.

Crudelitatum Hæreticorum nostri temporis, Antuerpiæ 1588. impresso, et 1592. recusso.

CIVITAS Engolisma obsidione Huguenotorum arctata, tandem certo fœdere in eorum manus dedita fuit, ea scilicet sub conditione promissa, & iuramento firmata, vt Catholicis, tam

cis, tam Ecclesiasticis, quam alijs secure ibidem liceret commorari, sine molestia, aut inquisitione aliqua. Hæretici nihilominus spreta solemnis iusiurandi religione, quam primum Ciuitatem eam intrauere, Catholicos quosdam seligere, & carceribus mancipare cæpere. Quos inter frater Michael Grillet ordinis D. Francisci, & Præpositus Monasterij eiusdem ordinis in eadem ciuitate siti, fuit; qui die postero laqueo ex arbore suspensus, & suffocatus est, præsente, & inspiciente id Gasparo de Colligni, in Gallia tunc temporis maris Præfecto, quem Admiralium vocant, rebellium Duce, quem etiam mortem constantissime ferens ruinæ præmonuit. Denique cum Martyr ille, vt strangularetur, scalis deijceretur, tota ea impia cohors per tres vices, Viuat Euangelium, exclamauit.

Frater Ioannes Viroleau, eiusdem monasterij lector, per eosdem inhumane occisus est.

Frater Ioannes Auril, vir octogenarius, ab ijsdem capite bipenni diuiso, in latrinas proiectus est.

Frater Petrus Bonneau Theologiæ Doctor menses continuos octo carcere detentus, miserrime circa Ciuitatis mœnia ex arbore suspensus, & strangulatus est.

Engolismæ triginta Catholicos ædibus Ciuis cuiusdam nomine Papin incluserunt, eosque postea tribus crudelissimorum tormentorum generibus obtruncarunt.

Alios binos, & binos ita manibus colligarunt, vt tamen alter alteri posset dentes imprimere, subtractaq; omni alimonia, primo languere, postea fame perurgente mutuo sese discerpere, vorareque coegerunt, & sic necauerunt.

Quosdam ex his super horridos, & summæ extensos funes iniecerunt, & hinc inde trahendo reciprocantes, à natibus per medium thoracem, in duas partes feræ bestiæ instar, crudelissime secuerunt.

Alios stipitibus affigarunt, & modicũ à tergo ignem excitarunt, ne tam cito fumo in eo incurrente præfocarentur, sed quam diutissimè lento igne dorso diffluẽte cruciarentur.

Prope Monsbrunum habitat Matrona honestissima, & Catholicissima Domina Marendati. Ea sæpè Leopardos istos Hugonoticos domi suæ liberaliter excipere solebat, & pascere. Nihilominus illi sumpta quadam die cum Matrona cœna, nil tale domi suæ ab ijs, quos fouebat expectantem, comprehendunt, accensoque igne, & candefactis laminis ferreis, plantas optimæ hospitæ prius adurunt, deinde tibijs etiã vndique admotis, pellẽ vtriusq; pedis ita combusserunt, vt eam ligularũ instar à carnibus minutatim auellerent. Ad extremum ædibus expilatis semiuiuã reliquerunt.

Ioannes Arnoldus Regius Vicarius Generalis Catholicus, cum dira multa perpessus esset, plerisq; corporis membris mutilatus, laqueo tandem strangulatus est.

Vidua quædam venerabilis, & sexagenaria, quod Catholicæ fidei nuncium remittere nollet, crinibus ligno intortis, per strratas aspero saxo plateas crudelissime tracta, lacerata, & enecata est.

Ludouicum Tayard Presbyterum in Parochia Chiasenouili, optimę vitæ virum, comprehensum inusitato modo torserunt. Manus enim vtrasque, quod illis Sanctiss. Eucharistiam gestaret, & tractaret, in ahenum bullientis, feruentissimi olei, toties immersserunt, quousque auulsa ab ossibus caro appareret. Ijdem ita bulliens oleum, in os eiusdem Sacerdotis infuderunt, & irati quod non statim animam exalasset, sclopetis, traiecerunt.

Collinum Guillebaut Vicarium Diui Auzanni resectis pudendis: in cistam quandam crebris foraminibus plenam, ita vt moueri non posset, nudum incluserunt: deinde per eadem foramina tantum ardentis olei infuderunt, vt exesis toto corpore carnibus animam etiam efflare cogeretur.

In Parochia, vulgo vocata Riuieres, viuo Sacerdoti mentum cultro perforarunt, & per eandem partem linguam, qua se Catholicum profitebatur, extraxerunt, præciderunt, atque turcidarunt.

Ioanni Bachiellion de Lanuille excoriatis pedibus, & applicato exulcera-

tæ carni candenti ferro, necem intulerũt.

Simon Sicot D. Hylarij Monteriensis Canonicus, vir sexagenarius, licet vitam suam à furore Euãgelicorum magna numerata pecunia redemisset: & exire ciuitate passus esset, eum tamen perditorũ quis piam per portam D. Petri emissus & assecutus oculos abeuntis eruit, linguã sub mento euulsit, ac ita dimisit.

Guilelmus de Bricciales, cum altero Christi seruo Præsbytero, in secreto quodam, & recluso penuario, vno tantum pede trabe suspensus est, eiqsic pendenti cibus in os iniectus, vt si posset comederet: & illi crudelissimæ pœnæ tanto diutius superuiueret. Post multos tandem dies cum reliquo corpore sanus esset, postquã diuturnam sustinuisset famem, beatam efflauit animam. Alter quoque vno simiiter pede pendens, cum ad voluptatem satis diu gratum spectaculum præbuisse Hugonotis videretur, obtruncatus est.

Petrum Præsbyterum ex Parochia Beauliuiensi, in fossam huic spectaculo paratam, capite tenus in vasto campo, ne iuuari à quoquam posset defoderunt, & reliquerunt.

Arnoldus Durandeau Præsbyter Fleacensis octogenarius iugulatus in flumen proiectus est.

Alius quidam Franciscanus post multos carceres, plagas, vulnera, contumelias, ex muro ciuitatis viuus præcipitatus est.

Octauiano Romero Præsbytero, & vicario S. Cybardi, post varia tormentorũ, & contumeliarum genera, ferreas, & cãdentes equorum soleas, ferreis, & candẽtibus clauis, ad extremas pedum plantas affixerunt, ambulare coegerunt, quod cũ præstare per pœnarum magnitudinem, nõ valeret, ad arborem alligatum sclopetis traiecerunt.

Franciscus Rabboteau, Magister in Parochia Fronguebrunensi vicarius, alligatus ad duos boues arantes, iugo imposito plaustrum trahere coactus est, tantisque est stimulis confossus, flagris concisus, vt in eodem iugo animam efflare cogeretur. Ingentem numerum tormentis bellicis inter fecerunt. Quos inter, iubente militum Præfecto Piles, fuere Philippus à monte Chirurgus, & Nicolaus Guineus pannorum venditor, qui arboribus alligati, & constantissime Iesum Christum Dominum nostrum confessi, iuxta doctrinam sanctam, quam ab Ecclesia Catholica receperant, telis confixi interierunt: ita vt in Diœcesi Engolemiensi, vix dum exacto biennij spatio, martyrio ob professionem fidei Catholicæ, coronatę sint vtriusq; sexus personæ, vltra centum viginti, Præsbyteri, nobiles fœminæ, illustres, & alterius qualitatis, ac status.

In Ciuitate Houdam Dyœcesis Carnotensis, correptum Sacerdotem, Christiano more Missam ad altare dicere coegerunt, eo fine vt subsannarent, quod cum miser faceret, & genu flecteret, aut se verteret, armatis pugnis cedebatur, lentis deinde pugionum ictibus, hinc inde cõfodiebatur, ipse nihilominus sacrificiũ prosequebatur, facie tota, reliquoq; corpore sanguinolento. Cum Hostiam, & calicem consecrasset, optimi Hugonistæ è manibus ereptum proiecerunt, effuderunt, contriuerunt, conculcarunt. Sacerdotem autem, ita vt erat sacris vestibus indutus, ad eminens quod in templo videbatur, Christi crucifixi simulachrũ, æquè distractis manibus suspenderunt, & tam diu sclopetis ludibundi petiuerunt, dum animam exhalaret.

In Vico Floraũ. cohors Bethunei Præfecti, arreptum Præsbyterum, vesteq; nudatum, iniurijs, & contumelijs multis affecerunt, & crudelibus flagellis discerpserunt. Ad extremum Chyrurgus quidam bonus Hugonista, pudenda amputauit, & extremam plagam imposuit, & hunc esse 17. in ordine gloriabatur, quem isto mortis genere enecasset.

Apud Clerium vrbem, post templum vastatum, & spoliatum omnibus prætiosioribus, tam Sanctorum reliquijs, quam alijs rebus pluribus diuino cultui dicatis, Ludouici Galliarum quondam Regis, eius nominis vndecimi, sepulchrum effregerunt, & ossa eiusdem (tamquam sublaturi eum ex hominum memoria) combusserunt. Sed nec alibi Prædecessoribus Nauarrei Regis, Imperatoris sui pepercere (tanta efferuntur inhumanitate) neque etiam sepulchro Ioannis Comitis

Engo-

Engolesmiensis, dum in uiuis ageret, inculpatissimæ, & sanctissimæ vitæ.

In vico quodam nomine Pat. 25. Catholici, vt furias Hugonotorum effugerét, in templo sese, tanquam in asillo recluserunt. Aliquot vero pueri turrim eminétem ascenderunt: At illi faces, & flammas templo iniecerunt, & reclusos præfocauerunt. Pueri vero per feneſtram è turri præcipites se dederũt, euadereq; potuerunt, sed eos correptos (ò immanitatem Euangelicam) in eundem ignem viuos iniecerunt.

Ibidem Sacerdotes caudis equinis alligatos, vsque ad mortem raptarunt.

Apud D. Macarium in Vasconia, Sacerdotum ventres ferro secuerunt, & inteſtina bacillis intorta paulatim euulserunt.

Ibidem plerosque Catholicos Sacerdotes, in vnam profundam fossam viuos, & robustos iniecerunt, & terra obruerunt. Plerosque etiam Catholicorum liberos minutatim gladijs conciſos necauerunt.

In vrbe Mancina, sicut antea in Turonen. Ciuitate, grandeuo Sacerdoti pudenda amputarunt, atque in os igne tosta ingesserunt. Inde ventriculum aperuerunt, vt viderent quomodo suum ipse cibum digereret, atq; ita extinxerunt.

Sed mirum est, quod tam libenter pudenda præcidant, cum Magister eorum Lutherus, sine pudendis, Euangelium suum prædicare non potuerit.

In Ciuitate Vasatum, duo egregij Euangelicæ disciplinę milites, constuprata ad libitum Catholica quadam vidua, resupinam ligarunt, & in illas ipsas verendas corporis partes, quibus libidinem suam satiauerant, puluerem tormentarium iniecerunt, ignem admouerunt, ex quo optima fœmina, disrupto ventre, dissipatisque viscęribus occubuit.

Præfectus Regius Goas, Dominus S. Columbæ, recepto iureiurando, dedit se cum multis alijs Nobilibus Domino de Montgommeri. Ab eo nouem continuis mensibus detenti sunt, in tetro carcere, ac tandem pręcio redemptionis annumerato, ad lautam Cænam vocati, atq; à cæna liberi ad sua ire permissi sunt. Interim milites Siccarij in cubiculis occultati, nil tale metuentes omnes ad vnũ, contra fidem datam trucidarunt.

In ciuitate Montbrisentina, Baro Adreti, iussit Catholicos multos, ex altissima turri præcipites agere, & ne quis è casu viuus euaderet, militum circumstãtium densissimis lanceis excipiebantur.

Ibidem visi sunt crudelissimi homines, qui ex abscctis Præsbyterorum auriculis, torques confectos, publicè gloriantes, & tripudiantes gestauerunt. Alij pudenda Sacerdotum, ad pileos militares cristarũ loco apponebãt: alij scortis suis ex ijsdem pudendis cingulos parauerunt.

Plerisque Sacerdotibus, oculos eruerunt, nares amputarunt, labra præciderunt, pedum, & manuum extremos digitos resecarunt, & dimiserunt.

Præsbyteri cuiusdam ventrem secuerunt, inteſtina euulserunt, in cadauer adhuc palpitans auenam ingesserunt, pabulumq; equis suis, tanquam in præsepio præbuerunt.

Nemausi, ingentem vim Catholicorũ pugionibus confoderunt, & semiuiuos in vrbis puteum demerserunt, & duabus vicibus compleuerunt.

Iacobus Sorius, inter Pyratas admodũ celebris, ob crudelitatem insignem iactabat se Admiralium Nauarræ, authoritate accepta à Iohanna d'Albret Regina eiusdem Regni: is versus Maderæ, & Canariæ Insulas nauigans, nauem quandã Lusitanam, Americam versus tendentem detexit, hanc vt insequutus attigit, inuasit, & in ea quadraginta religiosos Societatis Iesu deprehendit, qui ad Prouinciam Brasilienſem annunciatum Euangelium gentilibus illis populis pergebant. Ille igitur ita furens, & æstuans in sanguinem innocentẽ, sanctam eam cohortẽ, necauit, & necari iussit, & in mare abijci quosdam eorum, ex ictibus Pugionum semimortuos, quosdam resectis brachijs, quosdam, quibus disrupto thorace cor erat ablatum. Ex fœlici turba hac, Pater Ignatius ductor primarius, post patienter latas iniurias, & crudelitatis vulnera à barbaris illis tigribus perpessa, itidem in mare deturbatur, cõplexus brachijs

chijs quandam Diuæ Virginis Matris Saluatoris noſtri imaginem, quam tanta retinuerat vi, vt nullo conatu ab ipſo auelli potuerit,atq; eo modo obrutus vndis beatum Deo cum commilitonibus ſuis reddidit ſpiritum. Fuere, & eorum furore ſub vndis ſepultæ plurimæ Sanctorum reliquiæ,& ſacra ornamenta,quæ ſecum ferebant.

Hugonotus quidam Gallus, cuius nomen tegitur, ſed eſt non poſtremi, vt ſcribitur, nominis, Conſtantinopolim profectus, egit cum ſupremo Baſſa de Hugonotis, in Turcarum Imperatoris fidem,& tutelam recipiendis : & obtulit eidem Baſſæ, ſcriptum quoddã, in quo fatetur quidem Hugonotos ſubeſſe Regis Galliæ imperio,ſed in illum arma ſumpſiſſe,pro defenſione nouæ ſuæ religionis, & quidem talis, quæ eſſet Turcicæ valde ſimilis, & proxima. Ait præterea,paratos fore Hugonotos, turbas, & ſeditiones in Germania concitare, quando id Turcis commodum videretur. Tum & hoc,quod Regem ſuum, ita vexare turbis,& ſeditionibus detinere poſſunt, ne Regem Philippum contra Turcas aliquid molientẽ, aut conſilio, aut milite iuuare aliqua ratione poſſit. Immo & Romanum Imperatorẽ, per confæderatos Germaniæ Principes, impedituros, ne quid vnquam contra domum Ottomannicã attentare queat. Sed Baſſa irriſit hominẽ, nec dignos eſſe Hugonotos iſtos reſpondit,quibus ſupremus orbis Princeps fidem haberet,qui propriũ ſuum Regem, & dominum ita ſceleratè, perfidèq; prodere non dubitarent. Turcas ſolitos cum Regibus,& magnis Principibus agere, non cum perfidis ſeruis, & rebellibus ſubditis, ac ita hominem dimiſit.

De Caluino memoriæ hominum prodidit, Hyeron. Boleſcus, quod mortuos ſuſcitare conatus eſt, in Euangelij ſui cõfirmationem. Ait enim. Præterire non debeo vafram eius, & ſubtilem machinationem,qua tum vſus eſt, cum quẽdam, cui Bruleo nomen, & Patria Oſtonum, in vitam reuocare cogitaret, molireturque, vt ſancti atq; glorioſi Dei Prophetę, miraculorumq; patratoris, nomẽ ſibi, & famam pararet. Hiſtoria talis eſt. Is quem dixi, Bruleus Oſtuno, Geneuam demigrarat, & cum inops eſſet ipſe, & vxor eius, Caluini gratiam aucupabantur, vt ei commendati peculij pauperum fierent participes. Eis Caluinus vitæ ſubſidia benignè pollicetur,ſi ipſi cõtra, ſuam operam ſibi non negarent, ad rem quandam, quam per eos fieri vellet, ſed opus eſſe fide,& magna taciturnitate, viciſſim illi, ad id quod iubere vellet,prõptos ſe offerunt, & quemadmodũ à Caluino inſtructus fuerat. Miſer hic Bruleus, morbum ſimulat. Miniſtri pro Cõcione populo commendant, vt precibus iuuarent, & Elæmoſynis paupertati ſuccurrerent, non diu poſt perſonam mortui induit, & mortuum ſe ſimulat. Hic Caluinus, clam admonitus,quaſi tum omniũ rerum ignarus deambulatum prodijt,ſed comitatus magna caterua amicorũ, poſtquam eo ventum eſſet, vbi clamores, & eiulatus vxoris, quæ miſellam, & deſolatam egregie exprimebant, exaudiret, quid nam hoc eſſet, ſciſcitatus, domũ ingreditur, vbi in genua ipſe, & reliqua caterua prouoluitur, precibuſque alta voce profuſis Deum obteſtatur, potentiam ſuã oſtendere,& mortuo huic vitam reſtituere, gloriamque ſuam, ſic vniuerſo populo declarare vellet, ſimulq; manifeſtum facere ſe Caluinum peculiarem ſibi gratum ſeruum eſſe, & à ſe ad Euangelij ſui Miniſterium, atque Eccleſiæ reformationem, ſingulariter, & vere vocatum : poſt quas preces, ad mortuum appropinquat, & miſeri hominis manu apprehenſa, in Dei nomine imperat, vt ſe erigat, repetit iterum, ſæpiuſq; eoſdem ſermones voce etiam altius eleuata. Quid fit? neq; audit, neque loquitur, neque ſe commouet mortuus. Iuſto enim Dei iudicio,qui fucos, mendaciaque deteſtatur, is qui ſe mortuum ſimulabat,verè eſſe mortuus repertus eſt. Et vxor, quidquid eum agitaret,quomodocunque impelleret,neque vocem extorquere, neque vt ſe commoueret, efficere potuit, ſed totus frigebat, rigebat totus. Quo animaduerſo, vlulatus ſerio edere, & ex animo cæpit vxor, & in Caluinum inuecta, impoſtorem eũ, Sicarium, latronem, quimaritum interemiſſet, appellans, ex ordine rem,quomodo

do

do erat gesta, clara altaque voce exposuit. Et infra. Negent hoc quantum velint Caluini mancipia, exploratum, & cognitum satis fuit, veritasque rei probata, immo per ipsammet vxore cõfirmata.

In Pugna Henrici 3. Regis, cum Rebellibus Hugonotis ad Moguntouicium, cęsa profligataque fuerunt à Regio exercitu, sedecim Euangelicorum millia. Inter ea, quæ in prædam Catholicorũ cesserunt, inuenti sunt multarum Prouinciarum, Ciuitatum, & templorum ingẽtes thesauri, tormenta præterea bellica insolitę magnitudinis 14. Inter ea fuit vnum, quod Christi, Regisque sui Rebelles, nouo titulo inscripserũt (Chiasse Messe) Missapulta, hoc est Missam pellens. In cuius tamen loco Regij Duces statim sculpi iusserunt. Chiasse presche, hoc est concionum exitium.

Dici non possunt, ac ne cogitari quidẽ, quę Princeps Condensis Euãgelicæ perfidiæ patronus armis, & audacia potens in Ciues, in Patriam, in Regem, in Reginam, in omnes bonos, in Deum ipsum infanda, nefandaque machinatus est: plenæ sunt historię. In libello, qui de furoribus Gallicis inscribitur, insigne habetur impietatis, perfidiæq; documentum. Impetrarat à Regina Catherina trium Galliæ Regum matre, vt sese posset ab Aula domum recipere, ibique cohortẽ præsidiariam alere, ad repellendam vim, & conatus, & insidias æmulorum, si quæ in tanta rerum Gallicarum perturbatione ingrueret, ac adhibita cautione, vt neq; domo sua arma efferret, neque ad cuiusquam offensionem conuerteret, aut vim vllam vitæ cuiusquã machinaretur, sed iniuriam tantum, si à quopiam inferretur, à capite suo dimoueret. At Euangelicus Princeps, collecta satis magna militum manu, contra fidem datam, in viam se dedit, & Aurelianı recto itinere contendit, in qua conspirationis, caussæque socios colligeret, & nouas in Regem tempestates excitaret. Literas præterea confinxit, quibus se admonitum dicebat, vt à vi, & insidijs Regis, & Reginæ caueret.

Idem Princeps in Colloquio Bangentiano Regi Nauarræ, Reginæq; matri, fidem dederat, quod esset ab Admiraglij, Caussæq; societate recessurus; & Regis sui fidem, & obseruantiam concessurus. Sed illico mutatus, tanquam Cyrceo hausto poculo, quæ iureiurando sanxerat, Euangelica sua fide, & constantia vsus, reuocauit, omniaque in Regem, & in Patriam machinatus est.

Ex lib. de Furoribus Gallicis inscripto.

QVI libellũ de furoribus Gallicis cõscripsit his, quæ sequuntur verbis, tartaream Euangelicorum, vel Cacodæmonũ potius crudelitatem persecutus est, & Anno 1573. ad memoriam hominum sempiternam Monachij euulgauit. Successit in Regnum Franciscus secundus. Is initio statim sui Regni omnes eos capite damnauit, qui religionis ergo nefaria conuẽticula facere, aduersum vetera iura, & Regni leges præsumpserant. Nec mora Senatus Parisiensis, Annam Burgensem, Arnernum, vnum è centum viris Parisiorum edicti Regij violatorem, incendio publico cremari iussit. Sed, & Mense Martio, Anno 1560. plurimi è coniuratis; quos sua improbitas, & seueritas edictorum, in Regem armauerat, iugulati sunt: alij Ambasiæ cum Rex eo veniisset, capti atq; in Ligerim acti, Franciscus Vindomensis præcipuę Nobilitatis vir Lutheciæ comprehensus in carcere moritur pridie Calend. Octobris.

Ludouicus Borbonius Condeus seditiosorum Princeps, & caput, Aureliæ, cum ibidem religionis ergo Regni Comitia haberentur, in vincula conijcitur. Talibus igitur curis Franciscus intentus Nonis Decẽbris repentino morbo correptus satis concedit, magno Galliarum damno. Nam vt erat iuuenis bene institutus, iam inde à teneris annis futuri Christianissimi Principis indicia dederat. Post hunc Carolus Maximilianus, qui hodie præest, & Carolus Nonus dicitur, vndecim annos natus Regnum accepit. Regni vero Administrationem Catherina Medicea Regina, & mater, adiuncto in partem curarũ Anthonio Borbonio Nauarreo, quo die Gallia è summa fęlicitate ad extremã calamitatem venit. Continuo namque

Ludo-

Ludouicus Condæus carcere liberatus,& absolutus, causam hæreticorum exinde iã apertè propugnare, atque à Colignijs fratribus adiutus in spem Regni intercipiendi venit. Erant Colignij propter eã, quam quisque gerebat dignitatem, summæ, & authoritatis, & nominis. Octho Pontificem purpuratum agebat. Eius effigiem, posteaquam honoribus abdicatus fuisset, Pius 4. Romæ publico spectaculo cremari iussit. Alterum Claudium nomine, classibus, & mari præpositum, Admiralum Galli appellãt. Tertium Andelothum pedestrium copiarum ductorẽ suspiciebant in Gallia omnes. Accessere deinceps alij, Rupifolcadius, Portianus Lorgius, equitesq; Torquati non pauci, palam toti Francorum Regno rebelles, qui omnes Guisiorum gentem, quæ Regnante Henrico, & Francisco Henrici filio, multa gratia in omni aula polle bat, infensissimè oderant. Mariam Stuartam, mulierum decus, Reginam Scotiæ, & Guisiorum Neptem, Franciscus vxorem duxerat. Ea mortuo Rege marito, cum ad Lares proprios remeasset, multas aduersitates ad extremum quoque carceré à proprijs subditis perpessa, quantus esset in Guisiorum gente religionis zelus, atque constantia, mulier ipsa declarauit.

Solutis igitur Regni Comitijs, cum nihil aliud verbo profiterentur rebelles, quam conceptam animo hæresim se velle defendere, fraudulenter imminebant Regno. Colloquium proinde Theologorum, Antonij Borbonij opera Possiacum indicitur: Pontifices adesse iussi. Ibi Theodorus Beza author, atq; inuentor omniũ malorum, cum Ministris vndecim Genevа euocatus, præsente Regina matre cũ Sorbonicis Doctoribus, quos illa inuitos, & repugnantes, intra quatriduum adesse iusserat, magna animi iactantia congreditur. Disputatum vero est, Pontificij Legati Hipoliti Estensis, Caroli Lotharingij, & Francisci Turnonij, purpuratorum Pontificum opera, de Eucharistia, alijsque rebus controuersis, adeò doctè, atque eruditè, vt disputationis haud frustra pœnituerit hæreticos. Ferunt in eo congressu Franciscum Turnonium, ætate grandæuum Pontificem, quem huic nouitati succensentem Regina delirare dixérat, libera voce respondisse. Semel tantũ ò Regina, in vita deliraui, quando nuptiarum tuarum author extiti, quæ tantam pestem in hanc patriam, atque hanc meã inuexere canitiem. Hic insolito consilio, Hæretici Conciones in ciuitate habere cæpere, atque ad eas haud parua leuium, atque seditiosorum hominum multitudo confluere: palam enim dictitabant, per Administratores Regios id sibi licere. Accessit autem ad hæc omnia mala, mense Ianuario Anni 1562. edictum longe pernicioſissimum Regno, quo concionari in suburbijs, Caluiniano ritu, Sacramenta administrare permittebantur, idque ex consilio Michaelis Hospitalis Auerni, summi iuris Præfecti, vulgus Cancellariũ vocat: qui vnus scribendo plus detrimenti Gallijs attulit, quam qui armati postea tantæ stragis, atque ruinę authores extitere. Auidè desiderabant Hæretici, id edictum Senatus Parysiensis, cui summa potestas rerum omnium attributa est, decreto confirmari: at centum viri ad eorũ petitionem responderunt. Nos autem, neq; possumus, neque volumus, neq; debemus.

Haud multo post, homines seditiosi, atque infensi populo, a quo Hugonoti (cuius nominis origo incerta est) apellabãtur, qualicumque ea in suburbijs, tumultuandi verius, quam concionandi facultate, minime contenti, armis agere decreuerunt. Addebat animum ingens multitudo, quam illi ad suum errorem, spe libertatis nescio cuius traduxerant: nec mora, quas Vrbes, quas ue Prouincias suis artibus, & insidijs reperere, magis opportunas, omnes in potestatem redegere, literis a Regina matre ad Ludouicum Condæum, quæ adulterinæ erant, sparsis in vulgus, quibus illa se, Regemq; puerum captiuum à Guisiorum gente teneri querebatur: auxiliumq; à Condæo postulabat. Interim vero Aurelia Ciuitas, olim fidelissima, Hyeronimi Grossotiæ Præfecti (quem mortuo Francisco Rege, Regina carcere liberauerat) & quorundã Ciuium proditione, seditiosis tradita est. Quam vrbem cum esset loci situ, atque munitione ad bellum maximè opportu-

na, ar-

na, arcem, & receptaculum suum esse voluerunt. Lugdunum deinde Saltuani Comitis dolo, qui illic supremum Prætorē agebat, pulso Albonio viro optimo, atq; Catholico, paucis admodum Hæreticorum à Ciuibus prius interemptis, secunda noctis vigilia in manus eorum venit. Cuius rei fama peruulgata cum esset, Ciuitas omni commeatuum genere, atque armorum apparatu, potēs, finitimis Prouincijs, ante omnia, terrori fuit.

Subsecutæ igitur aliarum vrbium per diuersa loca deditiones, In Alobrogibus Vienna Prætoria, Gratianopolis Valentia capitur, in qua Vrbe fortissimus vir, Motta Condrinus, Delphinatium Prętor, Ministrorum consilio rapitur in patibulum. Fuerat is Hæreticorum consilijs, atque fœdissimis conatibus semper infensus. Interim verò, & Prouincia Occitana magna ex parte virulenta hæreseon contagione infecta, partes seditiosorum secuta est. Nemausus, Monspelius, Mōs Albanus, atque alia innumera oppida, Tolosa tentata. Sed & Capitolini (ij sunt octo vrbis Primates, à veteri quondā Capitolio ita appellati) edicto proposito arma ciuibus ademerunt, tormentaq; ænea ciuitatis seditiosis tradiderunt. Senatu tamen iubente, plebs, etsi inermis, resistere cæpit, ariete domus effringere, excitare incendia, occidere, & occidi, è finitimis pagis, vndecumque auxilia parare. Per octo continuos dies, intra ciuitatis muros, inter partes pugnatum est, donec Monlucius vir industrius, genere Aquitanicus, cum valida equitum manu afflictis adfuit: eius aduentu rebelles, vel intra mænia cæsi, vel cum ad montem Albanum fugam capere vellent, ab emisso equitè, atq; à Rusticis sunt trucidati.

Ex altera Regni parte Turones, Byturiges, Xantones magna Aquitaniæ pars, Neustria ferè tota, ab Hæreticis occupata, redacta in potestatem munitissima vrbe Rothomago. In cuius vrbis obsidione, postea cum ea sub iugum ab exercitu Regio, Imperatore Guisio reciperetur, Anthonius Borbonius pila ferrea ictus vi tæ terminum accepit. Supra triginta hominum millia ex hisce coacta. Prouincias in aciem hæretici educebant, euocatis insuper è Germania Regio nomine sex equitum millibus. Rex amittendi Regni periculo permotus, Duce Francisco Guisio fortissimo pariter, atque religiosissimo viro, vndequaque & ipse armat suas copias, euocatis Heluetijs, & tota Nobilitate in armis esse iussa, hostibus deinde, quos à Luthecia, Principe totius Regni vrbe, cuius agros hostiliter diripiebat, quamprimum cupiebat auertere, obuiam instructo exercitu procedit, mox & fugientes persequitur, vsque in eum locum, ex quo sine conflictu nullus dabatur exitus. Ad Druides cōmisso prælio acerrimè dimicatum est. Hæretici equitatu, Rex peditatu, & tormentis æneis superior erat. Illis initio fortuna fauere visa, nā & Annam Mommorantiū Magistrū equitum, qui primo agmini Præfectus erat, viuum acceperant in manus, & Iacobū Albonium Tribunum neci dederant, & tormenta, turbatis tertiò nostrorum ordinibus, multisq; cæsis in potestatem redegerant, denique perdita, & profligata videbantur omnia, cum ex improuiso superueniens Guisius inclinantem aciem, diuina ope, & propria quadam fortunæ felicitate restituit. Nobilitate itaque quę ex veteranis constabat equitibus, fortiter pugnante, peditatu quoque Heluetiorum maximam ex omni parte edentes stragē, tormenta momento temporis recepta, mox cedentibus hostibus, auctis animis, nostri acrius instare, viam facere, vincere cæperunt. Supra decē & octo millia eo prælio ceciderunt. Ludouicus Condæus altera iam vice captus. Luthetiæq; in vinculis habitus. Nuncius victoriæ Ioannes Loffam Lemouicus vir fortissimus, qui & pugnæ interfuerat, sanguine cruentatus, cum ad Regem venisset. Rex eleuato animo virum intuitus. Ego ne, inquit, Rex tandem? auditis deinde alijs super alios è prælio venientibus nuncijs, è saltu Vicenarū, vt in fano Virginis superis ageret gratias, venit Luthetiam.

Paucis interiectis diebus, cum Aureliā vrbem, in quam Colignij fratres, & Lorgius, cum ijs, qui pugnæ superfuerant, sese receperant, Guisius obsideret, castrisq; egressus, fossam ad alterum Ciuitatis latus perduceret, à Ioanne Pultrolo Engolimen-

lismensi proditore venenatis globulis percussus, interijt, cuius morte, Gallia mortiferum vulnus accepit. Proditor, etsi ei Guisius pepercerat, quadrigis religatus, in diuersa distractus est. Funus Regium Guisio decretum; Matronæ Parisienses, ut Patrem Patriæ, & defensorem Ecclesiæ, multo tempore luxere.

Eodem Anno 1562. opera Annæ Momorantij, quem captum fuisse memoraiimus, pax contra morem maiorum cum seditionis in ita, mense Martio: ea lege, vt sua Regi restituerent, ipsis Caluinianis proprio more viuere, Sacramẽta ministrare, per singulas præfecturas, certis in locis concionari, liceret. Sequanorum Senatus Dunonensis vehementer, vsq; ad extremum, fœderi restitit. Burgundionũ quoque Prouincia, malle se veterem Regem, quam fidem mutare professa est.

Sub idem tempus, Angli Gallia pulsi sunt, qui vndecim hominũ millibus Portum Gratiæ, ardente bello, sibi ab Hæreticis traditum, occupauerant. Quieuit deinceps Gallia post id fœdus, vsq; ad Annum 1563. verum ita quieuit, vt omnibus Ciuitatibus, atque oppidis, fame, ac peste mortales miserè affligerentur, vsque adeò, vt Lugduni supra triginta millia hominum, ea lues absumpserit. Erat in ea vrbe Matrona quædam nobilis, quæ videns filiam suam ætate adultam, & nubilem, peste esse correptam, eã humeris impositam, ex altissima ædium parte, in sub iectam viam secum egit præcipitẽ. Longum esset recensere, quas calamitates ea pestis Galliæ intulit. Etenim cum nulla planè ciuitas, nullum oppidum, nullus pagus ab ea contagione esset immunis, quos priori anno, quasi reliquos sibi fecerat, in sequenti anno maiori mortis acerbitate consumpsit.

Per idem tempus Ioannes Caluinus Geneuensium Hæresiarcha, phtiriasi, quẽ morbum Latini pedicularem vocant, correptus, digno vitæ exitu interijt. Is cum liberos in Patrem, vxorum petulantiam in coniuges, fratrem in fratres, nurus in socrum, humanũ genus armasset in Deos, & tenebras mortalium mentibus plusquã Cimmerias offudisset, Galliæ solem se nominabat, quæ nisi tot Sanctorum hominũ miryades antea peperisset, hoc tam tetro, tam multiformi, tamque exitiabili monstro in lucem ædito, perpetuæ infamiæ notam contraxisset.

Post hæc, seditiosi, noua consilia agitare cæperunt, sibi capiendum esse Regem, & Lutetiam occupandam. Etenim spem animo conceperant, ea vrbe, quam semper impijs conatibus suis infestam senserant, redacta in potestatem, fore vt haud magno negotio toto Regno potirentur. Vndique coniurati conueniunt occultè: indicitur per ministros facinoris dies, qui vt erant tractandorum animorum magni artifices, fraudulentis persuasionibus, quã ardentissimè poterant, ad apparatum belli iuuabant, atque vt tepidos, & meticulosos nonnullos ad concepta flagitia facilius inducerent, asserebant, Catholicis decretum esse, quos intra biduum hæreticos vspiam reperirent, è medio tollere, atque trucidare: proinde tutius esse, quã occultissimè, domos deserere, atque omni astu, suas fortunas, & capita tueri.

Itaq; tertio Calend. Octob. anni 1567 Cum iam copiarum, aliqua pars nocturnis itineribus in vnum confluxisset, ex inopinato apparuere insidiæ. Minimum abfuit, vt non omnia, antequam fierent palam, hostes occuparent, vastarent, atq; euerterent. Societatis Iesu Patres ex primis fuere, qui Senatui Parisiensi paratas aperuere insidias. Is cum fidem de tam grauibus, atque improuisis rebus, ne septimo quidem nuncio, qui trium horarum spatio adfuit, adhibere voluisset, ad vltimum explorato melius periculo, plurimum fuit commotus. Horrendum erat Ciuibus tam imminens, & tam grande nefas aperire. Cum autem postridie agẽda esset Tragedia extremæ perfidiæ, atq; crudelitatis erat celare. Erat Rex Meldis decimo à Luthetia lapide, in quã vrbem conuenerant sex Millia Heluetiorũ, quos Aulicorum consilio euocatos (cum dicerent Hispano exercitui, quem Albanus Regulus, transitu per Gallias impetrato ductabat, minime esse fidendum) Rex decreuerat penes se habere. Hæ cohortes à diuina prouidentia, quæ in maximis quibusque periculis coronæ Gallicæ nunquam defuit, in eas partes cælitus

destinatæ videbantur. Etenim si non illæ, ante omnia prestò fuissent, non tantũ Valesiam gentem, (quæ Regum hodie prosapia est) verum vniuersam quoque Orthodoxam Religionem vna dies euerterat. Ergo cõparatas suo capiti insidias, Rex cũ intellexisset, instructo ad pugnã, quem penes se habebat Heluetiorũ exercitu, consilio Nemorosi Reguli ea in re vsus, media nocte nihil tale opinantibus seditiosis, Luthetiam properat, hostes cũ paulò ante diuisissent suas copias, antequam in vnum cogi possent, cum Heluetijs congredi non ausi, prædam è manibus amisere. A Luthetianis interim eductæ celeriter ex vrbe decem millium copiæ Regi periclitanti ad quintum ab vrbe lapidem ijere obuiam. Magna ibi Catholicorum, posteaquam Regem è tam præsentibus periculis, diuina ope ereptũ videre, congratulatio, magnus animorũ motus aduersus impios, sacinorosos, & sceleratos hæreticos. Perbelle autẽ euasit Cardinalis S. Crucis, qui animi gratia Regem inuisere cupiens, ex Italia in Galliam fuerat profectus. Cum enim cerneret se iam intercipiendũ, misit ante se plures, qui hostibus significarent, se lẽto gressu, sequi cum familiaribus. Inimici ergo ne detegerentur, qui essent, primos illẽsos abire iuerunt. Cardinalis vero, cum reliqua turma eadem via, qua venerat, propere retrocedens, prædæ auidos illusit.

Mouit exinde se exercitus seditiosorum ad Phanum Dyonisij, quo in loco veteres Regum thesauros (qui ibi asseruabantur) se intercepturos sperabant: at illi pridie Luthetiam translati erant. Interim Decuriones Parysiorum, dispositis in muro aheneis machinis, & incitatis ciuibus, ad custodiam vrbis, summæ rerũ diligenter prospiciebant. Calendis Octobris, secunda noctis vigilia, sedecim frumentarias machinas, patentibus campis, via Dyonisiana ad vsum amplissimę vrbis dispositas, hostes incendunt: flamma tanta fuit, vt vrbs tota arderc videretur: quę res ingentem metum ciuibus attulit, maxime verò, cum intellexissent hæreticorum consilium fuisse, eo quasi signo dato coniuratis, qui intra mœnia erant, in proprias ædes incendijs excitatis cremare ciuitatem. Etenim in multis locis fasciculi dispositi cum puluere, Deo ita prouidente, reperti sunt, rebellesq; qui erãt in vrbe, effractis domorum foribus, aut capti, aut trucidati. Mox vero edicto Regio cautum est, vt omnes vtriusque sexus homines, signo S. Crucis insignirentur, nisi qui mallẽt è vestigio caput amittere: pulchrum erat videre Rosaria de collis pendentia, varijs crucibus adornata. Cautum insuper est omnibus suarũ ædium curam agere, arma gestare, vasa repleta aquis præ foribus habere, ante singulas domos lampades ardere, totas noctes insomnes ducere, vna manu exẽplo filiorum Israel ædificare, & altera se tueri, sæpius circuibant, & omnia scrutabantur Tribuni. Licitum erat tali rerum articulo, iuxta consilium Christi, vendere tunicam, & emere gladium. Eadem nocte, pellis hominis in publico vico inuenta est, quæ pios multum terruit. Si quis minimum verbum in fauorem seditiosorum protulisset, eum cuique necare erat liberum, id quod accidit in multis. Postero die ad arma cum esset conclamatum, illico catenæ ferreæ transuersis vijs extensæ, omnia armatis repleta, domus & fenestræ lapidibus, cum hostes iam in vrbe dicerentur esse. Si quis terga verteret, aut fugam attentaret, confestim trucidabatur. Itaq, consilij decreto statuũt seditiosi, vrbem fame ad deditionem cõpellere, quod ob infinitam multitudinem incolarum, factu haud difficile videbatur: præsertim obsessis vndique vijs, impeditoq; commeatu: propterea quod pons Carentinus, ad cuius vicum Matrona Sequanæ iungitur, ab hostium turmis interclusus esset. Extabant in eo fluminum concursu quam plurimæ farinariæ molæ, quæ & ipsæ in potestatem venerant hæreticorum. Miserat eo Rex præsidiariam cohortem, quo arcem vndique præmunitam, contra hostium impetus defenderet. Cæterum proditione Præfecti militum, prodita vniuersa res, tam validam in vrbe famem fecerat, vt quæ pridie 5. solidis comparari poterant, postero viginti venundarentur. Captus interim proditor, laqueo finiuit vitam, in platea arena-

arenaria, affirmans, se quicquid feciſſet, iuſſu Franciſci Mõmorãtij Tribuni equitum feciſſe. Eodem die cohortes quædam vrbe egreſſæ, incurſione in hoſtes facta, duas ingentes naues onuſtas panibus intercepere, quæ pauperibus fame pereũtibus è veſtigio, ſunt in Eleemoſynã erogatæ. Interea peditatus veteranorum militum, equitatuſq; vtriuſque armaturæ, plurimus conueniebat. Quamobrem 3. Idus Nouembr. prodijt ex vrbe Regius exercit⁹, peditũ 10. millia equitũ quatuor erant millia, cum machinis æneis 14. Ductores fuere Anna Mõmorantius, Magiſter equitum (is eſt interfecti Guiſij frater) Claudius Aumalius Nemoroſus Galliæ Pares. Qua re per exploratores, quos in vrbe, atque adeò in ſecretiori Regis conſilio, ſeditioſi habebant cognita, dato ſigno è Phano Dyoniſij, promouerunt 3000. peditum, equitum vero 4000. Maiorum tormentorum nullus apparatus apud illos erat. Duces fuerunt Ludouicus Condæus, & Colingij fratres. Quare in Campis Dyoniſiacis, vno lapide ab vrbe Pariſiorum, acris pugna, occubente iam ſole, commiſſa eſt. Cæſi in vniuersũ equites 500. & circiter 400. pedites. Ardorem pugnæ nox interueniens diremit, quæ ſi vel vna hora interueniſſet tardior, actum fuerat de vniuerſis ſeditioſis. Eo prælio cecidit Anna Mõmorantius octo prioribus certaminibus clarus, modo cũ in primis ordinibus pugnaret ab Edoardo Scoto, quem ignonimioſa morte liberaſſe ferebatur, ſeptem vulneribus confoſſus, poſt biduum extinctus eſt. Eius viri prudentiam, pleriq; omnes ſuſpectam habebant, propterea quod, & Coligniorum auunculus erat, & primi fœderis author extiterat, vnde etiam pauci, obitum ſuũ luxere. Ex hæreticis interempti Comites duo. Saltuanus, & Claromontanus: Dampetra, multique alij in armis nobiles. Qui certamini ſuperfuere ad Fanũ Dyoniſij reuerſi, tota nocte trepidarunt. Poſtero die, antequam ab exercitu Regio obſideri poſſent, præmiſſis ſarcinis, valetudinarijſque relictis, fuga diſceſſionẽ fecere. Quod vero templum S. Dyoniſij, & Buſta Regum ferè omnia, intacta reliquere, cauſam fuiſſe aſſerunt, quoniam ibi Ludouicum Borbonium Condæum in Regem ſuum coronauerant, monetamq; auream tali inſcriptione, cuderant. Ludouicus XIII. Dei gratia Francorũ Rex, primus Chriſtianus.

Ruinæ vero, & crudelitates, quas hæretici in Catholicos exercuere, vix à poſteris credentur, Altaria deſtructa, imagines comminutæ, templa multis in locis incenſa, multa diruta, quid dico multa? ſanè numero incredibili, vt pote ad decẽ millia, & ſupra. Quæ reſidua fuere ad vſum equorum commutata, aut in ſpelũcas latronum conuerſa ſunt, Aurelię, auguſtæ Crucis templum mirabili opere, & celatura: Lugduni fanum Iuſti, ſupra forum Veneris ſitum, actis cuniculis & incenſo puluere corruerunt. Sanctorũ oſſa aut concremata, aut in profluentem deiecta. Sic D. Martini apud Turones, Irenei, Iuſti, & Bonauenturæ apud Lugdunenſes, Hilarij apud Pictauos, apud Engolimenſes Diuorum omnium, qui ibi ſepulti erant, corpora amiſimus. Monaſteria ſupra ſexcenta ſolo equata, plurima incenſa: quam etiam calamitatem pertulit Magna Carthuſia Allobrogum, tertio lapide à Grationopoli: vaſa aurea, atque argentea, quæ maiorum pietas tẽplis reliquerat, partim ab Hæreticis, per ſacrilegium rapta, & in pecunias verſa, partim à Præfectis Prouinciarum in vſum belli accommodata. Euchariſtia porcis obiecta, pedibus protrita, oleo ſacro cocta, & quod maximè horrendum eſt dicere, tergendis natibus adhibita, cum eam vocitarẽt irriſorio apud Gallos nomine, Ioannem Album, ſtultum appellantes Chriſtum, quod ſub figura panis corpus ſuum occuluiſſet. Prætioſa veſtis, aulæa omnis generis, & gemmata ſacrorum ornamenta amiſſa. Ex vaſis æneis tormenta conflata: Bibliothecas, quæ in noſtra Gallia inſtructiſſimæ, atq; antiquiſſimæ fuere, paſſim arſerunt, Buſta Principum, & Nobilium magna crudelitate effoſſa. In his Ludouici Vndecimi ſeditioſorum olim ſeueriſſimi vindicis: cuius ſtatuam in Fano Cleriacenſi Aureliæ capite mulctarunt. Ioannis quoq; Valeſiorum Comitis, hominum opinione Sancti, & Innocentis viri, tumulum aperuerunt,

oſſa

essa concremarunt. Similia quædã Vindocimis perpetrata, in qua Vrbe plurimi è Borboniorum sepulti erant familia, idque spectante, & ad omnia conniuente Ioanna Nauarorum Regina, quæ Borboniorum gentem, ea peste prima infecit, & Hæreseon in Gallijs nutrix fuit. Quã mulierem Renata Valesia Ludouici duodecimi filia, & Reguli Estensis vxor, in eodem scelere secuta est, posteaquam ex Italia in montem Argiunum commigrauit. Quod verò incendere ad vindictam Regni successorem, Regem Carolum vel imprimis debet, Francisci Secundi cor, in templo Crucis, Aureliæ reconditum, ignibus concrematum est. Multæ vibes ferro igneque vastatæ, multæ multa auri pondo, seditiosis extrema minitantibus, tradere coactæ; aliæ diuturno militum præsidio vexatæ, mænibus nudatæ, pecunia mulctatæ, vectigalibus oppressæ: ciues in exilium acti, aut in oculis vxorum & liberorum trucidati, agri hostiliter vastati, Coloni per ludibrium interempti, Francorum opes alio translatæ. Documenta futura posteris Gallia, quam præsens, atque efficax rerum publicarum venenũ, sit Ciuilis dissensio. Plus .n. ea duobus hisce tumultibus, q̃ omnib⁹ externis, post hominũ memoriã bellis, attrita est.

Veteres crudelitates hæretici partim renouarunt, partim nouas exercuerũt. Tyberio voluptati fuit miseros è præruptis locis deorsum agere præcipites. Quo genere supplicij etiam cæteri plurimũ vsi. Ad Petramfortẽ cohors præsidiaria, quæ accepto iureiurando venerat in deditionẽ Hugonotarũ, tali mortis acerbitate integra interijt. Oppidũ est in Comitatu Venetico, Moruahũ, ad littus Rhodani sitũ, cui imminet altissima rupes, Oppidani metu perculsi, arcem rupi impositam, in quã præsidij causa confugerant hæreticis dediderunt. E vestigio, contra morẽ militarẽ ducẽti crudelissimè necati, reliqui quorũ erat magnus numerus, ex fastigio rupis acti præcipites. Duo tũ ibi memorabilia acciderunt. Quidã Oppidanus inter cæteros datus in præcipitiũ, arbusculæ in media rupe prominentis, fœlici casu ramũ arripiens, suspensus hæsit, mille dein spectantiũ hostiũ, telis impetitus, lę sus non est. Quare illi attoniti, iterato iureiurando, hominẽm se seruaturos, funes dimiserunt, at ille renuens, cælitum que omnium implorans opem, hostium crudelitatem euasit. Eum hominem Rex Carolus, quo tempore salutari consilio, singulas Regni Prouincias, lustraturus adijt illic iter faciens videre voluut. Filiæ dotem, illi annuas pecunias in alimenta cõstituit. Puella quædam 16. annos nata, per medias hostiũ acies, virili animo trãsiens, cum patrem occisum putaret, sola arcem petijt, in qua alijs super alia iactis cadaueribus, multis audacter euolutis, egrè patrem inuenit, confossum quidẽ multis vulneribus, sed tum leniter adhuc spirantem, humeris ergo impositum, spectante hoste, demum tulit, neq; solum vitæ, verum, & sanitati restituit. In Prouincia Lugdunensi, Mombrisson Toresiorũ Metropolis, deiecto muro sole occidente capitur, cæsis mille ducentis. Ioannes Adresi⁹ vir, Nerone crudelior, duodecim nobilissimos viros, cũ quibus amice pransus fuerat, ex altissima turri, in subiectum montem deiecit. In his Monsalariũ, ex præcipua Auernorum nobilitate, virũ in fide constantem, quem socium bellis Italicis semper habuerat. Quidam alius, qui cum eo semper coniũctissime vixerat meliore vsus fortuna, vel astutia potius, euasit. Cum enim ob antiquã cum Adresio familiaritatem postulasset, vt sexto tandẽ cursu liberius sese dare posset præcipitẽ, cum id neq; sexto cursu facere voluisset, interrogatus ab Ardresio, cur non staret promissis, facete respondit, Domine si septimo cursu præcipitium suscipere voueris, cedo, Obquã vrbanitatẽ vita donatus fuit. Eandẽ crudelitatẽ ad fanũ Marcellini in Delphinatu exercuerat idem Adresius, cæsis aliquot militaribus turmis, Mangeroni fortissimi viri, & de re Christiana optime meriti. Septimo ab Aurelia lapide: in Pago, qui ab accolis Patta dicitur, cum adesse hæreticos audirent, in arcem templi sese receperant, vtriusque sexus viginti quinque, puerorum maxima pars. Carnifices violato templo arcem incenderunt, vt illa iuuentus arderet. Igne iam populante, pueri duo cum se e præcipites

egissent, de fenestra turris euaserant: sed ab illis comprehensi, & in flammas viui coniecti cum alijs arserunt. Ad fanum Macharij in Vasconia, ab Hæreticis Catholici viui, aggesta humo obruti, pueri medij ferro secati, Sacerdotum viscera fuste intorta, sensim extracta. Cœnomanis cum res diuina ageretur, templũ armatis circumseptum, cumque impetu facto vellent Sacerdotes trucidare, fuit qui diceret. Sinamus eos hanc Missam absoluere, nullam enim posthac celebraturi sunt: prius tamen, quam Sacerdos, sacris operatus de altari descenderet, multos occiderunt, vnum suspenderunt, Monacho penem amputarunt, coctumq; deuorare coegerunt, tandemque, vt quid de cibo actum esset, viderent, ventrem medium secuerunt. Appamenses hæretici festis Pentecostes, signo dato, supra ducentos ex gente Catholicorum interfecerũt, Consulis domum incenderunt, cuius incendij ardentibus flammis, cum duobus liberis, vir constantissimus est extinctus. Mulieribus grauidis vterus ferro cæsus, infantes ad saxa acti, ante mortem accepere, quam viram. Quis hæc credat: qui ipse non viderit? & tamen verè ita acciderunt. Constat supra 5000. Sacerdotes omnis generis, vtroque tumultu, & lentis & crudelibus supplicijs, esse peremptos. Quibusdam eorum pellem detractam, qui octauo, aut nono demum die, quasi ad insaniam redacti, spiritũ exhalabant. Multis caput amputatum, alij militari supplicio, minoribus tormentis expositi, aut æneorum machinarũ ori alligati, emisso igne in frustra distracti: plurimi vnco summo gutturi affixo, dolore & inedia confecti, non pauci in ter plorũ crucibus suspensi, Aureliæ Iacobus Gnesetius D. Paterni Parochus, vir sanctissimus, qui alijs fugientibus, gregem suæ fidei commissum deserere noluit, cum 4. integros Menses latuisset, & clam hostibus optimum quenque ciuem in auita religione confirmasset, inuentus rapitur, ad Præfectum, proditionis, & adulteratæ monetæ accusatur, mox damnatus in equuleo suspensus, atque strangulatus est, cum & bonos ad constantiam hortatus esset, & Condæum præsentem, inspectantemque grauissimis verbis suorum scelerum admonuisset. Plurimi etiam sulphureo puluere instructi, lardoque peruncti, misso igne arserunt. Alij candentibus verubus, viui per posteriores partes infixi: alij clauis ferreis, in abrasam capitis partem, adactis, extincti. Nonnulli exenterati, quorum viscera frumento respersa, in alimentum porcorum cesserunt. Ad castrũ Longemellum, Sacerdos vir Sanctissimus, ab illis capitur, qui cum fratris pecunia, ducentis aureis, sese redemisset, tale supplicium pertulit, penem funestricto alligarunt, ad tertium vsque lapidem incitatis equis, fratre eiulante, & sequente traxerunt: ad focum suspenderunt, vt subiecto fumo extingueretur, denique instar porci linea recta, in partes dilaniarunt. Coloni eius hominis sanctitatem, vsque hodie lugent. Multi supersunt adhuc mutili, dissectis naribus, amputatis auribus, pedibus sciffis, aut adustis, vnguibus extractis, cæcati, vulnerati, sensibus spoliati, qui harum crudelitatum præ se ferunt vestigia. Sacræ Virgines innumeræ violatæ: aliæ multæ, quæ in Monasterijs incluſæ fuerant, vt parentibus morem gererent, ab hæreticis liberatæ, vltrò se porcis violandas permiserunt. Vnde res miranda Aureliæ contigit: cum quædam harum è muro se præcipitem ageret, vt Geneuam proficisceretur, palo per verenda infixa hæsit mortua, cunctis lucente sole, cum id medijs noctis tenebris accidisset, spectantibus, & laudantibus Deum de iusto iudicio. Hæc omnia adeò sunt vera, vt hæretici etiam multo plura, & his acerbiora, se fecisse, etsi non sine diuina interdum vltione, glorientur.

Mense Martio facta pace, aciem verterunt in Flandros, sic tamen vt nulla interim requies, nulla securitas, neque hospes ab hospite, quinis illis mensibus, quibus pax coli videbatur, tutus fuerit. Verumtamẽ diuino auxilio, & industria, Reguli Albanensis victoria penes nostros stetit. Pugnatum est sæpius, idq; multis in locis, præcipue vero ad Gruningen Frisiæ Oppidum, vbi supra septem millia hæreticorum trucidata. Interea Mense Maio, duo ex præcipua Nobilitate

tate Flandrorum Comites, capite Bruxellis damnati ab Eggemund, & Horn, quos eodem supplicio, spatio trium dierum secuti sunt 60. primores, eadem seueritate manente vsque in hodiernum diem, quæ sola suspitione, etiam diuulgatos necat. Interim vero multæ vrbes rebelles ferro, & tormentis apertæ, multa præclara ædificia diruta, ad extremum pernitiosi omnes valida manu sunt electi. Exin iam è Flandria in Galliam, sua signa conuertente seditiosorum exercitu, exortus est tertius, atque cæteris omnibus Galliæ pernitiosior tumultus. Etenim cum iam omnia præcedentibus euersa, atque dissipata fuissent, hic ultimus, quicquid etiam reliquæ spei fuerat, tum in agris, tum in Ciuitatibus abstulit. Longum esset recensere, quot oppida, quotque Prouinciæ, pene funditus sint euersæ. Tres exercitus, interdum quatuor, tota hyeme Gallia aluit, omnia deuastantes. Facta est Gallia quasi vidua, plorans plorauit in nocte, & lachrimę eius in maxillis eius. Omnes amici eius spreuerunt eam, & non est, qui consoletur ex omnibus charis eius. Omnes persequutores eius, apprænderunt eam, inter angustias. Omnes portæ eius destructæ, Sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine: plauserunt super eam manus omnes exteræ, sibilauerunt, & mouerunt capita. Nec est qui eloqui posset, Germanorum latrocinia, Gallorum Sacrilegia, Anglorum fallatias, Flandrorum direptiones, quæ si omnia in vnum cogerentur, Gallia videri queat scopus, contra quem nequissimi omnes omnia nequitiæ suæ tela direxerunt.

Interim tamen reperta sunt supra septingẽta millia, qui non curuauerũt genua ante Baal, sed tribulatione ipsa robustiores effecti, opes, fortunas, corpus, animam denique ipsam non recusarunt ponere. Qui ui, & ferro hostibus sese opponentes multa præclara apud Tolosam gessere. Iuerunt ad decem millia, qui instructi zelo diuino, ardentes amore iustitiæ, prædia ampla, vxores, & liberos egregios reliquerunt, Christoque sese deuouentes, proprijs militarunt stipendijs, solo victu contenti, de reliquo nudi nudum Christũ sequentes, cum hac inscriptione. Eamus & nos, & moriamur cum Christo, propositum habebant ij omni die tremendis adesse mysterijs, & Deiparam vespertino tempore salutare, solita Antiphona. Salue Regina. Itaque diuino magis, quã humano auxilio freti, multas vrbes ab Hęreticis occupatas receperunt, multa Hæreticorum millia oppressérunt.

Cum autem Regnum, pluribus partibus, eodem tempore à seditiosis vastaretur, coactus Rex diuidere suas copias, partem fratri Henrico Valesio tradidit, partem Regulo Aumaliæ, tertiam sibi in præsidium reseruauit. Leuia certamina vndique sępe commissa, tandem ab Henrico fratre hostes intercepti, impietatis suæ dignas pęnas pẽdere coacti. Crudelis pugna, crudelior exitus, quia, etsi multi spe retinendæ vitæ, in manus sese dedissent, nemo tamen neque precibus, neq; precio, vitam impetrauit. Ioannes Lossius nũcius victoriæ fuit, qui cum post primam noctis vigiliam, Regi literas obtulisset, illico Rex cum omnibus suis, ad templum, grates superis acturus, se contulit. Indictæ sunt supplicationes in gratiarum actionem per vniuersum Regnũ: & ignes lætitiæ testes excitati. Eo prælio cecidit, & contritum est caput serpẽtis Ludouici Cõdęi, cum triginta ex præcipuis Ducibus seditiosorum, numerus vulgi promiscui incertus. Si tria capita, quæ residua sunt, eadem fortuna dempta fuissent, omnia essent in Gallijs placidiora, quæ tamen eneruata iam, & ad extremam miseriam videbantur redacta. Andelotus hoc tempore mortuus ferebatur. Ex nostris Brissaccius vir omni tempore lugendus, fortiter dimicando cecidit, in cuius morte arx cum Oppido capta, igne & gladio consumpta est. Volffangus Pontanorum Dux, qui innumeris malis, & oppressionibus Gallias presserat, repentino defunctus, magno metu Regnũ liberauit. Multa præterea præcipua capita, quasi eodem tempore morte obierint non desint, qui iudicent, metu grauioris supplicij, perditis iam ac deploratis rebus, mortẽ eos ueneno pueniſſe. Illud certissimũ est, Volffangũ Ducẽ bene

ſaturum ſpatio 24. horarum morbo interijſſe, ſiue peſte id acciderit, ſiue alio quodam inſperato malo, Domini exercituum opus eſt. Conſcripſit deinde Rex ingentem exercitum ea mente, vt cum nemine eorum, qui horum tumultuum anteſignanos ſeſe aliquando præbuerunt, aut etiamnum præbent, velit vllo modo, vlloue fædere in concordiam redire, ne ſi frater quidem huiuſmodi hoſtis eſſet. Edicto itaq; publico, confiſcata ſunt omnia, tam mobilia, quam immobilia bona, domus, prædia, poſſeſſiones, caſtra, ciuitates eorum, qui contra proprium Regẽ, arma rebellionis ſumpſerant. Omneſque ſectariorum fautores, qui in aliqua dignitate erant, magna cum infamia nominis, publicè omni magiſtratu, atq; officio ſunt ſubmoti. Qui autem in horum locũ ſucceſſere, ſinguli antequam vllam munerũ partem capeſſerent, facere profeſſionem Catholicæ fidei, ad vnum omnes per vniuerſum Regnum coacti. Maximè verò illuſtris fuit, Gaſparis Colignij Admiralij Galliæ proſcriptio, & cõdemnatio 13. die Septembris Lutetiæ facta, vbi homo iſte, omnium iſtorum malorum ſuccẽtor, & anteſignanus, poſt ablatos honores, dignitates, bonaque vniuerſa, magno omnium ordinum conſenſu diris deuouetur, imagine eius patibulo ſuſpenſa: ſignis gẽtilitijs vbiq; locorũ delectis: liberis etiã, omnibuſque eius poſteris, honoribus, dignitatibus, & ipſis nobilitatis prærogatiuis, in vniuerſum perpetuo priuatus. Captus etiam eſt, ſub id tempus Scotus quidam nobilis, ſupplicioq; affectus, quod poſt necatum Condæi iuſſu, Lutetiæ Minalium Præſidentem, in Reginæ quoque matris cædem manus armauerat. Ita nihil reliqui ſibi fecerunt ex omni impietate rebelles iſti, vt rem quam ſcelere, & perfidia ſemel aggreſſi fuerant, gnauiter proſequerentur. Sane quod ad Reginam ſpectat, pluſquam humani conſilij fuit, periculum iſtud. Ex quo liquido conſtat, talibus verſipellibus ingenijs, etiam ab ijs pacẽ nõ eſſe tutã, quos ipſi ſimulãdo, cõniuendoq; vt plurimũ alioqui iuuerunt.

Recenſet deinceps author libelli: multa rebellium Hugoniſtarum, cum fidelibus Catholicis prelia, quo lectorem remittimus, ne longius ab inſtituto noſtro digrediamur.

Eaſdẽ crudelitates Franciſcus Romulus, reſpondens Apologiæ cuidã, pro ſucceſſione Henrici Nauarreni in Francorũ Regnũ, his quæ ſequuntur verbis expreſſit. Clamant, ait, tragediæ Anglicanæ, clamãt exilia, carceres, patibula, & ſtrages illæ horribiles, quas Anno 1562. in Belgio ediderũt. Quis neſcit quod ſacra tẽpla, quot Monaſteria, quot pagos, quot oppida, ſpoliauerint, ac dirripuerint Caluiniſtæ? Quot in locis altaria euerterint? ſacra vaſa profanauerint, imagines Chriſti, & Sanctorũ confregerint, reliquias effoderint, exufflerint, in flumina & in cloacas abiecerint? quã ſæpè corpus ipſum, & ſanguinẽ Dominicũ ad terrã ſparſerint, pedibus conculcaueriut, canibus abiecerint, globulis tormẽtarijs petierint? Quid vero de cædibus horrendis, & immaniſſimis dicã? nõne Infantes, vt olim Arriani, medios diuiſerunt? nonne Sacerdotũ vultus excoriauerũt, nonne eorũ capita, vno ictu in duas partes ſecuerunt? Nonne auriculas Eccleſiaſticorũ, p torquib⁹, & monilib⁹ geſtauerũt? Nonne quibuſdã uiuẽtibus, & vidẽtibus viſcera lento tractatu explicauerũt? Nonne plurimos ad ſtipitẽ alligatos, ictibus bombardarũ, animi gratia petiuerũt? Nõne multos in altiſſimos puteos, aut alibi in profundiſſimas valles præcipites egerunt? Nonne aliquos etiã viuos ſepeliuerũt. Nonne Sacerdotẽ quẽdam, in prima Cenomanorũ Ciuitate, amputatam ſui corporis partẽ, vorare coegerunt, ac paulo poſt adhuc viuenti, & ſpiranti, ventrẽ aperuerunt, quod ſe cognoſcere velle dicerent, num conquoqueret ediliũ incoctũ ſtomachus humanus? Nonne prope Aurelianũ cum ingenui aliquot pueri, in turri cuiuſdã Eccleſiæ, metu Caluiniſtarũ latitarent, immaniſſimæ illæ feræ ſimul eos cum Eccleſia concremarunt, & aliquos fuga per feneſtrã elapſos, iterũ in incẽdiũ miſerãdo ſpectaculo reiecerũt? Nonne iſta omnia, & alia multo plura adhuc hodie viuos, & oculatos teſtes habent. Nonne omnem crudelitatẽ Tyrannorum Barbarorum, immanium ferarum, atque ipſorum prope, dixerim, infernaliũ dæmonum ſuperant?

Ex

Ex Historia Ecclesiastica, Thomæ Bourchior Angli, Parisijs impressa.

1582.

QVANTVMVIS autē, & Galli de Euāgelio,& de suprema quadam clementia, & æquitate,in iudicando gloriantur, prout ex multis Caluini scriptis apparet. Nihilominus tñ contrariū nos huic illorū gloriæ, & Euāgelicam quandam veritatē hac in parte aperiemus. Cum extracto illo breui summæ illius crudelitatis, quam Euangelici Hugonotæ in Gallia solum,contra S. Frācisci ordinem (vt interim de cæteris reuerendis,& religiosis viris taceam) exercuerunt. Vltra viginti enim Prædicatores,non solum more Germanorum, lupos illos compellantes,sed veluti canes rabidi,sine vllo legittimo iuris processu,& iustitiæ ptætextu, in illos irruentes, crudelissimē mactarunt.

In Prouincia Aquitaniæ fratrē Bernardū Prædicatorē, in furcam egerunt: deinde alīū quendā Prędicatorē, vna cū laico quodā in rapidissimū flumen Garonā, præcipitarunt: qui cū continuis trib⁹ diebus ad ripam essent delati, coacti tandem sunt Tyranni illi, ignominia permoti, sepulturæ corpora mandare.

In Prouincia Frāciæ,fratrē quēdā Dyonisiū, quia iā ferè centesimū attigerat annum,& sacræ Concioni præerat,vtroque effosso oculo, tandem peremerunt.

Fratri Ludouico Grip. R. illi seni,exploso in apertū os sclopeto vitā ademerūt.Obruerūt præterea fratrē Nicolaū in ipso pulpito, & linguā illi per ceruicē exciderūt.Quod idem crudelitatis genus,in alios tres Prædicatores designarūt, quos gladijs demum dissecuerunt.

In Prouincia Turoniæ, Pictaui enecauerunt custodem Monasterij S. Martini: admotoque igne, Monasterium, vna cum fratribus, funditus exusserunt.

Simili quadā mansuetudine Euangelici (si dijs placet) vsi sunt erga fratrē Petrum Prędicatorē,& lectorē Radulffensē, fratrem Iulianū Prædicatorē,& Confessariū Magdunensem , fratrem Rodolphum Confessariū, & Concionatorē Fulgerensē,& demū in senē illū Ioannē de Lussia.

In Prouincia Parisien. prope Boscum, fratrem Nicolaum Prædicatorē sclopeto traiecerunt.

In Monasterio Viriæ, Concionatorem & Confessarium, fratrem Petrum Gaset, octogenarium peremerunt, quem cum finita concione, & Missa cæpissent, minis illum rogarunt, vt abiurato Sacramento, negaret PP. esse caput Ecclesiæ militantis, & visibilis, sed Antichristum. Quod cum ille facere detrectasset, abductum in castra, proprio, quo cinguli loco vtebatur, func,suspenderunt. Verum rupto func, & illo decidente, alijs legatum funibus, & soluto, quod circa collum remanserat cingulo, ex arce illum præcipitem egerunt.

Pari ratione etiam fratrem Guilelmū Prædicatorem, & Confessariū laqueo suspēderūt:& sclopetis in illū, tanq̄ ad scopum collimantes, vitam ademerunt.

Cœperunt præterea alium quendam Diaconum,qui cum PP. & Missam abiurare nollet, prout ipsi cupiebant,naso,auriculis, & labris truncatum, legatisque manibus, & pedibus in aquam proiectum submerserunt.

Eodem plane supplicij genere, cuiusdam Conuentus Prædicatorem, & Confessarium Ioannem Buny, vna cum cæteris Patribus, qui in religione Catho.constantes perseuerauerant, affecerunt.

Fratrem Lioth. octogenarium religatis post tergum manibus, crudelissimè, tribus horis continuis excruciarunt.

Fratrem Oliuerium, qui iam ad 50.annos Præsbyter fuerat, cū Romanā Ecclesiā abnegare noluisset, nudū suspēderūt.

In Ciuitate Sagiens, Fratrem Brusonem sclopeto peremerunt.

Dominicus Godar Prædicator, & Cōfessarius ab illis in locū quendā profunde paluſtrem iniectus est, & fustibus interemptus.

In Monasterio S. Claræ Maritaniæ, Sororem Ioannam Pelith. cum alijs sclopeto vitam finire coegerunt.

In die Paraſceues, cæperunt Barbaſili in Prouincia Turoniæ, fratrem Petrum Gaſſeth, poſtquam Domini paſſionem cõcione explicauerat: eumque religatum ad columnam quandam, explosis in illum ſclopetis interfecerunt. Eodem penitus modo occiderunt ſenem illum Patrem Guilelmum de Salmut.

In alia quadam Prouincia, vna vice 14. fratres ab illis enecati ſunt, inter quos tres erant magnæ authoritatis, & doctrinæ viri, & duo item cuſtodes.

In Prouincia S. Bonauenturæ decrepitum illum, & optimum Patrem Guardi, tribus menſibus in carcere detentum pane, & aqua aluerunt. Demum cum illũ peruertere non poſſent, fractis rota brachijs, in aquam abiectum ſuffocarunt.

Prædicatorem autem fratrem Paulum Vaſſellatorem, inauditis pœnis excruciarunt. Primo enim iniectum ſupra crucẽ, virilia illi ſupra crucis clauos contriuerunt. Deinde impletis eius manicis puluere tormentario, ignem adhibuerunt. Verum cum illi ſola brachia exurerẽtur, & ille inceſſanter nomen Domini inuocaret, tandem vnus ex illis, quaſi miſericordia motus, arrepto ſclopeto minori, inquit. Aperi os, & conſecra mihi hunc plumbeum Deum, intruſoque in os ſclopeto, per cerebrum traiecit.

Alium quendam Prædicatorem Vincentium, ad fortis, & indomiti equi caudam alligatum, per ſtipites, tribulos, & ſpinas circiter duo milliaria integra diſtraxerunt, ita vt caro eius, corporis pelle denudata, cruda videretur. Deinde facta foſſa in media platea, cuiuſdam pagi, in eandem illum abiecerunt, & circumiecto humero tenus fimo, expanſiſque in crucis modum brachijs, eadem filo ferreo terræ alligarunt, atque ita totam noctem, in ſummis tormentis, tranſigere coegerunt. Mane autem facto, cum illũ ſupra naturam viuum inueniſſent, riſu, & ludibrio tantiſper proſecuti ſunt, donec ex circumſtantibus, vnus arrepta bipenni, craneum illius perfodit, abſciſoq; ſerra capite, in rogum abiecit.

Alijs præterea oculos effoderunt, auriculis, naſo, & mento priuarunt, multis in eos explosis ſclopetis, vita hac tranſitoria erepta, ad ęterna gaudia ꝓmouerũt.

Quatuor item alios, alio quodam inuſitato mortis genere trucidarunt.

Quadam etiam vice, cũ Monialis quædam, ad cognatos, & amicos ſuos confugere conaretur: & in Euangelicorum manus incidiſſet, ipſiq; illam ſtrictis gladijs, & ſclopetis ad ictũ præparatis inuadẽtes, mortem illi minitarentur, in tam vehemens animi deliquium, terrore perculſa incidit, vt illi, ex omnibus totius corporis partibus, ore, auribus, naribus, oculis, & alijs, ſanguis copiosè profluueret, & ita in deliquio conſtituta, mundi huius vitam finiuit, vt aliam, vt pote, veriorem, lucrare tur. Huiuſmodi Tyrannicam crudelitatẽ in plures alios exercuerunt, quorum nomina breuitatis ergo ſubticemus.

Atque hęc omnia in Gallia geſta ſunt, ab Anno 1560. vſque ad 64. Notandum equidem eſt, quam bene res ſuccedunt: Id ſcilicet nouit Deus.

Ex libello Pariſienſi, de Iuſta abdicatione Henrici 3. è Francorum Regno.

INSIGNE quoddam in eo libro, Euangelicæ pietatis exemplum commemoratur, lib. 2. cap. 20. Natalis Baudinotus ordinis Cluniacenſ. pijſſimus, atque doctiſſimus Theologus, publice in ſcholis eam opinionem defendit, Regnũ & ordines regni, ſupra Regem eſſe. Hoc nomine apprehenſus, in arctam datus eſt cuſtodiam. Inde porrò cũ euaſiſſet, atq; ſeſe domum, circa noctis crepuſculum reciperet, non longe à Sorbonæ domo, Nouemb. menſe 1588. conducto ab Euangelicis Siccario, crudeliſſime eſt cõfoſſus, de quo Belloius, in peſtilenti ſuo Apologię ſcripto, interfecto inſultãs, Miniſtrũq; Sathanę vocans, gloriatur.

Cardinalem Lotharingum, quod Regiæ voluntati reſiſtere auſus eſſet, libertatẽ conſciętię cuiuſq; dãti, vt quã quiſq; vellet religionẽ domi ſequeretur, veneno oblato Euãgelici extinxerũt, Lib. 2. c. 16.

Anno 1587. Oppidani Sedunẽſes, ipſo die

die Purificationis, in Ecclesiam proximi pagi eruperunt, Sacerdotes eiecerunt, concusserunt, Eucharistiam è celebrantis manibus ereptam, fediſſime conculcarũt.

Ibidem Tarzæi fit mentio, qui toties S. Eucharistiam conculcauerat, auriculas Sacerdotum detruncauerat, multos interfecerat: & ob id aulæ Gallicæ in delitijs erat.

Inter alias miſerrimę Galliæ miſerias, res plane obſtupenda in eodem libro narratur. Cum Euangelici nimis tardè, Clerum Regni vniuerſum, & cum eo Chriſtianam religionem perire dolerent, nec vno impetu euertere omnia poſſent: quod profecto feciſſent, ſi vnam vniuerſus clerus ceruicem habuiſſet, commutato circa beneficia Eccleſiaſtica, rerum, & legum ordine, peſſum omnia dederunt. Sic habent libri verba. Ad prius illud ſpectat, data toties (lib. 2. cap. 22.) mercedis loco, Regiæ libidinis miniſtris, pueris, infantibus, militibus, paraſitis, Hæreticis, blaſphemis, Atheis, Cinædis, Scortis, lenonibus, pinguiſſima quæq; & honoratiſſima beneficia. Epiſcopatus, atq; Abbatię. Quodq; mirere magis, mulieribus virorũ, viris mulierum, ac monialium commiſſa, & tranſlata clauſtra, vnde factum, vt nouo genere prodigij, & Abbas mulier, & vir Abbatiſſa diceretur. Sues etiam Monachos, ſi ſuperis placet, fœmina: ſuas Nonnas vir ac milles, vocare nominareq; audiretur. Accedunt venditi ſæpè Epiſcopatus, atq; Abbatiæ. Impoſitæ, commutatę, redemptæ penſiones confidentiariorum, ac ſuppoſitarum perſonarum in iniuſtiſſimos poſſeſſores. Quodque mali caput eſt, ſicubi contra Confidentiarios, aut Symoniacos, lis ad Regium Conſilium ſiue magnum, ſiue priuatum, ſiue ambulatorium deuoluta eſt, ſæpè actores excluſi ſunt, illi vero vt iuſti, & bonæ fidei poſſeſſores, cauſam obtinuerunt. Eiuſdẽ generis eſt, quod mulieribus aſſignatæ pro dotibus Abbatiæ, aſſertęq; familijs, vt ijs inſtar Patrimonij, frui æqua portione liberi, iure ſucceſſionis poſſent: iuditio confirmatæ, probatæq; exiterunt. Adde mendacia ſuper matrimonijs, pueris baptiſandis, ac mortuis ſepeliendis, dicta ac tributa, vt pro matrimonijs ſolidi 15. pro maſculis baptiſandis, decẽ, pro fœminis, quinq;, pro ſepeliendo mortuo alij quinque penderentur: id vtique per hoc inuentum agente diabolo, & ad euertendã penitus religionem impellente, vt vbi ſoluendo non eſſet plebecula, pro matrimonio vaga libidine omnia miſcerentur, relicti ſine baptiſmate pueri, duplici morte interirent: & inſepulti eſca hierent volatilibus cæli, & beſtijs terræ.

Ioyeuſæ Dux ſtrenuiſſimus, quod ſui pro Catholica religione zeli teſtimoniũ, re ſæpius in hæreticos fœliciſſimè geſta, quam Euangelici ſiue Polytici vellent, præbuiſſet, ob idque tolli eum de medio placeret, ea arte cum eo actum eſt, qua petitus ſæpè Guiſius falli cito non potuit: vt exiguis copijs munitus, iuſſis quieſcere ijs omnibus, qui eſſe auxilio debebant, loco iniquo, prẽmonito prius hoſte, copijs recens auctо, impar, hoſti congredi, ferox iuuenis, & pugnæ auidus expreſſe iuberetur. Cuius exercitu per fraudem diſſipato: ſed tamen ipſo Ioyeuſa Duce ſuperſtite, à Comite Sueſionum inuentus, ſedato iam Marte, crudeliter necatus eſt.

Ibidem Bibliopolas Euangelici Francici, qui Cathol. libros vendebant, flagris ceciderunt. Anglum Catholicum, qui perſecutiones Anglicanas, excuderat, in vincula coniecerunt. Qui autem libros contra PP. ſcripſerant, & vendebant, eos fouerunt, aluerunt, protexerunt, Lib. 2. cap. 6.

Prædicatoribus Catholicis vetant, de ijs, quæ ad rempub. ſeu Regnum, ſeu vt ipſi loquuntur, ad ſtatum ſpectant, loqui, vt impunitius, ſecretiuſque peccetur. Id actum eſt Pariſijs 1586. vbi congregatis vrbis Concionatoribus, in Vigilia Natiuitatis Dominicæ, ingentibus ac prolixis literis, ſub mortis interminatione prohibitum eſt, ne quicquam de ijs, vel tantillum loquerentur.

Ad Regnum autem, ſiue ſtatum pertinere putant, ſi quis hæreticis faueat, ſi Eccleſiæ bona diripiat. Si fœdus cum improbis ineat, ſi innocentes perimat, fontes iudicio eximat, & ſimilia conſilia impietatis ineat. Et lib. 2. cap. 20. Audito morbo, Triſtandi Bizetij Epiſcopi

Sanctoneñ. ordin. Ciſtercieñ. in pecuniã illico ſpirantis, Euangelicę harpiæ inuolarunt. Archiep. Burdegaleñ. centum librorum millia vi rapuerunt, nec exoluerunt. Literas Apoſtolicas, de alienandis Eccleſiæ bonis, per fraudem extorſerunt, eaſque corruperunt, & adulterauerunt, duoque verba ad ſcripſerunt (Inuitis clericis) quod nunquam Pontifici Romano venit in mentem. Illuſtriſſ. Cardinalis de Pelue, bona per vim occuparunt, vectigalia de fabricis Eccleſiarum, anno 1587. ſic extorſerunt, vt Calices, & alia in minutioribus Eccleſijs ornamenta vendere in vectigal cogerentur: immo Regio diplomate iuberentur. Lib. 2. cap. 26.

Nobiliſſimam ligni vitalis portionem per Reges Galliæ, magna pecunia à Conſtãtinopol. Imperatorib⁹, & Venetis redẽptam, magnaque cum veneratione Pariſios delatam, primum ſecreto vendiderunt. Poſtea è Sacello Regio ſurripi, fractis per noctem feneſtræ exterioris cancellis, furtimque auferri permiſerunt. Deinde in raptorem cenſuris animaduerti iuſſerunt, iniectiſque in nonnullos falſi criminis ſuſpicionibus inſontes in carcerem compegerunt: nec niſi extorta magna pecunia abire permiſerunt. Ibidem.

Ex gemmis, & donarijs, quæ feretro, ſeu capſæ Beatæ Mariæ Carnotenſis, in qua Sacra Virginis camiſia, ſeu tunica interior conditur, & magno in honore habetur: magna deuotione oblatam dudum pecuniam, vſq; ad ſummam 60000. aureorum abſtulerunt.

Turoni, Andegaui, alijſque in locis, in ſacras reliquias paſſim ſæuierunt. Aurum omne conuaſarunt, in belli ſumptus impenderunt. Porrò à quibus eius generis theſauri celabantur occiderunt: & Carthuſianos in agro Turonico, eam ob rem laqueo ſuſpenderunt. Ibidem.

Virginibus Deo ſacratis, non vno vel Monaſterio, vel tempore: ſed paſſim in Gallia vim immanem intulerunt. Scit Laudunenſis, Pariſienſis, Eburonenſis, Rotomagenſis ager, quam multas hac turpitudinis intemperie compreſſerunt. Alijs etiam comprimendas in conſpectu ſuo dederunt. Immo quod dictu horrendum eſt, Princeps quidam, cuius honori parcitur, Monialem ſuper genua ſua tenens, & lichnum turpitudini admouens, eam in ſinu, oculiſque ſuis violari à ſeruo ſuo voluit.

Ad Caſtrum Vicenarum tertio ab vrbe Pariſieñ. miliari, in adyto Hyeronimitano, inuenta eſt à Ciuibus Pariſieñ. Crux aurea, Puluinari ſerico affixa, vitalis, vt creditur, ligni partem habens: ex vtraque crucis parte Satyri quidam capripedes villoſis femoribus, ſeu potius dæmonia, ex argento inaurato videbantur, tergo ad crucem conuerſo: vaſcula è Criſtallo tenentia, & in ijs neſcio quid execrandi pulueris, quibus omnibus, Euãgelici, ad magiam vtebantur.

Sed & de coniectis Lutheticę in ignem, ait author libri, ſine baptiſmo infantibus, vnde Sathanæ ſacrificia facerent Euangelici, ante aliquot annos hyſtoriam ſtupentes audiuimus: idque ſe feciſſe, ſed coactam, & inuitam, Obſtetrix quædam querebatur, quæ domi ſuæ in tenebris per vim rapta, oculos velata, curru per vrbem circumducta, vt neſciret quo pergeret, in cubiculum tandem deteſtabile introducta, à viris perſonatis, infantulum recens natum, præſente infœlice matre, moritura, ni faceret, in ignem conijcere, & crudele mortis ſpectaculum intueri, coacta eſt. Cap. 30. lib. 2.

Huc accedunt prophanati dies ſacri, & ipſa præſertim hebdomada ſancta, cuius die quinta 1585. Princeps quidam nobilem matronam, quæ libellum ſupplicem offerebat intro admiſſam, ab aliquot ex ſuis vi comprimi, atque violari voluit, ipſeque ſpectator fœleris fortiter, & effuſe riſit.

Huc ſpectant factæ in ſacris locis ſcortationes: conſtupratę intra ſepta monialeſ, irriſa ſcripturæ, & myſteriorum Chriſti verba: & ad turpitudinis vſum proſtituta.

Sepulti quoq; in Eccleſia S. Pauli Pariſijs ad vtrumq; magni altaris latus, qui in duello propter ſcortationẽ ceciderant, erectis ijſdẽ ex marmore ſtatuis, addito vni ex ijs, cui Mongyronio nomẽ fuit, qui blaſphemãs, & Deũ negãs expirauit, plane

Ethni-

Ethnico Elogio, Mortem tulit, non tulit iniuriam : qua de re Poeta quidam hos uerſiculos edidit.

Aſpicite ò Galli veſtri deliria Regis.
Erigit his ſtatuas: qui meruere cruces.

Princeps quidam, cũ Vicenis Caſtro Monachos in officio diuino diutius ſtare debere cognouiſſet, iuſſit omnes prius vinũ conditum ſumere, ne orando ſcilicet, aut meditando deficerent : ac deinde oſtia templi clauſit diligenter, ex quo factum eſt, vt incluſi Monachi, & eo condimento laxati, ventrem in Sacello exonerare cogerentur, ridente effuſe Principe. lib. 2. cap. 31. Et lib. 4. cap. 6. ſic loquitur. Sacrum illud viaticum execrandis calcibus tundere, ſacro oleo calceos, ocreaſq; inũgere, ſacra omnia, vel vſque ad ſtaneos calices expilare, mortuos ſepulchris effodere, mulieres ac uirgines vendere. Id Metis Torrai. Id Stampis Henrici copiæ in tribus Eccleſijs B. Mariæ primum, deinde Capucinorum, poſtremo Franciſcanorum, ipſo præſente præſtiterunt. Addita etiam immanitate hac, præter cæſos illic Catholicos Martyres, vt ſacros fontes alui deiectionibus fœdarent : fœminas ac virgines, in ipſo B. Mariæ templo cõſtuprarent : ſacras beatorum Martyrum Cancij, Canciani, & Cancianillæ reliquias, ſub auctionem ponerent : Calices omnes aſportarent, eodemq; tempore, & in eadẽ Eccleſia, & execrãdus Sacerdos, de Henrici factione, ad altare maius Miſſam celebraret, & in pronao Borbonij Miniſter hæreticam Concionem haberet. Et ne longinqua proferamus. In Pariſien. agro Capuccinos, Curiones, Sacerdotes, Monachos, quos paſſim repererũt, illæ in quam ter execrandæ Henrici copiæ truci darunt : Moniales vi de clauſtris auulſas ad ſcelus, & contumeliam ſecum abduxerunt : Euchariſtiam, & ipſi pedibus ſuis conculcarunt : quicquid ſacri, aut religio ſi fuit diripuerunt, atque prædati ſunt.

Et quod horrendum eſt cogitatu, vitulum Sacerdotis veſte indutum, præſentibus quinq; Præsbyteris, ad altare ſacrum immolarunt, ac deinde Sacerdotes illos ibidem trucidarunt.

Et nuper Pontiſaræ, cum Virginis Sacræ templum fruſtra expugnaſſent, horrendas in eam blaſphemias euomuerunt, quæ vt Hæreſes omnes ſola intereмit, ſic & ijs certiſsimi exitij cauſa erit. Et vos ò nequiſsimi, defenſiuum bellum negabitis. Et nobis inſulſo illo artificio adhuc illudetis ? Nam ſi recentia hæc, poſt inceptum bellum patrata eſſe ais, ſatis ne intelligetur, quæ arbor dudum fuerit, quæ tales fructus edit : & vt dudum iniuſtitiã parturierit, & conceperit dolorem, qui tam deteſtandam hodie peperit iniquitatem ? Quid enim hic mirũ accidit, quod non futurum prior illa nequitia indicarit? cuius enim tam inſigne periurium, tam fœda ſacrorum illuſio, perfidia tam horrenda, parricidium tam immane (nam hæc bello priora fuerunt) quis non eo proceſſurum, immo, & deteriora multo commiſſurum diuinaret ? Nam ſi futura etiam nunc non dicam coniectari, ſed certiſsime euentura prędicere placet, cogita, ò quiſquis es dirutas, & æquatas ſolo ſacras ædes, uagantem vbique locorũ, dierum, perſonarum, libidinem : cæſorum corporum rubentia ſanguine flumina, fœtentem corruptione aerem, palantes, & incertos ſine religione, ſine Sacramento, ſine lege homines, excuſſum de hominum memoria quidquid dicitur Deus. Hæc omnia liber ſupradictus.

Extat admonitio Gallica, Catholicorum Anglorum ad Catholicos Gallos, recenſentur in ea nõ pauca Hugonoticæ crudelitatis exempla, in Catholicos. Pauca è multis in Latinam linguam tranſlata commemorabimus. Nulla arx, nulla ciuitas fuit in tota Gallia, quæ ad Hugonotorum aduentum non horruerit, cum tamen eos ſacri fœderis Duces, & milites obuijs ſoleant vlnis admittere. Ciuitas Engoliſmenſis experta eſt inter alias barbariem, & inhumanitatem iſtorum pluſquam beluinam, vbi ſuper crudelitatem, quam exercebant, terra contremuiſſe, & aer ipſe gemuiſſe videbatur. Regulus ipſe, Moniales comprehendit. Admiraldus Sacerdotes torſit, ex quorum carnibus, vt rabidi, ferique leones, paſti ſunt. Dominam de Marandat, hoſpitam ſuam, à qua fuerunt humaniſsime

tractati

tractati, omnibus tormentis laniarunt, quæcumq; excogitari, ab odio lymphatis hominibus potuerunt, pedes igne vsserunt, pellem ligularum in morem conciſam detraxerunt. Nemauſi ad 200. Catholicos in puteũ primæ notæ viros deiecerunt. Altera vice plures etiam varijs tormentis laceratos trucidarunt. In Monbriſon plures Catholici metu harum belluarum in turrim ſe altiſſimam abdiderunt. Hugoniſtæ vero ſitibundi ſanguinis, ignem ſubiecerunt, exilire per feneſtras coegerunt, & nihilominus ſubiectis lancearum cuſpidibus, cadẽtes excœperunt. Anno 1582. Locumtenens Regius in Bazas, poſtquam uiduam quandã violaſſet, pedibus ad trabem alligauit, capite ad terram pendente, & in eam partem corporis, qua turpem ſuam libidinem paulo ante ſatiauerat tormentarium puluerem impoſuit, ignem admouit, ita ut venter diſſiliret, & inteſtina diſiecta, rapidis fierent ludibria ventis. In Montgomeri, datam fidem pleriſq; Equitibus Regij ordinis fregerunt, & omnes indigniſſime trucidarunt. Non commemorabo ordinationes Bearneñ. contra Catholicos. Non dicam de retentione, & oppreſſione Catholicorum à Parlamẽto di Pau. De executione contra illos, de pœnis, & tormentis, qui ad conciones illorum non accedebant. Quæ ſupplicia excogitabant in eos, qui Miſſas audiebant. Certe teſtatur Popelineurius, quod Lugduni vendiderint pinguedinem è Monachorum abdomine frixam.

Capellanum Reginę Nauarræ, quod ipſius iuſſu Miſſam dixerit in Pau. trucidarunt.

Tres opulentos Mercatores, quod Miſſam audiuerint in carceres compegerunt. Anno 1580. publicata eſt pax in Sanſera, qua vis omnis in poſterum prohibebatur. Euangelici nihilominus, poſtridie publicatæ pacis, armis omnibus, & præſidijs inſtructiſſimi nocte exierunt, & in Abbatiam de Pontaut impreſſionem fecerunt: eãq; occuparunt, Monachos quieſcẽtes trucidarunt. Priorem verò, qui ſpirare adhuc videbatur lardo, & reliqua pinguedine perunctum in ſuo lectulo in cineres combuſſerunt. Hęc libellus Gallicus. Non defuerunt etiam, qui manibus à tergo colligatis ligno appenſi, & machinis quibuſdam, membra vniuerſa diſtenti, diſtractiq; deinde à tortoribus ex mãdato magiſtratus per totum corpus grauiter diuexati, & non quemadmodum cum homicidis agi ſolet, latera ſolum, ſed vẽter, tibiæ, & genæ flagris ferreis cæſæ fuerunt. Alij pependerunt ad porticum vna manu affixi; & articulorum, membrorũq; diſtentionem, quę omnem doloris ſuperabat acerbitatem, pertulerunt. Alij vultu alterius in alterum obuerſo, ligati, & columnis, pedibus non ad terram omnino demiſſis, ſic appenſi, vti cum funes acrius retraherentur, & contentius corporis grauitate, ac pondere acerbius premerentur. Neque tantiſper ſolum, dum Præſes cum illis quæſtione diſceptabat, illiſq; examinandis vacabat: ſed per totum diem ferè iſtud ſupplicij genus ſuſtinuerũt. Quãdo enim ab illis, ad alios profectus eſt, miniſtros, ipſius authoritati obſequentes, reliquit, qui priores accuratè obſeruarẽt, ſi forte quiſquam tormentis euictus, cedere videretur: mandauitque, vt acerbè, & ſine remiſſione ulla, funibus diſtorquerentur, & deinceps cum iam iam eſſent animam acturi, rurſum in terram demiſſi, paſſim miſerè raptarentur. Neque.n. de nobis, vel minima cura in eorum animis reſedit, ſed omnia in nos perinde tũ excogitare, tum re præſtare videbantur, ac ſi homines non fuiſſemus. Præter alia tormentorum genera, iſtud nouum præterea, quod ſequitur aduerſarij noſtri inuenerunt. Nonnulli enim poſt verbera, in compedibus ligneis poſiti erant, & pedes alter ab altero, ad quartum foramen diſtenti, diſtractique adeò, vt neceſſario ſupini iacerent, nec poſſent propter plagarum vulnera, recens toti corpori inflicta, ſe vllo modo commouere. Alij in ſolum proiecti, præ crebris tormentorum ictibus, quos pertulerant, ſemineces iacuerunt, & propter varia, ac diuerſa cruciamentorum ſtigmata, quæ in corporibus habebãt miſerabilius ſpectaculum, quam cum torquebantur, oculis contemplantiũ ſubiecerunt. Ex his autem, qui ita ſe habebant, nonnulli in cruciatu mortui ſunt, & ſingulari animi tollerantia aduerſariũ

prorſus

prorſus confuderunt: Alij femineces in carcerem concluſi, nõ multis diebus poſt, dolorum grauitate oppreſſi, excedunt è vita. Reliqui valetudine, & uiribus curatione recuperatis, temporis longinquitate, carceriſq; uſu, & uelut contritu, multo euadunt fidentiores.

Citat Balduinus ipſius Caluini Teſtimonium, de miſerijs poſt inſtitutã, vt ait, reformationem religionis, Regno Galliæ obiectis. Scio quendam ridentem (ſeipſum intelligit Caluinus) uidiſſe cædes tota vrbe fieri, ędes, fortunaſq; omnes à furente multitudine diripi: honeſtiſſimis uiros, ſpectatiſſimas Matronas, per vrbem media luce lacerari. Sepultorum cadauera effodi, quoſuis crudeliſſime excarnificatos, in fluuium præcipitari, non virginibus, non prægnantibus, non ipſis pueris, ab vberibus matrum pendentibus parci. Iam vero iſtum ipſum, ipſis ſaxis ad hæc horrenda ſpectacula colliqueſcẽtibus, non modo ſecurum omnia ſpectare, ſed unum etiam eſſe ex his, qui carnifices in cœlum efferrent. Quid Galliam commemorem, innocentũ hominum promiſcuis cædibus redundantem? quid vxores in virorum, virgines in matrum ſinu, & conſtupratas, & iugulatas? quid infantes ab vberibus matrum, ad cædem tractos? quid prægnantes mulieres viuas inciſas? quid honeſtiſſimos viros crudeliſſime interfectos? quid cadauera ipſa raptata, laniata, canibus obiecta, in flumen præcipitata? quid infinita alia, inauditæ immanitatis exempla? quid deniq; (quod memini fuiſſe quauis crudelitate acerbius) tot conuitia in Chriſtum ipſum contumelioſiſſime iactata. Hæc ille ſecundus Attila. Allaſtor, & Dux eius ipſius, quam deſcribit, horrendæ vaſtitatis.

***

Ex Epiſtola Antonij Poſſeuini, doctiſſimi, & zelantiſſimi Societatis Ieſu Theologi.

Ad Ter Maximum Stephanum Battoreum Poloniæ Regem.

ET ſane, vbi Clodoueo ad fidem Chriſtianã conuerſo, Catholica cæpit in Gallijs religio latius patere, non ita multos (vndecim quamuis ſæculorum ſpatio) inuenies, de quibus ob hæreſim ſupplicium, re diligẽtiſſimè prius examinata, ſit ſumptum. At ſolius vndecennij ſpatio inſtitio exorto, perruptiſq; iudiciorum, & poteſtatis Regiæ Tribunalibus, quingenta, ut minimum hominum millia, hæreticis omnia turbantibus, in Gallia, Belgioque ſunt interfecta. Quot Sereniſſ. Rex, (quarum ego rerum haud exiguam partem, toto illo tempore in Gallijs vidi) quot, in quam, virgines, quibus ab Hæreticis uis eſt illata, mamillis deinde intra arcarum ſeras compreſſis, quod Catholicam fidem nollent eiurare, miſerrima lentaq; morte perierunt? Quot innoxij religioſarum familiarum viri, & Sacerdotes, quoniam Euangelium Chriſti ſecuti, rebus ſe ſe omnibus mundi exuerunt, alij viui in terram defoſſi, alij abſtracta cute, clauiſq; crania transfixi, alij ſibimet humum ad ſepulturam effodere coacti, diritatẽ Caluinianorum experti ſunt? Quoties ex Sacerdotum adhuc ſpirantium ventribus diſciſſis, atque inter ipſa gementium piorũ viſcera, iniecto hordeo equis ipſis infolẽs pabulum horreſcentibus, cibus eſt propoſitus? Cum etiam ex aliorum Sacerdotũ naribus, & auribus abſciſſis, frena ſibi equites Hæretici ornaſſent, alijs autem ingeſtus in ora tormentarius puluis, atque ignis admotus, capita in minutiſſima fruſtra diſcerperentur, & in aerem euolarẽt. Plures, & nobiles quidem multi, amicè ab Hæreticis conuiuio excepti, de turribus,&

bus, & montibus post ipsa fercula, statim præcipites acti, mulierum adhuc prægnãtium, & viuentium, veteri secti, earumque ob oculos palpitantium embrionum mẽbra saxis illisa, pueri vagientes in ignem coniecti: alij verubus appliciti, atq; aligati, & ad ignem tosti, cum sacris Catholicarum precationum paginis contorsis, tanquam fuillo abdomine infarti fuissent, furentem istam, & famelicam hæreseos rabiem exsaturarunt. Extant horũ, multorumq; plurium facinorum, quæ non sine lachrymis memoria repeti possunt, hystoriæ, veritatem posteritati cõtestaturæ, atq; ipsi adhuc parietes, cruore fidelium hominum, & innoxiarum virginum, cernuntur aspersi. Quæ vero erant olim omnis pietatis scholæ Nosodochia, cœnobia septa, seu sacrarum virginum monasteria, ægrotis, & pauperibus alendis perfugia, ea ne vni quidem Hæretico ministro cũ sua filiorum, & mulierum turba capiendo, vel alendo sufficiunt. Hæc in Senatus Parisiensis regestis acta leguntur, quibus Poltrotus equorũ discerptioni traditus pœnas dedit: quem Theodorus Beza verbis, promissisq; illectum, ad Illustriss. Ducis Francisci Guisij proditionem, & cædẽ inflammauit: ipsi autẽ si loqui possent lapides, & aræ sacræ ad propitiandũ Deum, ab ipso penè Apostolorum tempore erectæ, horruisse se dicerent, cum vel Caluinianorum stercore, flagitijsq; conspurcatæ, vel antea Caluini iussu ad sternendum supplicij locum deportatæ innoxiorum corpora ad necem exciperent. Inter hos autem militum Præfecto, quod cædi alicuius sibi propositæ, nec animum, neque manus, applicare voluerat, Caluinus ipsa die nascenti Christo sacra, caput in Geneuensi foro, super ara ædis sacræ curauit amputari. Ita nouum litandi genus videre Geneuenses, & anniuersarij illius diei sublata est celebratio, quo ineuntis nostræ salutis commemoratio semper est habita. Sed & ignota sæuissimis barbaris feritate in mortuos sæuitum est: nec Euangelicæ istæ Caluinianæ puritati, & charitati visum est esse scelus si post fædata, & conculcata, quæ fuerunt a Dei filio instituta Sacramenta, si post Sanctorum virorum reliquias, aut incendio consumptas, aut in Ararim, alioue proiectas, capitibus ipsorum Regũ exhumatis, ad ludibrium pro pila abuterentur.

Dum hæc scribimus, perlatum est in Vrbem admodum triste Nuncium, de crudelissima direptione, antiquissimi, & amplissimi Monasterij Cistercienses, quod hostes sanctæ vnionis hæretici, Duce Guilelmo de Touares, ipso die dedicationis, quæ fuit 16. Octob. 1589. inuaserunt triginta quinque Altaria effracta, sanctorum reliquię extractæ, in puluerem comminutæ, in terram proiectæ, calices, etiã argẽteæ reliquiarum thecæ, & cupa Ciborij ereptæ. Sanctiss. Eucharistia comminuta, proiecta, indignissime tractata. Imagines concisę, organa, oratoria, capellarũ æneę clausuræ, ostia, armaria, sedilia vetustate cõspicua, sedibus suis auulsa. Tria sepulchra Ducum Burgundiæ confracta. Edicula siue Tabernaculum æneum admirandi operis, & ingentis magnitudinis cum tribus alijs æneis imaginibus B. Virginis, D. Nicolai, & D. Roberti. Sex columnæ æneæ 12. pedum altitudinis, quarum singulæ sustinebant angeli imaginem gestãtis insignia passionis Christi, Moses ex ære tenens duas tabulas ingentes, candelabra, & lampades innumeras, & vasa grandia aquæ benedictæ. Summa est 40000. pondo rapti æris ad oppidũ S. Ioan. de Lona Euangelici transtulerunt: ornamẽta prętera Ecclesiastica direpta. Plumbum à tectis templi, & Bibliothecarum auulsum, ad summam 25. pondo. Biblioteca distracta, & discerpta. Suppellex omnis 148. cubiculorum expilata, officinæ opificum, cum vtensilibus direptæ, ferrei portarum cancelli, crates fenestrarum, ipsę quoque ostiorum, & scriniorum ferę, & pessuli auulsi, vini, grani, olei, & ceræ vis infinita, quę in annuum victum 254. religiosarum personarum, parata asseruabantur. Octo etiam viciniora prædia, omni Oeconomia instructissima, spoliata, Greges boum, pecorum, & equorum abducti. Ipse etiam syluæ, Quercubus non ceduis densissimæ excisæ. O Bernarde Sanctissime. Hæc tibi, tuisq; successoribus gratia refertur, qui Galliam pietatis exemplis, & præceptis

ceptis illustrati. Illa nunc hostes Christi pauimenta calcant, quæ tu lachrymis pro salute Galliæ laborando millies cõspexisti. Exurge ò Domine, quare obdormis.

Ex libro Guilelmi Rossei, de iusta Reipub. Christianæ, in Reges impios, & Hæreticos authoritate Antuerpię. An. 1592. edito.

Cap. 6.

QVAE enim nominari potest, vel vnica amplissimi Galliarũ Regni Ciuitas, in quam vel voluntate ciuium, vel insidijs proditorum, vel honestis fœderis cõditionibus, admissi sint Hugonotæ, vbi non contra veterem Christianam religionem, capitale suum odium, plusquam vlli vnquam Turcæ, aut Tartari, effuderunt? Vnam postulo designari mihi, in tota Gallia vrbẽ, in qua isti dominati sunt, quæ non fœdiora ostendat proculcati Christianismi exempla, quam vlla Hungariæ, aut Græciæ ciuitas? immò quam ipsa Constantinopolis, vbi magnus Turca imperat, & quam cruentissima expugnatione, post longam duorũ fere mensium obsidionem occupauit. Lo quantur Aurelię, Angolismum, Rothomagum, Lugdunum, Meldæ, Suessiones, Aurangium, Nemausus, Montalbanum, ipsa Luthetia Parisiorum, totusq; Pictauien. & Guiennensis prouinciæ tractus, loquẽtur incensa templorum tecta, disturbati parietes, direpti thesauri, mactati præsbyteri; sacra, & diuina, siue Sacramenta, siue Sacramẽtalia violata, & prophanata omnia, loquantur quam fidem, isti primi Christiani Gallogræcorum reges, cum suis fidelibus inuexerunt. In Aurelias pacificè admissi sunt, dicebant enim se venisse regio mandato, vt omnes ab iniurijs prohiberent, & libertatẽ conscientiæ seruarent omnibus, iuxta Regiũ edictum Ianuarij: in quo expresse cauebatur, ne isti Ecclesiarum bona, aut ornamenta quæcunq; attingerent. Sed vix milites suos per vrbem dispossuerant, quũ statim in monasterium pulchrum, & locupleς irruunt, idque horribili modo depopulantur, quidquid ipsis placebat rapientes, quod eorum cupiditate superarat incendentes, libros, pulpita, scripta, monumenta quæcunque. Tum in Ecclesia equos suos pascendos collocant, reliquias sanctorum omnium incendunt, monachos varijs mortis generibus interficiunt.

Cæterũ quum huc vsque prædati fuissent, repente cæpit eos inconsultæ temeritatis pœnitentia. Timebant enim ne reliqui Ecclesiastici hoc exemplo commoniti, aliarum Ecclesiarum bona, vel asportarent, vel occulerent, adeo vt ipsi non nisi magna difficultate, sperata præda potirentur. Quare ut huic malo occurrerent, neue talis bolus ex eorum faucibus eriperetur, ad sonum buccinę, magna cũ pompa, & strepitu promulgant, omnes vt Sacerdotes Catholici liberè, iuxta Regis edictum sua sacra frequentarent, monasterium illud tumultu militari, non voluntate Principum ita fuisse destructum, omnia deinceps fore cunctis tuta, & pacata. Quibus promissis confisi Catholici, quum nihil deinceps hostile metuerent, Caluinistæ subito generali sacrilegio, omnes vrbis Ecclesias adoriuntur, primamq; & præcipuam nonmodo vrbis Aurelianensis, sed vniuersæ quoq; Galliæ, immo quę Sanctæ Sophiæ à Constantino Magno Constantinopoli exstructæ, & quæ totius Europę habetur pulcherrima, nihil quicquam cedebat, penitus diripiunt: theças sanctarum reliquiarum reliquijs combustis inuadunt, sanctissimam Eucharistiam pedibus conculcant, aut pilis tormentarijs trajciunt, custodes ornamentorum tormentis excarnificatos, compellunt omnia ipsis tradere: quos deinde coegerunt, grandi mulcta seipsos ex eorũ manib⁹ redimere. Vbi quicquid in eo tẽplo fuisset aureum, & argenteum, conuasassent, populusq; miserè lamẽtaretur, de tam immani vastitate, isti boni Christiani, vt eos placarent, protestati sunt, se totum, quod eo sacrilegio corraserant,

Regis

Regis (non Caroli, sed Gasparis Colligni) vsibus conseruare: cui, vt tormenta bellica, ad alia templa similiter diruenda suppeterent, campanas è sacris turribus detractas, ad conflanda tormenta fuderunt, cumque ita per templum hoc auariſſimè grassati essent, nec quicquam eorum aduncas manus effugisset, itum est in viscera terræ, & in sepulchra mortuorum pari barbarie sæuitum; & antiquissimi Aurelianensis Pontificis S. Aignani, qui precibus suis vrbem illam ab Hunnorum furore seruauerat incolumem, corpus è tumulo rapiunt, & tanquam Caluiniani Euangelij aduersarium, flammis adiudicant.

Proximè, in Regis tum viuentis fratrē, paulò ante defunctum, Francisc̄ 2. pari impietate desæuiunt, eiusque cor è monumento, vbi reconditum erat extractum, eodem incendio absumunt. Denique ipsum templū immissis facibus inflāmant, hoc modo. Cum omnes Aureliarum Ecclesias populati fuissent, educunt extra vrbē copias, & per vicinum agrum circūcirca eandem feritatem exercent, in Ecclesias, & sacerdotes, suum odium quam acerbissime expromentes, quos captos caudis suorum equorum alligarunt, & Aurelias vsque pertraxerunt; alijs effodiebant nasos, aures, virilia, postea miseros vinxerunt ad arbores, & iaculis vel sclopetis transfixerunt, alijs abraserunt à facie cutem, plurimis amputarunt capita.

Aurelijs non longe abest Cleriacū oppidum, in quo quum contra Ecclesias, & sacerdotes eadem, quæ Aurelijs perpetrassent, in mortuos quoque eandem feritatem ostenderunt. Nam port templum Beatæ Virginis, quod Ludouicus Rex sumptuose extruxerat penitus euersum, ipsum regem, quia tali erga Deum pietati vacauerat, è monumento tollunt, vnaque reginam vxorem, quæ cum viro sepulta erat, quorum vtriusque corpora postquā ad aliquot dies, cum singulari regij nominis contumelia; & religionis contemptu, & absque communi humanitatis sensu, per totam vrbem raptassent, quando iam semiputrida ossa, vix sibi diutius possent adhærescere, vtrumq; ad flammas damnant, & accensa pyra vtrumq; in cineres redegerunt. Inde in sacellum Ducum Longauillę irrumpunt, vbi item tumulati erant è regia stirpe permulti, quos omnes extraxerunt, destructisque sepulchris corpora insepulta proiecerunt in sterquilinia. Ab hoc loco tanquam egregiam aliquam de suis hostibus victoriam consecuti, ad reginam Nauarræ Henrici Nauarrę matrem, quæ propè aberat gratulatum proficiscentes, ea præsente, & inspectante, quosdam principes familiæ Borboniæ, mariti sui consanguineos, è sepulchris erutos combusserunt. Et quæ historia vel Gallicana, vel latina, siue à Catholicis, siue ab ipsis Caluinisticis scripta, non narrat eos hoc genere sacrilegij in omnes sanctos, in omnes primos Gallicanæ Ecclesiæ Episcopos, & Apostolos, nunc glorioſe in cœlis triumphantes sęuijsse? quorum corpora tantopere (vt prius explicauimus) à primis Christianis honorata, tam multorum bonorum nobis instrumenta, tantis a Deo miraculis glorificata, non minus diligenter, quam viuos sacerdotes exquisierunt, & reperientes secunda morte, quantum in ipsis erat, vna cum sacerdotibus trucidarunt.

Notum est quid Lugduni fecerunt, cōtra S. Irenæum. Veteres olim Pagani, primum eius Episcopum Photinum, virū Apostolicum occiderūt, & deinceps eius, aliorumq; martyrum corpora combusta, in Rhodanum fluuium sparserunt. Isti Pagani Caluinistę, Photini succesſorem Irenæum exhumarunt, & publice concremarunt, cineresque in præterfluentē Rhodanum iecerunt. Quale erat suis temporib. Galliæ lumen, & decus D. Hilarius Episcopus Pictauiensis? qui etiamsi Arianos, suos haberet hostes infestissimos, quos libris doctissime scriptis, neruose refutabat, tamen acerrimus Arianorum patronus Constantius Imperator, propter singularem sanctimoniā, propter mirabilem doctrinam, propter insignem grauitatem, & mores Episcopo Christiano dignissimos, ita eum reuerebatur, vt ab exilio reuocaret, & suæ in Gallia Ecclesię Pictauiensi restitueret. At Ariani isti Caluinistæ ad suum tribunal eum citantes, primum libros sua manu contra

Arium

Ariũ exaratos, & cum ijs alios quosdam vetustissimos, quos tanquam egregium, & æternitate dignum monumentum, huc vsque Ecclesia Pictauien. asseruarat, flãmis pronunciant dignos, & incendio deuouent: tum ipsum Sancti corpus pari supplicio plectunt.

Iacebat eodem in loco Radegundis Regina, quæ postquam cum Clotario, filio Magni Clodouæi I. Gallorũ Christianiss. regis, iuxta veteres historicos (etsi isti Epicuri suo Gaspari, vel Condæo hunc honoris titulum tribuunt) sex annos in matrimonio vixerat, castissimam ex voto deinceps vitam egit, ædificataque ad honorem Christi, & Beatæ Virginis magnifica basilica (quæ tamen populari sermone S. Radegundis nomen obtinuit) in eadem ipsa moriens conquieuit. Cęterum istorum canum furorem, non potuit euadere: qui vel odio castitatis, quam professa est, vel amore loculi, in quo condita est, & quod erat alicuius prætij, corpus eiectum, eodem cum reliquis iudicio damnarunt, vt ignibus conflagraret, omniaque, quæ in illa Ecclesia iacuerunt Sãctorum corpora, eodem cum S. Hilario, & hac castissima regina, iudicio perierunt.

Sed inepte facio, qui vnam vel alteram Ecclesiam, vel S. Hilarij vel S. Radegundis, ab istis fratribus direptam, & vastatam dico, quando omnes generaliter Pictauij Ecclesiæ, eadem vastitate deformatæ sunt. Stulte S. Hilarij libros incensos queror, quando in plurimis Galliæ prouincijs, magnas, & optime instructas bibliothecas, ab istis incendiarijs, & iuratis antiquitatis, & primitiuæ Ecclesiæ hostibus, incensas fuisse constat.

Et quis miretur, eos clarissimis illis, & primis Ecclesię Gallicanæ doctoribus, tam fuisse infestos, qui nec ipsis Apostolis Domini, si vspiam in eorum, vel minutissimas corporum partes incidebant, magis fuerunt propitij. Erat in oppido quodam Burdegalensis oræ, caput S. Mathiæ Apostoli, nec procul inde in oppido, quod Sancti Ioannis Angelici nomine vocatur, pars quædam capitis inclyti præcursoris Diui Ioannis Baptistæ. Quo nemo inter natos mulierum surrexit maior. Et quem ipse Saluator noster supra conditionem Patriarcharum, & Prophetarum extollens, ipsis Angelis coæquauerat, quo, & nomen huic vrbi videtur impositum, & quem locum, ad honorem Baptistæ sui, multo pluribus miraculis illustrauerat, quam quibus recens inuenta Geruasij, & Protasij martyrum corpora, nobilitata fuisse narrat D. Ambrosius. Quid vero isti Gallograeci? perinde nimirum, vt decuit viros Caluinistas, hoc est veros diabolos, qui, & martyres, & Apostolos, & Apostolis superiores, ipsumque Christum pari loco habent.

Post omnia huius vrbis templa spoliata, & euersa, vt nec vnum integrum relinqueretur, post D. Matthiæ caput Vulcano consecratum, & ablatum diligenter aurum, quo caput D. Ioannis operiebatur, caput ipsum, uel partem potius (erat enim pars posterior, cuius anterior Ambiani debito cum honore seruatur) postquam multis opprobrijs, & contumelijs cum Herode, & Hærodiade affecissent, magna cæremonia, medio foro, pyram ingentem struẽtes iniecerunt. Vnico facto, & Herode, & Herodiade, Iudeis infestissimis, D. Ioannis hostibus, & ipsis quoque Ethnicis, truculentiores. Herodes enim, & Herodias corpus mortuum, permiserunt discipulis, vt sepelirent: Ethnicique qui postea Romanis Imperatoribus, Christianos persequentibus, martyrum corpora maxime Christianis inuidebant, ideoque de illis comburendis, emeribusque sæpenumero in flumina spargendis, plurimum apud centuriones, & præfectos instabant, quum eadem diritate truncum D. Ioannis corpus, ignibus absumendum curassent, de capite quod magno labore Christiani comparauerant, veterem suam malitiam aliquantulũ remiserũt. At isti nec cũ Herode, & Herodiade caput sepeliri sinunt, nec vt Ethnici à Christianis teneri patiuntur: sed eo spiritu pleni, qui Herodem impulit ad eius cædem, & Ethnicos incitauit ad eius mortui incendium, nec sepulturã concedunt: sed post sędissima opprobria, ereptum Christianis diuinum caput, solę-

ni pom-

ni pompa ad contemptum Christi, & quã Christus prædicauit fidem resurrectionis, flammis absumpserunt. Qui autem ista in Christi martyres, & Apostolos designarunt, an Christo ipsi peperciſſent, ſi penes ipsos fuiſſet, cum vel in ſe, vel in membris eius, vllauè corporis parte rursus cruci affigere? Immò & Christus ipse, qui ſe ſuosq; Apostolos ijſdem hominibus ſimiliter odioſos eſſe prædicat, & certa ratio, quum iſti, Christi Apostolos, non niſi propter Christi nomen, & fidem, hoc odio proſequantur, ideoq; Christum ipſum multò infeſtius erant perſecuturi, & ipſa experientia docet, quam reuerenter Christum fuiſſent habituri: ſi vt olim ad Pilati, ita nunc ad eorum tribunal iudicandus ſiſteretur.

Aurangi enim Prouincia, poſt ordinaria illa Caluiniani Euãgeliſmi facinora, diſturbatas Eccleſias, euerſa Sanctorum monumenta, exuſta corpora, & inter alia patronum, & primum Apoſtolum ſuum ſanctum Eutropium, & huiuſmodi cætera ad extremum ſcite formatam Christi crucifixi imaginem, templo educunt, funibuſque alligatam imponunt aſino, & per omnes plateas, & compita, perpetuis eam maledictis, & vna continuis flagellis & verberibus afficientes circunducunt, & deinde non quidem in crucem egerunt, ſed quod eiuſdem erat immanitatis proiecerunt in ignem, quale quid contra Christum à Turcis, capta Conſtantinopoli, geſtum fuiſſe Chriſtianorum hiſtoriæ prodiderunt? Cæterum ijdem fratres in Diœceſi Carnotenſi, longe vltra hanc, vel Aurangiorum, vel Turcarum diritatem progreſſi ſunt, qui in Eccleſiam quandam, vbi Sacerdos diuinum illud Chriſtianorum ſacrificium peragebat irrumpentes, proculcata ſuis pedibus ſacra hoſtia, & effuſo ſanguine, calice loco matulæ abutentes, & ſacerdotem ad vrinam ebibendam cõpellentes, mox eumdẽ cum crucifixi Christi imagine alte colligarunt, & Chriſtum cum ſacerdote plurimorum ſclopetorum glandibus transfixerunt: quod facinus pluſquam diabolicum à multis Euangeliciis, in alijs plerisq; locis tactitatũ fideliſſimi hiſtorici annotarunt.

Nullum reperiam orationis exitum, ſi voluero horum facinora, non quidem omnia, ſed inſigniora, non ſemel aut iterum in obſcuris pagis, ſed ſæpenumero in clariſſimis ciuitatibus, & per totas prouincias perpetrata, vel breuiter perſtringere. Alibi ſacerdotibus extraxerunt viſcera, eaque obiecerunt canibus, & porcis: & deinde referſerunt ventres fæno, aut auena, & ijs tanquam præſepibus vſi ſunt, è quibus equi paſcerentur. Alibi abſciſſa ſacerdotibus genitalia coxerunt, & eoſdẽ vt comederent vi coegerunt, & mox pugionibus aperuerunt ventres, vt inspicerent, quemadmodum talem cibum digererent: multos gregatim in puteos præcipitare, ſepelire alios viuos, ſerra alios ſecare medios, iuuus, iocuſque iſtis primitiuis Chriſtianis fuit. Sed nihil illis fuit vſitatius, quam ſacerdotes exciſis pudendis ad mortem adigere. Narrat enim is, qui eorum caſtra perdiu ſequebatur vir illuſtris, & celebris, & qui iſtiuſmodi aliquando carnificinis interfuit inuitus, cum in Picardia (in qua tamen iſti Cerberi, nunquam ita multum potuerunt) apud Principem Portianum, pro Sacerdote quodam honeſtæ famæ intercederet, interim fratres eum, tanquam in rota per ſingula membra rumpendum, firmiſsime funibus conſtrictum diſtendiſſe, deinde diu flagellis, & loris horrendum in modum laceraſſe, poſtea accerſiſſe chirurgũ, qui ei membrum virile abſcidit: qui ſanguinarius lanio gloriatus eſt hunc fuiſſe decimum ſeptimum, quem ipſe hoc modo exſecuerat, & infinitis cum doloribus ad mortem compulerat.

At nullius hominis eloquentiſsimi lingua, vel oratio, vel etiam cogitatio poteſt complecti, quemadmodũ furiarum inſtar in ciuitate Engoleſmẽſi perbacchati ſunt, quæ, etſi honeſta compoſitione, eaq; multis vinculis fidei, & iuriſiurandi (ſi quid eſſet in iſtis fidei, aut vlla vincula talibus indomitis beſtijs aſtringendis, eſſent idonea) in eorum poteſtatem veniſſet, nimirum vt Catholici laici, & ſacerdotes ſecure ſi vellent in vrbe morarentur, vel ſecure quo vellent exirent, tamen vt primũ iſti fideles ciuitatis portas occuparunt, neutris vel ſacerdotibus, vel laicis pepercerunt, nec ab vllo crudeliſsimæ mortis

genere

genere abstinuerunt, quod truculentissimus aliquis Phalaris aut Mezentius vnquam exercuit. Et de laicis alias fortassè nonnihil attingetur, De Ecclesiasticis verò quoniam inexplicabile, & infinitum est velle narrationem aliquam, rei magnitudine dignã aggredi, & certè vires meas longissimè superat, vnico testimonio optimi, doctissimiq; viri Angolesmensis, cõtentus ero, qui probè historiam totam cognitam, perspectamq; habuit. Arbitror (inquit ille) hanc ciuitatem nunquam pertulisse maiorem persecutionem, eiusque agrum nunquam fuisse magis ab incolis desertum, & incultum, vel sub Gothis, vel sub Ostrogothis, & Vandalis, vel sub Romanis, & Anglis, quam anno domini 1568. quando sub Hugonotarum dominatum venit: nec unquam pius crudelitatis exercitũ est aduersus præsbyteros, monachos, sanctimoniales, & alios Catholicos. Nam templa alia inflammarunt, alia demoliti sunt, effoderunt è sepulchris corpora multorum, quos Ecclesia pro Sanctis veneratur, multorum etiã bonorum virorum, qui nuper mea memoria sunt mortui. Perpauci præsbyteri, & monachi effugerunt suspendium, alijs abscissa sunt genitalia, alij proiecti sunt in latrinas, alij in puteos, alij è sũmitate murorum, vel turrium præcipites in terrã, vel flumen dati sunt, postquam diu extremis miserijs fuissent oppressi. Quumque hæc funestissima, Euangelici fratres perpetrarent, tum clamabant Viue, viue, viue l'Euangile.

Neque vero compositio, & leges pacificationis vtrinque firmatæ, quicquã cohibuerunt has cædes, & latrocinia. Quid ergo non fecerunt ij, quum vi ciuitatem aliquam subegerunt, quando hic vbi amicè admissi sunt perpetrant tam horrenda? & vbi fidem non dant, quales sunt illi Dracones, & tygrides, qui hic vbi fide, & iureiurando omnia secura pollicebantur, à crudelissimarum bestiarum feritate nihil quicquã discrepant? Sed quid in eis attendas fidem? à quibus vera fides omnis tam longe abest, quam à cane aut equo. Immo quorũ fides adeo est canina, & belluina, vt ij quò magis fide Caluiniana sint imbuti, eò magis ad infidelitatẽ, & hanc eius comitẽ barbariẽ sint proni, Deo suo, quẽ colunt, ad has virtutes sibi gratissimas eos impellente.

Quod autem dicitur, de eo militari celeusmate, & triũphali cãtu, Viuat, viuat, viuat Euangelium, ita se habet. Proximo post vrbẽ redditã die, inter alios, quos contra fidẽ datã crudeliter mactarũt, magna põpa, præsente Admiralio Colignio, & multis equitũ lanceariorum turmis stipato, suspenderunt Franciscanorum præfectũ, virũ sanctissimæ vitæ, excellentis doctrinę, & concionatorẽ clarissimũ eiusque cõuẽtus lectori primũ absciderũt: virilia, postea occiderũt, & deinceps alteri fratri octogenario amputatũ caput, abiecerũt in latrinas. Quoniã aũt, vt veteres, quos prius nominaui patres, & scriptores, & Apostoli Ecclesiæ Gallicanæ, S. Hilarius, Irenæus, Eutropius, Aignanus, suis sanctissimis scriptis, summaq; pietate; ita isti quoq; viri sua sanctimonia, & doctrina huic Euãgelismo (qui nihil aliud est, quã manifestæ impietatis quoad Deũ, & fœdissimæ turpitudinis, quoad cõmunẽ vitã, Epicurea quædam professio) plurimũ nocuerunt, idcirco istis è mundo sublatis; eorũq; memoria (si fieri poterat) deleta, viuere, & vigere clamant Euangelium suum, quanto istis impedimentis remotis homines Epicurei, & infideles belluino ritu in omnibus voluptatum, & libidinum sordibus liberè possint volutari. Sed apponamus id, quo doctissimus vir orationem suam concludit: est enim animaduersione dignum. Equidem (inquit ille) verè gloriari possum me tantũ vidisse, quantum alius fortasse quispiam. Decem enim & octo annos extra Christianum orbẽ peregrinatus, uixi inter Barbaros, etiã eos qui sub sole habẽtur immanissimi. Certo tamen scio, me nunquam vidisse, vel audiuisse similia immanitatis exẽpla, si ipsos Canibales, & Margageas (qui sunt ipsorũ Canibalũ maximè efferati) in hãc cõparationẽ ducas, quorum horribilẽ feritatem alias descripsi in historia mea de singularibus Galliæ prærogatiuis. Hæc ille.

Vellem autẽ semper lectorẽ meminisse, eorũ quæ ego in vna, vel altera ciuitate facta memoro, similima in plurimis p Galliam ciuitatibus, vt Cadomi, Rotho-

magi, Diepæ, Normannia tota, Lugduni, Turonibus, Biturigibus, Cenomannis, to to Delphinatu, Prouincia, Guienna, Gasconia fuisse admissa, de quo nemo dubitare poterit, qui huius Euangelismi, & istorum Euangelicorũ naturam, vel à primo limine salutauit, uel qui eorum præcipitem furorem, turbinis instar omnia disijcientem cogitauerit, & supra quinque millia Sacerdotum, & plusquam decem millia templorum, & sacellorũ funditus euersa, duabus primis rebellionibus aduerterit, quod est à varijs historicis scriptum. Quique adeò proiecta ad malitiam, & sacrilegiũ audacia erant, vt in tenera Euãgelismi sui infantia, quum illa vix dũ increpundijs vagiret, vix dum primos dentes emitteret, in ipsa tamen Metropoli, & tum propter Catholicæ fidei zelum Principe Galliarum vrbe Parisiensi, vsq; eò se efferebant, vt à Prædicante, suo ministro. Seruetano, qui Trinitatem, & simul Ariano, qui Christum Deum negaret, instigati, ipsa Christi nati celeberrima festiuitate, in Ecclesia S. Medardi populum Catholicum inuaderent, viros fœminasq; saucirent, & occiderent; Christi, & Sanctorum imagines confringerent, sacros calices, vestes, & ornamenta Ecclesiastica cõpilarent, pedibus suis sanctissimum Christi corpus conculcarent, in Ecclesiã equos suos stabulatum inducerent, præsbyteros alios, equorũ incursu prosternerent, alios saucios, & vulneratos in vincula conijcerent.

Hæc, qui in Infantia, tali tempore, tali loco, in ciuitate Parisien. in primo iustitiæ foro admittere sunt ausi; ij grãdiusculi facti, in Normannia, in Delphinatu, in Guienna, & Gasconia, vbi nullam iustitiã cogitabãt, vbi nec Deum, nec hominẽ verebantur, vbi ipsi erant supremi omnium Principes, vbi in Christum, & Ecclesiam eius iure Euãgelico, quicquid illis libuit, id etiam licuit; hic demum quid non erãt isti Fideles acturi? hic (inquam) à quo flagitio, à quo sacrilegio, à quo vel maximè infando contra Deum atq; naturam scelere erant temperaturi? De Albigensibus, quos isti suos in Euangelio, fratres charissimos, & Christi martyres agnoscũt, & qui eandem cũ his, de Christo, ab Eucharistia absente, de baptismo nihil valente, de purgatorio nullo, de Ecclesijs orationis causa non adeundis, de resurrectione nunquam futura, de mortalitate animæ, fidem Caluinianã tenebant; qui contra Galliã patriam, Africæ Saracenos, vt isti Græciæ, atq; Asiæ Turcas solicitabant, & contra Ecclesias, altaria, imagines, eadẽ prorsus cum istis suis successoribus operabantur; de his (inquam) memorię proditum est, quod Tolosæ super altare maioris Ecclesię, crucifixi imaginem collocauerint; mox eodem in altari scortum posuerint, eaque in conspectu imaginis, ad Sathanicam despicientiã Christi crucifixi, turpiter abusi fuerint. Quo Euangelico facinore patrato, imaginẽ quasi tanti sceleris cõsciam vindicaturi, brachia ei præcidũt, collo funem injciunt, vtque superius de Aurangianis fratribus narrauimus, per totam vrbem, incredibili cum contumelia, & irrisione trahunt.

Quam multa huius generis turpissima, & impurissima putamus ab istis nostris Caluinistis facturam? ab istis dico, quos, & ipsa Euangelismi doctrina, ad omnes libidines extimulat, & Deus cui seruiunt, suo item spiritu ad easdem vehementius inflammat, & ne de eis cohibendis quicquã laborent, admonet atq; instruit, & quibꝰ deniq; ipsorum principes, & Euangelistę, atq; Apostoli, Caluinus, & Beza, suo exemplo ad quamuis infandã libidinẽ præluxerunt; quorum Apostolatum, vt stabiliant, hæc tam tetra, & infanda moliũtur.

Et paucis interiectis, de perfidia Hugonistarum, etiam in uiros militares, ita scribit. Quis ignorat quẽadmodum ille humanissimus Princeps, Dux Guisius, ab homine Caluinista, cui tamen antea, & eo ferè ipso momento temporis, maximè fuit beneficus, sceleratissimè, & perfidiosissimè occisus est, persuasione Gasparis Colignij, & Theodori Bezæ, etiam tũ, quum de pace tolerabili, hæreticis concedenda, operam suam, quam maximè impẽdebat.

Mareschallus Sanctandræanus, inter Principes Gallicani Regni bellatores numeratus, & à scriptoribus externis plurimum, propter insignes victorias commendatus, quemadmodum est in bello Dreusio interfectus? Num in ipso prælij ardore pu-

re pugnâs? nequaquam, sed postquam fide data, & accepta se capiendum præbuisset: quo modo fregissent cum Condęo Catholici, nunquam is alteram in Gallijs rebellionem, contra Regem excitasset. Mottegôdrinus in Delphinatu præfectus generalis, quam barbare à Caluinistis occisus est, & ignominiosè per totam Valentiam tractus, & deinceps ad feneſtram domus suæ suspensus, postquam Euangelica, hoc est, Satanica fide, omnem ei benignitatem tuissent polliciti, si se inermè eorum fidei vellet committere?

Charrius Chiliarcha, veteranus Gallorum, qui in Italia, contra Hispanos militauerat, quòd esset Hugonctis infensus, & Catholicæ religionis studiosus, quemadmodum occubuit? Media luce, media ferè ciuitate Parisien. à Briquemaltio, cũ armata Hugonotarum cohorte, de repête inuaditur, & multis vulneribus perimitur; fremente non sine causa, tota ciuitate Parisien. & clamante, ruituram necessariò Rempub. Gallicanam, si ita nequissimis rebellibus fas esset, fortissimos Regis et regni præfectos militares occidere, ipsis autem interdictum esset, sanctis armis tam luculentas iniurias vindicare. Eo enim tempore, arma Parisienſibus fuerant iussu Regis adépta. Territas, regij in Nauarra exercitus Dux primarius, Satolumbº, Bassillon, alijq; permulti partim equites Ordinis, partim clarissimi militũ præfecti, quum post certas compositionis leges, se Mongomerio dedidissent, contra leges, & fidem datam obtruncati sunt, & ignominiosissimè per compita raptati. Castellopræus prefectus S. Michaelis, in ora Pictauiensi, capto cœnobio ab Hugonotis, postquam de redemptione cum illis transegisset, cæsus est cum alijs quadringentis. Ad quorum deuoranda cadauera in monasterij clausſtris aceruatim iacentia, porci, & canes immissi sunt, cœnobiumq; à fundamentis dirutum, quod vnicum erat illius oræ, antiquitus contra Hispanorum, & Anglorum maritimas incursiones propugnaculum.

Hæc dissimili perfidia, cum alijs præsidiarijs, in Cœnobio S. Florentij, propè Samurium, in ripa Ligeris actum est; quod cũ Admiralij frater Dandelotius, aliquot diebus oppugnasset, & illi honestis conditionibus se dederẽt, Dandelotius Hugonotica fide eos excipiens, fortissimũ præfectum Haium, cum ducentis militibus in frustra concidit. Sed quid ego perfidiæ exempla particularia consector, quę sunt innumera? Aut quam illi regijs præfectis, equitibus, ducibus, fidem seruarent, qui in fœderibus cũ Rege fidem omnem, quantauis religione datam, leuissimè cõtempserunt? Immò qui (uti de quodam illorum fratre, tyrannidis Anglicanę Principe, nuper verissimè scriptum, à multis Anglis asseritur) tum sanctissimè iurant, cum sceleratissimè proponunt fallere, & iuramentis, fœderibusq; in nullum alium finem vtuntur, nisi vt simplices Catholicos, iuramenris eorum maguum aliquod pondus inesse suspicantes, certius, & perniciosius circumueniant?

Secuudam pacificationẽ Carnoti, Rex magno suo detrimento cum Hugonotis fecit, in eum tantum finem, vt populus à rebellibus, & Germanis crudelissimè direptus, atque oppressus, tandem aliquando respiraret. Conditiones erant Hugonotis admodum gratiosæ, & honorificæ: inter alias duæ ad regni quietem, & regis securitatẽ spectantes, altera continebat, Ciuitates præsidijs militaribus liberatas, pristino esse statui restituẽdas, altera Admiralium debere ab omnibus extra, & intra Galliam fœderibus discedere. Huic pacificationi iterum, atq; iterum iuramẽtis confirmatæ, quàm religiosè, & quandiu stetit Admiralius? Eo ipso nimirum mense, quo pax confecta est, misit suos actores in Germaniam, qui eosdem Germanos, auro Gallicano iã ante sibi deuictos, nouis rursus præmijs, & maioribus ad aliud bellum, breui inchoandum obstringerent; Ministris, Consistorijs, & Synodis præcipit, vt in prædicando solemne suum tenerent, videlicet quum fratres ad audiendam verbum Euangelicum, vel cœnam peragendam, conuenirent, eos cõtra Regem, vt infidelem, & contra Catholicos, tanquam Cananæos, & Iebusęos, totis ingenij viribus incenderent. Sancerras, Montalbanum, aliaque loca, & ciuitates multas, in Prouincia, Delphinatu, Languedoca, quas belli tempore inuase-

rat, hoc pacis tempore contra edictum præsidijs suis Hugonoticis tenuit.

Rochellenses ab eo instructi, non modo ordinaria Regi subsidia pendere noluerunt, nec modo gubernatorem veterem regia cum authoritate venientem repulerunt, nec modo Catholicos incolas ex edicto in suas domos, & bona reuenire prohibuerunt, sed etiam quę priore bello flagrante, contra Regem instituerũt, noua vrbis suæ propugnacula, moles, aggeres, & munitiones, ea nunc quàm acerrimè continuarunt, & terra latrocinium, mari piraticam effuse exercuerunt.

Admiralius interim, Euangelica libertate edictum Regis interpretatus, quasi à fœderibus omnibus extra, & intra Franciam discedere, idem valeret, atq; quàm plurima posset intra, & extra Galliam fœdera coire, vbi in Germania quod caperet effeciisset, & in Gallia per ministros factionem suam multò magis, quam antea roborauerat (id quod huius anni exitus declarauit) misit in Angliam fratrẽ suum Cardinalem Apostatam, qui cum Regina, & eius Concilio (rebus Hugonoticis cõtra Rempublicam Gallicanam, vti hostem Gallię decuit, semper fauente) negotium suum ageret. Misit item ad rebellam Aurengium aliquot peditũ, equitumque turmas, vt is viciſſim cum opus esset, suas auxiliares copias Admiralio submitteret, qui etiam expectationi eius non defuit. Ergo ex hac Regis pacificatione, tantum roboris sibi comparauit Colignius, vt paucis post mensibus in Gallia, maximum exercitum instruxerit, è Germania, Ducem Bipontinum cum peditum sex, equitum octo fere millibus acciuerit, ex Anglia multa tormenta ænea, pulueris tormentarij tria millia, & librarum quingenta millia in stipendium militum acceperit; è Flandria Aurangij frater, cum non mediocri supplemento ad eum accessit; qui etiam in prælio Monguntu rano strenuam, & egregiam Collignio, suisque Hugonotis operam nauauit. Hoc exemplum, vt breuis sim, satis demonstrat Caluinistis nullam esse in fœderibus conscientiam, nullam fidei sanctissimè iuratæ sanctitatem.

Et post pauca.

Vt autem in istorum actionibus omnia inter se aptè quadrent, & extrema primis iusta proportione respondeant, quemadmodum erga Christianam religionem, erga Ecclesiam, erga Sanctos, erga Sacerdotes, nihil præ se tulerunt Gallicanum, & Francicum, nihil pium, & moderatum, nihil quod non sit Turcicum, & Saracenicum; item contra Regem Gallorum, nihil fuit illis magis infidele, & proditoriũ, nec contra nobilitatem Gallicanam quic quam magis immane, & barbarum; ita in modo belli contra promiscuam multitudinem, contra viros, & fœminas, & infantes gerendi, in nullis vnquam annalibus, non si omnes historias omnium bellorum, quæ externi hostes cũ Gallis gesserunt perlustres, parem reperies barbariem, & in miseris homuncionibus crudelissimè trucidandis belluinam potius, quam hostilem feritatem. Oppida quæ eos admittere recusabant, interfectis incolis, incendio absumere leue quiddam, & vulgare erat.

Cœperũt oppidum Montbrisonem Forestię, in eoq; duodecim viros nobiles, ex altis murorum pinnaculis, in terram iecerunt præcipites. Præter aliarum fœminarum magnum numerum, nouemdecim illustres fœminas vi stuprarunt, mactarũt infantulos, in vlnis matrum vagientes, & plusquã octingentos Catholicos, postquam se eorum fidei commisissent, trucidarunt.

Eademq; Euangelica mansuetudine in plurimis Prouinciæ, & Delphinatus oppidis vsi sunt. In pagis circa Aurelias omnia cæde, & sanguine funestarunt, & viris, & mulieribus promiscuè interfectis. Quendam autem Vicum cum vastaturi intrassent, & pueruli multi præsidij causa in Ecclesiam fugissent, isti boni fratres eos insecuti, ignem in Ecclesiam iniecerunt, eaque deflagrante, quum infantes per fenestrã elapsi fuissent, rursus ab istis correpti sunt, & in medias flammas proiecti.

Sed ut breuitatis studio reliqua minora oppida, & mĩnorum ducum res gestas transeam, Angolismum vbi Colignius cũ sua versabatur Aula adeamus, vbi, & pp Regis præsẽtiã maior iustitia, & pp vrbẽ volun-

voluntariè redditam, fidemq; Colignij, de omnium hominum quiete, & libertate interpositam, maior expectari potest humanitas. Cæterùm vt supra demonstrauimus, Angolismo quoad Ecclesiasticos, nihil fuisse miserius: sic verissimum est eodem Angolismo, quoad Laicos cuiusque ordinis, nihil fuisse calamitosius. Quorum alios arboribus alligatos, sclopetis traijciebant, aliorum capita præcidebant, & quum ludere vellent pro globis vtebantur.

Qui loco regis Caroli, ciuitati toti præsidebat, & ius dicebat, eum isti iuris, & iustitiæ hostes arripuerunt, & funibus tãquam canem ligatum, in sua ipsius domo, sordidissimis culinę officijs manciparunt. Postquam domũ eius auarissimè expilassent, ipsumque innumeris opprobrijs, & verberibus, Turcici remigis instar, lacerassent, tandem laqueo suffocarunt: quem propter summas virtutes, & miram integritatẽ, multi ex Protestantibus ipsis, qui omnem humanitatem non exuerant funditus, postea luxerunt. Vxorem regij, quoad criminalia Præfecti, viduam septuagenariam comprehenderunt, & capillis per vrbis plateas inhumanè, spurcè, & improbissimè raptarunt. In vicino pago fœminam nobilissimam, quæ eos perdiu lautè acceperat, illisq; deliniendis magnos sumptus impẽderat, hac tandem compensatione remunerant. Post cœnam opipare, à tam liberali hospita ipsis factam, vino ciboq; eius saturi, magnã argenti copiam postulant; non credenti eos seriò agere, vim minasq; intentant, recusanti quod volebant tradere, ignitũ ferrum adhibent, eo plantas nudas, aliasque corporis partes, incredibili tormento adurunt, & deinceps eodem ferro, carnem immanissime concerpunt, & ad extremũ cruentatam, & moribundam dimittentes, & quicquid inueniri poterat auri, & argenti corradentes, domum penitus despoliarunt.

Immensum est, & nimis fœdum singula persequi. Vt paucis absoluam, historici alij, qui fideli auditione res illic gestas acceperunt, alij qui rebus gestis oculati testes interfuerunt, triplici potissimum mortis crudelissimæ genere, Angolismenses ciues, & vicinos, ab istis interfectis fuisse recensent. Primum erat, quod olim à Mezentio tyranno inuentum est, & post Mezentium à nemine, vt opinor vsurpatum, qui

Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,
Componens, manibusque manus, atq; oribus ora:

Et demum nihil submini strans, vnde viuerent,

------ Sanie taboq; fluentes,
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

Hoc ab isto Mezentio, hi valde dociles ad nefanda quæq;, à quouis magistro hauriẽda, discipuli perdidicerunt, nisi quod eius inuentis, suã quandã inhumanioré crudelitatẽ addiderunt. Ille .n. viuos iungebat mortuis, vt viui mortuorũ h vellẽt, carnẽ manducarent, isti viuos cũ viuis ita colligabãt, vt alter alterius viuentis carnem discerperet, vel fame contabesceret. Immò quũ alter alterũ deuoraret, postea nihilominus fame pereundũ erat. Alterũ, & tertiũ genus, nescio an ab aliquo veteri Tyrãno acceperint, an ipsi poti⁹ à suo Euãgelico spiritu edocti, primi excogitauerint. Alios. n. vt varietate mortis, seipsos magis pascerẽt, funes fortissimè tendebãt, illisque quos mori volebãt, alligabãt medios, vel suspẽsos vno pede, aliqñ vtroque & sic relinquebãt in aere pendulos, nullo alio supplicio afficientes, nisi quod sic patiebantur languescere, nec ad mortẽ vsq; aliquid præbebant alimenti. Alias Catholicum aliquẽ hominẽ, cũ magno stipite, vel palo deuinciebant, & quũ cibos coquere, aut se calefacere vellent, hominem cũ stipite simul proijciebant in caminũ, & lento igne vtrũq; consumebãt. Hæc ea in ciuitate fiebãt, vbi istorũ rex, summus ni mirũ iustitiæ minister prẹsens, omnia quã moderatissimè gerebat; in ea (inquã) ciuitate, quæ volés, nec maiori aliqua necessitate cõpulsa, in horũ ditionẽ concesserat. Quid alibi factum arbitramur, vbi alij Coligniani pro libidine furebant in ciuitates, vel quas vi subegerant, vel in quas inuitis ciuibus à fratribus suis proditoribus per insidias introducti fuerant.

Hæc autem omnia à se, suisq; patrata, ipsi Hugonistæ confitentur, cum in eadē articulorum serie, in qua de pacificatione tractabant, volunt nunquam sibi crimini verti, sed æterna obliuione deleri omnes hostiles actiones, quas aliquando in his tumultibus susceperant, vt quòd exercitus cōduxerint, pecuniam fabricauerint, tormenta conflauerint, vel ea ex armamentarijs regijs abstulerint, communiuerint, vel diruerint ciuitates, & castella incenderint, & euerterint Ecclesias & domos, erexerint iudicum sedes, & tribunalia: quòd miserint Legatos, inierint fœdera, conuenta, contractus cū Principibus, & ciuitatibus externis, quod externos milites, in Galliæ ciuitates, & varia loca introduxerint. Sed maxime, & præcipue, quòd primo, secundo, tertio, quarto, & quinto, item hoc motu (sic enim suas rebelliones nuncupant) cum Principibus externis, & nominatim Anno Domini 1562. cum Regina Anglię (quando portum Gratiæ, totius Normannię commodissimum, ei vendiderunt) egerunt, & negociati sunt.

Et post multa, Princeps quidam, quem idem Rosseus nominat, in ciuitatem Agenensem solidæ, & securæ (ut putabatur) pacis tempore, sub specie iocos, ludosque hilariter agendi admissus est, sed prius grauissimis iuramentis, & in nomine regis Christiani, & in fide baptismi sui, ciuitatis eius Magistratibus se, obstringens nihil se penitus in ciuitate ea immuturum, multo minus militares aliquas copias, præsidij nomine eis impositurum. Et tamen pauciſſimis postea horis, eodē ipso die à meridie, quatuor militum cohortes vagè, & dispersè palantes, ne auerti possent ciuitatem ingrediuntur, qui numerus paulo post duplicatus est: moxque ciues omnes ad magnum pecuniarum numerum pendendum compulsi, perinde ac si legitimo bello oppugnati, capti, & subacti fuissent, egregium fratrum Prædicatorum monasterium penitus euersum, nisi quod ad artem construendam aliqua pars reseruata est, Ecclesiæ aliæ spoliatæ, Catholici omnes eiecti in exilium: nec fœminæ horum crudelitatem effugere, quantū multis Matronis honestissimis vis turpissime illata, è quibus vna sic constuprata, vt altera Lucretia non quidem gladio suo, sed partim raptoris iniuria, partim mœrore, & sceleris indignitate interijt.

Anno 1579. profecta ad Nauarræum Regina matre, post longas vltrò citroq; deliberationes, & disputationes, tandem pax confecta est. Ad quam bene, firmiter, directe, & sincerè obseruandam, & ille, & Princeps Condæus, & viginti alij illustriores, reformatæ (quę dicitur) religionis, nobiles iurarunt. Mox Regina ad regem Parisios, spei, & gloriæ plena, quasi omnia in Guienna, & Gasconiæ egregiè pacificasset, reuertitur. Vix autem ea Curię regalis limen attigerat, cum ecce frequentes nuncij aduolant, Principem esse in armis, ciuitatesque insignes cępisse, Cadurcum, Mendem, & Insulam, imminere Rhodis, & multis præcipuis Guiennæ, & Gasconiæ vrbibus, nisi mature succurratur, in summo esse discrimine. In eas autem adeò perfidiosè occupatas, qua clementia vsi sint, ex Cadurcensi conijci potest: vbi præter multas virgines, & honestissimas Matronas, vsitato fratribus Euangelicis more, violatas, omnes ciuium domus, militibus in prædam, & direptionem datæ sunt, septemdecim Ecclesię prius auarissime, & sceleratissime spoliatæ, post à fundamentis excisę, monumenta, & sepulchra euersa, ossa sepultorum, siue Principum, siue Sanctorum eruta, & abiecta, SS. reliquiarum thecæ, & capsæ ablatæ, fusæ, & in domesticos vsus culinæ, uel mensæ Principis commutatæ, vt vel ipso Baltazare tyranno illo Babilonio, magis prophanus Dei, & sacrorum contemptor omnibus innotesceret: qui etsi in vasis aureis, & argenteis, quæ è templo Hierosolymitano asportata fuerant, cum suis nobilibus, & mulierculis bibit, tamen ea prorsus fundere, & suis vsibus accomodare ausus non est. Quo die hęc pax ad Sanctum Seuerum Nauarricæ gubernationis oppidū, publicata est, eiusdem diei nocte proxime consecuta, vicini castri milites præsidiarij, celebrem Abbatiam nocte adorti, monachos in suis lectis dormientes, pugio-

pugionibus confossos obtruncarunt, Prioremque, quod non statim expiraret, immisso in lectum puluere tormentario, in cineres redegerunt.

Hac eadem omnino fidelitate, & posteriores quædam pacificationes ab isto fidelium principe seruatæ sunt, cuius rei locuples testimonium præbent Vrbes, Tartas, & Montmarsan, quæ in summa pace, à militibus Principis admotis noctu scalis, occupatæ, & primarijs Catholicis iugulatis direptæ, planeque hostiliter depopulatæ sunt: aut etiam Bourdellois, vbi duo fratres, quòd ab Hugonotica fide ad Catholicam redijssent, in domo sua obsessi, & tandem sub fide regia, de vita futura ipsis salua sedentes, illico in gratiam cuiusdam Principis chariſſimi, gladijs confixi obtruncantur. Et vt breuissime, nec singula fastidiose confecter, quæ aliunde nullo negotio peti poterunt, hoc ipsum nuper ab eo, & chariſſimo suo (uti vocat) fratre Hypocrita tyranno pridem extincto, contra antiquissimum, & toto Christiano orbe celeberrimum Parisiense Parlamentum, erectum nouũ, & adulterinum Turonibus falsi nominis Parlamentum, eodem prorsus modo, spirituq; quo Ieroboamus, nouum in Bethel idololatricum templum, vitulosque aureos, contra antiquum Salomonis templum, verumque Dei cultum Hierosolymis, instituit: quid est aliud, quam manifesta quędam protestatio de singularibus iniurijs, Catholico Galliarum statui, & nomini in præsentia, in dies singulos illatis, & deinceps in posterum continenter inferendis? Cuius item egregij conuenticuli Senatores, & præsides iam nunc propter summum suum, in sinceros Catholicos (quos fœderatos vocant) odium, malęuolentiam, & iniustitiam adeo infames sunt, & qui veros Catholicos, tam innumeris damnis, mulctis pecuniarijs, carceribus, exilijs, bonorum publicationibus, & crudelissima sæpe numero morte afficiunt, vt eorum Senatoriæ togæ, non tam suo nătiuo Tyrio colore, quam copioso miserorum Catholicorum sanguine, vulgari sermone dicantur purpurascere.

Et hęc quidem de Hugonotorum in Orthodoxos plusquam belluina feritate, pauca de multis dicta sufficiant, quæ eiusmodi sunt, vt si cum omnibus Tyrannis, de crudelitate certent, vincant. Nam quę deinceps Caroli IX. mortem consequutæ sunt rerum, & Regum conuersiones, eas ad finem istius Capitis attingemus tantum, ad posteritatis cautionem, ne sic unquam de hæresi existimet, quasi solas tantum euertat Ecclesias: euertit, & Respublicas; quasi sola templa sternat, sternit & Regna; quasi solas leges tollat, tollit & Reges, quasi solum statum perdat Ecclesiasticum, perdit & Polyticum.

Posteaquam Henricus Andium Dux, Caroli noni Regis frater germanus, in Regem Polonię electus, & in arce Cracouiensi Regni corona donatus est, accepto de morte Regis Galliæ, fratris sui nũcio, post quintum Regni sui mensem, dubio relicto Reipublicæ statu, intempesta nocte, clam omnibus Polonis, decẽ & octo Gallis tantum equitibus comitatus, ex arce Cracouiensi fugienti similis discessit. Viennæ cum Maximiliano 2. Roman. Imperatore cõgressus est, ac per Styriam, & Carinthiam Venetias peruenit, pleno splendoris, Regiæq; Maiestatis apparatu, supra fidem, & famam hominum à Republica acceptus, vbi cum octo dies curandæ valetudini, quietibusq; cæteris dedisset, mecum etiam, quem ante Parisijs in aulæ suæ familiarem, & Secretariũ receperat, tum subiti sui ex Polonia discessus causas, tum nonnulla alia consilia cõtulit, de Legatis ad Regni ordines mittendis, de Regni retinendi rationibus, de cogitatione reditus, deque modo Regni in absentia administrandi, & vt secum in Gallias proficiscicerer mãdauit, quod tamen facere mihi tum integrum non erat. Inde porrò ad hæreditarium Galliæ Regnum peruenit, in quo non ita multo post, sequuta est liga Catholicorũ, contra Huguonotos, ligam Cardinalis, & Ducis Guijsij fratrum cædes horrenda; Cædem Guysiorum, Parlamenti, & Sorbonæ Parisiensis decretũ quo Regnũ Galliæ ab Henrico tollebatur (ex causis in libello de Iusta Regis Henrici à Regno Galliæ abdicatione comprehensis) Decretum vrbis rebellio, Rebellionem

obsidio, obsidionem Regis Henrici mors inopinata, qui in medio quinquaginta millium exercitu, à fratre Clemente ordinis S. Dominici, impacto in ventrē cultro interfectus est: cum prius Henricum Borbonium Nauarræ Regem, Regni Galliæ heredem, & suum successorem declarasset. Mortem Henrici 3. secutæ sunt in Gallia, Principum inter Principes, Ciuium inter Ciues, multæ miserandæ domesticę clades, cum sacro fœderi colligati Principes, alium ab eo, quem Henricus declarauerat, Regem eligere conarentur, donec tandē Deo visum est, in cuius manu corda sunt Regum, mentem eam Regi Nauarrę inspirare, vt quoniā maioribus suis, Christianissimis Galliæ Regibus, in Regno succedere desiderabat, succederet, & in fide, eamdemque cum illis matrem suam profiteretur, vnam, sanctā Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Aliquoties igitur ad Romanū Pontificē, Christi Vicarium, Oratores, & Procuratores suos, pro absolutione misit, errores suos ante vnum, & alterum mensem dū hæc nostra Typis mandantur, in auribus Clementis VIII. Pontificis sanctissimi, per Dominum de Perona recantauit. Orthodoxæ fidei solemnem professionē, interposito iureiurando emisit, pœnitentiam impositam humiliter suscepit, ac tandem ad diem 24. Septembris, quę in Dominicam 19. post Pentecosten inciderat, solemni adhibita ceremonia, absolutionem, & benedictionem Apostolicam obtinuit: quod Regi, & Regno Galliæ fœlix, faustū, & fortunatū esse Deus velit, ut post continua 36. annorum intestina bella, post incredibiles templis, tectis, aris, focis, legibus, Regibus, arcibus, vrbibus oblatas, illatasque cędes, clades, vastitates, calamitates, & religio tandem Christiana, & Regnum olim florentissimum, iam vicissim reflorescat. Amen.

Euangelicorum Phalarismi, in Anglia.

QVAM facilè exuant hominem, quamque pręcipites in omne scelestum facinus ruant, omnes ij, qui se sectis dediderunt, in Henrici 8. Regis Anglię, funestissimo casu docemur. Is æstro libidinis percitus, legittimam vxorē Catherinā repudiauit, & quā adamauerat Annā Bolenā (q̄ ēt à multis eius filia existimata ē, & Mula Regis Galliæ, & Equa Anglicana vocabatur) viuēte Catherina superinduxit. Quod facinus, cum omnib⁹ calculis improbarēt optimi quiq;, & doctissimi totius Angliæ viri: tā ex Ecclesiastico, quā ex sæculari ordine, in furorē actus Rex, fidei Catholicæ Nunciū remisit. S. Sedis Apostolicæ authoritatē, ex Regno suo exulare iussit: se supremum caput Ecclesię Anglicanæ constituit, Beneficiorum Ecclesiasticorū reditus vsurpauit. PP. vocabulū, & omnē eius memoriā explodi voluit, preces publicas cōtra eum instituit, & quicūq; sese conatibus suis opponerent, in eos omne genus crudelitatis exercuit: nec vllū vexandi, persequendi, laniādi, mactādi, obtrūcādi, finē fecit, Plenæ sunt oēs historiæ. Nos pro instituto nostro compendium persequemur, Sanderum, Surium, Alanum, authores secuti.

Anno 1535. Ioannes Fischerus Rofensis Episcopus, & Cardinalis, & Thomas Morus, Angliæ Regni Cancellarius, viri doctissimi, & grauissimi, cū suis sententijs approbare nollent, scelerata Regis sui consilia, in tetros carceres compacti sunt. Satelites autem cum existimarent Episcopum, qui 33. annis Ecclesiam Roffensem rexerat, magnam auri vim corrasisse, in omnem eius supellectilem crudeliter inuolant: omnes arculas, & loculos curiosius excutiunt: nec quicquam intactum relinquunt. Tandem autem in cistā, ferreis laminis bene munitā incidūt, quā tāto auidius perfringūt, quāto plurib⁹ teris, & pessulis obditam, reperiunt. Ea vero perfracta, cilicia, flagella, virgas, ferratosque cingulos, cæteraque disciplinæ instrumenta reperiunt, cum aliquot ummulis, quos perfecta pœnitentia solitus

erat

erat vir Dei pauperibus erogare. Vt autem constantia vtriusque facilius frangeretur, pios plerosq;, & Religiosos viros, quod suis conatibus, pari libertate, obstitissent, nec se de recta sententia dimoueri paterentur, Rex morti adiudicauit.

Tertio Calendas Maij, quinque sanctissimi viri Carthusiani, ad iudicium producti, interposito iureiurando, iubebantur confiteri, Regem esse supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput, cumq; nonnulla exciperent, & legis diuinæ mentionem facerent. Thomas Cromuellus Regiæ cupiditatis administer, nullam, inquit, exceptionem admittam, siue lex diuina permittat, siue non: vos integre, plene, ac Cathegorice hæc affirmabitis. Illi vero, at Ecclesia Catholica istud hactenus non docuit. Non curo Ecclesiã, ait Cromuellus. Vultis Regię voluntati consentire an non? Illi vero respondentibus. Nec debemus, nec volumus. Ne dum Regi placere cõtendimus, Deum offendamus. Ob hoc itaque responsum, res duodecim viris commissa ẽ, secundũ Regni consuetudinem, vt eos morti adiudicarent. Sed cum illi, in seruis Dei, nil morte dignum inuenirent, capitalem sentẽtiam ferre nõ audebant, sed neque absoluere poterant: ne contra se quoque, Regis iram conuerterent. Sed Cromuellus ipsis quoq; duodecim viris, mortem certissimam denunciauit, nisi statim Carthusianos, reos mortis pronunciarent: quod etiam postridie, quamuis reclamante conscientia præstiterunt. Damnati itaq; sunt ad suspendium, & in eodem habitu Monastico, quo vtebantur, patibulo affixi. Primus fuit Ioan. Hogtonus Prior Londineñ. vir pius & eruditus, is de industria crasso fune suspensus est, ne statim præfocari posset, funis illico de more præcisus est, & bonus Pater cadẽs in terram nonnihil ad se redijt. Semiuiuo statim verenda carnifex præcidit, ferro ventrem aperuit, cor euellit, pugione transuerberat, viscera extrahit, & in ardentem rogum injcit: caput detruncat, & corpus reliquum in quatuor partes disecat. Cuius nonnulla membra in ipsa Porta Monasterij Carthusieñ. Rex affigi imperauit, vt reliquos in suam sententiã facili⁹ ptraheret formidine pænæ.

Pari crudelitate peremptus est, Reingaldus Brigiteñ. monachus, ex Abbatia Syon, & Ioannes Hailus præsbyter sęcularis.

Ad 14. Calendas Iulias. Tres alij Carthusiani Sacerdotes, Vinfridus, Guilelmus, & Sebastianus, cũ prius per dies 14. continuos, erecti stare coacti essent, iniectis ad collum, ad brachia, ad crura circulis ferreis, ita vt nullam omnino ob causam, loco vnquam dimouerentur, illustre fidei testimonium dederunt. Vimineis enim cratibus iniecti, & per plateas Londineñ. vsq; ad vltimum supplicij locum pertracti, postquam laqueo ad breue tempus suspensi fuissent, mox semiuiui demittebantur. Tum autem Carnifex pudendis præcisis, & flammæ traditis, pectus, & præcordia gladio aperuit, viscera que euulsa in propositum ignem conicit, demum capite abscisso, reliquum corpus in quatuor partes diffecuit, illasque partes elixas varijs in locis, populo spectandas suspendit.

Cum Ioanne autem Rocestrio, & Iacobo Valuero, ipsis quoq; Carthusianis, tam gratiose dispensatum est, vt simplici suspendio in Ciuitate Eboracensi 5. Idus Maij ad cœlum commigrarent.

Decem alij, eandem ob causam in teterrimum carcerem coniecti, tantaque sęuitia, & immanitate inter nocẽtissimos latrones accepti, vexatique sunt, vt nouem ex illis, fame, siti, fetore, squaloreque carceris, extincti sint. Decimus vero cum superuixisset, pridie Nonas Augusti, eodem quo primi suspendij genere, extinctus est.

Dum in squalore carceris viueret Episcopus Roffeñ. à Paulo PP. 3. in Cardinalium collegium cooptatus est. Qua re ad Regias aures perlata, mandauit iudicibus, vt interrogarent, an eam ipsam dignitatem, aliqua ratione procurasset. Ille vero respondit, se nunquam vllum in vita sua honorem, aut dignitatem appetiuisse: multo minus in ætate sua decrepita, in tetro carcere, & in vinculis, & quasi in ipsius mortis portis, accessionẽ huius dignitatis expectasse. Ad iudiciũ itaque producitur, capitis sententia contra eum pronunciatur, in vicinam plani-

cien

cien producitur, in qua cum Regi, patriæque suæ bene precatus esset, hymnũ Ambrosij, Te Deum laudamus, integrũ recitasset, caput illi fuit Carnificis manu amputatum, hastili infixum, in ponte Londineñ expositum, quo quanto diutius suspensum videbatur, tanto magis floruisse, & augustius, atque venerabilius factum existimabatur.

Thomæ quoq; Mori, Regni Cancellarij, constantia in eodem carcere tentata est. Multi enim viri Principes accesserunt, vt hominem in Regiam sententiam pertraherent: sed cum nihil proficerent, vxori eius Aloysiæ mandatum est, vt viro suo suaderet, ne se, ne coniugem, ne liberos, ne familiam vniuersam, ne denique Patriam ipsam, & istius pulcherrimæ lucis vsuram, pro derelictis haberet. Cui Morus, & quãdiu inquit, Aloysia mea potero hac vita perfrui. Illa vero respondit, totis 20. annis, mi vir, si Deus voluerit. Vis ergo, ait Morus, vt pro 20. annis, æternitatem vniuersam commutem? Ne tu, ò mea coniunx, imperita es mercatrix, nam si viginti millia annorum dixisses, aliquid tu quidem dixisses, sed ad omnem æternitatem quid esset? Ablati sunt postea illi, Regis iussu, omnes libri, quorum lectione carceris incommoda recreabat, & sese ad æternæ vitæ desiderium inflammabat, atramentum quoque, & calami adempti, ne vlla cum quoquã literarum commertia exerceret. Ille vero rogauit, vt carceris fenestræ obstruerentur, quo commodius posset ereptis libris pijs, & sanctis sese meditationibus recreare. Custodi vero carceris percontanti, cur mallet in tenebris sedere? Nonne, ait, ablatis mercibus claudenda est officina. Cum itaque 14. Mensibus ferè, in custodia vixisset, nec vllam spem Regi suo præbuisset mutandæ sententiæ, ad Tribunal adductus, Roman. Pontif. primatum constanter confessus, mortis sententiam accepit. Pridie vero Nonas Iulias ad locum supplicij productus, manu carnificis extremam plagam accepit, caput eius longa coctura maceratum, tamdiu hastili infixum videbatur, dum plane diffluere t.

Extinctis itaq; præcipuis Anglicæ Ecclesiæ luminibus. Rex Euangelicus, tãquam summum caput Ecclesiæ, sacra Monasteria visitare instituit: Leum itaque Iuris Ciuilis Professorem, ac neque sacris ordinibus initiatum, ad inquirẽdum in Monachorum, & sacrarum virginum vitam, ac mores misit. Cuius visitationis hæ fuerunt leges. Primum, vt omnium peccata ediscerent, deinde vt qui minor viginti quatuor annis fuisset, è Monasterio exire, & ad sæculum reuerti cogeretur: qui vero maior esset, non cogeretur quidem, sed tamen exire si vellet, impune posset. Exeuntibus autem, loco religiosi habitus, togam sacerdotalem, & aureos ferè octo, Abbas daret. Virgines vero sacræ, vt sęcularium fœminarum more vestirentur. Denique omnes ordinũ omnium viri, ac mulieres, præciosissima quæque Ecclesiarum ornamenta, & sanctorũ reliquias, Regijs quæstoribus traderent. Leus ergo iste, vt commissum sibi officium rectè obiret, virgines sacras ad incæstum sollicitabat, nec de alia re libentius vnquam, aut inquirebat, aut loquebatur, quam de stupro, aut rebus Venereis. Ea vero mente hæc visitatio instituta est: vt Rex omnem euertendi Monasteria, quorum bonis inhiabat occasionem captaret. Itaque pridie Nonas Februarij, criminibus Religiosorum, partim detectis, partim confictis, obtinuit in publicis Regni Comitijs, vt minora quęque Monasteria, quorum annui census, non nisi ad septingentos ferè aureos æstimabantur, libidini suæ dederentur. Initiũ fecit à minoribus, tanquam Reipub. minus necessarijs, & in quibus, (vt aiebat) propter exiguum religiosorum numerum, disciplina minus commodè obseruabatur: re autem vera, vt minori cũ inuidia, ac difficultate ad maiora deinde transiret: & vt Abbates Cænobiorũ opulentiorum, quorum suffragia in Comitijs nonnihil poterant, eo segnius, voluntati eius obstarẽt, quod minus periculi rebus suis imminere existimarent. Oppressit hoc primo impetu Henricus, Monasteria trecenta septuaginta sex, ex quorum spolijs cesserunt in fiscum Regium, annui census ad centum plus minus, & viginti milia aureorum. In supellectili vero bo-

nisque

nisque mobilibus, ad quadraginta ferè millia, præter ea, quæ Ministri Regij rapuerunt, Religiosorum autem vtriusque sexus, plus quam decem millia ad sæculũ redierunt. Ex quo conijci potest, quid triennio post acciderit, cum vniuersa simul Monasteria totius Regni euerterit.

Illud etiam non minus est memorabile, quod statim post has primas Monasteriorum rapinas, tam vehementer Henricus egere cæpit, vt octauo deinde Mense, nonnullas Prouincias ad arma vsque cõpulerit, ob grauissimas nouorum tributorum exactiones: sed multo magis id ei postea contigit, cum vniuersorum Cœnobiorum bona rapuisset, vt suo loco dicetur.

Reginaldum Polum innocentissimę vitæ, & præstanti æruditione Cardinalem: & Hosio meo in Academia Patauina amicissimum, cum vterque bonis literis tam diligentem operam nauaret, vt sicut olim Basilius, & Gregorius Athenis, duas tantum vias nossent, vnam quę ad Ecclesiam, alteram quæ ducebat ad Academiã, quod impijs conatibus eius obsisteret, publico decreto proscripsit, & per duellionis reum declarauit. Cõstituto quinquaginta millia aureorum præmio, quicumque necem illi inferret. Et cum Polus in gratiam Henrici, abire è Gallia iussus, Leodium secessisset, misit è vestigio Rex, qui senatui Belgico denuntiaret. Si Polum traderet, se Galli partes relicturum, & quatuor millia peditum in auxilium Cæsaris missurum, decemque mensium stipendia è vestigio depositurum. Sed Polus in vrbem à Pontifice reuocatus, furentis Regis crudeles manus effugit.

Rex autem videns Cardinalem, ex omnibus insidijs elapsum, in eius amicos, & consanguineos furorem conuertit. Margaritam Poli matrem Sarisburiæ Comitissam, ob eam solam causam, quod literas à filio accepisse diceretur, & sacram imaginem, quinq; Christi vulnerum, clã in pectore gestaret, Heroinam grãdęuam, & pietatis laudibus celebrem, ad 5. Calendas Iulij Anno 1541. securi publice percutiendam curauit.

Pari crudelitate obtruncari iussit, Hẽricum Polum, Henricũ Curtenum Marchionem, Edoardum Neuellum, & alios duos Sacerdotes, quod impijs conatibus aduersari dicerentur, laqueo strangulauit.

Tenebantur in vinculis, iam ab aliquot annis multi religiosi viri, ordinis S. Frãcisci de obseruantia. Ex his Rex Euangelicus, Anthonium Borbeum venerandum Sacerdotem, tam Græcè, quam Hæbraicè excellenter doctum ad 16. Calendas Augusti. funiculo, quo cingebatur strãgulandum curauit.

Thomam vero Belchiamum, virũ etiã doctissimum, licet adhuc iuuenem, fame enecauit, in carcere Londineñ. qui noua porta dicitur 3. Nonas Augusti.

Reuerendus autem Thomas Hortus, generis etiam Nobilitate conspicuus, squalore carceris extinctus est 6. Calendas Augusti. Triginta vero & duo alij, eiusdem ordinis religiosi, bini, & bini, emittebantur catenis ferreis inuicem colligati, vt in alijs Regni carceribus minori populi querela, & murmuratione morerentur.

Ioannes Forestus eo, quod Reginę Catherinæ charus fuisset, & Regijs cupiditatibus animosè obstitisset, ad 10. Calẽdas Iunij in campum fabrum Londini eductus, ad furcas duas, duabus catenis ad brachia colligatis attollebatur, suppositoque lento ad pedes, igne, miserabili spectaculo, ad mortem vsque crudelissime torrebatur. In cuius etiam insignioren contumeliam, imaginem quandam, seu statuam ligneam, magnæ molis, ex Vuallia allatam, eo, quod nimio populi concursu, celebrari dicebatur, vna cum illo comburendam curarunt.

Sed ne cælites quidem, Euangelici Regis furorem, & impietatem euadere potuerunt. Imagines enim Sanctorũ, martyrumq; monumenta, & præsertim Beatiss. Virginis memorias, vbi quotidie plurima donaria, à pijs offerebantur, disiecit, atque deformauit, & opes quas inuenerat rapuit, tanta feritate ac indignitate, vt Tartarei Cacodæmones, maiore audacia res diuinas euertere vix possent. Qui Regios furores, oculis ipse suis inspexit, Ricardus Hiliardus, si vna mecum, ait, ò lector adfuisses, ac uidisses templorum

propha-

prophanationes, Altarium euersiones, donariorum seu oblationum direptiones, venerabilium reliquiarum, ac imaginũ indignissimos cum blasphemijs contemptus, ac violationes, non tibi, credo, temperasses a lachrimis, à luctu, à singultu, cum ea vidisses à Christianis viris fieri, quæ à barbaris Tyrannis, ac Christianæ veritatis hostibus, nulla in historia, perpetrata legũtur. O si in vitã redijsset huius impij Tyranni, pius parens, Henricus 7. qui tot, & tantis monumentis, Ecclesiam Angliæ decorauit, vidisseteque a filio, quẽ ille tanta cura educandum curauerat, ea omnia diruta, quæ non solum ipse eius Pater, verum etiã omnes ante eum Christiani Angliæ Principes, Deo dedicarant, maledixisset, scio, horæ, in qua eum geuuerat, & diei, quo in lucem prodijt, tam infaustum, pijssimę familiæ monstrum.

Diui Thomæ Cantuarien. monumentum, cum indignissime, & crudelissime expillasset, tantã auri, argẽti, gẽmarumq; & sacrarum vestium vim, ex vno illo tẽplo extulit, vt Regius quæstor confessus esset, quod illa supellectili 26. ingentia boum plaustra onerauerit. Ipsum vero sanctissimum Martyrem publico edicto, inter Diuos amplius censeri vetuit: & in Comitijs præterea sanciuit, vt capitale crimen esset, si quis aut diem commemorationis eius sacrum celebraret, aut in sacris precibus mentionem eius faceret, aut eum sanctum appellaret, aut nomen ipsius, è Calendario Sanctorum non expungeret.

Anno 1539. Nouum Conuentum celebrauit Henricus, in quo obtentum est, vt omnia Religiosorum, vtriusque sexus Monasteria, voluntati Regię permitterẽtur. Bona vero vniuersa, fisco cederent. Quo decreto promulgato, videre licebat perditissimos quosque homunciones, religiosis viris insultantes, ac in sacrarum virginum claustra inuolantes, easque ad luxum, ad libidinem sollicitantes, quæ a sillis illis sanctissimis, ad quæ fugiendi mũdi cauta, se receperant excluse, quo se verterent, aut vbi caput reclinarent, miselę non habebant. Londini quatuor fœminarum Cœnobia, eodem tempore diruta, virgineseque erectæ, miserabili sane, indignissimoque spectaculo: nemini tamen, sine summo periculo factum illud, verbo vultuue, improbare licebat. Quare cum duo Præsbyteri Londineñ. quorum alter Rector Vandeuorti fuerat, & famulus qui eis ministrabat, itemq; monachus quidam, cognomento Maius, liberius se gessissent, & audacius forte loquti fuissent, in carcerem sunt conjecti, omneseque simul 8. Idus Iulias ob negatam Regi, Pontificiam potestatẽ, laqueo enecti, & Londini in partes dissecti fuerunt.

Finxit præterea Henricus, libellũ quẽdam supplicem, quali à totius Regni religiosis profectum: in quo ipsi supplicare simulabantur: vt a tam manifesto animarum suarũ periculo, & impia Monachismi seruitute liberare dignaretur: permitteretque Monasterijs exire, quo plena libertate in posterum Deo seruiant, Bona vero omnia, & iura, & possessiones in manus sue Maiestatis relignabãt. Huic libello, vt omnes omnium religionum Abbates, & Monachi subscriberent, Rex impius imperabat. Quod cum facere plerique recusarent, varijs in locis crudeliter sunt obtruncati. Vittingus vero Abbas venerandus, ętate ferè decrepita, lectica, qua tum vehebatur, deturbatus. Crati vimineæ impositus, ad montis editi cacumen, qui Monasterio imminebat, terra pertractus, in habitu Monachali suspensus, & quatuor in partes dissecatus est. Summa est quidquid maiorum pietas, industria, religio, deuotio, à primo die, quo fides Christi sedem fixit in illo Regno condiderat, construxerat, erexerat, in Dei, & Diuorum honorem elargita fuerat, aut in religionis Christianæ cultum contulerat, id totũ liguriuit, & absorbit Henrici Regis Euangelici libido: & ea quidem breuissimo temporis spatio terminata, ad vnius enim anni voluptates, & delicias tantæ rapinæ vix suffecerunt. Extant de eius crudelitate, qui sequuntur versiculi.

Millia dena vnus tẽplorũ sustulit annus
Quã timeo in pœnas vix satis vnus erit.

Vxores idem Rex habuit sex, duas securi percussit, tertiam ad partus commoditatem laxandam curauit, & extinxit, duas repudiauit, & sextam superstitem reliquit,

reliquit, quam tamen ad cædem animo destinauerat, si vixisset. Ex omnibus autem quos nœci tradidit, partim, quod appetitum Ecclesiæ primatum, partim quod fœdas suas libidines oppugnarent. Numerantur Reginæ quatuor, Cardinales duo, & tertius absens damnatus, Duces, Marchiones, Comites, Comitũq; filij 12. Archiepiscopi 3. Episcopi 18. Abbates, Priores 13. Præsbyteri 500. & Decani 30. Ecclesiarum Cathedralium 13. Archidiaconi 14. Canonici Ecclesiarum Cathedralium, supra 60. Doctores Theologię 49. Doctores iuris 18. Doctores Medicinæ 9. Equestris ordinis 26. Nobiles 356. Laici inferioris ordinis 124. Fœminæ 110. Ex quibus omnibus Martyres fuerunt 147.

Edoardi Regis tempore, sacrarum imaginum, & statuarum reliquiæ, quæ furorem Henrici Regis euaserant, tam pictæ, quam sculptæ, partim delentur, partim comburuntur, & in earum loco Regis Angliæ insignia, nempe tres Leopardi, & tria lilia, hinc serpentis, inde canis expansis pedibus, sustentata collocantur. Sanderus de Schism. Angl.

Oxonij, meretricis cuiusdam ossa, quę se vxorem Petri Martyris Apostatæ vocabat, è turpi sterquilinio summo studio collecta, in vicinam Ecclesiam reportant, & in tumulum Sanctiss. Virginis Fridiswidæ, eius tẽpli diuæ tutelaris, imponũt. Itaque venerandis illis reliquijs permiscent, vt in posterum discerni non posset, inter vtrumque morticinium, & hoc præterea Epitaphiũ adiungunt. Hic requiescit religio, cum superstitione. Idem Sanderus.

Elizabetha Regina, nouas viciſſim credendi formulas, nouas leges, nouas cæremonias, Sacramentorum administrationes, & ordinationes, visitationes in Regno suo præscripsit, & edixit: & quicumque ausi fuissent, ab illius placitis recedere, in eorum vitam, & fortunas omne genus crudelitatis exprompsit.

Libet isto loco quasdam eius leges cõmemorare, non decantatissimæ illi libertati, quam profitentur Euangelici: sed Apostatæ Iuliani crudelissimis edictis, & sanctionibus consentientes.

Quicumque dixerit, scripserit, affirmauerit, vel vllo modo etiam per ciffras significauerit, vel etiam rogatus, confessus fuerit Pontificem Romanum, esse caput Ecclesiæ Anglicanæ, vel vllam habere in causis Ecclesiasticis authoritatem, reus lęsę Maiestatis existimabitur, & eadem prorsus pœna plectetur, qua Reipub. proditores plecti solent:

Qui ad Pontificem Romanum, vlla de causa appellauerit, & bullas, aut alia instrumenta ab illo obtinuerit, & in Angliam inuexerit, eidem læsæ Maiestatis pœnæ subiacebit.

Si quis Agnos Dei, vt vocant, rosaria, grana benedicta, medallias, crucifixos, aut quamcumque rem aliam, à Pontifice Romano benedictam, in Angliam importauerit, criminis læsæ Maiestatis reus erit.

Cuicumque infra dignitatem Baronis constituto, ter oblatum fuerit iuramentum, seu abiuratio contra Pontificis Romani authoritatem, & pro suprema potestate Reginæ in causis Ecclesiasticis, & si ille tertio iurare detrectet, eandem pœnã læsæ Maiestatis sustinebit.

Qui vllo modo dixerit, scripserit, significauerit, vel rogatus confessus fuerit Reginam Angliæ Hæreticam esse, aut Schismaticam, eidem pœnæ læsę Maiestatis erit obnoxius.

Si quis aliquem Ecclesię Romanę vnitati, & communioni reconciliauerit, eandem pœnam læsæ Maiestatis patietur.

Quicumque ab aliquo fuerit sciens, & volens ad eandem vnitatem, & communionem reconciliatus, eandem pœnam sustinebit.

Qui procurauerit alicuius reconciliationem ad illam vnitatem, eiusdem pœnę reus erit.

Qui tantum consuluerit alicui, vt ad illam vnitatem, & communionem reconcilietur, etiamsi non procuret, eadem nihilominus plectetur pœna.

Si quis alicui persuaserit, vt Pontifici Romano in causis Ecclesiasticis obediat, eodem crimine læsæ Maiestatis condemnabitur.

Si quis permiserit sibi persuaderi, vt sic obediat, eiusdẽ criminis reꝰ cẽsebitur.

Si

Si quis procurauerit, vel consilium dederit, vt alicui sic persuadeatur, eandem pœnam læsæ Maiestatis subibit.

Si quis promiserit, pro futuro tempore, se aliquam obedientiam Romano Pontifici, in rebus Ecclesiasticis præstiturum, eandem læsæ Maiestatis pœnã sustinebit.

Si Sacerdos, aliquem ex Reginæ subditis absoluerit, crimen læsæ Maiestatis censebitur.

Si quis habeat authoritatem absoluendi in Anglia, licet nullum actu absoluerit, incurrit tamen læsæ Maiestatis crimen.

Si quis præ se ferat, habere eiusmodi authoritatem absoluendi, etiamsi non habeat, læsæ Maiestatis reus existimabitur.

Si quis sciens ab altero absoluatur, siue ipse petierit absolutionem illam, siue absoluisse permiserit non petentem, eandem pœnam læsæ Maiestatis sustinebit.

Si quis procurauerit, vt aliquis absoluatur, eidem pœnæ fiet obnoxius.

Si quis consilium dederit, vt quis absoluatur, licet non procurauerit, eandem pœnam sustinebit.

Si quis vel procurauerit, vel consuluerit, vt quis absoluat, licet non vt aliquis in particulari absoluatur, eidem pœnæ subiacebit.

Si quis disuaserit alicui religionem illam, quæ nunc publicè in Anglia tenetur, vel procurauerit, vt dissuadeatur ea intentione, vt ille cui dissuadetur, ad obedientiam Rom. Pontif. & Rom. fidei trahatur: reus erit criminis læsę Maiestatis, & eadem pœna plectetur, quæ illi criminis debetur, quæ quidem pœna huiusmodi est.

Primum vt condemnatus, terraq; protractus ad locum supplicij, in maiorem cruciatum semistranguletur laqueo: deinde vt redeunti ad se amputentur virilia, & igne comburantur, tunc vt cultro aperiatur venter, & erutis illis, etiam cor & viscera, spiranti adhuc, & reluctanti, manu carnificis euellantur, & in ignem iuxta positum, proijciantur: denique vt elixus, & in partes dissecatus, ad varias Ciuitatis portas suspendatur. Bona autẽ sua, & possessiones omnes, ad fiscum trãseant, nec eorum quicquam ad vxorem, liberos, aut consanguineos descendat, sed vt ipsi præterea huius vnius ob causam, notentur ignonimia, & omnis mortui posteritas degradetur sanguine.

His promulgatis legibus, non è Solonis, aut Licurgi Repub. longè minus è Christianorum Schola, sed à Tartareo Dæmone petitis, mira & omni crudelitate crudelior consecuta est, in Catholicos, & Orthodoxos persecutio: quorum constantiam, & Martyria copiosè descripta leguntur, in libro Ioannis Aequepõtani Angli, quem inscripsit, Concertatio Ecclesiæ Catholicæ in Anglia, edito Augustæ Treuuerorum, anno 1588. Ex quo pauca quædam Scythicæ crudelitatis, & immanitatis exempla, in hoc nostrũ compendium referemus.

Res, ait, ille infinita, paucis explicari non potest. Neque enim ipsis Mauris, Getulis, Tartaris, Sarracenis, Turcis, aut quibuscumque Christi coniuratis hostibus, tam esse ludibrio Catholicos existimo, quam sunt istis nouis Euangelicis, contemptus, & omnibus contumelijs plenissimis. Si in sacro faciendo Sacerdotẽ offendunt, incredibile est, quam impie, & contumelioſe se gerant. Hostiam sacrã, aut etiam consecratam diripiunt, pedibus proculcant, cultris, & pugionibus transfodiunt, palo fixam Catholicis ostẽtant, & insultant conuitijs, tanquam eorum Deo panaceo, & (vt ipsi blasphemãt) frumentario. Sacerdotẽ vero ipsum, prius domi male mulctatum educunt in publicum, & eisdem prorsus vestibus indutum, quibus ad altare steterat, per plateas & villam circumagitant, inspectantibus omnibus, irridentibus vniuersis, nonnullis autem insputentibus. Inde condunt in carcerem, ferris ligant, compedibus onerant, si videtur torturæ subijciunt, sin minus verbere conuitiorum omnium diuexatum, protrahunt ad iudicium, & ibi simul cum omnibus ad Missam eius præsentibus, condemnant ad carceres, & ad solutionem illarum pecuniarum, quas supra soluendas, ob hoc auditæ Missæ, flagitiũ, demonstraui. Postea vero, si commodum quouis modo suis rebus existimant, hominem perimere, interrogant de quibusdam præcedentium legum capitaliũ

articu-

articulis, quæstiones ponunt captiosas & subtiles, vrgent vt directe, & perspicue respondeat. Quid plura? facile eliciunt, quod rei sufficiat. In promptu enim baculus, quo cædas canem.

Carceres, autē præter alios antiquos vndecim, alij sunt ad custodiam, & martyria Catholicorū deputati, in quos omnis generis, sexus, ætatis, & conditionis homines, ob fidei Catholicæ confessionē compinguntur. Horū nomina sunt, Porta Vestmonasterień. Hictum, Naugatū, Brideldum, Contoria duo, Bancus Regius, Mariscalcaium, Vitlionum, Clincum, & Turris siue Castrum, ex quo duo venerandi senes, Episcopus Linconien. Abbas Vestmonasterień. alijsque antiquiores Confessores, vt nouis martyribus locum darent, in Isbioensem pestilentē carcerem, in paludibus Elienſibus sitam, religati fuerunt: sub cura, & custodia crudelissimi cuiusdam Puritani, a quo præter alia innumera teterrimi carceris incommoda, vim miseriarum incredibilem pertulerunt, præter vna Biblia, nulli alij libri relicti. Annotationum vero, & scriptorum codicilli sublati, Ministri Sathanæ sæpè sunt immissi, qui imparatos ad disputationem prouocent, omnibusque conuitijs, & contumelijs proscindunt, sermones habitos euulgant, & imprimunt, longe aliter, quam res habebat, vt existimationi hominum labem afferant.

Fœmina quædam impudica, superiori mense, in eorum cubicula ipsis inscijs inclusa est, vt inde opinionem incurrerent incontinentiæ. Nullus ad eos permittitur accessus. Vnde hoc artificio, quod modo dicam vti compellimur. Cum aliquis ex nostris quicquam eis eleemosynæ dare voluerit, præcedente die ambulabat per agros vicinos, & tanquam venaturus vocem attollit, quo signo dato eorū aliquis per fenestras prospicit, ex signo dato animaduertit, venatorem illum, ali quid in vsum ipsorum habere. Postera ergo nocte dormientibus cęteris accedit ille cautus, ad muros, & per eandem fenestram ex qua signum datum fuerat, inclusorum aliquis dimittit sportulam, qua eleemosynam recipiat.

Suppliciorum porrò, siue pœnarum genera, quibus in Christi Martyres, & Cōfessores sæuitum est, eorumque corpora crudelissime lacerata, septem in sola turri Londineń. numerantur. Primum est, Lacus siue spelūca quædam subterranea, viginti pedum altitudine profunda, sine lumine. Secundum, est cubiculum quoddam, seu antrum arctissimum, vix hominem erectum capiens, quod ab exigua requie, quam præstat Sitilesium appellarunt. Tertium est equuleus, quo machinis quibusdam, rotisque ligneis hominis membra, in diuersa distrahuntur. Quartum vocant Scauingeri filiam, ab inuentore opinor deducto nomine. Constat autem ex circulo ferreo, qui manus pedesq; & caput in vnum orbem compingit. Quintum est ferrearū chirotecarum, quibus manus grauissimo cruciatu inuoluuntur. Sextum est, vinculorum, quę brachijs gestantur. Septimum denique compedum.

His supplicijs, extincti sunt innumeri Catholici, partim in carcere, partim in publicum spectaculum, producti. Cum autem à lictoribus capiuntur, non homines, sed infernales furias diceres. Aedes illorum noctu occupantur, omnes recessus, & anguli, ipsis etiam spiculis scrutātur, ciſtæ effringuntur, & ea occasione, pecuniæ sæpe rapiuntur. Si quos Catholicos capiunt, binos, & binos colligant, & in carceres putidos, tuba præcedente contrudunt. Si presbyterum capiunt, sacris vestibus indutum, equo imponunt, ipsa meridie tædas ardentes præferunt, & ad Liteleale carcerem angustum, ita vocāt, in quo nec stare, nec sedere liceat, deducunt: vel ad Brideuellum, vbi scurræ castigantur, & molam frumentariam vertere cum illis coguntur, insummoque labore inter scurrarum vexationes, & assidua flagella, pane mucido, & modica aquæ potione, sustentantur.

Alijs aculeos ferreos, & lōgiores acus sub vnguibus infigunt: ad hæreticas conciones violenter pertrahunt. Alios ferreis globis, & cingulis ita constringunt, vt caput inter pedes hæreat, ac ita pilæ in modum impellunt, & rotant. Collum, & pedes ferreis cathenis, & cippis colligant. Auriculas ferro cādenti perforant.

Carris

Carris alligatos viccatim flagellãt. Alios ad erectas trabes, in foro publico, pertusis auribus affigunt.

Ioannes Nicolaus ex alumno Collegij factus Minister Caluinianus, abnegationem suam fidei Christianæ, typis euulgãdam putauit: in quo Rom. Pontif. Cardinales, Collegium Iesuitarum, alumnos, omnibus maledictorum notis proscindit, & multos Sacerdotes, & alumnos in manus lictorum, & carnificum, velut alter Doeus Idumeus obtulit, multorum nomina, siue quos nouerat, siue non, ad iudices detulit, multis innocentibus causa pestis, exitij, exilij, & omnium miseriarum fuit. Quæ consilia, cur & qua ratione susceperit, posteaquam ad mentem reuersus est meliorem, Datis ad R.D. Alanum Remensis Collegij præsidem, literis, (quem Sixtus V. Pont. ob præclaras animi dotes, & multos exantlatos pro Ecclesia Dei labores, anno superiore in Sacrum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegiũ cooptauit) aperuit. Inter alia leguntur hæc verba, Domine Alane, Contra PP. Cardinales, & Episcopos quæcũque scripsi, scripsi ambitionis causa. Nullum librum edidissem, Deus est mihi testis, nisi Præses Castri Londineñ. me ad scribendum prouocasset.

Multa scripsi, multa feci, quæ scribere, aut facere negaui prorsus, antequam præses sæpe minatus esset, grauissimum equulei tormentum, quam acerbam pænam pati, mea fragilis caro abhorruit. Illius igitur inuentionem, atque voluntatem secutus sum, quod imperabat scripsi, feci, locutus sum, non ex malitia, sed ex eius impulsu, non ex praua voluntate, sed ex Sathanica suggestione. Et Paulo inferius. Nil aliud audire potui, in carceribus, quam has minas, fac sic, aut satellites te ducent torqueri, maluissem; dicebat, suspendi. Non bona res est, corpus isto cruciatu longius fieri, per duos ferè pedes, quam natura concedit. Narratus est mihi modus torquendi, cum audiueram, timor & horror istiusmodi supplicij me omnino vicit. Quorum voluit ille Præses, aut seruus illius, nomina scribi, scripsi: Georgius Peccam, eques auratus, in Cathalogo fuit Papistarum positus, iudex identidem Southeotus, & alij multi mihi ignoti.

Domine Alane, Odoenus Hoptonus Præses Castri Londineñ. minis iussit, Cõfessionem meam iuxta voluntatem illius vt scriberem, & quando nomina Papistarum patefeci, quorum quam plurima nomina nunquam ante audieram, iussit vt eos fautores esse Papę, Reginę Scotorum, acerrimos inimicos Regiæ Maiestatis, & virorum à consilijs asserere, non vererer. Hoc inquit, si à te factum erit, Regina promouebit te, inuenies me promptissimum ad te iuuandum. Cuncti proceres te magno prosequentur amore, & nihil indigebis. Si hoc non præstabis, grauissima pæna mulctaberis, consule tibi igitur. Et hanc ob causam partim metu ductus, partim adulatione, hoc in me suscepi, vt quod ipse aiebat confirmaré. Hæc quæ exaraui adeò vera, sunt vt nihil verius. Huc usq; ex concertatione Ecclesię.

Eadem Regina satis diu in Regni sui templis retinuit organa, cantum, cruces, Campanas, candelas, Cappas, non vt cultus diuinus augeretur, & ornaretur: sed vt clerus his sacris vestibus indutus, obuiam illi procederet, cum in aliquam ciuitatem animi causa diuerteret, & organorum, campanarumq; sonitu, solennius exciperetur.

Festos Sanctorum dies, etiã hos, quos reliqui Protestantes vtcumque habebãt in honore, eadem Elizabetha abrogauit, atque ad maiorem Sanctissimæ Virginis Deiparę contemptum, cuius solemnitates è fastis expunxit, diem suum natalem omni adhibita solemnitate, celebrari voluit 7. Septemb. eumque diem in Calendario suo Anglico, maiusculis, & rubris literis notant. Natiuitatem autem virginis Mariæ, atris & minutioribus literis assignant. Similiter festum inaugurationis suæ in Regnum, celebrãt, & quod aures Christianæ vix tollerare poterunt, in summo Vrbis Londineñ. templo, ad complementum diuini officij, quod olim concludebatur Antiphona, & orarione ad D. virginem, hodie nonnunquã a populo, & ab ipso choro, decantantur laudes Reginæ, non cæli, sed Anglicæ Elisabethæ. Ad ordinaria feriæ sextæ ie-

iunia

iunia, & Sabbati abstinentiam, addidit quoq; & instituit Regina ieiunium feriæ quartæ, quod Mercurianum vocatur, vulgus autem Cecilianũ appellat, à Guilelmo Cecilio, huius consilij inuentore. Ea quisquis nõ seruat, mulcta pecuniaria plectitur, facile tamen Regina dispensat, & Archiepiscopus Cantuarien. vbi spes denarij affulget.

De Ioanne Feltono Anglo, viro Nobili, & Catholico, quemadmodũ Romani Põtificis primatũ cõfessus, mortiq; sit adiudicatus, in hæc verba ad Hosiũ scribit Louanio Sanderus. Anno Dñi 1570.

Quoniam opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est, nolui intermittere, vt res tãta, quæ nuper accidit in Anglia, silentio inuolueretur. Qui erat à sacello Hispaniarum Regis in Anglia orator, is cum sententiam Suæ Sanctitatis, contra Elisabetham paulo ante editam, in loco publico affigere, in animo haberet, in consilium adhibuit nobilem quendam virum, ac præstantem Catholicum, cui nomen erat Feltonus. Is Feltonus postea, nescio quo casu, apprehensus, in vincula coniectus est. Tormentis igitur varijs interrogatus, egregiè semper, & fidem Catholicam, & Sedis Romanæ primatum confitebatur. Tandem iniquissimè condemnatus, & ad patibulum ductus, cum etiam illic se Catholicum esse profiteretur, oratio eius ita Caluinistarum inuidiosis clamoribus interrupta est, vt proloqui nihil posset. In sublime igitur raptus, & breuissimo temporis spatio suspensus, ita demittitur, vt non modo viueret, verum etiam pedibus suis consisteret, atque ad reliqua supplicij genera, aliquo vsque progrederetur. Tum amputantur virilia, eruuntur viscera, dissecatur pectus, cum interim præfectus hominem monet, vt veniam à Regina petat. Ille vero vt animo fortis, sic memoria valens, nihil (inquit) eam læsi. Itaque ad extremum vsque spiritum egregiè decertans, fortissima illa perpessione sua, omnium Caluinistarum animos ita percussit, & fregit, vt non sit dubium, quin ab illo spectaculo victi discesserint. Qua celeberrima huius nobilis viri morte, sententia Pontificis, tam apertè promulgata est, vt nemo posthac quod iustè obtendat, habiturus esse videatur. Porrò non solum hic Feltonus, atque ij duo Nortoni, de quibus ante ad tuam Illustrissimam Dominationẽ perscripsi, tantum constantiæ donum acceperunt: verum etiam cæteri aliquot ex ijs, qui passim in Australi parte Angliæ necidabantur. Nam, & multi, & locupletissimi testes nobis retulerunt admiranda quædam, de Gregarijs etiam militibus, quæ singula perscriberem, si otium, quo nunquam minus abundaui, daretur. Festino enim, vt & ego per Dei gratiam fidem inter meos confitear. Si tamen inueniar dignus: quod vt mihi per tuæ Illustrissimæ Dominationis preces concedatur, iterum, atque iterum peto. Habebit certè Sanderum suum, suæ beneficentiæ memorem in æternum. Vale Illustrissime Domine in Christo, qui neque hæc tristissima tempora uoluit absque testimonio transire, quin, & illa inter hostes densissimos haberent suos Martyres, qui vt viuentes contempserunt, ita morientes etiam in triumpho duxerunt hoc sæculum, per gratiam illius, qui viuit in æternum. Datum Louanij 6. Calend. Septemb. An. Do. 1570.

Simile subijt supplicium, Ioannes Storeus, ob eandem causam, in carcerem per insidias compactus, à Ministris tentatus, damnatus, suspensus, in terram deiectus, sectus, capite diminutus, & in mille partes laceratus est, cum in Regio Tribunali omnium pulcherrimam confessionem, pro Cathol. Ecclesiæ capite confessus esset. Hæc Sanderus.

Anno 1570. Iacobus Soria Caluinianus, nauem Lusitanicam Brasiliam proficiscentem inuadit, Patrem Ignatium Iesuitam, Brasiliæ Prouincialem, Imaginem B. Virginis gestantem, tribus lanceæ ictibus confodit. Socium quoque eius Didacum Andradam occidit, & vtrumque in mare cum imagine proiecit. Inde alios 38. nudatos pugionibus confoderunt, amputatis brachijs, ne possent natando è maris periculis euadere. Caput Sacrum vni⁹ ex vndecim virginib⁹ ad Charchesij funẽ suspenderunt. Imaginẽ B. Virginis

in angulo nauis collocant, & in eam, ſicut in ſcopum, hœcas ſuas intorquent.

Scribit Alanus Dialog. 6. quod cum Randatus quidam affinis Foxi, Euangelicorum Martyrũ creatoris, in ea opinione obſtinate perſiſteret, quod Deus nõ minus Iudæ proditionis, quã Paulo conuerſionis eſſet cauſa. Quodã die Muſçi ſui foribus introrsũ obditis, inſerto in collum laqueo, ſeſe ſuſpẽdit, & præfocauit. Effracta vero ianua inuẽtus eſt mortuus, digito in quendã ſcripturæ locũ porrecto, qui de prædeſtinatione agebat. Hoc illius immane facinus, hac purgatione vult emollire optimus affinis, quod ſcilicet, audiẽda miſſa ſeſe cõtaminaſſet, ſi diutius vixiſſet.

Gardinerus Anglus in Portugallia, ſacram Euchariſt. Sacerdoti ereptam, pedibus contriuit.

Petrus alteram caniculo ſuo obiecit.

Collinſius quidã, dũ Sacerdos in Miſſa Sacramẽtũ eleuaret Euchariſt. ſpectãte populo, caniculũ in pedibus arreptũ, ſupra verticẽ capitis, ad contumeliã Sacramenti erigebat, Alanus Dialog. 6.

Inuẽti sũt, q fætidos nates hoſtia ſacra tergerent, In Chronologia Genebrardi.

Caluiniſta quidã Mameiacus miniſter Chalnienſis, oblatũ ſibi dæmoniacũ, liberare cũ non poſſet, timens ne quis ſibi Euangelij ſui impotentiã exprobaret, culeo inſuit, & in Iſaræ amnis profundũ, ſaxis aggrauãtib⁹ demerſit, dicẽs, ſe hominẽ liberatũ ſecreto dimiſiſſe, & ne cuiquã miraculũ propalaret interdixiſſe. Egregius ſane exorciſta. Fai⁹ in ſuo Energumenico.

Circa Annũ 1580. ſuſcitata eſt noua in Anglia perſecutio, contra Catholicos. Magna vis tam ſacerdotum, quã ſęcularium, & nobiliſſimorũ virorum trucidata eſt, omniaq; in literas, & fideliter, & copioſe relata. Nos atrociora & illis ſimilia, quę Antiochus in Iudæos olim cõmittebat, memorabimus. Quo tempore, vt ait ſcriptura, Altare plenum erat illicitis, cogebantur Libero ſacrificare, nolẽtes interficiebantur. Mulieres per muros cum infantibus præcipitabantur, Alij in ſpeluncis latentes flammis ſuccenſi, Templum Iouis renouatum.

In Ciuitate Eboraceñ. Margaretham Clethero, quod Sacerdotes Cathol. in ſuas ædes receptos, omni humanitate foueſſet, morti adiudicatam, ſolo relicto induſio ſpoliant, inde pedibus, manibuſque conſtrictis, ſupinam reclinant, lapidẽ horridum dorſo iacentis ſubijciunt. Supernè vero, pectori, & ventri tabulã, ſiue aſſerẽ applicant, cui pondera librarũ mille impoſuerunt, adeò grauia, vt puellæ corpus aſſeris inſtar compreſſum, atq; comminutum videretur. Maritus in exiliũ miſſus, liberi flagris cæſi, maior natu, tetro carceri mancipatus eſt.

Præsbyteri cuiuſdam pedes, in altum erectos, cippis ligneis ita conſtrinxerunt, vt pendens terram capite attingeret, tam diuq; pendere paſſi ſunt, dum excrementa, quæ infernè non poterãt, ſupernè per os egredi cogerentur, atq; ita ſuo ipſius fætore præfocaretur.

In vrbe Dubri, Catholicũ hominẽ pelli vrſinæ inſuerunt, ac ab infeſtiſſimis Angliæ moloſſis diſcerpi, lacerariq; in ſpectaculo permiſerunt.

Archiepiſcopus Caſelienſis Domitius Hurleus Hybernus, quod à Chriſto deffiſcere nollet, quæſtionibus primũ acerbiſſimis ſubijcitur. Deinde Pontificia Chlamide, thiaraq; ſacra induitur, pede vtroque cippis ligneis conſtricto. Inde ocreas ex corio crudo cõfictas, oleoq; plenas pedibus injiciũt, ſub pedibus ignẽ accẽdũt, quo cum ſatis, & ocreæ, & oleũ, quod intus erat incaleſceret, caro quoq; & nerui tibiarũ, feruenti oleo liquefieri neceſſe habuerunt, ita vt auulſis ocreis, caro ſimul omnis auelleretur, ac omni carne & pelle nudata tibiarũ oſſa viderentur. Ad extremum vimineo laqueo, vt tardius expiraret, ſuſpenſum præfocarunt.

Ferunt in eodem paſſionis loco, mulierem à maligno ſpiritu fuiſſe non ita multo poſt liberatam.

Epiſcopũ Maioneñ. Patriciũ Ocheliũ Hybernũ, è furca ita demiſsè ſuſpenſũ, vt terrã pedib⁹ contingeret, lupis deuorãdũ reliquerũt, neq; tñ vila færa, ita fera, & immanis erat, vt Sancti viri corpus lacerare auderet, ſicut lacerabant feri, & immanes Euangelici.

Edmũdus Campianus Societatis Ieſu Sacerdos, quod fidẽ Chriſt. in patria propagaret, fame verbi Dei laborantes reficeret,

ceret, Sacramenta ministraret, cuiusdam Elioti proditione inter orādū captus, tāquā in triūpho, ad carcerē Londineñ. ductus est cū hac inscriptione. Cāpianus Iesuita seditiosus. Cū eo simul capti quoque sunt alij pleriq; tū Præsbyteri, tum Missæ, & Cōcionis auditores. In eo carcere, post diuersas, & acerbas custodū, & carnificū vexationes, minas, terrores, cæteraq; propria carceris incommoda, aliquoties fuit in secretiori turris parte, intra biduū dirissimo equuleo suspēsus, atq; ita crudeliter, & immaniter distractus, vt oīa corporis mēbra loco suo mota essent, & extremis pedū, manuūq; neruis tātum hæreret, hoc solū nomine, vt confiteretur in quorū ædes in Anglia diuertisset, quorū consuetudinē haberet, à quibus sustentatus esset, vbi libros typis mādasset, & per quē spargisset in vulgus. Inde ad disputationē cū ministris prouocatur, in publico Castri Sacello, ea tū conditione, nullū vt ipse argumentū pro fide Catholica proferret, sed responderet tantūmodo, ministris impugnantibus. Torquetur postea equuleo, omniū grauissimè, ita vt vix extremā partē deficiētis spiritus retineret. Postea ad iudiciū sistitur, falsis testibus oppugnatur, calumnijs petitur, noua, & insolita examinādi ratione vexat. Ad extremū duodecim virorū iniustissima sentētia, morti his verbis adiudicat. Ad locum supplicij pertrahatur, viscera cruantur, & in partes prout crimē læsæ Maiestatis efflagitat, dissecātur. Qua accepta sententia, hymnū illū Ambrosij, Te Deum laudamus, recitauit. Ac ad carceres denuo reductus, nouis cathenis, & cōpedibus constrictus est, nouis Ministrorū artibus, & cuniculis diuexatus, vita libertateq; promissa, vitæq; commoditatibus oblatis, si Caluini doctrinā amplecteretur. Tandē in cratē coniectus est, per vrbē Lōdineñ. ad suppliciū tractus, cū Reginæ, populoq; mentē precatus esset meliorē, laqueo vitā finiuit, & caput postea amputatum. Corpus autem in quatuor partes dissecatum est.

Eodē mortis genere, Confessionē oīum pulcherrimam, confessus est, Rodolphus Scaheruinus Sacerdos. Alexāder Briātus præsbyter in carcerē (counter, vocāt) cōpactꝰ, à custode carceris adeò immaniter acceptus ē, vt nec cibus ad famē, nec potꝰ ad sedandā sitim suppeditaretur, nisi qđ post dies demū aliquot, vnico denario exiguū mucidi panis, & aliquantulum caſei emere pmissus est. Sitim aūt vt extingueret cadētes, è sūmo tecto guttas, producto per fenestras ferreis cratibus obstructas, pileolo, excipere coactus est. Acus deinde pungētes, sub vnguibus infigūtur, equuleo suspēditur, miserè, & crudeliter distēditur, quindecim diebꝰ, sine vllo vsu membrorū, in squalore carceris relinquitur, & à Præfecto præterea pugnis, & colaphis cæditur. Ad extremū mortis accepta sentētia, cū hymnū illū. Iudica me Deus. ceciniſſet, laqueo strangulatus est, venter apertus ferro, cor euulsū, reliquū corpus dissecatū est. Ita Fordus, ita Habdocus, ita Fēnus, ita Hutterus, ita Belus, ita 600. alij Christi Martyres, & Cōfessores capti sunt, ligati sunt, fecti sunt, fame, siti, perui gilio, equuleo cruciati sunt, quibus dignꝰ nō erat mūdus. Quē martyrū constantia. & incredibilis quædā animi fortitudo delectabit, plenā oīum crudelitatū historiā euoluet, quæ inscribitur, Concertatio Ecclesiæ Catholicæ in Anglia: plane nobiscū sentiet, homines eos, qui se sectis dederūt, hominē exuisse, & immanibus esse, Turcis, & Tartaris immaniores, & crudeliores. Eant & de spiritu lenitatis, & māsuetudinis gloriētur. Sed talis fides talem producit pietatē. Arbor mala bonos facere fructus non potest. O Domine deuotissimi tibi quondam Angliæ Regni, tandem miserere.

In libello contra Iusticiam Brittannicam, anno superiori, Augustæ Treuirorū edito, hæc in genere, de immanitate, & crudelitate Euangelicorum leguntur. Quod si Catholici omnes, in Europa fratres nostri, ea possent mente, & intelligentia complecti, quę Sancti Confessores facto, & opere quotidie ab Euangelicis experiuntur, nosque ipsi persæpe oculis nostris intuemur, equidem non dubito, quin pro nostro adeò miserabili statu, vim quandam lachrimarum profunderent: assiduisque precibus (quod & illos facere speramus) misericordiam diuinam nobis implorarent. Si carceres

omnes teterrimos Catholicis hominibus refertos, si vincula, si compedes, si equuleos, si inusitata hominum cruciandorum instrumenta, per vniuersum illud Regnũ in Catholicis excarnificandis occupata cernerent, si formam eos ad tribunalia adducendi, inter homines perditissimos, & maximè infames contemplarentur, si quammulti fame, inedia, & pœdore carceris sint consumpti, quammulti palam crudelissimè necati, quammulti post bonorum publicationẽ ad perpetuos carceres damnati, quammulti funditus exhausti, vel miserè spoliati, dum pro singulis Missis auditis, centũ marcas Reginæ persoluunt, quammulti viri aliquando nobiles, aut aliàs pecuniosi, ad extremã sint mendicitatem redacti, dũ annuatim 260. libras Anglicanas Reginę pendunt, eo qđ Hæreticorũ Ecclesiam, & conciones adire recusant. Quammulti facultates omnes, totamq; hæreditatem paternã amiserint, quia religionis causa, Angliam deseruerunt, & in alias regiones profugerunt: quammulti in varijs Regni Prouincijs, ijque valde diuites, & maximè erga pauperes benefici, suis ex ædibus exploratorum, lictorum, apparitorum improbitate eiecti, quammulti in locis incognitis peregrinentur, compulsi sæpènumero in syluas, in montes, immo in paludes, vt insequentium Hæreticorum furorẽ euadant, quammulta amantissima coniugatorum paria, alterutrius fuga, exilio, aut captiuitate, inuitissime distrahantur: quãmultæ perhonestæ familiæ, hac ratione prorsus dissipentur: quantam ad pauperiem redacti liberi, quantus numerus hac eadem necessitate, extra patriam pulsus, vel ad incerta variorum bellorum pericula desperatè ruant, vel maturius de statu suo deliberant: ad Seminaria, Academias, vel alia studiorum, aut religionis loca, se conferant, ne tantas parentum, fratrum, familiæque suæ ærumnas, oculis contueãtur. Labyrinthum quendam ingressus sum Lector, vel potius immensum Pelagus, vnde me nunquam expediam, si omnia velim enumerare, genera mortis, tormentorum, afflictionum, quibus nostrates Catholici, ij qui meliore sunt loco, domi indies, immò, & in horas conficiuntur. Hæc si cuiusquam oratione possent particulatim, & ad Lectoris intelligentiam euidenter describi, faciem vobis infernalis cuiusdam horroris repræsentarent potius, quam diuinæ illius felicitatis, cuius adeò crebra mentione, vir iste lectorum aures obtundit. Inferioris vero conditionis homines, agricolæ, atque opifices, (quo in genere, Catholici sunt penè innumerabiles) cum pares non sint soluendo, impiam illam mulctam, quæ pro Missis auditis penditur, multo minus numerare possint illam grauiorem menstruam summam, quæ à Catholicis, Protestantium congregationes adire recusantibus, exigitur. Isti barbarè, & crudeliter per publicas plateas flagellis conciduntur, quod & alijs in locis, & nuper in Ciuitate Vintoniensi, multis fortissimis Confessoribus factum est. Nonnullis aures candenti ferro perforantur, alijs penitus abscinduntur. Alijs alia tormenta inusitata inferuntur. Et in hunc modum plerique omnis ordinis, ac sexus Catholici, immaniter excruciantur.

Ad eam quoque insaniam redacta est, Euangelicorum impotentia, vt in acerbis tormentis, & quæstionibus, non id solum à Catholicis hominibus exquirant, quo die, qua hora, quo in conclaui, quo habitu rem sacram, vel faciant, vel audiant, quot homines Ecclesiæ restituant, quinam ad Conciones accedere soleant: qui Catholicos hospitio excipiant: aut auxilium præstent: qui suos liberos in transmarinis Collegijs alant: vbi libri Catholici, & à quibus imprimantur, ad quos, aut per quos in Angliam deferantur. Verumetiam propriorum, & priuatorum peccatorum confessionem in illis ipsis equuleis extorquent. Obiecit hoc, in publico iudicio, martyr Christi Thomas Contanus, quæstionum Præfectis, atque Magistris. Estis, ait, reuera secretorum inquisitores, omnino enim scire ex me voluistis, quæ mihi à Confessario pœnitentia esset, pro peccatis iniuncta. Atq; vt meam ipse imbecillitatem animi, ingenuè fatear, ego quidẽ (quod mihi Deus condonet) ne tam horrenda subirem tormẽta, quod res erat

plane

plane vobis expoſui, verum cum me vrge re deinceps pergeretis, vt ipſa etiam peccata mea, obq; mihi iſta pœnitentia peragenda eſſet, vobis ordine recenſerem: Reſpondi mea me peccata nulli niſi Deo ac Confeſſario detecturum. Qua vos reſponſione, ad iram prouocati, incredibile dictu eſt, quam me crudeliter torqueri iuſſeritis, eadē ſæpè inter cruciatus interrogātes. Ego vero, quod à me petebatur, barbarum eſſe, atq; ab omni humanitate alienum affirmauinec me etiamſi vitā ipſam cruciatibus eriperetis, ad iſta quicquam reſponſurum. Vide tertiam partem concert. Anglicanæ Eccleſiæ.

Chriſtophorus Vatſonus, vir pius, & prudēs, & alij plus minus viginti vtriuſq; ſexus Catholici, cum in Eboracenſi carcere, ob religionē, incluſi tenerētur, ac propter ſitim, ſqualorē, pædorem, anguſtias, compedū, & vinculorū molestias, & læthalem carceris tabē, in ſummo vitæ diſcrimine verſarentur, nullis precibus à crudeliſſimis Euangelicis impetrare potuerunt, vt ad auertendam mortem imminentem, frui permitterētur aere paulò liberiori: niſi prius hæreticas illorū Concliones, preceſq; adirent (egregiam porro, & ab omnibus Euangelicis decantatā, iactatamq; libertatem) Immò vero dum æculeo torquentur, dum tormentis diſtrahuntur, de induſtria præſentes eſſe iubebāt, eos quoq;, qui in tormentis omnium membrorum vſum amiſerant. Semiuiuos ad carcerū veſtibula deponebant, vt charissimorū fratrū miſerandos eiulatus, gemitus, ſuſpiria audientes, & reliquias deficientis animæ intuentes, de ſua conſtantia, animique ſoliditate remittant.

Capti ſunt in confinijs Valliæ, prope Vnigorniam, Præsbyter quidā Venetus, & Laici quatuor ab his, vt expiſcarentur ſi quos præterea Catholicos, aut noſſent, aut reconciliaſſent, ſingulas ſingulis manicas, vel chirotecas ferreas induunt, ita implicatis ad tranſuerſa tigna brachijs, ad multas horas ſuſpendunt. Illud ſemper pro ſua inſigni humanitate, curioſe obſeruantes, vt non planè interirent. Sed cum iam nunc expiraturi viderentur, tū demum dimitterent, & aqua vita (communiter appellatur) eorum tempora perfricātes, hac ratione vitam pene ereptam reintegrarent, reuiuiſcentes mox in altū denuo tollunt, ibiq; relinquūt pendulos, atque hoc eos ſupplicio continenter examinant, ſine vlla intermiſſione, niſi cum penæ magnitudine, & diuturnitate eos ſtatim morituros arbitrantur.

Edixerat Magiſtratus, carcerum Præfectis, vt quos habebāt Sacerdotes, arctiori cuſtodia includerent. Ad laicos autem, ante meridiem prorſus neminem admitterent. Inde factū eſt, vt amici nihil opis, aut poſſent, aut auderent ſubminiſtrare, ita vt omnes Saguntina penè fame conficerentur. Tactus miſericordia eius carceris Præfectus, Elmerum Londinenſem Apoſcopum adit. Neceſſitates captiuorū exponit, eos fame propemodum confici, non poſſe diu viuere, niſi eis aliunde ſuccurratur. Ei Elmerus ea reſpondet commiſeratione, quæ Sathanæ decebat Epiſcopū. Ergo ieiunent, inquit, & pane, atq; aqua ſint contenti. Cui Præfectus liberè. Aquam quidē præſtare poſſum, eſt enim non procul. At panem habituri non ſunt, niſi ſciam, quis velit mihi prætium repēdere. Quin ergo (ſtomachosè reſpōdit Pſeudo Epiſcopus) ſuis veſcātur excrementis. Atq; hanc ſolā conſecutus, à tāto præſule Eleemoſynā, Cuſtos carceris diſceſſit.

Infinitus eſſem, ait liber de perſecutione Anglicana, ſi cætera proſequerer, quæ moliuntur aduerſarij, in cauſæ noſtræ dedecus, & ignominiā. Si quē.n. nanciſci poſſunt, vel infimū, & ſordidiſſimum, qui aliquid apportet in Romā conuitij, vel in alios, qui fidei noſtræ fautores exiſtimantur, etiā ſi illud è lacunis, & ſentinis collectū fuerit, aut nullo etiā probabili argumēto nitatur: arripiūt tamen hominē auidiſſime, & obtrudunt populo tanquā Prophetā. Donant loquendi, perorandi, concionandi facultatem, & ſcribendi etiā quiduis pro libitu & libidine, modo id in Romanæ fiat religionis contumeliā. Vnde tantū odij, vnde liuoris tantū, tantūq; inuidiæ? Sed non ſubſiſtunt hoc gradu immodeſtiæ, nec his finibus continētur impudētiæ: lōgius multo præcipitātur. Si nō ſit, qui in Romā conuitia narret, qui ſordes congerat, aut notet quiſquilias: ipſi creāt de Roma miracula, quę cōcionib⁹,

mensis, & libris inseruiant. Sic nuper libello quodam impresso diuulgarunt, mirabilia multa superiori anno Romæ contigisse, idque per dies multos, quibus Deus iram suam, magnis prodigijs contra Ciuitatem illam ostendit. Narrant enim, duos soles, duasque Irides, eodem tempore apparuisse, portam ingentem D. Petri corruisse, & quatuordecim homines, cum octo militibus occidisse, Duas etiam turres Ecclesiæ D. Petri delapsas, comminuisse Ecclesiã, & contriuisse multum populum, in quo erant decem & octo Sacerdotes. Præterea Ecclesias Franciscanorum, B. Iacobi, B. Bartholomei, B. Virginis, totum Monasterium Mariæ Magdalenæ, integrum armarium Romanæ ciuitatis, domum hospitalem, in qua erant 150. personæ cum infinitis alijs ædificijs, simul decidisse, & hæc omnia ideò contigisse, vt mundus intelligat, Romanam religionẽ Deo displicere. Infinita huiusmodi artificia prætereo, quibus in dies nituntur causam nostram, vulgo reddere odiosiorem.

Ex Epistolis Petri Diasij, de quinquaginta duobus è Societate Iesu, ab Euãgelicis interfectis.

POSTRIDIE nostri, eadem malacia, nouem ferè millia passuum à littore detenti, vbi aduentantes Caluinianos aspiciunt; paucis dispositis tormẽtis, ad defensionem extemplo parare se se. Ignatius autem sumpta Mariæ Virginis imagine, quam Roma secum extulerat, prout res, & tempus postulabat, ad officium, atq; ad pietatem cunctos hortari. Interea vnum è nauigijs, hostes ad nostram onerariam applicant: in eamq; tres primo, & in ijs nauclerus, magna apud eos existimatione, transiliunt, atq; ij quidem statim à Lusitanis interfecti: sed maiore deinde hostium irrũpente numero, diutius obsisti non potuit. Tum Iacobus Soria, vbi cognouit nostræ Societatis homines ibi versari, omnes ad vnum occidi imperauit, vociferatus, interfice, interfice; quoniã ad praua dogmata disseminanda Brassiliam petunt. In eorum numero, qui onerariam occupauerant, erat Iacobi cognatus quidam, qui cum vitam aliquot Catholicis promisisset, id iussit Iacobo renunciari, quæsiuit ille, cũctine præsbyteri (sic enim nostros vocabat) essent interempti, cum interemptos esse responsum fuisset, tum ab alijs manus abstineri non vetuit, quo facto sanè, præclare suum in nos odium exprompsit, præsertim quod paucis ante diebus, intercepto nauigio, quo Franciscani Conciona tores duo, totidemq; sæculares, vt appellant Sacerdotes, in Lusitaniã vehebantur, eorum nulli necẽ intulit: nactus deinde nostros magna ex parte adolescentulos, tyronesq; nulli pepercit omnino. Mactatus est autẽ omniũ primus Ignatium, quẽ obuiam hostibus prodeuntem, elata manibus ea, quã dicebamus, imagine, magnoq; animo profitentẽ se se, cum suis esse Catholicum, lanceæ tribus ictibus cõfoderunt: & sacrã imaginem extorquere frustra conati sunt, tum Didacus Andradius, in amplexũ ruit Ignatij, atq; ita cõiuncti, simul ambo cõfecti vulneribus, præcipitantur in mare, vna cum ipsa imagine, quæ de Ignatij manibus nunquam excideraat. Inde tabulata onariæ subeunt, quo Ignatius in eo tumultu, fratres octo & triginta (tot enim erant eum ex hoc portu prosecuti) condiderat: binosq; ac ternos ordine deinceps eductos, ad nauis marginẽ, ac talaribus tunicis, quanquam exigui etiã præcij exutos, adacto bis terue singulis in viscera pugione, semianimes è naui deturbãt, quorundã etiã præcidunt brachia, vt omnẽ prorsus euadendi spem ijs adimãt. Atq; hunc exitũ fœlix comitatus ille sortitus est. Postea quæsitũ de triũ illorũ cæde, qui ex hostium classe in onariã primi transcenderant. Eius auctores cædis, onariæ gubernatorẽ, cum administris duobus, ad se perduci, furore percitus, iubet Soria, ibi ipso non solũ imperante: sed etiam inspectãte, viuentiũ pectora dissecantur, & extracta crudeliter intestina, deijciuntur in pelagus. Iam vero hanc immanitatem, Caluiniani illo etiam scæiere cumulant. In onerariam reuertuntur. Sacrosanctum

caput

caput vnius ex vndecim virginum millibus, quod ad solatium Neophitorũ Ignatius, in Brasiliam afferebat, è Carchesij fune contumelioſe, nefarieq; ſuſpendũt. Deinde arreptã aliam virginis Deiparæ effigiẽ, egregio perfectam opere, quã itẽ Roma Ignatius auexerat, cũ ſacris alijs imaginibus permultis, in angulo nauis per ludibrium collocãt, in eaſq; vt in ſcopum ſicas eiaculari laſciuientes incipiũt. Roſaria vero benedicta, ac Sanctorũ reliquias, libroſq; de religione, & alia ſcripta quædam, ad Braſiliæ prouinciæ rem, magnopere pertinentia, vt ſibi minus vtilia, vel ſuperuacanea potius, alto manda runt. Huius rei geſtæ ſeriem totius à Luſitanis duobus accepimus, qui ſpectatores affuerunt, cum per eos dies à Caluinianis captiui detinerenrur.

Ex alia Epiſtola Franciſci Hemerici Prepoſiti domus Oliſiponen.

DIES octo in altum Oceanum proſpero flatu profecti Luſitani, naues quinque ſole iam occidente conſpiciunt, quarum erant Gallicæ quatuor, vna Anglica. Aloiſius Regius præfectus, ratus id quod erat, & hoſtes eſſe, & hæreticos, Socios nauales ad prælium acriter ineundum hortatus eſt, magnoq; etiam animo, licet duas ferreas glandes, alteram accepiſſet in pectore, alteram in crure, nunquam tamen gladio ſcutoue abiecto, ad extremum vſq; ſpiritum egregie dimicauit: eius morte à reliquis naualibus Socijs deditio facta eſt, quæ tamen Hæreticorum crudelitatem, & ſitim Cathol. ſanguinis minime ſatiare valuit. Accepta enim de Sanctorum Reliquijs, deque ſacris imaginibus ſignificatione, quarũ ingens erat in ea nauí numerus, tanquã auri pondera nacti, per vim ea Catholicis extorquere, trahere per tabulata, calcare pedibus, in ignẽ deniq; gratulabundi conijcere, blaſphemias euomentes, quas horret animus ſcribere. Repertas etiam ſt. tuas duas Alteram virginis Beat ſſimæ, alterã, angeli elatas in publicũ, ſacrilegis fregẽre manibus. Caput Angeli per ludibrium tota naui circũferentes. Vbi nox adfuit, Sacerdotibus manus a tergo relígantur, Michaelẽ Tarraconeñ. quod è vulnerib⁹, in brachijs acceptis ingemiſceret, multis cõtumelijs oneratũ, è nauí præcipitauerũt. Et ne incomitatus abiret, Franciſcũ quoq; Paulum (nã is erat proximus) eodẽ impetu deturbarunt. Cæteri omnes vinclis, (vt dicebamus) iniectis, in Aloyſij cubiculũ detrudũtur: adhibitiſq; cuſtodibus, totã eã nctẽ, partẽq; inſequentis diei, prope per inediã tranſigũt: cũ interea ſuper alios alij ad oſtium adeſſent carceris, modo lęta, modo triſtia nunciantes. Quidã autẽ truci obtutu, ſtrictis minaciter gladijs fremerent, Papiſtæ, Latrones, ecquis erit aliqñ, qui vitã vobis eripiat? & alia eiuſmodi. Interea noſtri, quaſi futura proſpicientes, magno animo ſeſe ad extrema quæq; parauerant, nec eos fefellit opinio. Nam educti è carcere, damnãtur capitis. Iamq; parabantur laquei, vt ſuſpenderẽtur ſinguli, è maximo nauis malo, cum Præfectus, maioris prædæ ſpe, quod eos putaret pecuniã, ad templũ in Braſilia exædificandum, ſecum attuliſſe, rem in præſentia diſtulit: ſed eorum comperta deniq; inopia, Petro Diaſio, Didacoq; Caruallio ibidẽ relictis, ſeptem reliquos in Roſtatam, ex Oneraria transferri iubet. Hic eos Hæretici denuo circũſiſtere, nec ſolum in fratres noſtros, verum etiam in Rom. Pontificẽ Chriſti Vicariũ, in Eccleſiaſticos ritus, in Sanctos, eorũq; veneratiõnẽ, deniq; in Sacramẽtũ ipſũ Altaris, contumelioſa, atq; impia verba proferre, atq; cũ illi fortiter reſponderent, cędebãtur pugnis, alapiſq; frequẽtibus, defenſores Catholicæ fidei, quin etiam exquirebãtur diligenter, in ſummis capitum verticibus Sacræ, quas appellant, Coronæ, quarũ hæretici, ſi quas inuenerant, has vero iterũ iterũq; ſinguli tondere, & ſimul iurgijs, & maledictis in eaſdẽ inuehi, cũ alijs multis, tũ illis præſertim: canes, fures, veteratores, per vos ſtat, quo minus cõſpirent vniuerſi mortales, atque cõſentiãt, ſublatiſq; diſcordijs ac tumultibus, trãquilla oẽs pace, atq; otio perfruamur: Veſtroſcelere, non modo Germania, & Gallia, verũ etiã Braſilia, atq; adeò toto terrarum orbe praua doctrina

d ffunditur. Erat è nouiciorum numero Petrus Fernandus, faber lignarius, omnium recentissimus ille quidem, sed aprime humilis, & magna virtute vir. Is initio deditionis pileo, talariq; tunica exutus ab hostibus, ne deinde fallente vestitu, pro sęculari haberetur, & præclarā pro Christo moriendi occasionē amitteret, aggregabat se ad fratres identidē, vultu oculisq; ad modestiæ, religionisq; significationē ita compositis, vt vel ex eo satis intelligerent hæretici, hominē esse de nostris, quo etiam vehementius irritati, caput eius arreptum vtraque manu sub rigere, colaphis petere, digitis oculos aperire, palpebrasq; distendere, paxilos deniq; mento subdere, ne vultū demitteret, ad hæc illū contumeljs incessere eiusmodi, Canis attole faciē, frontē expor rige: quæ ille nimirū excipiebat tanta nō solū animi æquitate, sed etiā oris hilaritate, vt eo bono se indignū existimās, cō uersus ad Deū diceret, quo meo mihi me rito hoc tribuis, vt pro te patiar, Domine? per hanc simul procacitatē, atq; sęuitiam Hæretici, cū sese miseri diutius oblectassent, alij demum alio varios in vsus digressi sunt? spatiumq; fratribus datum, ad inflāmandos mutuis cohortationibus animos, vireſq; recolligendas: quo in genere Petri maxime Fernandi (eius quem modo dixi) charitas, ac virtus enituit, cū in singulos congressus, lętissimo semper vultu, cæteros ad constantiam, ac fidem accenderet, atq; ad cognoscendam insignem hanc in se Dei beneficentiam, multis rationibus excitaret. Cuiusmodi sermonibus, dum se inuicē confirmant fratres, magna rursus circumuenit eos Hæreticorum manus. Instituitur de religione certamen, ex quo, vt genus videatis, vnum attigisse sat fuerit: Oppugnabant Hæretici supplicationes, & preces, quibus auxiliū à Sanctis, more Catholico exposcim⁹. Qua in disputatione, acrior coortus quidā ex ijs. Nonne, inquit, cernitis in nostra potestate vos esse captiuos: quin vos igitur Maria virgo, Sanctiq; quorum opē implorandā affirmatis, e manibus nostris eripiunt? Cui fratres. Si expediat nos esse superstites, Beatissima virgo, Sanctiq; & vitā nobis à Domino, & libertatē obtinerent vtiq; sed quia emori præstat, id circo non impetrāt. Hæc & alia id genus respondebant fratres, quæ illi cū ferre non possent, amentes iracundia, & rabie, conspuebāt ora subinde nostrorum: quinetiā quodā Alphonsi Fernandi respō so, permotus vnus ex ijs, furensq;. Ob id ipsū, inquit, quod ita dixisti, peribis, cui Alphonsus, vt pote Prominister. Nō solus ego, sed omnes plane mori parati sumus. Atqui expectate (ait Hæreticus) molossi canes, caput egomet vobis præcidā, vosq; (meā fidē testor) in mare proijciā. Hæc altercatione in cœnā vsque ducta, discedunt Hæretici, sed mox expleto epulis ventre, animi quoq; feritatē, extremo supplicio nostrorū exsaturare constituunt: nec mora, singulos octo de naue circūstāt, exutosq; tunicis, quanta maxima vi, quā possunt longissime, à nauibus in altū eiaculantur. Ac Petrus quidē Fernandus, & Ioan. Aluarus, natandi minime periti, fluctibus hauriūtur illico: cęteri quinq; vnum in locū diuinitus cōgregati, diu sese sustentabāt, postremū, vale sibi dicētes inuicē, ac veniā inter se delictorū petentes perierūt.

Ex Respōsione, ad pśecutores Anglos.

Nec minor est calamitas Catholicorū in Anglia Nobiliū, quos aduersarius scribit, nec vita nec fortunis priuari, quāuis summi Pontificis primatū credant, affirmentq; Reginā omniū suorū subditorum, qui quidē Ecclesiastici sunt, gubernatricē esse minime debere. Quæ tamen opiniones (inquit) secundū Regni leges, aliqua ex parte, & quodātenus castigantur. At quidquid iste tā grauiter mentiatur, verū certe est magis intollerandā Nobilitati, quā Ecclesiasticis ipsis iniuriā fieri. Multo.n. vehementius, & indignius Nobiles illi vexātur, spoliantur, exhauriūtur, multis exationibus, obligationibus, proscriptionibus, carceribus, alijsq; pænis infinitis, quæ vobis quotidie sunt in vsu, à nobis autē commode non possent exprimi, quos promiscue cum latronibus ad tribunalia sistitis, tanquā proditorie de statu, & religione sentiētes, conuitijs inceſſitis ad eos calumniādos, sordidissimā vulgi fæcem, Ministros exploratores, & apparitores submittitis: aliquando in suis

ipsorum

ipsorum domibus inuaditis, & violenter pecunias, quæque occurrunt alia bona, eripitis: aliquando ex domibus in syluas saltusque, & (quod scientes loquimur) in flumina compellitis: & deniq; relictis paternis laribus, in exilium ad ignotas, & peregrinas regiones, hucq; illucq; profligatis: quod quã sit miserũ, quã calamitosum, quis ignorat? Cũ necesse sit eorũ familias peramplas sæpè numero, & copiosas, uel fame, & inedia domi contabescere, vel apud exteras nationes mendicato viuere, vtroque enim loco, eorum omnes fortunæ à vobis occupãtur, ipsæq; hereditates, vel Principis fisco ascribũtur, vel homini alicui scelesto, ac nefario donãtur, qui ipsos spoliãdi facultatẽ, à Principe obtinuerit.

Descriptio martyrij, Incliti Præsulis Patricij Ohelij, Episcopi Maionensis, cum eius Socio.

CVM in Regno Hiberniæ, quod ferè in remotioribus orbis partibus situm existit, fides religio, cultus diuinus, & singularis erga Sanctã matrem Ecclesiã deuotio maxime vigeat, ex eoq; tanquã fecundissima Domini vinea, quam plures viri vitæ exemplo, & virtute præstantes, hactenus prodierint, nostris præsertim temporibus. Regnum ipsum benedicẽte domino, permagnum, & vberem afferens fructum, bonę memorię Patricium Ochelij, dum in humanis ageret, Episcopum Maionẽsem, virum sanè antiquis primitiuæ Ecclesiæ Patribus, officio pietatis, & illorum vitæ imitatione valde coniunctum, produxit: qui cum ordinem Patrum Minorũ de obseruantia, expresse professus fuisset, & in eo sub suaui religionis iugo, regularis, & religiosæ vitæ obseruatione conspicuus, per multos annos, ac in diuersis locis pie & laudabiliter, tum in Cænobio D. Francisci almæ Vrbis, tum etiam alijs orbis partibus vixisset: ob eius religionis zelũ, aliaq; multiplicum virtutum dona, ad Ecclesiã Mayonẽ. tunc Pastoris solatio destitutam per feli. recor. Gregorium Papã XIII. anno 1579. merito promotus, munereq; consecrationis, per eum in Curia Romana suscepto: per eundem Gregoriũ Pap. ad personalem residentiam, in suo Episcopatu faciẽdã, trãsmissus fuit: quo cũ peruenisset, & populum suæ curæ creditum, dirigente Dominoactus suos, fœliciter regere, & prosperè gubernare speraret. In cuiusdam atrocis, & crudelis tyranni, asserti Proregis Hyberniæ, nomine, prætenso Reginæ Anglię, hominis certe omniũ, quos terra tulit crudelissimi, manus incidit: qui eũdem pium Antistitem, cum eius socio, fratre Connatio Ornarij, filio Principis Ardachadeñ. & Helmoneñ. potestatis, ordinis etiã professore, ac religioso, in carcerem turpissimũ, & obscœnum conijci, ibiq; quindecim dierũ spatio inclusos detineri, ac illos terrore carceris, & futuræ pœnæ, vt credebat, perculsos, in suum conspectum adduci mandauit: & ipsum pium Præsulem toruis respiciens oculis, terribili, & tremebunda voce illi dixit. O nequam, quare tu negligis leges nostræ Reginæ? Eia, conuertere ad Reginam, si sapis, & condonabuntur tibi omnes præteriti errores. Ita tamen, ut iures Reginam ipsam caput esse Ecclesiæ, & renũcies potestat', omnibusq; alijs iuribus Romani Pontif. subdẽs, quod si id faceret, illi trium Episcopatuum regimen, loco vnius assignari curaret. Cui nihil respondens, vir probus subrisit. Tyranno vero percontanti, causam risus, Præsul respondit, illum non indigere conuersione, qui nunquam fuerat peruersus. Et tũ Tyrannus ipsum Antistitem ocreis calceari, easdemq; ocreas largas nimis, atque amplas calce, butiro, sale, & oleo impleri, ipsumque Antistitem aqua feruenti immergi præcepit: in qua non solũ cutis, sed etiam nerui, musculi, venæ, & ferè tota caro tibiarum arsi, & consumpti fuerunt: & excalceatis ocreis ossa nuda remanserunt. Et tunc Tyrannus iterum Martyrem rogauit, num conuerti vellet, promittens Chyrurgos ac Medicos præstare, qui vulnera Martyris curarent. Martyr autem constantissime, quasi semimortuus, sed gratia assistente diuina rursum risit, Tyrannus vero ira percussus, & accen-

accensus, malum malo addens, his non contentus, ossa tibiarum, bracchiorum, crurum, & etiam digitorum Antistitis, in dogmate Christi sustinendo, semper firmi, & stabilis, inter lapides, in medio suorũ militũ (erãt.n. tũc tẽporis in illo regno duo, alter Catholicorũ, alter vero hæreticorũ exercitus) cõfringi, & post modũ Martyrem ad patibulum, per Carnificẽ deduci præcipit. Cumq; idem S. Præsul in ciuitate Maioneñ. cuius cura Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, sibi commissa fuerat, Martyrio decorandus esset: sune illius pręcioso collo iam alligato, tortores rogauit, vt spatium vnius horæ sibi concederetur, quo pauca Christi fidelibus illic præsentibus fari, & extremas preces altissimo fundere, & in illius manus spiritum suum commendare valeret. Sed dimidia hora ad id dũtaxat obtenta, per quartam horæ partem, Latino idiomate loquendo, orationem spiritualem, non solum disertam & eloquentem: sed etiã adeò piam, & dulcem habuit, ut illam proferens, spiritu diuino repletus videretur, & iudicaretur: & deinde ad Christi fideles, rudes, & non literatos se conuertens, illos tanquam suo regimini, & gubernio diuinitus creditos, salutaribus præceptis, pie, & religiose vernacula lingua, spatio alterius quartæ partis horæ eruditiuit: & ad constanter in fide Catholica perseuerandum, adeò lachrimose, spiritualiter, & pie hortatus fuit, vt totus propè exercitus, etiam hæreticorum, ex tam crudeli nece, & Tyranni iniquitate commoueretur. Et tandem inclitus Martyr, breuitate temporis circumuentus, atque oppressus, finem dicendi faciens, Tyrannum talibus verbis allocutus fuit. O Prorex, Tu istis atrocibus tribulationibus, & tormentis hoc mortale corpus vexari curasti, meq; Domini nostri Iesu Christi oleo sacro vnctum, & cõsecratum, sæpius in vilipendium, nequã & nebulonem vocitasti, alijsque iniurijs non minus iniustè, quam atrociter affecisti, & tandem vltimo supplicio damnasti: sed quia iusti iudices non adsunt, coram quibus controuersia super iniurijs mihi per te illatis, prout iuris foret, decidi, & determinari valeat: idcirco te, præsente toto hoc exercitu, semel, atque iterum, ad iustum Dei optimi maximi iudicis potentissimi, & æquissimi iudicium voco, & cito, vt ad decimum quintum diem, coram illo Sãctissimo Tribunali, ad rationẽ tuæ crudelitatis reddendam compareas. Cui Tyrannus respondit. O nequam perge ad inferos, ego enim flocci facio tuam inanem, & vanam citationem; & tunc vir sanctus, & innocens, suæ virtutis, & pietatis admiratione relicta, inter latrones, vna cum socio suspensus fuit: & iam illarum partium fidelibus persuasum est, ipsum cælestia præmia consequutum: & ob sanctitatis suæ odorem, hinc inde, lõge lateque diffusum post eius obitum, quam plurimi illum iunt venerati, pie credentes quia altissimus, eiusdem meritis, & intercessionibus diuersa miracula operari dignatus est: & propterea attentis suis, puritate, innocentia, & constantia, non indignus videtur Sanctorum Dei Cathalogo ascribi. Prorex autem postmodum ad ciuitatem Limiceñ. migrauit, in qua spatio quinque dierum, cum toto exercitu suo permansit. Sexto vero die ex ea egressus, & per uiam, in qua corpora Martyrum pendebant veniens, cuidam Baroni Catholico eum comitanti, talibus verbis est locutus. Vide Baro istum nebulonem, qui me nuper ad Dei iudicium vocare ausus fuit, modo in inferno triumphat, & eius cadauer, malæ cruci affixũ per multos annos remanebit. Cui Baro blande respondit. Ach, non decet homines nobiles, cum latronibus suspensos remanere. Prorex autem Baroni replicauit. Iam dudum Baro sciebam te Papistam esse: sed tibi promitto, quia non impunitus euades, & silentio Baroni imposito conticuit. Et illico, ecce Prorex vltionem diuinam sentiens, & in curabili morbo correptus, in medio exercitu, alta, & intelligibili voce acclamauit, dicens, se tormentis inferni cruciari, atque vexari: & ex tunc morbo suo, paulatim ingraueſcente adeò fœtidus, & graue olẽs euasit, ut vix vllus mortalium, extremum fœtorem sui corporis sustinere, & illi in hac sua extrema infœlicitate, auxilium præbere posset. Et tandem ne terminus sibi per pium Antistitem in citatione præfixus laberetur, & contumaciam incurreret.

ret. Decimo quarto die post obitum Martyrum, animam turpem efflauit. Quæ omnia summarie, & fideliter referre volui: ut ad omnium fidelium notitiam perueniat: & quę sanctorum Patrum dogmata, sanctorumque Canonum instituta, & Christiana charitas postulat, ad diuini nominis laudem, totiusq; Curiæ cælestis honorem, desuper fieri valeant, & exequi.

Ex libro Guilelmi Rossei, de Iusta Reipub. Christianæ, in Reges impios authoritate.

PERCVRRAMVS verò eiusdē Reginæ, cum alrero Rege Galliarū fidelitatem, qua quidem sæpè est iterum, & tertio iurata, sed quo fructu, & effectu, communis experientia docuit. In tot enim subditorum Hugonotarum, contra Regem illum prelijs, ecqua manus Anglorum Regi opem tulit? ecqua peditum cohors? ecqua turma equitum? An vllæ ciuitates, vel contra rebelles defensæ: uel à rebellibus ereptæ sunt, Anglorum fœderatorum opera? Quum Hispani, quum Itali, quum Germani, quum Burgundi Regibus illis, indignissime per suos ipsorū subditos nequissimos, vt impurissimos proditores oppugnatis, suppetias tulerint, qui vel minutum supplementum, siue militum, siue pecuniarum, à federata sua Principe Regina Angliæ, ad eorum auxilium venit? Inaniter, quid ea non fecerit, inquiro, quum quid fecerit magis sit arguendum. Tanquam enim non cum Regibus, sed cum illorum rebellibus: non cum Carolo, & Henrico, sed cum Colignio, & Condæo fœdus percussisset, tanquam ipsa non Princeps esset, sed priuata: nec aliquid in se haberet generosi Regū sanguinis, sed ex turpi, & Catilinario Hugonotarum, & Geusiorum, & similium rebellium, atque proditorum semine fuisset concreta: ita his quoque Regibus Gallicanis semper fuit infesta, & pro rebellibus contra Reges illos stetit. Colligniū suis auxit opibus. Colignium suis militibus iuuit. Colignio innumerabilem pecuniam submisit. Colignio supplementa rerum omnium, terra marique suppeditauit. Colignio contra Franciscum primo, & tum contra Carolum, et deinceps Nauarreo, Condeo, & Casimiro contra Henricum Gallorum Reges, semper, & consilijs, & auxilijs, & quibuscunq; poterat modis adfuit, & cum illis ad veros Reges deprimendos, & opprimendos, & regno pænitus eijciendos, contemptis fœderibus, & iuramentis opes, & vires suas consociauit. Sed ne nimis generaliter, & vagè diffusa feratur oratio, quamquam hæc sunt in oculis omnium gesta, vt facilè possunt cuiuis innotescere, vnico tamē exemplo, de fide erga posteriorem Regem Galliæ Carolum nonum perfidiosissimè violata, Euangelicam Principis, & Concilij Anglicani in fœderibus seruandis fidem, monstrabo. Nullum opinor fœdus multis annis, aut honorificentius, aut solemnius factum, vel conditionibus exacte, &, subtiliter expressis descriptum accuratius, quam quod paulo ante mortem Caroli IX. inter eum, & Reginam illam sanciebatur. Cuius inter alia multa, istę cōditiones erant. Principes illi ad mutuam alterutrius defensionem astringantur, contra omnes alios fœderatos, amicos, cognatos, & fratres, absque vlla exceptione personarum, cognationis, causæ, aut alterius contractus. Mari subministrabunt mutuo, alter alteri octo naues instructas, & in ijs mille ducētos milites. Terra si opus sit, sex millia peditum, &c. Formam autem iuramenti, quod Regina Angliæ præstitit, ad insigniorem historię consequentis memoriam, ita historici annotarunt.

Nos Elizabetha Dei gratia Regina Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ: defensatrix fidei, promittimus, & iuramus in verbo Reginæ, & fide Principis Christianæ, in manibus Illustrissimi Ducis Memorancij Paris, & Marsalci Francię, per sancta Dei Euangelia, quòd seruabimus, & faciemus seruari, sine vlla contradictione omnia, & singula pacta, conuenta, & articulos fœderis, fidelitatis, & arctæ amicitiæ stabilitæ

litę inter nos, & Carolum fratrem noſtrum. Nec patiemur aliquid innouari per nos, aut ſubditos noſtros, quocumq; modo, directè, vel indirectè, in damnum, aut præiudicium huius contœderationis. Hoc fœdus tam diligenter compoſitum, tã ſanctè iuratũ, quam citò iniuſtiſſimè ruptum eſt? Obſedit paucis poſt ſeptimanis Carolus Rex Rochellam, non ipſi tãtum, ſed toti etiam orbi Chriſtiano rebellẽ, vt quæ Chriſtianos omnes, qui non eſſent religionis Rochellenſis, aut Aurangij Principis ſubditi, tanquam hoſtes ſuos prædabatur. Rochellenſium res in magnis verſabantur anguſtijs. Terra exercitus ingens eos acerrimè oppugnabat. Mari claſſis regia eos claudebat, vt nulla ſupereſſet, vel terra, vel mari rebellibus illis ſpes, niſi regis Gallorum fœderata, fidem nuperrime datam contemneret, & rebellibus illis more ſuo ſuccurreret.

Neque verò ea expectationem illorum fefellit. Pauci enim menſes effluxerant, quum Mõgõmerius cum claſſe ad auxiliũ ferendum aduenit. At claſſem eam vbinam comparauit? Vbi armauit? In Anglia. Quibus militibus? Anglis, quorũ multas illic turmas collegit. Quibus Prę fectis militaribus? Anglis, Champernono, Vuintero, Puluerſoto, Morgano, & alijs permultis. Ex quibus portubus ſoluerũt? Ex Anglicanis, Falmue, & Plimnue. Quæ nam erat claſſis illius, nauis prætoria, & vt vocant, Admiralia? Anglicana Primaroſa, quam Regina Angliæ iam tum ſophiſticè mercatori cuidam Anglo vendiderat. Quot Anglicanæ naues eam ſequebantur? Decem, ſed illę decem Rochellenſibus quinquaginta, quę in eadem erant expeditione, & magnitudine, & belli gerendi commoditate præſtantiores. Quum ad rem gerendam ventum eſſet, cuius vexilla, & inſignia more militari in antennis nauium ſunt explicata? Reginæ Anglicanæ. Hoc eſt fœdus, hoc iuramẽtum huius temporis Anglicanum. Hoc verbum, hęc fides Principis, iuxtà Euangelium, & fidem Caluini, Chriſtianę. Sic illi per ſancta Dei Euangelia iurant. Sic illi nec directè, nec indirectè contra fœdera cũ Principibus Catholicis facta quidquam moliuntur. Non ſolum modò Regi naues, quas pollicebãtur non reddunt, nec ſolum hoſtibus auxilia, vt debebant directè, & indirectè non negãt, ſed contra duplici periurio, & Regi quod æquum erat non ſubminiſtrant, & hoſtibus eius quod iniquiſſimum, & contra fidem erat largiuntur, idque multo cũ fœnore, & redundantia: illis nimirum tributentes naues decem, quarũ huic promiſerant octo, nec præſtiterunt vnam. Atq; hoc ita factum eſt, vt & Regi tum uiuenti Carolo, totique regno grauiſſimè nocuerit, & Henrici fratris, qui tunc vice regis, exercitui præfuit, famam, atq; exiſtimationem maximè læſerit.

Quum enim domiti terè eſſent rebeliũ animi, duxq; eorũ peritiſſimus Lanoæus, partim Miniſtrorum inſolentiã dedignatus, partim fælicem ſucceſſum deſperans, è ciuitate diſceſſerat, vt magna ſpes eſſet de illo Rebellium portu, & perfugio capiendo, atque ita regno toto tranquillando: tum hæc Anglicana claſſis ſubmiſſa, eorum, & inflauit animos, & auxit inſolentiam: & quum pauciſſimis diebus antea Regis frater, eos ad obedientiam Regis cohortatus, recenti fœdere, & iuramentis Anglicanis fretus, magna contẽtione aſſeueraret, nullam ſubeſſe Anglicani ſubſidij ſpem, tum eo ipſo quaſi tẽporis momento, hæc ſubſidia in alto mari comparuerunt, tanquam ad Principem eum inſignis mendacij, & vanitatis coarguendum. Cuius claſsis duces iuxta cõſilium, quod in Anglia cœperant, ad Gallos vehementius terrendos, in ſummitate malorum Crucem rubram, Anglicani Regni inſigne erexerunt, vt Gallis quaſi clariſſimo buccinæ ſonitu, denunciarent hanc expeditionem Reginæ Anglicanæ voluntate, & armis, & opibus, & nauibus eſſe factam. Alia exempla periurij, & infidelitatis Anglicanæ facilè ad memoriam ſuam reuocare poterunt, qui vel in rebus politicis, vel etiam in hiſtorijs cõmunibus ſunt verſati. Ego enim vno vel altero exemplo memoriam tantum peritioribus redintegro, ijſque ad alia repetenda, tanquam viam commonſtro, quæ tot ſunt erga Reges Galliæ egregia, & obſtupenda, quot fuerunt in hoc Regno rebellium cõtra Regem inteſtina prælia.

Semper

Semper enim Regina illa, cõtempta fide, & fœdere quouis, suis opibus rebellium partes fouit.

At de quibuscunque auxilijs Regi suppeditatis, quis vnquam audiuit? quæ historia memorat? qui annales loquuntur? Fides nimirum Anglicana in hoc genere, nihil quidquam differt à Truchesiana, nihil ab Aurangiana: est enim perfectè Caluiniana, hoc est summè periura, summè Macchiauelliana: cuius Euangelium hac in re, idem prorsus cum Caluiniano, hoc habet commune, & certissimũ principium. Principi peierare, fallere, & dissimulare, sine vlla dubitatione licet. Et rursus. Princeps ingenium versatile, & arte vsuq; factum in sœuitiam, & perfidiam habere debet: & re ipsa talem se præstare quoties expedierit. Quod à Machiauello hausturn, in suas Euangelicas Institutiones transtulit, Caluinus, in eo Magistrum suum Machiauellum antegressus, quod Macchiauellus hoc solum Principibus licere putat, Caluinus autẽ, non ad Principes restrinxit, sed ad Caluinistas omnes, ad omnes nimirum fide sua illuminatos, ad omnes quibus Euangelij noui lux affulget, hoc Macchiauelliani Euangelij principium accommodauit.

Horum autem vtrumque, de perfidia & sœuitia, quemadmodum eadem Angliæ Regina, erga Scotiæ Principes, & matrẽ, & filium exercueri, præstat silentio prætermittere, quam paucis attingere, quod nec paucis, nec multis pro rei magnitudine potest explicari. Quemadmodum enim pictor ille, quum in bello Troiano historiam Agamemnonis, Iphigeniam filiam ad Deos propitiandos immolaturi, depingeret: tristem fecit Chalcantem Sacerdotem, mestiorem Vlyssem, lachrimantem Menelaum patruum, patris autem Agamemnonis caput velo quodam operuit, & inuoluit, quia summum illum luctũ penicillo non poterat imitari: ita quũ Anglicana fides fuerit erga suos domi subditos crudelissima, & perfidiosissima erga Regem Hispaniæ, perfidiosissima erga Reges Galliarum, tum erga Reginam & Regem Scotiæ incredibiliter omnem modum excesit, omnes humanitatis limites est præteruecta, ideoque quasi obuolutam dimittens historiam, eam alijs malo cogitandam relinquere, quam rudi carbone meo, eius deformitatem describẽdam suscipere, cuius nec leuissimam particulam vlla oratione possum consequi.

Vnum hoc tantummodo admonebo, si quis à primo regni anno, quo Regina illa, & Consilium Anglicanum, Regnum illud Gallos in obedientia Reginæ, & mariti Galliarum regis fide continentes expulerunt, Regni Scotici historiam perlustret, etsi plurima fuerint inter Reginas illas fœdera, nuntij, legationes, munera, literæ, multa arctissimę amicitiæ signa, & symbola, semper tamen arctior, & verior intercesit amicitia cum rebellibus, contra Reginam. Simulatè, mendaciter, Euangelicè, iuxta Euangelium Caluinianum iurarunt Reginę, & filio, at verè, solidè, & efficaciter concitarunt, & foouerunt Iacobum Bastardum, & Catilinã Mortonum, illis dederunt verba, his affuerunt rebus, & operibus: his ad illos circumueniendos fraudibus, debilitandos factionibus, opprimendos viribus, ad prodendos, & deijciendos è regia dignitate præbuerunt, quicquid intimi, & potentes amici charissimis amicis, & fratribus potuerunt impendere.

Neque hoc ipsorum actores, & fratres dissimulant. Quum enim infamis ille proditor, ille Catilina, alter Colignius, Scotorũ flagitiosissimus Mortonus, cuius propter infinita scelera, & crudelissimam Regis vltimi cædem, caput in publico foro Edinburgi ante aliquot annos amputatum est, is postquam Reginam è solio deturbãsset, oppugnasset bello, inuasisset authoritatem regiam, veroq; Regis filij, & Reginę matris subditos plurimos interfecisset, Regina autem Scotorum charissimæ consanguineæ suę, Reginæ Anglorũ peramicis literis, & promissis victa, in Angliam secesserat, atq; illic contra ius gentium, & omnem æquitatis, & humanitatis speciem, in carcerem esset inclusa, insecutus paulo post Mortonus Anglicanæ Reginæ hortatu, vbi Londinum venisset, ea simulans se velle summa æquabilitate causam Reginæ Scotiæ, & rebellium eius audire, per Consiliarios suos

Morto-

Mortonum, & qui cum eo venerant, primum admonuit, vt si fieri posset, res nuper in Scotia contra Regem, & Reginam gestas, tam euidentibus argumentis confirmarent, vt eas fuisse iustas, & ipsa Angliæ Regina persuasum habeat, & alijs Principibus, rationem reposcentibus, honestè respondere posset.

Hoc verò (Deus bone) quemadmodũ fieri, aut cogitari poterat? Vt enim subditi sola ambitione moti, contra legitimũ Regem insurgant, vt eum circumuentum nefariè, sine iudicio, nocturnis insidijs interficiant: vt contra legitimam Principem rebellionem concitẽt: vt eam inauditam, & tamen ipsorum procerum suorum iudicio stare paratam apprehendant, & carceribus mancipent, & fidelissimos, primarioique Regni subditos, barbara immanitate trucident, & suspendant, vt hæc omnia patrent, quo apostatam, bastardum, spurium, nec Regis quidem, vt vulgò prædicabatur, sed alterius nescio cuius terræ, immò inferni filium, in regia sede collocarent: vt pauculi prædones, & sacrilegi sæpius proditionis infamia notati, sæpius damnati perfidię, sępius à furca nimis magna Reginę indulgẽtia redempti, Reginæ suæ ijdem sint accusatores, ijdem testes, & iudices: immò vt antè iudicium datum, sententiam, qualis ipsis videbatur, contra Principem innocentissimam exequantur, & humana diuinaque omnia iura peruertant, & Regicidij ab ipsis commissi pœnas à Regina exigant: hoc quẽadmodum probare Mortonus, & socij poterant, aut Reginæ Anglicanæ iustè facta persuadere?

Quãquam si vel leuem vmbram tolerabilis persuasionis moliri potuissent, non dubium est quin ea suffecissent. Sed quoniam tam crassis, & belluinis furoribus, nullus probabilis fucus potuit obduci, ideoque à proditoribus illis postulare, vt ea iustè facta persuadeant, perinde erat ac si eos iuberet cælum digito attingere, aut camelum per foramen acus adigere: eam ob causam Regina Anglię, hanc nimis arduam, difficilemque prouinciam, admodũ gratiosè considerans, per eosdem suos cõsiliarios significauit, id si minus præstare possemus, (inquit ex actoribus, & perduellibus vnus) nec vllas immanium facinorum causas probabiles afferre, tamen Reginam nihil prorsus omissuram, quod ad incolumitatem nostram, & defensionẽ facere queat. In quo Regina illa re, & opere ita dicit, quòd etsi sacrilegia illa, etsi rebelliones, & periuria, & homicidia, & alia facinora, quibus nec cogitari possunt magis infanda, & horribilia, essent toti mundo apertissima, quæ nec ab ipsis illis carnificibus possent excusari: etsi ea cum Rege, & Regina Scotiæ plurima habebat, & fœderum, & iuramentorum, & cognationis, sanguinisque vincula, tamen quia ab ijs omnibus eam generali quadã dispensatione liberabat lex Euãgelij Caluiniani, idcirco velle se rebellibus, & sacrilegis, & periuris, & homicidis, & Regicidis illis adhærescere, nec quidquã prorsus omittere, quod ad incolumitatẽ illorum pertineret, nec item quicquam prætermittere, quod faceret ad Reginæ matris, & Regis filij euersionem, quorum vtrunque, & matris luctuosissima cæde, & plurimis contra filium excitatis rebellionibus, manifestè deinceps, vsq; ad hodiernum diem patuit. Sed abrumpamus ista necesse est, nisi in infinitum velimus perpetuare orationem. Est enim Anglorum Caluinistarum perfidia, immensa quædam abyssus, Atlantico Oceano profundior. Nec tam molestum est noua continenter exempla perfidiæ, & periurij illic inuenire, quam arduum, & vt opinor ne possibile quidem, vnicum proferre exemplum eorum fidei, & veritatis. Neque sanè arbitror, vllum existere exemplum fœderis, ab illis cum vllo Catholico Rege Lusitano, Hispano, Imperatore, Gallo, Scoto seruati, si tamen vel aliqua proprij commodi, vel leuis Euangelismi sui fœdissimo periurio iuuandi spes emineret. At periuriorum, & violatorum fœderum erga omnes Christianos Reges, & in nauibus Lusitanorum piraticè captis spoliatisque, & Mauris Turcisq; contra Regem illum solicitatis, & in multitudine rebelliũ Flandrorum, & Francorum, in Aurangio, Ludouico, Colignio, Mongomerio, Castilionæo, in ciuitatibus Franciæ, Flandriæque occupatis, & contra Reges illos defensis, in Trucheſio contra Imperatorem, & pa-

cem

cem Imperij, Anglicanis præſidijs adiuto, & in Scotia iam 30. annos totos ciuilibus tumultibus, & coniurationibus concuſſa, atque vaſtata innumerabilia exempla ſuppetunt. Hactenus Roſſeus.

Prodijt, anno ſuperiore, in lucē Reſpōſio Andreæ Philopatri Præsbyteri, ad edictum Elizabethæ, contra Catholicos, Londini promulgatum 29. Nouembris, anno 1591. In eo recenſet inſignia quædam crudelitatis, & immanitatis exempla, in laicos homines, ob religionem edita. Sic enim in quarta Edicti ſectione loquitur. De mortis vero ſupplicio, laicis plurimis, religionis cauſa illato, tot ſunt contra Reginam, & Cęcilium teſtimonia, quot extant in oculis omnium, præclariſſima quoque huius ordinis martyria; quorum cauſas veriſſimas, fuiſſe religionis ardorē conſtantiamq;, ex ipſis quoque actis publicis, contra iſtam Cæcilij, & Heliſabethæ puerilem diſſimulationem confirmari poteſt. Quid enim (vt ex mea paucorum annorum experientia, memoriaq; nonnulla repetam) quid inquam, cauſæ fuit, cur annis ab hūc plus minus quatuordecim, iuuenem præclarum Thomā Sherodum, poſt ſex menſium carceres, catenas, famem, nuditatē, & frequentia equuleorū in caſtro Londinenſi tormenta, in ligno tandem ſuſpendiſtis? Quid criminis, inquam, quid delicti acta veſtra publica iuueni huic imponunt? nihil planè, niſi quod per Iudices veſtros preſſius interrogatus, Romani Pontificis in rebus Eccleſiaſticis primatum confeſſus eſt: nam iſte neque Anglia vnquam egreſſus fuerat, neque in ſeminarijs tranſmarinis educatus, neque Romæ viſus, neque authoritate Pontificia ordinatus, vel in Angliā miſſus, aut domi cum Seminariſtis, aut Ieſuitis verſatus, aut quicquam aliud earum rerum fecit, aut facere potuit, quas vos hodie ad ſeditionem pertinere clamatis, quarumque cauſa tantummodo vos occidere Catholicos affirmatis. Eiuſdem planè generis eſt, quod eodem ferè tempore, eodemque in Caſtro Londinenſi, alteri iuueni laico, cui nomen Coperus, martyrium cōtigit, nullo alio obiecto ei crimine, quam quòd ex itinere retractus fuiſſet, quo in Galliam ad Seminarium Rhemenſe proficiſci ſtatuerat. Prætereo Marci Tipeti, propè pueri pænā, ob idem delictum toleratam, cui ferro nimirum candente auriculę perforatæ fuerunt, & vtræq; Roulando Linkſio bibliopolæ abſciſæ, eò quod verbum vnum, vel alterum in religionis Catholicæ defenſionē protuliſſet. Valengerus quoque laicus nobilis, ſimili de cauſa vtramque paulo poſt auriculam, in pœnā religionis Catholicæ defenſæ amiſit.

Interiecto deinde vno, vel altero anno, prę clariſſimi, doctiq; adoleſcentes Ioannes Bodeus, & Ioannes Sladus extremo ſupplicio affecti fuerunt, alter Vintonniæ, alter Andouerij: & qua de cauſa? extat adhuc veſtrorum Iudicū ſententia, ſcripto mandata, qua mortis condemnantur, eò quod Pontificiam Reginæ Poteſtatem, in rebus Eccleſiaſticis non concederent. An non hoc quoque ad religionem pertinet?

Anno deinde ſequente Gulielmus Carterus Londini, & Rinaldus Vitus in Vualia, poſt carceres & cruciatus, in crucem per vos acti ſunt, alter quod librum quē dam Catholicum imprimendum curaſſet, alter quod peccata ſua Sacerdoti aperuiſſet. Num hoc etiam religionis negotiū vobis videtur?

Quæro præterea de Thoma Vueblero, quem ideo condemnaſtis, quod librū Catholicum apud ſe haberet. De marmadu co Bou, cui crimen fuit cuiuſdam Sacerdotis conſortium frequentaſſe. Quæro de Margarita Mideltonia fęmina lectiſſima, quam vos Eboraci, ob hoſpicium Sacerdoti Catholico præſtitum, medio foro, horrendo planè, & inuſitato ſupplicij genere (ponderum nimirum præſſuris) interemiſtis.

Quæro deinde de multis ſimul laicis, quod vno, eodemq; die, in idem patibulū impijſſimè coniectis, de Moro nimirum, de Feltono, de Suttono, de Martino, de Fluddo, de Shelcio, de Vuebleio, de Simonio, de Margarita etiam Vuarda ſanctiſſima Dei Martyre, (nā vna omnes hi paſſi ſunt. Londini, vix quarto adhuc elapſo anno) de his omnibus, inquam, multiſq; alijs, quos breuitatis cauſa prætermitto: quærendum mihi abs Cecilio uidetur, laicine fuerint, & an alia de cauſa,

quam

quam de qua dixi, necati: & cùm negare non possit, quod acta publica confirmant, fateatur necesse est, liquidissimum esse mendacium, quod ante toties iam repetijt, neminem laici ordinis quidquam detrimenti, ob religionem Catholicam in Anglia sustinuisse.

De Sacerdotibus vero, etiamsi rei euidentia victus, concedat quidem Cecilius, non paucos extremo supplicio affectos esse, in eo tamen non minus perfrictæ frontis, quam in cæteris esse voluit, quod neget religionis causa hoc eis fieri. Audistis enim iam hominis facundiam, & frontem in pernegando. Accusantur, inquit, hi, non religionis, non conscientiæ, non Pontificiæ Monarchiæ. Et iterum, Istos fecerunt reos, non volumina, non libelli, non precum formulæ, non Ecclesię Romanæ cœremoniæ: cēseantur quocunque libuerit nomine, vel Scholastici, vel Seminarij, vel Sacerdotes, vel Iesuitæ &c. Et tamen iam vidimus ex laicis multos, ob religionis, & conscientiæ negotium, bonorum amissione promiscuè castigatos: alios ob Monarchiam Pontificiam interfectos, nonnullos ob libros Catholicos ab ipsis lectos, morti condemnatos, omnes denique, qui in Seminarijs transmarinis educantur, siue illi Scholastici, siue Sacerdotes, siue Iesuitæ sint, edictis varijs Reginæ, & statutis item Comitialibus, vidimus iam hostes patriæ declaratos, & læsæ Maiestatis reos factos, præsertim edicto Reginæ, edito ad diem 15. Iulij, anni 1580. alijs item duobus edictis promulgatis, die 10. Ianuarij, & 1. Aprilis anni 1581. lege præterea parlamentari 1. Martij publicata, anni 1583. hæcquè cum ita sint, quomodo tamen affirmat Cecilius, nihil hoc eis nocere, siue Scholastici, siue Seminarij, siue Sacerdotes, siue Iesuitæ sint.

Deinde scriptum reperio apud Stoum, in annalibus Angliæ, ipsius Reginæ Priuilegio approbatis, hæc verba. Anno Reginæ 20. Nouembris verò 30. Cuthertus Maynus, Sacerdos, & Theologiæ licentiatus, ad patibulum pertractus, suspensus, & in quatuor partes dissectus fuit, in oppido Launcestonij, Comitatus Cornubiensis, eò quod potestatem Ecclesiasticā Romanam, anteferret Regię. Et in eadē pagina iterum. Tertio, inquit, Februarij, primo statim diluculo, Ioannes Nelsonus sacerdos, ob negatum Reginæ primatum Ecclesiasticum, & alia istiusmodi proditoria, contra suam Maiestatem verba, e carcere Neugat, ad locum supplicij tractus est, suspensus, exenteratus, & in partes dissectus. Et septimo die eiusdē Mensis, Sherodus quidam, ob eiusmodi planè læsæ Maiestatis crimen, è Castro Londinensi, ad patibulum pertractus eodē mortis genere vitam finijt. Hæc ita scripta, & impressa, & per vniuersam Angliam euulgata cum sint, iudicent modò omnes, quodnam os Cecilio esse debeat, qui tam asseueranter scribat neminem, ob pontificiam Monarchiam, in Anglia accusari, vt antea docuimus. Item illud. Perspicuè, inquit, intelligi potest, si excutiantur crimina, & iudicia eorum, qui nuper mortui sunt, & iure cęsi, non eos ob religionem, aut Pontificiam Monarchiam reos factos esse, cum iam inde ab ipso Maiestatis suæ aditu in Regnum, his de causis nemo sit mortuus. Quis vnquam tā proiectè est mentitus?

Sed vt hominis impudentiam, in re aliqua particulari, liquidius adhuc intueamur, audiamus, quid scribat de Nicolao Heto, quem Maria Regina moriens, Archiepiscopum Eboracensem, & summum totius Regni Cancellarium reliquit. De quo iste, vt Helizabethę in eum lenitatis exemplum statuat, sic scribit, versutissimè hominem dilaudans, his verbis. Hic inquit, illustre modestiæ, prudentiæque exemplum, vnaque excellenter eruditus, demortua Regina Maria, antiquos Magistratus, gratiam, opes, & quicquid habuit præterea fortuiti boni, cum summo Principis fauore retinuit, licet prorsus ab illa in religione dissentiens. Nec ob id tamen vel honore, vel fortunis comminutus est: qui tamen perexiguo post tempore, magistratus suos omnes, obseruanter, & gratè deposuit, nulla iniecta foris vi, quo nil est clarius, sed sua sponte, maximèque liberè, vt cunctis innotescit. Hęc liber iustitiæ Britannicę de Nicolao Hetho, vt astruat Reginæ clementiam, in tractandis Catholicis.

Sed

Sed quid contra hęc Annales Anglici, ab Hæreticis ipſis editi? Primo anno Reginæ (inquiunt Holinſedus, & Stous) menſe Iulio, Nicolaus Hethus Archiepiſcopus Eboracenſis, Epiſcopi item Elienſis, & Londinenſis, & alij tredecim vel quatuordecim, ſimul iuſſi comparere coram Reginæ Conſiliarijs, eò quòd recuſarent accipere iusiurandum, de Maieſtatis ſuæ primatu Eccleſiaſtico, & de alijs religionis articulis, Epiſcopatibus ſuis priuati fuerunt, quod multis etiam Decanis, Archidiaconis, Rectoribus, Vicarijs, alijſque Eccleſiaſticis, factum eſt, qui beneficijs ſuis exuti, diuerſis carceribus traditi fuerunt. Hæc illi. At quid hic magis contrarium, quàm quod Cecilius ſuprà dixit: Nicolaum Hethum ob religionem neque honore, neque fortunis fuiſſe comminutum, obſeruanter, & gratè magiſtratus ſuos depoſuiſſe, ſua ſponte, maximèque liberè, nulla iniecta foris vi, hocque eſſe clariſſimum, omnibuſque notum?

Sectione vero 4. narrat quid præteritis menſibus ſanctiſſimo cuidã ſeni fecerint, cui nomen erat Nicolaus Hornerus, quẽ cùm multo tempore carceribus detinuiſſent, non ob aliud, quàm quòd ſubuculam quandam, aut thoracem ſacerdoti feciſſe diceretur (veſtiarię .n. artis erat) neque tamen ſatis probationis adeſſet, vt propterea morti, ſine iniuſtitiæ nota, adiudicari poſſet. Cumque tandem frigore, alijſque carcerum incommodis, tibiarum alteram ſectione ferri amiſiſſet, iſti, nihilò mãſuetiores hominis calamitate facti, poſtulatis illis ſanguinarijs eum aggreſſi ſunt, quid ſcilicet faceret, quamq; partẽ ſequeretur, ſi externorum Principum exercitus adueniret, ad religionem Catholicam ſuo loco reponendam. Cui cũ ille reſponderet, ſe iam ſenem eſſe, & infirmum, nec vllo modo armis idoneum, ſtatim Loplæus, qui iſtiuſmodi examinibus, vt plurimum præeſt, ad alia illa ſtatim tranſuolat, quid cuperet? quid peteret? quid oraret eiuſmodi tempore? Cumque eò vſque interrogationibus vrgerentur, vt hominis tantum Catholici affectum ſaltem, & deſiderium exprimerent, pro religionis reſtitutione, illi tanquam grandi detecto Maieſtatis læſæ crimine exultant planè, & triumphant, & pauciſſimis deinde diebus, ſeruum Dei ad patibulum ſuſpendunt.

Et ſectione 5. Quæro, inquit, quid ſceleris, aut flagitij commiſerant ſeptem illi Dei ſerui, quos vna mactaſtis Londini menſe Decembri proximo exeunte, ideſt paulò poſt, edicti iſtius promulgationem. Edmundus nimirum Geningus, Euſtachius Vitus, & Polydorus Plaſdenus Sacerdotes, Suithenus etiam Vuellus, & Bryantus Laceyus viri nobiles, & generoſi, cum duobus Faraulis? An quid quam aliud contra eos probaſtis, quam quod erant Catholici, & quod ſimul Miſſæ ſacrificio interfuerant? Quid reliquis Sacerdotibus poſterius à vobis crudeliſſimè peremptis, Patteſono, Vicilliamo, alijſque multis, quorum nomina nondum certò, & exploratò ad nos peruenerunt, ſed ſcripta ſunt in libro vitæ? An hi vllo alio crimine tenebantur, quàm quod Sacerdotes eſſent? Aut vllum aliud conſpirationis genus inierunt cum Pontifice Romano, aut Rege Hiſpaniarum Catholico, præterquam fidei, & religionis, quibus vos inimici, & hoſtes eſtis? Certè de poſteriori, hoc eſt de Vicilliamo, qui aliquando ex veſtris fuerat, narrauit mihi, qui præſens hominem morientem vidit, (neque enim tres adhuc menſes integri à martyrio fluxerunt) cum morti adiudicatus, crate viminea, pro more perduellium, ad locum ſupplicij terra raptaretur, nonnullos miniſtros veſtros equis inſidentes viro Dei inſultaſſe, & inter alios ineptiſſimum quendam, & ridiculum concionatorem, vninerſis Anglis infamia notiſſimum, cui nomen Dauid Dee, multas Martyri moleſtias intuliſſe, & magnis vocibus populo ingeminaſſe, cauendũ eſſe omnino, ne quis exiſtimet hunc hominem religionis cauſa mortem adire, cum ſupremæ Maieſtatis læſæ cauſa ſuppliciũ perferat; cui cũ alter nihil reſponderet: ſed in altiſſima mortis, & rerum æternarum contemplatione defixus taceret, peruenit tandẽ ad Martyrij locũ, vbi alter cõcionatorũ veſtrorũ ſpectata hominis modeſtia, conſtantia, & ſumma patientia,

alia longè ratione aggrediendum cẽsuit, blandissimis nimirum verbis, laudibus, precibusque, summa contentione ab eo petijt, vt saluus esse, & viuere vellet, quod ipse certissimè ea ratione, ei promittebat, si fateretur tantum Reginam Anglicanæ saltem Ecclesiæ caput esse: quòd cum alter quasi risu excæpisset, respondit se bonã iam itineris sui partem confeciſſe cælũ versus, quòd ad eum locum veniſſet, vbi mors obeunda esset: sperare se ad reliquã partem conficiendam, vires sibi à benignissimo Domino non defuturas; hisque dictis, & excluso Ministro hæretico, ad mortem se parauit, & libentissimè obtulit.

Hactenus de Phalarismis Euangelicorum in Anglia.

EVANGELICORVM Phalarismi in Scotia.

IN Regno quoque Scotiæ miras, more suo, turbas excitarunt Euangelici, dum Caluini verbum pro Dei verbo suscipiunt, Templa spoliant, aras euertunt, Christi crucifixi, sanctorumque imagines demoliuntur, Sanctiss. Eucaristiam ludibrio habent, manibus comminuunt, pedibus proterunt: ad furcam affixam sclopetis, & glandibus petunt, Episcopos eijciunt, religiosos viros mari mergunt, arboribus suspensos pistolesis traijciunt, plerosque in cacabos ebullientis aquæ mergunt, manus aliorum, aliorum tantum pedes crure tenus imponunt, vt auulsa cute, liquefactisque carnibus diutius crucient, mortemque protelent. Inter alios Sacerdotem pium, ętate maturum, quod in verba Caluini iurare detrectaret, nec desinere vellet, quo minus populum in auita fide confirmaret, frustratim mucronibus concisum audiuimus, eiusq; carnes, illo ipso inspectante, hamis imponebant ad pisces capiendos, donec paulatim consumaretur, totusq; fieret esca piscibus, & Christo martyr. Primum motuum, & seditionum authorem faciunt Paulum Methempistorem Caluinolatram, & Ioannẽ Knoxum e presbytero Apostatam, & Necromanticum; quibus postea Bucchananus Minorita, ad omne scelestum facinus successor, frigidam suffundere nõ cessauit. Sed istiusmodi omnia, melius ex Historia Scotica, Leslei Episcopi Rossensis cognoscentur.

EX HISTORIA Scotica Leslei Episcopi Rossensis.

ANNO 1559. coacta erat Synodus Edemburgi, in qua cupiebant religionis vulneribus medicinã adhibere. Ecce verò Barones quidam, supplicem libellum, plenum hæreticorũ cõmentis (quæ primos reformationis articulos vocabant) Reginæ offerunt, petentes, vt vernacula lingua preces publice dicantur, ac Sacramenta administrentur: vt Episcopi deinceps, ac Pastores: illi nobilium, ac Dominorum cuiuscunq; Diœcesis, hi Parochorum assensione, ac voluntate ad beneficia cooptentur.

Vt qui Pastoratus Prouinciæ, per se sustinendæ, impares omnino fuerint, beneficijs mouerentur, ac alij qui, & possent, & uellent plebeculam, concionibus quotidianis informare, sufficerentur.

Vt omnes in posterum, quorum aut mores parum probi, aut doctrina perexigua esset, Sacramentorum administratione, reliquisque Ecclesiæ functionibus excludantur.

Cæterum re multis disputationibus, in vtramque partem agitata, statutum est, præter morum reformationem, nihil esse innouandum. Regina itaque, ut tumultuum authores pœnæ timore constringeret, per præcones publicè, sub pœna perduellionis pronunciari iubet, vt Ioannes Knoxus Villoxius, Ioan. Puoglasius, ac Paulus

Paulus Messenus, pro Tribunali Striuelnigi sese fistētes, crimina illis obiecta, si quo modo possent, diluerent. Illi sententiæ seueritatem veriti, Perthum se clāculum, quorūdam sociorum opera, subduxerunt, ac post inita cum Lindsaio iuniore (Magistro dicto) Iullibarno, Dunno, Pettaro, Baronibus consilia, omnium assensione Dunnus ad Reginam allegatus fuit, qui ab illa pœnam absentibus, publico decreto irrogandam deptecaretur. Verum Knoxus, cum primus ex Dunno reuerso perspexisset, Reginam precibus, de sententiæ seueritate, nil omnino remissuram, ira seu vehementiori mentis æstu, tanquam furore transuersim abreptus, suggestu publico ascenso, orationis suauitate, & argumentorum tendiculis persuadet, sanctius à populo non posse Deo Sacrificium libari, quam si, coniunctis viribus, altaria deturbarent, imagines perfringerent, monasteria exturbatis monachis, demolirentur, nouamque religionis formam, obliterata antiqua, superinducerent.

Plerique plebei, nobilium exemplo, aliquantum antea nutantes, sed huius iam orationis conuitio, vehementia, & actu incensi, altaribus publicarum Ecclesiarum prius dirutis, imaginibus Sanctorum comminutis, alijsque ornamentis direptis, ad Monasterium, quod Carthusiani Perthi habebant, longe pulcherrimum, confestim peruolant, funestos ignes Altaribus, vastitatem ædibus, ac bonis direptionem inferunt, Sacra omnia profanant: eo denique audaciæ, ac furoris prorumpunt, vt nisi Monasterio, à fundamentis conuulso, ac adeò arboribus ipsis excisis (ne quod tam magnificarum ædium, splendidique loci vestigium posteritati appareat) suæ audaciæ, furorique cumulate satisfactum non putent: neque prius ab ea effrenata barbarie, quā in Carmelitas, Dominicanos, Franciscanos, sæuitum fuerat, desistitur.

Argadius Comes, ac Iacobus Sancti Andreæ Prior, quod consilijs, quæ contra illorum socios inita fuerant, nullo modo se implicare voluerint, Sanctandreapolim (quo factiosi occulte confugerant) expeditissimis equis se subducūt, ac in Sacras ædes, Monasteria, Ecclesiasticos, furentur, grassantur, eorum plane imitati nequitiam, qui illis ad tantum scelus glaciē Perthi paulo antea secarāt. Hinc confluentibus ad eos, tanquam ad sentinam, leuissimis quibusq; ex plebe homuncionibus, Ad Londonisium, ac Balmuræum Monasteria proficiscuntur, inde ad Cuperum oppidum, aliaque illius religionis municipia, vt quæq; iter facientibus opportuna maxime videbantur, diuertentes, violatis Sacerdotibus, Ecclesiæ bonis direptis: imaginibus conculcatis, ac ipsis Ecclesijs deturbatis, nonnullis demolitis, suæ audaciæ, ac furoris vestigia, vndique reliquerunt.

Regina, cum ex Hunthleo, alijsque percepisset, illos ad Edimburgum oculos adiecisse, nec eos quicquam de furore, & audacia prius remissuros, quam Edimburgo capta, omnia in eorum dominatione, ac nutu verterentur. Ciues, ac Magistratus Edimburgenses ad se vocat, hortatur pro charitate in Patriam, ac pro fide in Reginam orat obnixe, ne fraude, & dolo irretiti, hæreticorum furori cedant: ac quo facilius eos irruentes reprimerent, se illis Gallicas cohortes subsidio daturam. Illi ingenuè fatentur, & Argadij, aliorumque factiosorum impetus, si impressionem fecerint, non posse vllo modo sustinere, nedum conuellere: præsertim cum populi prædæ iam spe illecti, ac libertatis, nouitatisque præclara specie illaqueati, ardor vix vllis viribus, aut imperio videatur posse restingui, quominus violata fide factiosorum partibus adhæresçant.

Regina hoc accepto responso. Dumbarum cogitat: verum illa vix quatuor milliaria confecerat, cum Argadius, S. Andreæ Prior, eorumque socij, applaudentibus Ciuibus, in Edimburgum recipiuntur. Quid multa? Indulserunt suæ libidini, idq; tanta diritate, vt qui se reformatores dici gloriabantur, quo spiritu fuerint concitati, facile intelligeres. Nam Monasteria solo æquant, templa exscindunt, Altaria deturbant, ornamenta sacra, aliasque religiosorum fortunas, militibus prædam largiuntur: denique Trinitatis Sanctæ Collegium, ac

præbendariorũ ædificia vltimo deijciunt: ne qua possit bonis, pijsque viris spes melioris rerum successus, aliquando affulgere: neque diuinam Maiestatem violasse satis putant, nisi Regiam auctoritatem apertissima iniuria, quæ nullo aut religionis, aut æquitatis fuco tegi poterat, affecerint. In Reginæ ergo Palatium turmatim irruentes, omnia rapiunt, suppellectilem, ornamenta, aliaque id genus suæ potestati subijciunt. Tandem (cum nihil aliud intactum reliquissent) in Robertum Richardsonũ, qui publico Thesauro prærat, manus inijciunt, quem extortis prius ærarij clauibus, vi minisque cogunt, Regni thesaurum aperire, ac signata pecunia non contenti, ingentem auri, argentique vim, partim informem, partim cælatam, ac ipsa signandæ pecuniæ instrumenta, ad pecuniam prœmendam expilant. Cum omnia ad illorum iam voluntatem fluere viderentur, Reginæ gubernatricis abrogata auctoritate, totam Regni administrationem in quorundam, (quos tanquã consiliarios eligebant) potestatem futuram, publicè pro suggestu, ac pro foro edicunt. Atque hæc dum faciunt, Regis, Reginæque auctoritatem nihil omnino se comminuere apertissimè mentiuntur: nam, vt populo minus ingrati appareant, vbique gloriantur se, quidquid sudant, rapiunt, diripiunt, eo in primis referre, vt extirpata Papistica superstitione (hoc enim conuitio placet egregijs reformatoribus Catholicam religionem deformare) synceram quandam religionis formam, inducant: ac Gallos quos Reipub. oppressores asseuerabant ex Scotiæ finibus exturbent. Cum Sectarij iam omnia ferè sacra loca, vndique prostrauissent, Barones quidam Mernenses, partim religionis Catholicæ odio, partim spe prædæ obcæcati, Dominicanorum tandem ac Carmelitarum Cœnobia, longe pulcherrima Aberdoniæ, non solum ornamentis, & facultatibus spoliarunt: verumetiam Aberdonensibus quibusdam opem ferentibus plane exciderunt, eadem feritate: cum Minoritarum, ac Trinitatis Monasteria essent demolituri, illorum furor, & amentia à D. Lesleo de Balquanc Barone Hunlei Comitis iussu retardatur, & prorsus reprimitur. Nec tamen poterant coerceri quominus templum, quod in veteri Aberdonia (sic enim illã quæ Episcopi, Canonicorum, ac Academiæ sedibus decoratur vocamus) multo magnificentissimum erat, tentarent: verum ne vllo modo violarent Episcopus Huntlæo Comiti arctissima necessitudine deuinctus, ac Ioannes Lesleus eiusdem loci officialis obstiterunt: idque tam ardẽti Religionis propugnandæ studio, vt ille consilijs, hic concionibus publicè habitis, vterque auctoritate, ac ope Huntlæi, & Leslæorum religionis Catholicæ vsum, postquam è Scotiæ penè finibus vniuersis exterminatus fuit, in illo loco integrum ac penè inuiolatum diu post cõseruarint.

Tanta autem rabie, furoreque penè incredibili, amplissima quæque Scotiæ Monasteria direpta testatur Alanus, vt ipsas etiam arbores, in Monasteriorum pomarijs radicitus omnino truncatas, & abscctas videre liceret. Et paulo inferius.

Cum omnia inquit, bellorum incendijs in Scotia flagrarent: Sectarij, qui religionem suis sceleribus prætexebant, Episcopos Dunxeldensem, Dumbladen. Rossensem, è palatijs, ædibus, & omnibus planè fortunis eijciebant; Monasteria, Dumfermlnigense, Melrossense. Kelsoum, aliaque complura directa miseris modis vastabant, omnia deniq; Ecclesiasticorum bona, longè lateque exturbatis Dominis occupabant, ac ad suam quisque vtilitatem impiè conuertebant, ac ne quid redituum Ecclesiasticorum, alio, quam ad suum ipsorum vsum conuerteretur, quibusdam è nobilitate viris (factores vocabant) eam prouinciam imposuerunt, vt Ecclesiæ bona vndique colligerent, ac omnium rationes tanquam publici quæstores, fideliter subducerent.

Ex li-

Ex libello proditionis Scoticæ.

INTELLECTVM est à multis, quod anno superiore Comites de Mora, & de Arguilles, cum nonnullis Scotiæ Nobilibus, & Optimatibus, à Sereniss. sua Regina, specie religionis, denuo defecerunt, cumque res eo tandem recidisset, vt vtrinq; arma sumpta essent, perduelles, vel indignissimi sceleris conscientia debilitati, vel suis, & suorum viribus, atque animis diffidentes, in Angliam profugerunt. Postea, illi gratia, & deprecatione Reginæ Anglicanæ vsi, de reditu in Scotiam cogitarunt, & hoc sæpius impetrare sunt adnixi, vt postquam de sua culpa, & maleficio confessi essent, Patriæ, fortunis, honoribus, in integrum deniq; restituerentur. Sed Sereniss. Scotię Regina, toties ab illis delusa, eorum verbis, & pollicitis fidem amplius habere noluit, statuitq; (pro vt meriti videbantur) de triũ Regni ordinum consensu, ac Consilio, pœnas recidiuę perduellionis reposcere. Hoc cum illi animaduertissent, Regis animũ tentare, ac permouere cœperunt, & (vt homines facile ambitionis impotenti cupiditate obcæcantur) cum eo pacificationis aliquot cõditiones, & tãquã σωαλλάγμα quoddam, clam Regina iniecerunt.

Erant autẽ mutui fœderis leges huiusmodi, quod Rex præteritæ rebellionis culpam illis condonaret, bonis & muneribus eosdem redderet: antiquam, & Catholicam Religionem ipse omnino abijceret, eaq; toto Regno extincta, Caluinismum inuehendum curaret: viciſſimq; illi se esse facturos, ac præstituros pollicerentur, vt Rex (si Reginam sine liberis decedere contingeret) iam inde non Regni hæres, & successor modo diceretur, sed etiam ad eius familiam, ius successionis, repulso Reginæ genere deuolueretur. His pactionibus ita vtrinque constitutis. Cum interim Regina istarum rerum nescia, trium ordinum Conuentus, ad initium Martij superioris, coegisset, Rex summam beneuolentiam, & voluntatem vxori suæ ostendebat, omnemque in religione antiqua, quoad fieri posset, restauranda, perduellibusque puniendis operam, & constantiam spondebat. Primum in Comitijs, negotium Religionis tractatum est, & communi voce, ac consensione, omnium ordinum, exercitium antiquæ pietatis, passim Episcopis, & Ecclesiæ Pastoribus concessum. Deinde perduellium causa publicè agenda, & disceptanda sequebatur. Sed pridie quam id fieri debebat, id est 10. die Martij, hoc tragico, atrocique facinore, tota tractatio interrupta est. Aedimburgi Rex, & Regina Scotiæ vna cænabant, multis ex nobilitate, & ex aulico Comitatu primarijs viris, (vt in Regijs Principum, honoris gratia, fieri solet) circumstantibus, sub horam septimam, Domini de Luneñ. & de Lindsan, & Comes de Morton: qui paulo ante à Regina bonis, & famæ fuerat restitutus, ac præterea à Cancellariatus munere cohonestatus, alijque complures armati in Cænaculum irruperunt. Primo impetu in oculis Regis, & Reginæ quendam secretarium, nomine Dauidem, hominem prope quinquagenarium, sexaginta vulneribus confoderunt. Eum vel ideo inuisum, præter cæteros habebant: quod in religione antiqua, & Reginæ seruitio, ac obseruantia constantissimè, toto defectionum tempore, permansisset, summaque prudentia, & vsu rerum Scoticarum, quo valebat plurimum, perditis factionibus obstitisset.

Hac cæde perpetrata, omnibus qui aderant territis, Reginæ dira, & atrociora quæque minitantur, quodque longè indignius fuit, conuiciando, pulsando grauidam, metuque penè consternatam, in cubiculum tanquam in carcerem detrudunt, & octoginta milites, cubiculi foribus apponunt, qui famulos, & famulas aditu ad Reginam prohiberent.

Trium noctium, & duorum dierum spatio, Regina ita arctè concluſa, & asseruata, cum interim Comites de Mora, & de Arguilles, alijq; transfugæ ex Anglia

in vrbem appuliſſent perduelles de toto factionis, & machinationis ſuæ negotio, cum Rege ſeriò colloqui, & agere cæperunt: aperteq; denuntiare, Reginam confeſtim de medio eſſe tollendã, & adulterij cauſam comminiſcendam, huicque parricidio velando prætexendam: Catholicos omnes aut ſimiliter interficiendos, aut aliquot interfectis, reliquos Regno profligandos: Miſſam abolendã, & Euãgelicam doctrinã (ſic enim lubet illis appellare Caluiniſmũ) diligentiſſimè, ſeueriſſimèq; confirmandã. Quæ cum perfecta eſſent, tũ demum ſe illũ pro Rege admiſſuros, & omnem illi poteſtatẽ, ac auctoritatem conceſſuros recipiebant. Eãq; ſpem, vt firmius illi inijcerent, quædã edicta, ſub eius ſolo nomine ſanciri, & palã per vrbis compita promulgari voluerunt. Enimuerò Rex ſiue proditionis crudelitate obſtupefactus, ſiue quod eo audaciæ perduelles nunquã fuiſſe progreſſuros exiſtimarat, uel etiam quod idem periculum ſibi ab iſtis impendere proſpiceret, longe ſatius videri reſpondit, antequã quid aduerſus Reginam tentaretur, ut capita religionis probanda, & ſubſcribenda ei proponerentur. Itaq; perduellium nomine eam prouinciã ſuſcepit, vt Reginã accederet, ab eaq; partim minis, partim precibus aſſenſum extorqueret. Rex in cubiculũ vxoris ingreſſus, flens de ſua culpa, ingenuè confiteri, & ideatidẽ veniã ſui peccati, quod grauiſſimũ eſſe non inficiebatur, velut ſupplex implorare cæpit: poſteaq; totã conſpiratione aperire. Ac inter cætera, hoc perduellibus conſtitutum fuiſſe, dixit, vt Tametio Balfour, & Dominis de Flamy, & Leuiſton ceruices amputarentur, multi ex primoribus cæderentur, & ex nobiliſſimis Reginæ puellis, nonnullæ in profluentem proijcerentur. Tum verò Rex etiamſi ab illis, & Regni obtinendi, & beneuolentiæ cum Regina Anglicana conciliandæ, ſummorumque auxiliorum ſpe lactaretur, tamen ſe intelligere affirmauit, quod tandem ſua opinione, eorundem perfidia, non ſolum deijceretur, verumetiam in ſimile capitis ſui periculum, cum Regina vxore veniret. Sed iam ſe cogitare, quemadmodum illas inſidias, quæ ſibi & vxori ſtruuntur effugiat.

Regina vbi coniurationis myſteria cognouit, maritum ſuum hortari, & rogare cæpit, vt ad ſocios rediret, ſeq; eo facile adductam renunciaret, ut eorum poſtulatis omnibus ſubſcriberet: ſed tamen quo hæc decreta maioris in poſterum momenti, & authoritatis eſſent, neue per vim, & minas ab ea, quæ velut in cuſtodia teneretur, expreſſa, & extorta putarentur, ijſdem Reginam aliquãtulum laxãdam, & milites dimittendos ſuaderet. Rex ad perduelles, qui reſponſum cupidius expectabant illico reuerſus, docuit ſe propenſum Reginę animum, & ad omnia quæ peterent, vltro concedenda facilem comperiſſe: ſed tamen ſe conſulere, vt illa paulò laxius, & liberius ad vnam duntaxat noctem haberetur.

Ea de re inter illos diu, multumq; deliberatũ eſt, cũ alij nõ eſſe Reginæ occidẽdæ amittendam occaſionem cenſerent. Alij ſi id fieret populi arma, & motus pertimeſcerent. Alij prius omnino Reginæ conſenſum exprimendũ ſuaderent. Quare tandem Regi permiſſum eſt, vt ipſe remotis militibus, ſuæ vxoris cuſtodiã vni noctis ſpatio in ſe reciperet: idq; propterea eſt ab illis indultũ, qđ Reginã ita deplorata, & afflicta valetudine ẽẽ audiebãt, vt vix eã noctẽ integrã eſſet tranſmiſſura.

Sepoſitis ergo perduelliũ Satellitibus, & ſub mediam noctem aliquot ex Reginę præſidiarijs cuſtodibus intromiſſis, Rex Reginam extra Caſtrum Aedimburgi ſecum vna cũ tribus nobilibus eduxit: cumq; equos aſcendiſſent, reliqua nocte ita eorum curſum concitarunt, vt ſub auroram ad munitiſſimam Dombarij arcem peruaderent.

Hac ratione Sereniſſ. Scotię Regina perduellium cruentas manus, præſentiſſimumque mortis diſcrimen declinauit. Poſtridie cũ id perduelles cognouiſſent, ſuam omnes imprudentiam grauiter crepaſſe feruntur, quod ſe vnius mulieris promiſſis, & verbis deludendos eſſe non preſenſiſſent. Et interea rei bene gerendæ eam occaſionem amiſiſſent, quæ nunquã ſeſe oblatura eſſet. At nihilominus quantos maximos poſſunt, ſuæ factionis hominum greges collegere, vt & Regi, cui

iam

iam se quoq; infestos esse ostendebant, & Reginæ, si quid moliretur, obsisterent, suamq; conspirationem corroborarent.

Sed notandum est. eo ipso die quo Regina in custodiam conjecta est, aliquot clarissimos, & fidelissimos eius Serenit. Cliētes, & in ijs Comites de Boduel, Hontlaij, & Athel per fenestras euasisse, breuique tempore ad Dominam, & Reginam suam liberandam ferè nouem hominum millia confeciſſe, quorum auxilio perduelles ipsos in Angliam ejecerunt, & Reginam Aedimburgū reuocarunt, vbi de aliquot Ciuibus, conspirationis huiusce socijs sūpta supplicia fuere.

Hoc exemplo (si quidem bene, fœliciterq; cum illis agatur, qui alieno periculo, & infortunio cautiores fiunt) hoc inquam exemplo, quod vsque adeò portentosum posteris videbitur, vt vix ea immanitate homines inuentos fuisse (nisi ad temporum nostrorum crudelissima quæq; spectacula respiciunt) sint vnquam credituri Reges, & Principes admoneantur, vt insidias, & machinationes, quæ religionis velo teguntur, tandem aliquando denudēt, meminerintq; quid à vigintiannis Caluisnismus mali, & detrimenti orbi Christiano importauit: fas sanè huiusmodi Scholæ homines esse putant, quidquis in Reges, & Principes suos machinari, de eorum iure, ac authoritate in dies aliquid conuellere, ac dummodo Euangelium (speciosus nimirum, & popularis prætextus) obtendatur, tecta, & occulta sua esse consilia, & maleficia, neq; à quoquam redargui posse sibi persuadent.

Sensim sese primo insinuantes, & quasi irrepentes vnam conscientię libertatē sibi dari postulant. At vbi inualuerunt, viresque crescendo acceperunt, non eandem ipsam vitæ, & religionis libertatem solum, sed & vitam, & dignitatem Regibus, & Principibus suis eripere conantur: vti nuper admodum quidam Caluiniani furoris patronus, publicè edito scripto orbi legendum proposuit; Regum videlicet mortibus, Euāgelio aditū faciendū fuisse.

Cuius quidē sceleratæ cupiditatis immanitatem, non ita multo post ijdem post effracta semel mentis, ac conscientiæ repagula, Scoti perduelles in Reginā suam denuo exercuerunt. Quā post mariti noui Regis obitum captā, Angliæ Reginæ tradunt, non solum propter hæreditarium quoddam odium inimicæ, sed etiam ob diuersum religionis studium infensissimę.

Omnem porrò istius captiuitatis, persecutionum, ærumnarū, progressum, quas optima Regina per nouēdecim annos pertulit, & mortis crudelissimæ historiā, quā sustinuit, descripsit Nicolaus Sanderus, libro tertio de Scismate Anglicano, ex quo hæc pauca excerpsimus: & citantur in cōcertatione Ecclesiæ Anglicanæ.

Maria Stuarta Scotorum Regina, cum multa, vt dictum est, fanda, & infanda ab Euāgelicis subditis suis pertulisset, Elizabettæ Angl. Reginæ blandis literis, nūcijs, muneribus, in Angliā inuitata, promissoq; militum præsidio, quo in Regnū restitueretur, adducta fide publica accepta, in Angliam profecta est.

Sed non ita multo post ingressum, traditur nobilissimo Comiti Sallosuensi seruanda: apud quem propter constantē Cathol. fidei confessionē, durius semper tractata fuit. Sed maxime postremis diebus, alijs custodibus difficilioribus tradita, varijs, & indignis modis agitata, ac calumnijs indignissimis impetita, vitam parum iucundam ad multos annos duxit.

Quæ, cū Princeps fuerit, nec legib' Regibusq; Anglicanis obnoxia: tū (qđ Principibus exteris, Regūq; omniū oratorib' petmittitur) vt auito more Deū colerer, Sacerdotēq; haberet, qui sacrū faceret, & Sacramenta administraret, nullo modo concessū est: quare magis, quā exilio, aut carcere, aut calumnijs aduersariorū affligebatur: vbi & illud permirum, ac plane barbarum extitit. Quod Regina cū fuerit, & cīum mortaliū Elizabethæ sanguine coniunctissima, atq; ab illa in Angliā ita, vt cōmemorauimus, inuitata, nunquā tñ, licet id obnixissime sæpe postulasset, vel in Colloquiū, vel in conspectū ipsius venire, his decē & nouē annis fuerit permissa. Nec mirū sane, hoc videri debet, si vel Elizabethæ crudele ingeniū, & cōsilium iam susceptum: siue Leceſtrij, & sociorum, in pestilentissimis stabiliendis, ac propagādis hęresibus, obstinatum animum, siue immane odium, quo Sanctis-

simam Reginam, ob fidei Catholicæ constantiam prosecuti sunt, attendas. Nam illi de solio suo confirmando, uitaque tuenda, (quam iustis ex causis, in magno discrimine arbitrabatur versari) sollicitatum, ob barbaram Reginæ Scotiæ tractationem, crudelemque Scotiæ, & perturbationem, & deuastationem. Tum ob seditiones, & tumultus subditorum contra potentissimos Reges Hispaniarum, & Galliarum, suo ac Oratorum suorum consilijs excitatos, id vnicè expediuit, vt Regina Scotiæ, quam vinculis iam haberet constrictam, quacunque tandem ratione, è medio tolleretur: existimans misera, se tunc futuram securã, si illam sepultam cerneret, quam sibi aliquando successuram ope, & auxilio Christianorum Principum timebat. Leceſtrius etiã, Cecilius, & reliqua turba orbis perturbatorum, cum optimam Principem ad perfidas suas partes pertrahere, aut animum plane Heroicum, Hæreseos veneno inficere non possent, tum demum in apertam rabiem conuersi, & optimam Reginam Scotię à conspectu Elizabethæ arcere, & crudelissimæ næci dare statuerunt.

Quod vt in speciem iustius præstarent, viri ad fraudes nati, miras excogitarunt coniurationes, in Principem suam, à Serenissi. Regina Scotię, eiusque amicis susceptas: quod scilicet decreuissent Elizabetham de solio suo deturbare. Catholicam religionem, relicto crudeli Caluinismo, in Insulam reuocare: & id genus alia, quę aliter, quam vanis quibusdam literis, more Caluiniano fictis, & excogitatis probari non poterant: quæ tamen Leceſtrio eiusque socijs (quibus nec conscientia est, nec religio, per summum scelus Principes trucidare, eorumque ditiones per Tyrannidẽ inuadere) iustæ satis videbãtur.

Cæterum, ne minus candidè, rem gestam narrare, aut quippiam affingere videamur; sanctissimæ Reginæ, & Martyris mortem, quemadmodum à Caluinista quodam, crudelissimi facti spectatore, in lucẽ edita est, referem⁹: nõ quidẽ oĩa ipsi⁹, cæterorũue, qui de ipsa questi sũt, cõmẽta, certaq; mendacia (quæ si veritatis aliquã speciẽ haberẽt, vt in cogitando acuti, sic in probãdo multo essẽt diligentiores) sed ea duntaxat narrabimus, quæ huic martyrio propria, vereq; gesta,

Huius itaq;, Caluinistæ, vt & Puckeringij, confessione Marię Stuartę Reginę Scotiæ, quod Rom. Catholicæque fidei sectatrix, quod ab incunabulis Romanæ religionis cultrix, quod veritatis amica semper extiterit, qãtota incubuerit in Papisticã libertatẽ (vt loquit Puckeringius) ijsq; studijs ita se dedicauit, vt si qñ potuisset, Caluinismũ è sua ditione exterminasset: hoc nimirũ mortẽ Reginæ attulit.

Quibus veritatis hostibus, quoniam vel inuiti vera confitentur, libenter fidẽ damus. Neq; id nouum, cum antea quamplurimos, inferioris ordinis, eãdem ob causam, extremo supplicio affectos, Anglia Martyres fecerit: licet plurimis fictarum criminationum, inuolucris suam sceleratam, & sanguinariam mentem tegere voluerit. Quod si impij illi, & humani cruoris auidissimi Caluinistæ tanto pere desudarunt, in crimini bus fingendis, quo religionis veræ, fideiq; restaurandæ amantissimi homines, vtriusque sexus tollerentur è vita: quid laboris, quid vigiliarum, quid contentionum susceptisse cogitabimus, vt maxima Catholicæ, Romanęq; religionis cultrix, fidei studiosissima conseruatrix, eiusdemq; acerrima propugnatrix, Regina Maria, vel iniustissimæ næci daretur? Saluam, & in columem Angliam, hac religiosissima Regina superstite, negabãt hæretici esse posse, quod Elizabethæ in Regnum, si Maria succederet, Caluinismum tum perituram, Romanamq; fidem esse omnino regnaturam. Tanti ergo boni Dux, & caput Scotiæ, Regina in crimen vocatur, quasi tum in Elizabethæ, totiusq; Regni Angliæ perniciem coniurasset, cum à fide Romana discedere nullo modo voluit, cũ pertinacius eam vt colere liceret, petere non desijt: cũ filiũ hæreticorũ moribus nimium imbui molestissime tulit, cũ deniq; spes nõ dubia fuit si regnaret, aliquando Romanã religionem, in omnem suam, & Angliæ ditionem inuehendam esse.

Hæc capita, hæ causæ, propter quas religiosissimæ Reginæ moriẽdum fuit: quę quam sint ipsi gloriosæ, nemo Catholicus non videt. Sed & ipsis impijs, atque adeò

adeò Reginæ Angliç turpissimum visum est, sibique ignominiosissimũ, tantæ nobilitatis fœminam, tam coniunctam, tam piam, & constantem è medio tollere, quod patet ex eo, quod ancipiti animo, diu quid sibi agendum extiterit, sententiam ferre ausa non sit, latam molestè se ferrè, aut verè, aut falso præ se tulerit; cui si iustæ, veræq; causæ næcis inferendæ suppetissent, absq; omni cunctatione, de Maria supplicium sumendum decreuisset.

His igitur tam pijs de causis, cum Reginæ moriendum esset, mittuntur ad eam 13. Calend. Martias, Comites Salopiensis, & à Kendt, vt qui Castro Fodringhaije viciniores essent, alijq; Domini Equites, Nobiles, & Satrapæ prouinciæ, qui tum erant apud Dominum Amiam Paulet, & Diue Druytij, quibus custodia arcis commissa erat. Hi quodnam sit Elisabethæ Reginæ Decretũ (quod à Secretario Beale eiusdem iussu acceperant) Mariæ denunciant, quæ id pridem iam expectasse, seque paratam esse respondit. Quærit deinde, quando velint decretum executioni mandare, qui se id in eius arbitrio relinquere responderunt, modo satisfaciat decreto: videri commodius, si in diem posterum differatur, qui dies primus erat triduani ieiunij Ecclesiastici, iuxta recẽtis Calendarij emendationem.

Adsunt postridie mane hora 7. Comites, Equites, Nobiles. Ex Equitibus singulis concessum est, vt duos alios, secum in Castrum introducerent, reliquis dumtaxat vnum, sic vt extra familiam, & qui custodię arcis præerant, centũ circiter, & octoginta homines, spectaculo interessent.

In Maiori Aula extructum erat theatrum, latum pedes duodecim, altũ duos, cinctum sepimento, altitudinis pedũ duorum, omnia tecta panno nigro, in medio sedes vna, & puluinaria.

Intra horam octauam, & nonam, missus est ad Mariam, qui nunciauit Dominos adesse, quemadmodum pridie post meridiem inter ipsos conuenerat, cepereq; rescire, quando parata foret: is nũcius cubiculum eius, omni familia inclusa, obseratum inuenit, quod Regina id per exiguum, quod supererat, tempus, prę teritæ vitæ noxis deflendis, & orationi daret, animumq; ad fortiter mortem pro Catholica fide, & religione perferẽdam, suis suorumq; precationibus cõfirmaret. At vero vacuum Nuncium, vt Regij sanguinis auidissimi homines, ad se redijsse viderunt, morę impatientes, iterato mittunt, mandantq; si non pateat aditus, pulset, quidq; mandati acceperit, indicet. Verum vbi fores patere deprehendit, qd in mãdatis habeat, ipsi Reginę, per ipsius quendam famulum aperit, Dominos videlicet cupere, eius cognoscere voluntatẽ. Id responsi datũ, nondũ paratã esse.

Vix dimidiata hora interceſſit, cũ tertio mittitur Nuncius, qui eam post mediam horam forè paratam renunciauit. Ita nec licuit pientissimæ Reginæ, extrema hora esse quietè, mentemq; suam cũ Deo coniungere. Paulò post quidam ex Satrapis, ascendit ad Reginam, quam cũ suis pediſſequis, & famulis, genib⁹ flexis, orantem inuenit, clamat ille tempus appropinquare: quo audito mox alacris Regina surgit, aitq; se paratam esse, atque ita ducitur, à duobus viris familiæ arcis, è cubiculo ad anteriorem Cameram, quã Præsentiæ vocant, vbi suos omnes domesticos inuenit stantes, & flentes: quos omnes piè, constanterq; exhortata est, Deũ vt timerent, suis superioribus obtemperarent, Catholicam fidem retinerent, religionem veram constantissimè tuerẽtur, nihil hominũ verbis, aut verberibus, aut denique ipsa morte terrerentur, Deũ copiosè remuneraturũ omnia, quæ pro ipsius fidei Confessione quis ferret: nullũ dedecus Regio sanguini, tam ignominiosa morte inuri, cum nihil ignominia dignum fecerit vnquam, aut dixerit, contra Angliæ Reginam: addit, se bona spe esse, hanc suam Regiam dignitatem, purpurei mox sanguinis profusione, multo, & apud Deum, & apud homines fore illustriorem: proinde rogare, lachrimas sisterent, ne suam moriendi alacritatem suo fletu minuerent, quin potius vna secum gauderent, communemq; parentẽ Deũ pro se orarent, vt ceptum martirij cursũ alacriter ad metã vsq; decurreret: post hæc singulis valedixit, fœminas osculãdo, manũ exosculandam viris præbẽdo.

Inde ad gradus deducitur, quæ Dños

ex au-

ex aula venientes obuios habuit: eam Comes Salapiensis appropinquantem, sic allocutus est. Adsumus Domina, vt Regiæ Maiest. mandatum exequamur (habebat autem mandatum, siue sententiam in manu sua Comes à Rendt, maiori Angliæ sigillo munitam) cui Regina respondit. Mori se malle, quam viuere. Vt autem, primarium suum ministrum, Meluinum vidit, sic eum allocuta est. Licet putem te Meluine, fidelis serue, Protestantium partes sequi. Ego vero Catholica sim, vnusque tamen tantum sit Christus. Ego quæ, & Regina sum nata, & tua Regina creata, ex Regis Henrici 7. sanguine oriunda, serio tibi mando, tanquam eius rei Deo rationem reddituro, vti verè, & sincerè filio meo charissimo, hæc meis verbis referas: me videlicet obnixè eum orare, Deo vti seruiat, Ecclesiam Catholicam defendat, Regnũ suũ tranquillè gubernet, neque cuiuis alteri se subijciat (quemadmodum & ipsa studiosè caui, licet mihi fuerit in animo hãc insulam ad ipsius Regnum adiungere, verum nunc ei sit integrum, vt vel ipse sic seruet) sed neque nimium humana prudentia nitatur, quòd obsit non raro: verũ omnem suam spem in Domino reponat. Caueat etiam diligenter, ne malè suspicandi occasionẽ Reginę Angliæ præbeat, sic enim cælesti benedictione donabitur. Et tu Meluine mihi testis esto, me mori fidelem Scotam, fidelem Francam, fidelem Catholicam, vti semper professa sum, & plura in eandem sententiam. Ad quę Meluinus. Veneranda Domina, ac Princeps mea, sicut me fidelem tuæ Maiestati hactenus seruum exhibui: sic & nunc Dei gratia, bene iuuante, quæ in mandatis dedisti, vere ac fideliter Regi filio tuo perferam. Conuersa deinde ad Angliæ Reginæ assecias, rogat, vt suo Sacerdoti sibi in Theatro liceat adesse, cui tam piæ, iustæque petitioni impie reclamatum est. Orat vt saltem domesticos suos omnes liceat habere præsentes, qui Regi Francię, & alijs testari possint se Catholicè mortẽ obijsse, & hoc crudeliter negatum ab illis, vt qui causarentur, fore, vt eorum impatientia, & lamentationibus, ipsius Reginæ animus, istiusmodi superstitionibus perturbaretur. Contra Maria excelso, & Regio plane animo spondet, illotũ neq; lachrimis, neque clamoribus, se aut impeditã, aut morã iri: Adduc illi sibi minime pro Regia dignitate seruire, quæ multo maiorem comitatum pedissequarum exposcat. Has iustas Reginæ querelas, è famulis quinq;, & duabus è pedissequis, apud eam relictis, abunde eluisse putauerunt. Obsecrat præterea vt omnibus ministris, ac domesticis suis vtriusq; sexus, ad suos in patriam redeundi potestas fiat, comitatu, qui securos deducat, addito, & fide publica, tum vt nullo intercedente impedimento: quæ singulis à se donata essent, ea retinere possent, quæ cum diceret, per Deum eosdem obtestata est, vt hanc suam extremam voluntatem exequerentur. Post hæc deducta est ad Theatrum, à duobus ministris Gubernatoris arcis, in quo quia consistere commodè non poterat, in sede resedit, Comite vtroq; etiam in theatro considente, vbi tum Secretarius Beale, literas decreti, latæque sententiæ, clara voce recitauit. Reginæ vestitus idem erat, qui fuit, cum se sistit ante officiales Regni, & Reginæ assecias, ex nigro nimirum, & præcioso holloserico, vna manu gestabat crucem ligneam, vel osseam, cum effigie Christi, ex ea dependentis, altera vero libellum precariũ, eiusdem è collo aurea crux pendebat, de cingulo vero rosarium.

Proximus ei quidam astabat Doctor Caluinista, Decanus, Petrus Borungus, qui eam iussu Satraparum moneret, vti Christo fideret, Christianèque moreretur, quem exhortari incipientẽ, mox Regina interpellauit, clara voce petens, & mandans, vt taceret, ad mortem satis se paratam asserens: at illo respondente, se aliud nihil dicturum, quã quod sibi præscriptum, mandatumque esset, & veritati consentaneum. Item fortis, & constans Heroina, illi plura subijcere volenti, obstat exclamans. Sile Magister Decane, nolo te audire, nihil mihi tecum negotij est, turbas me, id vbi a reliquis auditum, ne Reginę molestus esset, Decano silentium impositum est. Porro Comes à Kendt, ne pijssimæ Reginæ vel tantillũ temporis pietati vacare liceret, eam interpel-

terpellat, dicens. Vicem tuã Domina doleo, eo etiam nomine, quod inania hęc, & superſticioſa in manibus tuis videam. Cui pia Regina reſpondit. Crucifixi Chriſti effigiem, vt præ oculis habeat, decere ſe, quo illius recordetur. Subiecit ille, oportere eam Chriſtum in corde ferre, addens (ipſa licet recuſante audire) ſe pro ea oraturum, etiamſi ab altiſſimo oblatam gratiam recipere nolit, vt Dominus ipſi peccata condonet, eamque in ſuum Regnum recipiat. Adquæ Regina. Ora tu, & ego quoque orabo. Decanus vero, de quo antèa meminimus, flexis ad gradus genibus, clarè, & intelligenter orationem rei præſenti accommodatam recitabat. Precatus pro Reginæ Anglię ſalute, eiuſque Regni fœlici adminiſtratione, & proſperitate. Decanum porrò præeuntem, populus, & ſpectatores ſequebantur. Interea fœmina ſanctiſſima voce clariore, ſuam orationem Latinè pronunciabat, vultu in imaginem Chriſti Crucifixi, quam manu geſtabat, defixo. Finita precatione, Carnifex veniam genibus, flexis à Regina petijt, cui & libẽter dedit, & omnibus, qui hactenus ſuũ sãguinem ſitiſſent: ita ex animo condonauit, quemadmodum à Deo, ſua ſibi remitti, & donari peccata percuperet. Deinde ardentem, & affectibus plenam precationem genibus aduoluta recitauit, Deum pro remiſſione omnium peccatorum ſuorum obſecrans, & dicens, ſperare ſe per Chriſti mortem, eiuſque effuſum ſanguinem conſecuturam ſalutem æternam, ſeque proſtratam pedibus eius, quẽ illa Crucifixi imago repræſentabat, ſpontè lubentique animo, ſuum quoque ſanguinem profundere. Orabat præterea, pro fœlici ſtatu Reginæ Angliæ, optans ei, vt multo tempore benè, & pacificè Regnum ſuum gubernaret, Deoque fideliter ſeruiret, pro totius Inſulæ proſperitate, & afflictiſſima Chriſti Eccleſia rogãs. Pro filio deinde ſuo Rege orans, iuſtam & pacificam ſui Regni adminiſtrationẽ, in vero Dei cultu, & conuerſionem ad Catholicam Romanam Eccleſiam precabatur. Poſtremo Sanctorum omnium eo die pro ſe preces petebat, exoptans, vt Deus per ſuam immenſam miſericordiam dignaretur, auertere flagella ſua, ab infœlici hac Inſula, peccatorum ſibi omnium remiſſionem concederet, animamq; corpore ſolutam per angelicas manus recipere ret. Quibus peractis ab oratione ſurgẽs, ad porrigendas ceruices ſe prẽparare cœpit, depoſitis ornamentis, & tunicam ſoluens, adiuuantibus eam duabus pediſſequis ſuis. Cum vero vterque lictor quoque manum admouere, & iuuare vellent, dixit ſe hactenus non conſueuiſſe, coram tanta multitudine ſpoliari ſe veſtibus, neque talium nobilium opera vti, demiſit autem exteriorem veſtem, ad medium vſque; interioris tunicæ, pars ſuperior ſic exciſa erat profundè, circa collum, vt vndique illud nudum exhiberet, in dorſo vero ligula conſuta: multum in omnibus iſtis expediendis feſtinans, pediſſequis oſculum præbens valedixit, quarum altera magna voce lachrimante. Sile, ait, noli plorare, nonne ego pro vobis ſpopõdi, vos nullum clamorem edituras, quin eſtote hilares, eiſque manu benedicens mandauit illis, è theatro vt diſcederent. Sic uero iam præparata conuerſa ad famulos, qui in vicino loco flexis erant genibus, ſigno crucis, manu fotmato, eis benedixit: iubens eoſdem eſſe teſtes, quod Catholice moreretur: rogans vt pro ſe orarent, & ſubito in genua procidit, magno, & intrepido animo, eodem vultu, nullo mortis timoris ſigno edito. Altera deinde eius pediſſequa, accedens, linteo ipſius oculos velauit, ſicque flexis genibus clara voce recitauit totum Pſalmum 70. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me, &c. Quo finito conſtanter corpus inclinans, collum trunco impoſuit. Clamans magna voce. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Altero autem lictorum manus eius infernè detinente, alter vtraque manu, ſecuri eam bis feriẽdo, caput præcidit. Lictore deinde caput leuante, & ſpectatoribus exhibente, clamarunt omnes, Dominus ſeruet Reginam noſtram. Sicque pereant vniuerſi hoſtes verbi Dei, & Reginæ inimici. Amen. Dum vero lictor caput ſic teneret, ornatus decidit, & valdè canum apparuit: & viſebantur capilli non ita pridem

dem ad cutem vsq; fuissent resecti.

Nihil vestimentorum, & ornamẽtorũ eius relictum fuit Lictori, sed prætiũ eorum ipsi datum, quæcumque vero sanguine eius, quouis modo erant aspersa, tam in lictore, quam in alijs, sublata sunt, & statim abluta, etiam asseres Theatri: ater vero pannus, qui sanguinem exceperat, & alia eo tincta, illicò in ignem coniecta exusta sunt, ne quid reliquum Catholicorum pietati seruiret. Corpus eius relatum fuit in arcem, & balsamo conditũ, repositum in loculo est, vt mandaretur humo. Domesticis, & ministris iniunctũ est, vt ibidem remaneant, in pristino statu, & dignitate, donec honorificè Regina sepeliretur.

Dum hoc crudele ministerium obitur, clausa mansit arx, nec vlli ante licuit egredi, quã Magister Henricus Talboth, filius Comitis Salopiensis, missus esset ad aulam. Postridie, morte Reginæ Scotiæ, Londini nunciata, ciues passim in plateis ignes excitarunt, & in lætitiæ signũ, Campanas pulsarunt, quod gauderent, liberatos se ab imminẽti periculo, (quod à pacis studiosissima Regina nullum vnquã fuit) cui, vt iactabant, Mariæ Stuartæ causa, multo tempore expositi fuissent.

Hæc de Euangelicorum, in Scotia Phalarismis, ad nostram peruenerunt notitiã, crede mihi lector, plura non peruenerũt.

EVANGELICORUM Phalarismi in Belgio.

DE Geusiorum in Belgio crudelitatibus, & immanitatibus plusquã Scithicis, plusquam barbaricis, in omnia sacra, profana vrbana, rustica, publica, priuata extant diuersi diuersorum occulatorum authorum, & scriptorum Comentarij, Iconibus etiam expressa, oculisque subiecta mille tormentorũ genera, quibus Euangelici Hyppocentauri, Orthodoxorum corpora, plane beluina feritate discerpserunt, & euiscerarunt: cui similem nec Iuliani tempora viderunt, nec Vandalorum, & Circumcellionum exercuit audacia, plane vt existimare liceat, Draconem illum antiquum, qui est Diabolus, per mille annos, vt in Apocalip. legimus, ab angelo ligatum, & in Abyssum missum, isto nostro infœlici sæculo solutum propterea fuisse, vt in sanguine innocentũ, rabiem illam suã exsaturaret, omniaque experiretur in hoc sæculo pœnarum, & tormentorum genera, quæ Pseudo prophetis, Christi perduellibus, veritatisque, & pietatis desertoribus, in futuro sæculo præparauit, vbi in stagno ignis, & sulfuris, die ac nocte cruciabuntur in sæcula sæculorum.

Sic itaque Belgicorum Phalarismorũ initia, pius quidam, & oculatus testis descripsit.

Post Conuenticula Euangelicorum, priuatim multo iam tempore celebrata, in Vrbe Antuerpiensi, ceptum est ab illis, etiam extra Vrbem publicè concionari 24. Iunij, Natali D. Ioannis Baptistæ 1566. non procul à mœnibus vrbis, ad distantiam fortè quartæ partis vnius miliaris: non sine tamen telopetis, & armis varij generis, quæ sub axillis, Bibliorũ loco circumferebant. Interea Princeps Aurangiæ Antuerpiam venit, qui nouo spectaculo ab infinita multitudine exceptꝰ fuit, ante Ciuitatis ingressũ turba clamãte (viue les Geux) Supplicatio quoq; illa, quæ Mense Augusto celebrari solita est Antuerpiæ, Dominica infra Octauas Assumptionis, in Christi, & Virginis Assumptę honorem, plena fuit blasphemijs, & minis aduersus Clerum: armato tamẽ milite terrorem incutiente, alia scandala impedita sunt, illo tempore.

Ad 19. Augusti, Antuerpia Bruxellas profecto Principe, tentare cœperunt hæretici, quo modo ipsis, seditionis succederet initium. In summa itaque æde, tempore vesspertinarum precum, quidam eorum ebrius suggestum ascendit: sed eum illico nauta Catholicus deiecit, nec aliud quidquã eo die actum est. Sed ecce die sequenti, qui fuit 26. postridie discessus Principis, sub vesperum, inuolatum est à Geusijs, in templum B. Virginis, & immani furore contracta altaria. Imagines deiectæ, Corpus Domini, pedibus (ô scelus

lus inexpiabile) protritum. Nec tantũ in templo B. Virginis, sed in omnibus Parochijs, Monasterijs, & Sacellis, tota illa nocte, immo toto ferè triduo durauit immane hoc Geusiorum sacrilegium: neque solum templa violata, sed in multis Monasterijs vix quicquam integrum, intactum certè nihil relictum est, cibo, & potu se ingurgitarunt, quæ supererant proiecerunt. Vinum & ceruisiam extractis epistomijs effuderunt. In penuarium, in vasa butiri, atque in farinas, non modo sua lotia, sed etiam alias humanas sordes immiserunt. Furto, rapto, reliquam suppellectilem pauperculorum religiosorum abstulerunt, eos præterea clamoribus sacrilegis ad defectionem, & apostasiam sollicitarunt. Quæ commotio fuerit Reipub. Antuerpiensis, in tanta confusione Babylonica, per totum hoc triduum, quiuis iudicare potest, qui modo nouit inquietissima Euangelicorũ ingenia.

Ad 22. Augusti, seditiosus ille Iconoclasta Hermannus, primam habuit concionem hæreticam in ciuitate, in ipso templo D. Virginis, ante prandium, & aliam post prandium, quo tempore cessatum est ab omni Eucharistiæ sacrificio, & ab omni prædicatione Catholica, & ab omni Ecclesiastico officio: cum omnia loca, & templa furoribus essent plena Geuseorum. Tandem post diem 12. apertum fuit templum D. Virginis, ibiq; vicissim primum celebratũ est solemne sacrificiũ, post concionem pastoris Ecclesiæ.

Ad 23. diem Augusti, Ministri Pseudoeuangelici obtulerũt Magistratui protestationem quandam, ad iustificationem & purgationem designati facinoris: vt scilicet, persuaderent, sacrilegia patrata, tẽplorumque direptiones sine suo suffragio perpetrata esse, obedientiam Magistratui verbo promittentes facto negantes.

Ad 24. August. concionati sunt Hæretici Flandri in Parochia, cui nomen est Burkerke; & post prandium habitæ sunt aliæ conciones Flandricæ, & Gallicæ in noua vibe. In templo quoque D. Georgij aliquandiu à Confessionistis concionatum est cum magno concursu, & graui offendiculo Catholicorum.

Ad 26. Augusti, Princeps Auraniæ Antuerpiam reuersus, animos populariũ aliquantum compescuit: designatique sunt ab eo quatuor Commissarij, nomine Flãdrorum, ac totidem nomine Gallorum sectariorum, qui apud suam Celsitudinẽ negotia omnia tractarent nomine multitudinis. Ad id autem quod Principi vi debatur, accedebat Magistratus suffragiũ non quidem probãtis quod Princeps vellet, sed permittentis, euitandi mali grauioris causa.

Ad 30. Augusti pacta inita sunt, pro parte Ciuitatis, quæ longum esset huic cõpendio inserere, quæ quidẽ impressa passim circumferebantur, in libello ab hæretico quodam composito, cui titulus est, Le recueille choses.

Ita permissione Principis templa, seu potius synagogæ Sathanæ à Caluinistis, & Confessionistis erectæ sunt, Antuerpiæ, & in his sũma cũ licẽtia, suã hæresin professi, exercuerũt superstitiones suas per multos menses, sũmo cũ bonorũ dolore.

Mẽse Octobri 1566. in Holandiã princeps Auraniæ profectus est, & constitutus est gubernator Antuerpien. Comes Hochstratarius, ante discessum ipsius. Actum ab Hæreticis iuramenta iterata sunt, datæ fidei, de publica pace, & obedientia erga Magistratum. Sed qui fidem Deo, & Ecclesiæ violat, quomodo seruabit hominibus?

Decimo septimo Octobr. (discesserat iam Princeps) Caluiniani vicissim templũ D. Virginis, post solis occasum secundo ingressi, restitutas confregerunt imagines, vi valuis dirutis, conati sunt turrim occupatam iam, à præsidio militari inuadere, & sonitu campanæ seditionem paratam excitare. At Deus prohibuit tãtum malũ, Comite Hochstratano armis seditionẽ compescente, vulneratis aliquot in ipso templo, & captis permultis. Bone Deus quã funestã noctẽ tũ egimus, templis oĩbus, & monasterijs militũ circumdatis præsidijs aduersus hostiũ crucis tyrannidem. Quantus metus seditionis, & intestini conflictus, animas ciuium occupauit nocte illa, difficile est dicere.

Ante quadragesimã reuersus ẽ ad nos ex Holandia Princeps Auraniæ, aucta ẽ malorũ audacia, nocte porrò subsequente primam

primã Dominicã quadrageſimæ, poſtquã diſceſſit hinc Bredearoada ſeditioſus, & rebellis Regi (qui militem Antuerpiæ, & foris conſcripſerat) ecce nouum facinus exortum, Monaſterium Franciſcanorum bona parte combuſtum eſt, cum magno maioris ſeditionis metu, nolente turba incendium reſtinguere, donec Principis blanditijs, & pollicitationibus perſuaderetur: Nox illa horrenda fuit, & plena timoris, expertes tamen fuimus grauioris mali, Deo adhuc nobis propitio. Et notanda eſt hæreticorum nequitia: qui meretrices in Monaſterium ſubmiſerant, & carnes intulerant, vt bonos Patres infamia grauarent: à qua tamen liberati ſunt per quendam, qui fraudem detexit.

Die Mercurij poſt medium quadrageſimæ, atrociſſimus in ciuitate tumultus obortus eſt, hac quidem occaſione, quam Hermanus, & alij ſeditioſi arripuerunt diu quęſitam. Prope Antuerpiam in pago Oſterluet, dimidia nimirum leuca diſtante, mille fortè erant congregati milites, priuata authoritate conſcripti, Caluinianæ factionis, qui rurſum templa, Monaſteria, domos ſuburbanas, ſpoliare cæperant, die 12. nimirum Martij hoc anno 1567. Cui malo niſi Gubernatrix ſubito occurriſſet, mirũ in modum ſtatim auctus fuiſſet ſeditioſorum numerus, intra vrbem, prope diem forſitan ad mittendum omnes in exilium aptus, aut ſaltem in exitium Catholicorũ inſtructo. Expediuit itaque quadringentos, aut quingentos milites bellandi peritiſsimos: quod cũ Caluiniani intra ciuitatem ſubolfeciſſent, certam ſibi cædem paratam cernentes, totam Ciuitatem ad arma commouere, conten derunt: nec illos fefellit opinio. Nam 13. die Martij omnes ferè aut interempti, aut capti ſunt, paucis turpi fuga elapſis. Capti vero patibulis, arboribuſque ſuſpenſi. Ante expeditionem porro nocte diem Mercurij ſubſequente, conſilium inter ſe inijerant Caluiniſtæ, vt poſtero die magno numero, armis inſtructi, in ampliſſimam illam aream, vulgo Meera vocatam concurrerent, clamitantes, ſe fratribus ſuis opem ferre velle, innoxiumque vindicare ſanguinem. Portam itaq; vrbis clauſam, ſibi aperiri importunis clamoribus poſtulabant, Princeps vero Auraniæ, blandis precibus turbatos animos ſedare, quantum potuit contendit, neque tamen impedire furias plebis potuit, quin in portam quandam vrbis irrũperent, quam quidam egreſſi ſunt, complures autem reuerſi metu magno conſteunati. Creuit tamen interim proditorum numerus, ad tria quatuorue millia cateruatim ſeſe in eodẽ loco de la Meera conglobatorum, & vociferantium, viuant les Geux. Lapen vnt, Principe Auriaco, & Comite Hochſtratano, truſtra furorẽ cohibente. Turba enim omnis, Duce Hermanno Miniſtro, & quodam nefario Carolſtadio adoleſcente, neglecta Magiſtratus authoritate, qui ſe domo Ciuica armis munitus continebat, ad eum locũ conuolat, in quo arma, & inſtrumenta bellica, bombardæ, & tormenta, aſſeruabantur, fores effringunt, & 22. tormenta bellica pergrandia, ad locum de Meera equis aduehunt, quæ aduerſa plateis ad ſui defenſionem, contra hoſtium inſultum collocarunt, variaq; alia arma in ſuum vſum abripiunt. Deinde ad publicos carceres accurrunt, captiuos omnes alieno ære crimineue hæreſeos, & alijs ſceleribus coopertos, liberos dimittunt, quo ſtratagemate animos ſibi popularium valde cõciliarunt.

Poſt hæc S. Michaelis Monaſteriũ occuparunt: metuentes ne hoſtis inde aliquis, in ipſos irrueret, quod ibi parum munita ſit ciuitas muris, alluit enim Schalidis fluuius Ciuitatem. Extorquent etiam, ut Principi Auranię claues omnium portarum tradantur, portis enim tũc præfuere partim Caluiniſtæ, partim Catholici. Ad Principem vrbis Gubernatorem accedunt. Forum ſibi donari cum domo Ciuica, vtq; Magiſtratus ſe dederet, poſtulantes. Tradi quoque ſibi volebant ſex primarios viros, & inſignem prętera illum Eccleſiaſten Franciſcanum, Gallum natione.

Milites porro, qui Ciuitatis ſtipendia merebant, plerique ſectarij, haſtas, & enſes demiſerunt, armaque depoſuerunt: tyrannide, & ferocitate plebis furentis territi. Tria quoq; vaſa pulueris bombardici

bardici à magistratu extorserunt.

Duces & capita seditiosorum ad Cœnobia se contulere, monachos, & monachas facessere iubent omnes pro imperio, nec Monasterio S. Clarę pepercere; Frãciscanos etiam quinque adhuc in Cœnobio repertos, pedibus ad tergum pellentes, eo modo, quo fures, & latrones duci solent, ad locum de la Meera pertraxerunt, multis iniurijs affectos, chordis quibus pro cingulis vtuntur, comminantes eos suspendendos, ad crucem illam in eodem loco erectam, quos tamẽ illæsos ad ædes quasdam deduxere.

De ijs quæ Tornaci, & in pagis vicinis gesta sunt ab Hæreticis Anno 1566.

VT ea, quæ Anno 1566. in Ciuitate Tornacen. ac locis vicinis ab hæreticis sunt perpetrata, breuiter enarrentur, ab eo potissimum tempore exordiendum videtur, quo in publicũ prodierunt, venenumque, quod in eorum cordibus inclusum tenebatur, palam ac apertè erupit, omissis interim omnibus ijs, quæ inter priuatos parietes tum Tornaci, tum extra Ciuitatem exercuerunt.

Postquam itaque nobiles confœderati, les Geux appellati, qui patrię libertatis, ac publicæ vtilitatis amore ductos, moueri se dicebant, Gubernatrici supplicationem obtulissent 8. Aprilis 1566. ad inquisitionem Hispanicam impediẽdam, aliasq; & Regis nostri, & Caroli 5. quondam Imperatoris sanctiones sanctissimas mitigandas, vel vt melius dicam, è medio tollendas: eo audaciæ, & vesaniæ deuenerunt hæretici, vt omnem diligentiã, omneque studium ad Catholicam fidẽ oppugnandam, sanctorumque Patrum antiqua monimenta, ab hominũ oculis memoriaque tollenda, aperto Marte (quod ante occultè fecerant) contulerint. Quod quidem, vt melius consequerẽtur votisq; suis satisfacerent videntes magnum Catholicorum numerum, qui suis conatibus obsisterent, putauerunt ratione aliqua vtẽdum esse, qua multos in suam sententiam perducerent, quorum auxilio vterentur, cum facinus esset aggrediendum. Atque hinc factum est, vt à Paschatis fere festo, in pagis, Tornaco, Insulienſique oppido adiacentibus, nocturnas habere cœperunt conciones, ita pestilentes, & libertate carnali plenas, vt plurimos voluptatum carnalium amatores, quibus iam abundat mundus, sub prætextu Euangelij, & puri verbi Dei, ad se suauitate illectos pertraxerint. Creuit inde magis, magisque illorum, & amentia, & audacia, & se ad diuersa loca habendarum concionum gratia contulerunt. Ita vt iam prope Tornacum, Insulas Valencinas, si milesque Ciuitates, & oppida, nocturnæ diurnæque conciones haberentur. Tandem eo est deuentum, vt pridie Apostolorum Petri, & Pauli hæreticis Tornacensibus, per singulas domos nunciaretur, habendam esse concionem nocte sequenti, in quodam campo ciuitati vicino, quo plurima hominum multitudo confluxit, ab hora si quidem quarta pomeridiana, ad octauam vsque, qua ciuitatis portæ claudebãtur, viri ac mulieres, senes puerique turmatim egrediebantur, præsertim per illam portam, quæ recta ad locũ destinatum ducebat. Dixisses solemnem esse supplicationem, si arma tollas, & bõbardas, quibus istorum plerique muniti procedebant. Postridie S. Petri, & Pauli Apostolorum, qui dies erat Dominicus, non iam media nocte, & in tenebris, vt antea, sed clara luce, hoc est hora secunda matutina in alio loco non procul à ciuitate dissito, alteram concionem habuerunt, ad quam tanto plures concurrerunt, quanto cuique liberius ire permittebatur. Neque enim mutire Magistratus, ne dum conatibus eorum nefarijs obsistere audebat, vt qui audacter minitarentur, nisi Magistratus permitteret libere ipsos egredi, ad audiendam Ministrorum suorum concionem, se ad publicum forum ciuitatis, armata manu ducturos Concionatorem suum. Ad hanc porrò concionem tanta perditissimorum istorum hominum multitudo, bombardis, hastilibus

ſtilibus, furcis ferreis, baculis, alijſq; id genus inſtrumentis, egregiè munita, ex Tornacenſi Ciuitate, Valencenis inſulis, alijſque pagis vicinis, ac locis conuenit, vt acceptis inde viribus, multo inſolentiores, petulantioreſque redderentur. Catholici vero puſillanimes, poſtratique iam plane videbantur. Res profecto tunc magis deploranda erat, quam nunc multis verbis deſcribenda. Eo enim quamplurimi iam ſenio confecti, canis aſperſi, eneruatique viribus, confluere videbantur, quaſi vitam ſalutemque recepturi. Eo mulieres iam decrepitæ concurrebãt, eo denique pedibus, alijſque membris manci, & orbati, cæci pauperes, artibuſq; mechanicis dediti ſe conferebant, omnibus ſuis negotijs intermiſſis, rerum neceſſariarum iacturam faciẽtes neq; vero ſine magno fructu, & vtilitate concionem illã audierunt. Nam ex ea ita commoti, & inflati in Catholicos, domum redierunt, vt iam inde, & manus in bonos inijciendi, & templa Deo dicata prophanandi, voluntas minime illis de feciſſe videretur. In compitis, & plateis Ciuitatis, paſſim audire erat, gratulatorias voces, & gratiarum actiones, quibus illi Patrẽ ſuũ cęleſtem benedicebant, quod lux diuina mundo iam affulgeret, & veritas Euangelica, antea idololatrarũ dolo deliteſcens, publicè ãnunciari audiretur, quodq; à Sacerdotibus, & Monachis impoſtoribus, maximè vero ab hypocritis Ieſuitis, Dei munere liberati eſſent: vnde non paruo timore Catholici concuſſi ſunt, partim quod res noua, & inaudita eſſet: partim quod multi externi adeſſent, quibus nocendi non defuiſſe voluntatem (ſi fuiſſet facultas) ipſa conuitia, & blaſphemiæ. quas in Catholicos, & Sanctos Dei, Eccleſiæque Sacramenta palam euomebant, non obſcurè demonſtrabãt. Verum Deus optimus maximus, eos nondum ſua indomita libidine, malaque voluntate vti permiſit, ſed veluti freno habeniſque quibuſdam ad tempus eos coercuit. Cæterum ab eo tempore, & Tornaci, & in pagis vicinis publicè, & intrepide concionati ſunt, non tamen in ipſa Ciuitate, ſed in locis Ciuitatis muro proximis. At non parum toto eo tempore ab ijs vexabantur, agitabanturque Catholici omnes, qui Societati Ieſu fauere, frequenterque ad confeſſionem, & concionem venire exiſtimabantur. Nam Sacerdotes, qui ad pagos concionatum mittebantur, deceptores, maleficos, latrones, animarum interfectores, ſępiſſimè vocabant, eis minabantur, inſidias tendebant, & non multo poſt mactãdos, trucidandoſque affirmabant. Cum ijs quandoque in certamen, diſputationemque deſcendere volebant, & deinde tanta eos corona cingebat, vt vix eorum manus euadere poſſe arbitrarentur. Eaſdẽ, in Ciuitate ipſa, immò maiores adhuc inſolentias exercebant, ut iuuentutẽ collectam, & bonarum artium ſtudijs operã nauantem diſturbare, & diſſipare poſſent, quoties ex illis ſeditioſis concionibus reuertebantur, ad plateam quandam, Conictorum ædibus vicinam, cum bombardis veniebant, ibique, & ante Scholas, & Collegij portam, globulos emittebant, ad Cõuictorum animis timorem, & horrorẽ incutiendum, ut hac ratione in fugam ſe verterent. Veniebant, & noctis hora circiter 12. 1. 2. & tantos tumultus, tantaſque Tragœdias excitabant, ante Collègium, vt omnes Ieſuitas, è medio ſublaturi illico putarentur. Quando per plateas progrediendum erat Sacerdoti, tanta inſolentia efferebantur, tantiſque iniurijs & ſcomatibus tranſeuntes afficiebant, ut dici vix queat, Bombardas ſæpè auribus admouebant, veſicas exhibebant, & ſimilia. A veſicis autem ſumpta deriſio, inde profecta eſt, quod feſto D. Iacobi Apoſtoli, cum concionator Catholicus, qui acerrimè in eos inuehebatur, eorumq; nefarijs conatibus reſiſtebat, in B. virginis Mariæ templo concionaretur, ad concionẽ impediendam, auditorumq; animos turbandos, nec non ad infamiæ, & puſilanimitatis notam, omnibus Catholicis inurendam, puerum quẽdam pecunijs corruperunt hęretici, vt veſicas duas benè inflatas concionis tempore inter ſe concuteret, hacq; ratione populum commoueret. Quod cum ille in una templi parte exequereꝰ, ſonꝰ ad inſtar tympani audiebatur, quo auditores cõturbabãtur. Nõnulli porrò Catholici, puerũ increpabant, eũq; niſi ceſſaret, è templo eijcere minabantur.

Sed

Sed quidam ad id subornati hæretici, se illis opposuerunt, atque rem eo deduxerunt, vt magnus tumultus in templo excitaretur, qno vehementer exterrefacti Catholici (quia hæreticos in eo die ad Concionem armatos ire, & reuerti, atque per Ciuitatem more militum se lustrare, atque vagari viderant) putauerunt aduersarios in templum, vt omnes trucidarent, iã irruere. Hinc factũ est, vt quisq; fuga salutem quęrere studuerit, de quo hæretici calumniandi occasionem acceperunt. His & similibus peractis furoribus, tandẽ 16. die Augusti in magno quodam ac celebri pago, nomine Tourquen, alijsque pagis vicinis quatuordecim tẽpla inuaserunt, imagines deiecerunt, altaria funditus euerterunt: atque ita Ecclesias Dei spoliauerunt, vt iam neq; Missæ cælebrarentur, neque conciones, nisi hæreticæ fierent, neque vllum Ecclesiasticum munus exerceretur. Taceo quas pastoribus, maximè ijs, qui fortiter, atque viriliter pro fide, & religione sancta tuẽda digladiabantur, iniurias intulerint, quamque omnibus molesti fuerint, cum non vt homines: sed vt canes rabidi ad ea cum omni impetu ferrentur, ad quæ eos, feroces eorum appetitus traherent.

Die tandem 22. sub vesperam, quæ in confractione imaginum Antuerpiæ gesta erant, in Ciuitatem sunt perlata, quibus auditis, tantis sunt exagitati furijs, vt vix negotiũ illud in diem sequentẽ differre possent: distulerunt tamen, vel quia ad suum facinus perpetrandum, vespertinum tempus minus fortassis idoneum iudicarẽt, vel quoniam publico primatu Ciuitatis, ipsorumque etiam hæreticorum edito cautum erat, ne quis ea nocte noui quippiam attentaret. Vnde & ad ianuas Ecclesiarum, & Monasteriorum, atque Collegij adhibiti sunt, qui excubias agerent, obseruantes ne vi nebulones irrumperent. Sequenti igitur die, qui fuit 23. summo mane per Ciuitatem, nefarij isti homines, huc illucque discurrebant, & furibundi vagabantur, tanquam incerti, in quam sacram ædem manus sacrilegas primum injcerent. Qui Collegio Iesuitarum viciniores erant, magno impetu, & clamore irruunt in domum eorum, plus minus quadringenti, quinq;, aut sex socios qui aderant, quiq; genibus flexis letanias recitabant, torno vultu, ac minacibus oculis intuentur, idololatras appellant, innumeris dicterijs, conuitijs, & oprobrijs incessunt, mille mortibus Iesuitas omnes esse dignos vociferantur, vt qui magna ex parte causa extiterunt effusi sanguinis plurium, quam decem millium martyrum, qui pro verbo Dei (vt aiebant) mortem oppetierũt, nemo tamen cohibente Deo, vel minimo digito illos tunc attigit. Imagines tantum, quas passim repererunt deijciunt, cõfringunt, dilacerant, altaria demoliuntur, libros qui supererant exurunt: quidquid ciborum erat deuorant. Quod dum fieret Sacerdotes quatuor qui aderant se subtrahentes recedunt, & Anthonias qui pagus est Tornaco vicinus, se recipiunt, relictis tribus coadiutoribus, qui domũ, & supellectilem custodirent. Interim in omnibus alijs Ecclesijs, Monasterijs, ac locis Deo consecratis eidem operi grauiter incumbunt socij εἰκονόμαχοι nihil intactum relinquerunt, nullum altare integrum in tota Ciuitate sinunt consistere, nullam imaginem, nulla organa, nullas vestes sacras, nil denique Deo ac Sanctis eius nuncupatum inuenire erat, quod non sacrilegis manibus prophanarent, deturbarent, disrumperent, destruerent, ac funditus euerterent. Quibus omnibus sceleribus ac sacrilegijs (quod sanè dolendum est) ne vnus quidem in tota Ciuitate fuit, qui se auderet opponere, pauci tantum Catholici, dum vidèrent uebulones istos, cum maleis, & securibus vi irrumpẽtes in ædem sacram D. Virginis Mariæ, quæ vltimo fuit direpta ac violata, quæque summum est templum Ciuitatis, omniumque splendidissimum, ac ornatissimum, summo mœrore affecti supplices accedunt, ad Præfectum militum, qui circiter trecenti forum tenebant, obnixe rogantes, vt memores iurisiurandi, quo astricti fidem suam obligarunt, non patiantur hoc celeberrimum templum violari, & à sacrilegis spoliari. At illi respondérunt, se quidem iurasse, verum vt non templa, & imagines, sed

vt Ciuitatem seruarent, ac defenderent: quo audito quam tristes, ac mœsti discesserunt pij illi viri, facile quisque intelligit. Quantum etiam animi dolorem tunc, diebusque aliquot sequentibus persenserint reliqui Catholici omnes, cum Ecclesijs, & Sacerdotibus, & venerabili altaris sacrificio, atque omnibus denique sacramentis, quæ potissima sunt Christia, norum solatia, se animaduerterent omnino destitutos: quis enarrare sufficiat? Vidisses passim mulieres, ac viros pios, in cœlum sublatis oculis eiulantes, & ex intimis visceribus, tam piam subinde ad Deum orationem effundentes, vt vel adamantina corda emollire potuissent. Interim duoè Iesuitis, qui vt diximus, proximo die Dominico cõcionaturi erãt, quiq; in domum amici pridie se receperant, cũ cernerẽt omnia templa prophanata, atq; sordibus lapidibus, fragmentis altarium, & imaginum in aceruum congestis mirum in modum esse deformata, nullamq; spem superesse futuræ Catholicę concionis, cogitarunt & ipsi de discessu. At non sine magna difficultate, abire sunt permissi, clamantibus Hæreticis retinendos, ac tandem interimendos Iesuitas omnes, tanquam authores totius ferè idololatriæ, quæ sex ab hinc annis Tornaci contra Deum commissa est. Cum igitur ad portas Ciuitatis cum duobus summi templi Sacellanis venissent custodes portarum duobus illis Sacellanis, data quidem egrediendi facultate, Iesuitas duris admodum verbis repulerunt, addẽdo se in mandatis habere, vt nullum Iesuitarum emittant, seque acriter hoc nomine à suis increpatos, quod illos qui in Collegio erant abire sint passi. Diuino tamen beneficio, & ope ac diligentia procuratoris Regij, qui Catholicus est, & semper illis fauit, effectum est, vt tandem sub vesperam, liberi, & illæsi abirent, seque Anthonias ad suos reciperẽt. Atque hæc quidem die 23. Augusti, contingerunt, quo nihil adhuc ex Collegio Hæretici exportarant præter vnum, aut alterum farinæ frumentique modium. At sequenti die ijsdem furijs ad Collegium redierunt, multoque magis inflãmati, & excitati, paratioresque ad nocendum, quam præcedenti die, atque tũc vestes quascumque inuenerunt, lectos (quantum enim ad sacras vestes attiner, eæ cum vasis sacris, cæterisque Ecclesiæ ornamẽtis Anthonias antea perlatę erãt) reliquam suppellectilem acceperunt atq; ad domum Ciuicam detulerunt, multa tamen priuatim clepserunt, Arcas autem sedes, scamna, lecticas, cæteraque lignea omnia, cum carbonibus, qui in vsum Collegij empti fuerant, sub auctione publica vendiderunt. Atque dici non potest, quam erant in omnes Sacerdotes irato animo, quos si in Collegio adhuc inuenissent, eorum (non ambigo) vitæ insidiati fuissent. Quin, & coadiutoribus insultabant, minitantes, & simulantes se eos corda, quam tenebant, velle suffocare, & in ignem, qui ex libris exustis instructus erat, inijcere. Omnibus quæ domi erant in hunc modum ablatis, & distractis, tres illi coadiutores, qui domum seruaturi remanserant, & ipsi quoq; alio profecti sunt.

Die 25. eodem furoris Spiritu correpti Iconoclastæ in pagum nomine Macchieneñ. quinque milliaribus Tornaco distãtem excurrunt, vbi situm est, D. Benedicti Monasterium longe magnificentissimum, vnde cum deiectis confractisque imaginibus, ac bonis omnibus, quæ repererunt direptis, bene poti reuerterentur, atq; ad vicinum Aquicinctense Cœnobium irer suum dirigerent. Ecce ex improuiso occurrunt rustici Catholici, qui dum hæretici prophanandæ ac spoliandæ ædi sacræ, domuiq; Machianensi sedulo incumberent ex varijs pagis campanæ pulsu euocati illuc conuenerant, sacrilegos hostes agrediuntur, manus cõserunt, vincunt hæreticos, occidunt plures, quã 150. multos vulnerant. reliquos dissipãt, ac fugant.

Hæc summatim sunt, quæ in illa templorum direptione, & spoliatione primis illis diebus contigerunt. At quæ sequẽtibus acciderunt, longum esset enumerare. Totum D. Virginis ædis chorum demoliti sunt, sub altaribus ac per totum ferè templum profunde foderunt, arbitrati se Ecclesiæ thesauros, & ingentem pecuniarũ vim inuenturos. Verũ præter trecen-

trecentos circiter coronatos, qui in arca sacrarij reconditi erant ad persoluendas Sacerdotibus distributiones, nihil inuentum est, demptis tamen sacris vasis, & imaginibus aureis ac argẽteis parieti inclusis, quæ estimari poterãt octo millibus ducatorum. Cæterorum etiam omnium templorum angulos perscrutati sunt, vt si quid forte abditũ abstrusumq; esset eruueretur, ita factũ est, vt omnia quæ ipsis impedimento esse videbãtur, funditus deturbarent, idq; aliquando non sine vitæ discrimine, quum & ipsam summi templi testudinem conscenderunt, in qua turribula aliquot, aliaque vasa argentea inuenissent, ac diripuissent, nisi industria nobilis cuiusdam Catholici, pridie inde ablata fuissent. Post vnum tamen, aut alterum mensem, seuero Gubernatricis imperio compulsi, bonam partem eorum omniũ, quæ tum è templis sacris, tum è monasterijs religiosisq; domibus sacrilegi abstulerant, reddiderunt. Neq; vero putandum est, finem hic accepisse rebellionem, tumultus, rapinas, sacrilegiaq; ipsorum. Nam ad festum vsq; Natiuitatis Dominicæ, tam in Ciuitate, quã in vicinis pagis, ac oppidis insolentissimè, atq; petulantissime se gesserunt. Soli illi tanquam Ciuitatis Domini visi sunt ad tempus Ciuibus imperare, & omnia pro arbitrio suo moderari, adeò vt primarius eorũ Minister latus dextrum clauderet primi Prætoris, quod fieri veller cum imperio decerneret, quandoq; etiam interminatus se eum næci daturum, quum quod ille iniunxisset serio non exequeretur. Ter in hebdomada in duabus præcipuis Ciuitatis Ecclesijs impias suas, ac blasphemijs plenas conciones habebant, vbi more suo, & pueros baptisare, & coniugia inire contra edicta Regia non cessabant. Funera ẽt suorũ contra traditiones Ecclesiasticas efferebant, ad quorum solemnitatem, die quodam cum senem quempiam Catholicum inuitarẽt, qui prædiues erat, & parens defuncti, facetè illè admodum. Vos inquit, nec lucernis, nec candelis in exequijs vestris vtimini, ego vero qui senex sum, & cecutiens sine lumine videre nequeo. Et quãquã Catholicis permissum quoq; esset diuina celebrare officia, & ijs impune interesse, sacramenta ministrare, ad populum concionari, & id genus alia, quæ Christianis in vsu esse solent, exercere, tam molesti tamen erant deplorandi isti homines Catholicis, tum laicis, tum sacerdotibus suum in diuino cultu præstantibus officium, vt sine magno metu, & periculo munera ista sancta exerceri non possent. Contigit semel vt absoluto sacro quispiam ex sacrilegis istis nebulonibus, posteriori corporis sui parte denudata, sanctum altare, per contemptũ videntibus qui astabant vniuersis confricaret. Pleriq; etiam, quod Catholici in tẽplis suis hodie reparabant, postero die confringebant: & Crucifixi imaginem, quam pij viri magno studio, & deuotione suo loco reposuerant, mox isti maiori impetu deturbabant, & funibus alligatam cachinis, & blasphemijs per publicas Ciuitatis plateas raptabant.

Illud prætereundum non est, ipsos interea temporis minime segnes ac inertes extitisse, in propaganda, stabiliendaq; sua impia religione. Siquidem iam inde tẽpli noui, in quo hæresis suæ exercenda sacrilegia postea obirent, prima fundamẽta iacere inchoabant, idq; ex rupturis sacrarum imaginũ, quas è templis deiecerant, per risum, & contemptũ affirmañ. nõ posse, non esse stabile templi ædificiũ, cuius fundamenta tãdiu steterunt, dũ Papistarũ essent. Cæterũ quæ hoc eodem tempore, ab ijs gesta sunt in vicinis locis, nequaq̃ sanè minoris fuerũt impietatis, & nequitiæ. Nã vt interim silentio transeamus blasphemiã, ac sacrilegij impietatẽ, quã in diuersas Ecclesias, ac res sacras exercuerũt, vt ẽt incendia direptionesq; domorũ, & castrorũ nobiliũ Catholicorum omittamus, quis referre posset cõuentus, conspiratione, technas, & insidias, quas tunc isti moliebantur, aduersus Regiæ Maiestatis exercitũ, qui perfidũ, & rebelle Vallencenense oppidũ obsidebat. Conscribebant militẽ, pecuniã conferebãt, ad arma conuocabãt, qui cũ semel, atq; iterũ à Catholicis cæsi, ac fusi fuissent, collectis rursus hinc inde viribus, cũ impetu quodã veluti amentes, & desperati in quatuor monasteria Tornaco vicina, furibundi irruerunt, eaq; incenderũt,

vt vel hac ratione ex hominũ conſpectu, ac memoria tollerentur, quorum templorum primum fuit Carthuſia, alterum S. Nicolai, quod iam ſemiexuſtum plane dirueretur: Tabellarium Catholicum illac tranſeuntem, ad oſtium Monaſterij ſuſpenderunt, hac ſola de cauſa, quod ad Principem Catholicum cum literis mitteretur. Reliqua duo Monialium Monaſteria, Illuſtres quidam viri, benè ad religionem Chriſtianam affecti, & templa Deo immortali dicata, à tanta iniuria vindicanda, & illorum nefarios, planeq; peſtilẽtes conatus reprimẽdos putauerũt. Inſtinctu itaq;, ac permiſſu Gubernatricis, collecta militum aliqua multitudine, eis obuiam proceſſerunt, Duce Illuſtriſſ. ac præclariſſimo viro, deque religione Chriſtiana optime merito, Domino de Norkerm. Atq; viriliter eos inuadentes manuſq; cũ illis conferẽtes, multi ex eis, vel plures exiguo temporis interuallo, Dei opitulante gratia, e medio ſuſtulerunt, reliquos in fugam verterunt, qui in Ciuitatem reuerſi, cum ijs, qui ex eorum hæreſi Tornaci remanſerant, tanto iterũ furore, tantaque rabie, ob hanc cædẽ ſunt repleti, vt iam non imagines, ſenſus expertes, ſed viuas ad Dei imaginem, ſimilitudinemq; creatos deijcere, & diſturbare molirentur. Diſcurrebant per Ciuitatem gladijs, mucronibuſq; diſtrictis, bõbardis oneratis armati, & veluti Leones rugientes quærebant ſacerdotes, & Catholicos, quos trucidarent: atq; certè, niſi turbulento illo furore graſſante Catholici latuiſſent, magna Catholicorum ſtrages, fuiſſet conſecuta. Deus tamen tela eorum à Catholicorum ceruicibus, ita depulit, vt vnus tantum, ac alter milles occideretur, & ſacerdos vnus læderetur. Hoc audito Domina Gubernatrix, Dominum de Norkerm eo mittit, vt qua cumque ratione poſſet tanto malo occurreret, atque ſcæleratorum illorum ſiccariorum ceruicem ſuperbam deprimeret. Quod non impigrè executus eſt, vir ille præſtantiſſimus. Nam dicto citius ea hominum armatorum multitudine comparata quam ſatis eſſe iudicabat, noctu Tornacum tendit, Arcem Ciuitatis cum ſuis ingreditur, Tornaceñ. præcontatur rebelles, num velint Regis militem in Ciuitatem admittere, an vero reijcere: dato ad deliberandũ non amplius quã ſeſquihoræ ſpatio. Illi vt erant ſubitò timore perculſi, exiſtimarunt ſe non aliter ſuæ, ſuorumque vitæ, ac ſaluti bene conſulturos, niſi illico poſtulata concederẽt. Annuunt igitur. Tunc ouans ſuo comitatus exercitu, Tornacum intrat, fortiſſimus Dux. Cuius aduentus, quemadmodum magnum ſolatium bonis omnibus, ita malis ingentem terrorem attulit. Nam hæreticos ſtatim vi ſubegit, arma eorum ad ſe adferri curauit, & ad tantas eos angũſtias redegit, vt vix cultros quibus panem ſcinderent, eos habere pateretur. Idẽ in pagis vicinis fieri iuſſit, miſſis curribus, qui ruſticorum hæreticorum arma bellica, in arcem adueherent, quorum omnium armorum, inſtrumentorumque bellicorum, valor tantus fuiſſe fertur, vt 25. millium aureorum ęſtimationem excederet. Poſtmodum in obſequium Regis omnibus reductis, plurimi comprehẽſi in carcerem conijciuntur, ex ijs aliqui ſupplicio extremo afficiuntur, quidam proſcribuntur, eorum bonis fiſco Regio applicatis, alij alijs pœnis quiſq; pro merito caſtigantur. Atque ita ſummo Dei beneficio factum eſt, vt pax, & tranquilitas Reipub. Tornaceñ. redderetur, quã is qui conceſſit, diutiſſime dignetur conſeruare. Amen.

Addam his quonam pacto nonnullæ Ciuitates magna conſtantia Pſeudoeuãgelicos iſtos repulerint, & in primis Louanienſ. ſtrenue admodum ſe geſſerunt, quibus præter cæteros, ob Theologos, & Sacerdotes hæretici minabantur. Cum enim in cæteris Ciuitatibus tumultuarentur, nationes ſtudioſorum ad Senatum acceſſerunt, vitam fortunaſque ſuas in deffenſionem Ciuitatis offerentes. Vniuerſitas etiam cum magiſtratu conuenit, vt vno animo vtraque Reſpub. Iconoclaſtarum conatibus ſeſe opponeret. Delecti ſunt igitur tam ex vniuerſitate quã ex Ciuitate, qui huius militiæ ductores eſſent, & de communi tranquilitate ſtatuerent. Senatus ſuos Ciues deſcripſit, & in vniuerſitate quatuor millia ſtudioſorum, huic ſacræ militiæ nomen dederunt.

runt, communiter forum, portas, & mœnia Ciuitatis obseruarunt. In plateis vero vicini vigilarunt: & hoc sane in Ciuibus Louanien. laudandum est, quod cum domum quandam suspectam haberent, ad quam sub vesperas nonnullos videbant conuenire, rem detulerunt ad Senatum, & eum securum esse iusserunt, se enim daturos operam vt nihil mali foueatur. Fuerunt nonnulli, qui in his turbis imagini B. Mariæ virginis insultabant, & non diu illic mansuram minitabantur. Eorũ vnus cum hoc in templo S. Petri diceret, à studiosis est comprehensus: alij duo id dicebant, in foro piscario imagini, quę in ponte aurigarum stabat, & illi à Ciuibus sunt in carcerem trusi, diligentia aurigarum, quæ gens alioqui est sex totius Ciuitatis. In supplicatione Louanien. quæ fieri solet Dominica prima Septembris, iucundum erat videre Cleri, & populi deuotionem, qui non modo solum magna multitudine Imaginem D. Virginis, & Sacrosanctum Christi corpus (quod tunc præter solitum ad fidei attestationẽ circumferebatur) comitarentur, sed qui armis vias omnes, & portas, ab aliquo tumultu, & seditione tuebantur, & supplicationẽ ipsam pulcherrimo ordine sequebantur. Contigit in hac Ciuitate, vt quidam iter faciens Bruxellam, in itinere fenestram vitream in quodam templo manu excusserit, delatus est iste ad Prætorem, & comprehensus, supplicio capitis penas suæ temeritatis dedit, in fide Catholica moriens.

Bruxellæ non minus strenuè, atque Louanij se habuerunt. Nam cum ibi magna sit copia hæreticorum, tantum tamen effecit bonorum Catholicorum ardor, vt prauos eorum conatus impedierit. Sollicitabant hæretici magistratum, vt in Ciuitate ipsis liceret concionari (nam extra Ciuitatẽ cœperãt) habebãt ex primis confœderatis nobilibus patronum, qui prætextu componendæ pacis, omnia ipsis a Magistratu pollicebatur, & eo rem perduxerat: vt Magistratus graui metu perculsus deliberaret, vtrum illos sui voti compotes redderet. Erat tunc forte in domo Ciuica plebeius quidam homo, qui grauiter reprehendens nobilem illum, senem, iussit eum suam domum abire. Non enim permissuros bonos Catholicos, vt sacrilegæ istæ Conciones in Ciuitate haberentur. Si inquiunt, Geusijs adsunt mille, nobis adsunt duo, aut tria millia. Reddimus Ducisam, & Magistratum securos, neque solum admittere volumus Conciones domesticas, sed etiam omnes externas, ad quas nolumus quemquam Ciuium nostrorum excurrere. Contigit istud circa festũ Natiuitatis Beatæ Virginis. Itaq; cum vellent Hæretici foras ad suam Concionem maxima turba egredi, per portam, quæ ducit in Flandriam, præmiserunt quendam ad custodes, qui egressum peteret, (erant autem 60. in excubijs illius portæ) responderunt custodes, id sibi per magistratum non licere, atque interim portas omnes tam ferreas, quam ligneas firmissime obserant, & claues alia via mittunt ad Senatum. Aduersarij porrò vim illis intentarunt, sed cum abesse claues viderent, magno concursu in forum se contulerunt vim minantes. At tanta fuit bonorum Catholicorum manus, vt nil attentare Geusij fuerint ausi. Atque ab eo tempore externæ Conciones cessarunt, & in Ciuitate securius est actum.

Est iuxta Bruxellam ad duas Leucas, oppidum exiguum Vilnordia, munitum tum aquis, tum fortissimo carcere Drosard Brabantiæ. In eo cum Magistratus Catholicus ea intelligeret, quæ in imaginum demolitione Geusij Antuerpiæ, atque alibi perpetrassent, magna sollicitudine inijt consilium, quo similia mala à suo oppido auerterentur, & quidem decreuerunt Senatores, pro patriæ incolumitate, & auita religione, se velle etiam sanguinem & vitam dare, sed vt idem vellent ciues hoc laborandum esse.

Itaque ad sonitum tubæ, vt fieri solet, omnes sunt in forum euocati, ad quos vnus de Magistratu insignẽ orationẽ habuit, qua enumeratis malis, & facinoribus Iconoclastarũ, animos Ciuium aduersus eos excitabat: & addebat Magi-

ſtratum vniuerſum quidem ſanguinẽ ſuũ libenter profuſurum in Ciuitatis conſeruationem, ſed tamen ſententias reliquorum Ciuium deſiderari, ſine quibus nihil poſſe decerni. Qui ergo, inquit, ex vobis alterius ſunt ſententiæ, atque eſt Magiſtratus, ad ſiniſtram partem ſecedant, vt noſtros ab aduerſarijs decernamus. Cũque intermiſſa oratione, neminẽ ſe mouentem videret, commendata Ciuiũ conſtantia, iuſſit, vt manum attollerent ,,qui cumque cum Magiſtratu religionem auitam proponerent conſeruare. Hic omnes in altũ manus ſuſtulerunt, nec quicquam ſunt incommodi paſſi ab Iconoclaſtis, qui vehementer tamen ipſis inſidiabantur.

Eſt aliud oppidum Aloſtijm in Flandria, in medio itinere Bruxella Gandauũ. Eo paulò ante feſtum omnium Sanctorũ, prohibente Magiſtratu, adduxerunt Geuſij Concionatorem, qui extra Ciuitatem concionaretur, egreſſi ſunt plerique è Ciuitate ad Concionẽ, ſed inſtructa ſunt tria collegia ſagitariorum, qui ſacrilegã Concionem impedirent: iamque concionari cœperat, Dominica quæ præcedit feſtum omnium Sanctorum, cum ecce mittuntur ad ipſum nuncij, qui ad hoſpicium vocent, vbi nonnulli ipſum petebãt conuenire. Reſpondit, Expectarent finẽ Concionis. Reuerſi nuncij dixerunt rem vehementer vrgere, neque poſſe vel vno momento expectari. Concionator itaque rogauit auditores, vt ad breue tempus ipſum abire ad aliquod negotium paterentur, ſtatim rediturum, atque in concione perrecturum. Iuit ad hoſpicium, iuſſus eſt manere captiuus. Ingreſſi ſunt & tres alij Ciues auditores, viſuri, vbi tanto tempore hæreret Concionator: ſed etiam illi detenti ſunt capti. Populus expectans Concionatorem, non ferens tantam morã indignans receſſit, dicens Concionatorem illum nebulonem, qui fortaſſe accumbens menſæ, ipſorum eſſet oblitus. Ducti ſunt iſti in Ciuitatem, & Concionator ipſo feſto omnium Sanctorũ cũ populus poſt ſummum ſacrũ, templo egrederetur, affixus eſt patibulo. Dicitur ipſe rogaſſe, cur in tanto feſto ſupplicũ de ipſo ſumeretur, & reſponſum ei fuiſſe, quia ipſe, dies omnes æquales feciſſet.

Ad aliud quoddam oppidum Flandriæ, cui nomen eſt, Gerardi mons, venerunt hæretici Guadienſ. Andenardenſes, vt templa violarent, quemadmodum alibi fecerant, & iam vicini erant Ciuitati. Cum boni Ciues magno animo egreſſi, plurimos ex illis cœperunt, alios interfecerunt, cæteros in fugam abegerunt, è quibus multi cum in vicinum flumen ſe darent præcipites ſubmerſi ſunt. Ex captiuis (quia nondum ſententia venerat ex Aula, de ipſorum ſuſpendio) plurimi ſunt flagellis cæſi, & habito ex Aula mãdato viginti & vnus, vni arbori affixi.

Quantum paſſi ſunt Brugenſes, quantoque animo hoſtes repulerint dici vix poteſt: nunquam permiſerunt tamen, vt in Ciuitate ſacrilega concio fieret. Extra Ciuitatem, ab externis hæreticis habita quidem eſt, ſed à pueris Cõcionator in Concione eſt deriſus, qui alta voce ei acclamabant (Iaci) quæ vox eſt irriſionis. Nam quia è libro videbant eum cõcionari, quod hic inſuetum eſt, dicebant eum ignorare lectionem, ideoque indignũ qui Concionem faceret. Boni Ciues cũ prohibere aliter Concionem non poſſent, quæ in Cimiterio eiuſdem templi extra Ciuitatẽ fiebat, campanas pulſarunt illius templi, quo factum eſt, vt concionator à ſuis audiri non potuerit.

Plura quidem ſunt, quæ de Amſterledano, Buſtoducis, vtroque Traiecto ſcribenda forent, ſed ea ex iam dictis colligere poteſt. Adijciam porrò nunc quædã de his, quæ contigerunt, hoc anno poſtquam melius ſperare cœpimus.

Indictus poſtea fuit Conuentus ab Illuſtriſſima Gubernatrice Flandriæ in oppido S. Tridonis ad 15. Iulij diem, poſtea tranſlatus in Duffle ad 15. Iulij. Ad eum hæretici confœderati venerunt, nigro habitu, iniecta collo catena ferrea, appenſa Regis effigie, & vaſculis ligneis ſuffarcinati, humilitatem & obedientiã præſeferentes: ſcripto quoque oblato promiſerunt ſe fore morigeros, & obſequentes Catholico Regi, & Illuſtriſſimæ Gubernatrici. Hac data fide, & his ſignis ſubiectionis oſtenſis ad 10. Auguſti Sacellum S. Laurentij apud Caſſetum

Flan-

Flandriæ vastarunt, incitante ad facinus Apostata quodam Augustiniano. Idem factum est postridie Balliolani.

Ypris autem ad diem 13. eiusdem mẽsis templa omnia inuaserunt, imagines omnes, Christi Crucifixi signa, altaria, baptisteria, thecas, S. Eucharistiæ, organa sedilia, Sacella, suggestus, candelabra, codices, confregerunt, ornamenta omnis generis, thesauros, calices, patinas, ampullas, cruces, turribula, aut asportarũt omnia, aut inflammarunt. Sacrosanctã Eucharistiam pedibus conculcarunt, ignibus iniecerunt, globulis, & pugionibus confoderunt, sacro oleo, & Chrismate calceos inunxerunt, & cum imagines Sanctorum, & Christi Crucifixi simulachra deturbarent, his vocibus compellarunt. Si Christus es, si filius Dei es, si quis Sanctorum, aut aliquid potes dicito, & sic tuam imaginem non confringemus.

Ad diem quindecimam Augusti, qua gloriosissimæ virginis Mariæ, in cœlum assumptæ memoria cælebratur: cæperunt Geusitę denuo Antuerpię tumultuari. Die vero Martis sequenti, cum vespertinas preces Canonici, Christiano more persoluerent, fautor quidam Geusitarum Minister, conscenso suggestu, prolatoq; nouo testamento, Parochum Ecclesiæ ad disputationem prouocauit, eum zelans quidam Catholicus nauta è suggestu deturbauit, mox Hæreticus nautæ brachium sclopeto transuerberauit. Inde tumultus occasionem adepti Geusij, solito suo furore imagines omnes locis suis motas comminuerunt, ædiculam præciosissimam Sanctissimæ Eucharistiæ confregerunt, Monasteria similiter vastarunt, quæ deuorare non poterant, proiecerunt, vinum, & cereuisiam extractis epistomijs effuderunt, in vasa butyri, & in farinas lotium, & oletum immiserunt, supellectilem omnem diripuerunt, Monachos ad defectionem, & Apostasiam minis, & precibus incitarunt.

Cum autem in potestatem Auriaci Tyranni Antuerpia deuenisset, tam acerbo odio Martinistæ, & Caluinistæ visi sunt dissidere, vt vtrique sectæ separata templa erigerentur, nec fas censeretur alterum ad alterius templa, cultus, aut religionis causa accedere, idque testatur vir doctissimus Stapletonus.

Idem factum est 22. Augusti apud Buscuducenses D. Ioannis templum, cui nihil reliqui fuisse videbatur, ad summũ splendorem, & incredibilem elegantiam. Simili ibi quoq; furore, & amentia bachati sunt, omnia vastarunt, conquassarunt, conciderunt, combusserunt. Atque atrociter sæuitum est in Franciscanorũ, & Dominicanorum Cœnobia, inque alias omnes eiusdem oppidi ędes venerandas.

Ita Gandaui, ita Tornaci, ita Mechlinæ, ita Aldernadi, ita Traiecti perdere, vastareq; omnia conati sunt, nisi alicubi Magistratus potestas obstitisset.

E' THEATRO crudelitatum.

SVB initium anni 1572. Nicolaus Picque, Ordinis S. Francisci, cum decem alijs fratribus, in Ciuitate Gorcomensi captus, post multas contumelias Brilam mittitur, & vt erant luto admodum conspurcati, in circuitu patibuli cuiusdam, militum fustigationibus circumacti sunt, præcedente impio milite, crucem per ludibrium erectam gerente, & subsannante. Eos tandem 14. Kal. Augusti, ex horrei cuiusdam trabibus suspẽderunt, nec satis hoc, naribus, & auribus rruncant, ventres aperiunt, quidquid possunt adipis euellunt, & per omnem proximam diuendunt.

In eadem Ciuitate Brilensi, diuersis vicibus 184. personæ Ecclesiasticæ martyrio sunt coronatæ.

In templo Gorkomensi Christi crucifixi simulachrum abstulerunt, & morti adiudicatum, patibulo suffixerunt.

Cuidam Præsbytero apud Goudam Batauiæ vrbem, Hostiam sanctam è manibus eripiunt, & patibulo clauis affigunt.

Ibidem honestę quædam Matronæ sæpta Monasterij ingressę, vt sarcinas inspicerent, eas Geusitæ subito comprehensas, tanquam scorta monachorum traduxerunt, cum tamen ab honestissimis maritis excusarentur, quod tum primum domo sua fuissent egressę.

In Oppido Gorkomeñ. ad 30. Sacerdotes, & religiosos viros laqueis præfocarunt, mortuos vestibus spoliarunt, alios auribus, alios naribus, alios pudendis mutilarunt, quibus ad galleros affixis ludibundi triumphabant. Noui sane, & infames Alacti. Scribit. n. Abbas Vbspergensis, quod Alactus de Tridento, cum à Scenona Diacono illusus esset, quod pro Rege Chumberto, cuius arma induerat se gereret, votum vouit, si victoriam de Chumberto reportaret, quod puteum vnum de Clericorum testiculis impleret, propter quod ēt statim in prælio cecidit.

Simile Martyrium plerique Sacerdotes in Alimaria subierunt, vbi post sociorum suorum suspendia, supererat adhuc vir simplex, & pius Engelbertus Terburgius. Is compræhensus à Geusitis, vasa Ecclesiastica, & Cænobij suppellectilem prodere iubetur, quod cum facere nollet in equuleo extēditur, manibus, pedibusque suspenditur, admotis facibus aduritur, vrina in os infunditur, feruentissima aqua perfunditur, misere flagellatur, ac ita per menses aliquot plusquam Turcicè excarnificatus, in conspectu Ciuitatis Amsterledameñ. in pago, Rara dicto suspenditur.

Comes de Monte, ab Auriaco Principe missus, Amorfortium oppugnare volebat, Ciues hæreticarum virium metu perculsi, Comiti se dediderunt, ea conditione, quod Catholica religio sarta, tecta conseruaretur, omnisque Iconomachia cessaret, idque Præfectus in æditiori loco stans, publico iuramento, inuocato S. Spiritus nomine iurauit. Occupataque Ciuitate, cum se Euangelicum esse, nec ad fidem cuique seruandam teneri recordatus esset, templa omnia diripuit, aras euertit, omnia turbauit, Sacra prophanis miscuit.

Comes de Marck, obsessa Schonouia, vitam, fortunas, religionis Catholicæ liberum exercitium, religiosorum locorum conseruationē, Ciuibus si se dederent, iuramento, in arce Erici Ducis Brunsuiffeldia, præstito promisit, sed recepto oppido, & pacti, & fidei immemor, templa profanauit, diripuit, aras euertit, Sacramenta pedibus conculcauit, omnem Catholicę religionis vsum exterminauit.

Ibidem aliquot religiosos suspendit, Gasparum autem, Arnoldi Sacristianum equinæ caudæ alligatum, Goudam pertraxit, ac 26 Octobris antennæ alligatum sursum, atque deorsum incredibili Tyrannide tractum, ac retractum suffocauit.

Anno 1572. die 23. Iulij, Geusi Ruremundam nobilem Gerliæ Ciuitatem occuparunt, in qua cum Ēpiscopū loci Guilelmū Lyndanū doctrina, & pietate insignē, & Hosio meo Cardinali olim charissimū, nostriq; amantissimū, non inuenissent, instructissimā omni librorū genere Bibliothecā eius, horrendū in modum, discerpserunt, vastauerunt, combusserūt.

In Carthusianos hostiliter inuolarunt, lupos, & traditores vociferantes. In ingressu, Ostiarium claues offerētem, fracto ligonibus capite, & excusso cerebro peremerunt. Interius in Monasterium irruētes, Diaconum in templo pugione, Procuratorem bipenni, alios sclopetis, alios alijs bellicis instrumentis sustulerunt. Vnus grauiter vulneratus, sanguineq; suo circumfusus, in medio tēplo agebat animā, orans. Accedit misericors quidam Geus, & calces bis, ac ter in faciem morientis impegit, dicens. Orasne adhuc peruerse monache. Custos autem Carthusiæ, Sacristam vocant, supra templi testudinem sese oculuerat, quem detractū rapiunt, pungunt, tundunt conuitijs proscindunt, vulnera infligunt, nasum, & aures ambas præcidunt, mentum in modū crucis fodiunt, & cutem de capite abstrahunt, dicentes. Concionare nobis Monache. Illo vero respondente: quid ego vobis concioner, qui non vultis resipiscere. Ad suplicia sum, quā ad respōsa paratior, parcat vobis Deus, & ego parco, sclopeto transuerberatus obijt.

Paulum Vaeluick Sacerdotem, virum & eruditionis, & pietatis nomine probatū, & Lyndani Episcopi heri sui amore, & consuetudine dignissimum, & in habendis ad populum sermonibus, cum laude versatū, qui in Monasteriū confugerat, vt in illa fortunata turba moreretur, primū exigua crumena spoliant: inde palliū, & pileū auferunt, conuitijs onerāt, fustibus contundūt, ad extremū in pomariū raptatum

tum grauissimè vulnerant, verenda præcidunt, in os ingerũt, & globulo traijciũt.

Capto quoq; Audernando, oppido Flãdriæ munitissimo, in omnia illius templa, & Monasteria, æque vt alibi crudeliter sęuierunt. E primario templo ad 36. argenteos calices rapuerunt, non parietibus, non scamnis, non imaginibus, non vitris, non sepulchris, non Altaribus, nõ campanis pepercerunt.

Præter alios Pastores, & Sacerdotes Audernadeñ. omni crudelitate exceptos, Ioannem Mahũ virum ætatis, virtutis, & doctrinę nomine venerandum, & olim designatum Dauentrieñ. Episcopũ, morbis, senectuteq; ita vt moueri loco nõ posset, grauatũ, sannis, ludibrijs, illuserunt, vellicarunt, percusserunt, cucullo aprehensum, è lecto in pauimentum deturbarunt, inclementissime vulnerarunt, ac ad maiorem senis optimi cruciatum, amicis deprecantibus, semiuiuum, instar putidi cadaueris, in platea reliquerunt.

Ibidem Magistrum Petrum, vestibus nudatũ, genibus, & manibus à tergo colligatis, per feneſtram in profluentem deiecerunt, illud subinde pronunciantem, Fiat voluntas tua. Reliquos sacerdotes omnes, diuerso mortis genere pręfocarũt.

Zutphaniæ Guardiani Religiosi viri, ventrem medium aperuerunt, & cum sex alijs fratribus laqueo suspenderunt.

Pastorem quendam non procul à Scerenbergk ad lentum ignem satis diu circumactum, suspendio necauerunt.

Apud Goudam oppidum, duo venerandi Patres, Ioannes à Rixtel, & Adrianus Lamberti, seu ferę bestiæ à Geusijs agitati gladijs, & pugionibus stimulati, multis confossi vulneribus per spineta raptati, exenterati, ac demum suspensi sunt.

Gandauenses, vt Casimiri militibus Germanis stipendia soluerẽt, omne sacrũ aurum, & argentum, cruces, calices, aliaque similia conflarunt, & donarunt, quo facto, cum pacem se redemisse Catholici putarent, Geusij nihilominus in templa, & Monasteria furorem suum cõuerterunt, Christi, Sanctorumque imagines euerterunt, altaria subruerunt, sacra omnia conculcarunt, septa virginum, & Monachorũ clausura perruperunt nihilq; intactum, impollutumq; reliquerunt.

Cornelius Museus vir maxime ærudi tionis, & Poeta insignis, Delphis comprehenditur Auriaci Principis iussu, & Domino de Lumay excarnificandus tradi tur. Is manũ vtramq; scalæ erectæ alligari iussit, & ingens pondus ad pedes applicari quo in modum fidium immanissimè extẽdebatur: interim ardentibus tædis pedes, & latera ferè dissipata adurebantur. Posteà supinum reclinarunt, & ori prono per infundibulum, vim aquę ingentem infuderunt, deinde turgidum vẽtrem fustibus, tamdiu percusserunt, dum infusa aqua per os vicissim, & per nares, aures, & per secessum erumpere cogeretur. Postea duos maiores, vtriusque pedis digitos nouis funiculis constrinxerũt, & è trabe suspenderunt. Sed cum ob corporis pondus pellis, & caro digitorũ auul sa esset, ita vt ossa nudarentur, in terram cecidit. Ille vero truncatis omnibus manuum pedumq; digitis, per niuẽ sanguine cruentatam pertractus est, Lugdunũ Batauorum, & ibidem 10. Decembris 1572. in crucem actus, æternam in domum fœlicem animam emisit.

Prope Ciuitatem Iprenensem, aliquot Præsbyteros viuos in terram ita defodiũt vt capite tenus, supra terram eminerent: ad ea porro, sicut ad scopũ solent, ligneos prægrandes globos, siue pillas volutando iaciebant, præcio proposito ei qui pilam rectius in frontem eminentem intorsisset.

Engelberto à Burgo diuerso tormentorum genere prius excarnificato, totius corporis pellem acutis cultellis ita frustratim, & minutatim conciderunt: sicut suos thoraces, aut caligas, aut calceos, & ocreas solent, cristati, calamistratique milites.

Dominus de Lumay cõprehensis apud Goudam duobus religiosis Ioanne & Adriano, nudos iussit perdẽtissima, & acutissima spineta hinc, & inde raptari, & milites à tergo instare gladiorũ ictibus, vt si spinas refugerent, gladijs foderentur. Hoc sese spectaculo, cũ aliquãdiu recreasset, ad extremũ pręcepit ita vt erãt lacerati, & sanguinoléti immaniter obtruncari.

Magister Ioannes Ieronimi ex Edã cũ plerisq; alijs Cathol. Sacerdotibus octies

grauis-

grauissimis subiecti sunt quæstionibus, & multi eo genere extincti. Qui manserũt superstites, horret animus referre supplicium. Ipse cathenatus diabolus suggesserit necesse est: non quilibet enim è grege demon excogitare tam horrenda supplicia posset, supinos ligarunt, super nudos vẽtres pelues æneas concauas posuerunt, sub peluibus glires viuos prægrandes, ita ne possent euadere concluserunt, inde supra pelues ignem accenderunt, cuius calore peluim penetrante, cum fere glires non possent, ventres Sacerdotũ rodere, perforareque coacti sunt, vt sese intra viscera abderent, & ab ardore ignis tuerentur, ac ea ratione Christi seruos enecarunt.

Vrsula Telesia virgo religiosa, & constans, cum Patrem grandæuum, & alios quamplurimos Catholicos, magniq; nominis viros, ob fidem Christi laqueo suffocatos vidisset, perducta ad patibulum monebatur, religionem desereret, & militi cuidam nuberet, sed cum constantissimè renueret, in aquas proiecta, & demersa est.

Eiusdem Vrsulæ soror, Catholicorum, & consanguineorum acerbos cruciatus, iustis lachrimis deplorans, lapidis ictu ita grauiter in capite vulnerata est, vt cerebrum in faciem, & reliquum corpus diffluueret, & sic extincta est.

Imbelles Euangelici, & solos tantum Sacerdotes, & imagines debellare sueti, cum sua consilia, & conatus apud Groningam impedita viderent, vim suam in diuorum imagines effuderunt. Dauantriæ, Suollæ, Cãpis, & in territorio Groningen. tam in oppidis, quam in pagis, & in Diœcesi Vltraiectensi, erectis signis in Ecclesias furenter irruunt, & reliquum suppellectilis Ecclesiæ frangunt, conscindunt, flãmis exurunt, Catholicorum domos ostiatim expilant, campanas in tormenta bellica conflant, Baptisteria sacra in latrinas commutant, ventrisque in eis turpia onera deponunt. Vidisses per plateas sanctorum imaginum ambusta capita, crura, pectora. Altarium pallas, sacras vestes, insignes picturas, fædari, lacerari, per cœnum trahi, conspui, pedibus conculcari, & proteri. Affirmant multi, quod isto excitato tumultu plures imagines ab ipsis Iconoclastis euersę sũt, quam toto belli tempore hostes interempti.

Engelbertus à Therburck Alckmarcẽsis, quod thesauros Ecclesiæ perfidis Geusijs prodere detrectaret, columnæ sublimi affigitur, pedibus à terra eleuatis: pedes infernè arctissimè cõstringuntur, sub axillis, & genibus candelis ardentibus vritur, inde pronum scamno imponunt ori applicant infundibulum, per quem fæces fætidissimas ingerunt. Iterum columnæ alligatum flagris acutis, & pungentibus spinis, totam corporis cutem dilacerant. Deinde in scamnum reponũt, & bulienti aqua sale admixta, iacentis vulnera perfundunt, ad extremũ laqueo vitam eripiunt.

Simili crudelitate, Gorckomienses Frãciscani, in oppido Briele post carceres, virgas, flagra, tormenta varia, post nares, & aures abscissas, post erutos oculos, tandẽ perempti sunt. Eorum nomina non in cœlis tantum scripta sunt, sed in literas etiam ad vniuersi temporis memoriam, & exemplum constantiæ relata, per Thomam Bourcher Anglum.

Ita Guilelmus à Gouda vir valde pius, cum alijs plerisque in monte S. Gertrudis præfocatur, ita Ioannes Amsterledamus vno & viginti vulneribus confoditur.

Guilelmus Holst. præsbyter ad arborem alligatus à Geusijs, innumeris sclopetorum ictibus traijcitur, deinde sæua bipenni, ab occipitio per mediam dorsi partem, ad nates vsque tanquam porcus dissecatur.

Cum in Ciuitate Ruremondensi religiosi viri Francisc. instituti crudeliter à Geusijs mactarentur, inuentus est omnibus his immanior miles quidam Georgius Germanus, qui pinguiores, & obesiores religiosos, ex sociorum manibus oblata quandoque pecunia redemptos, manibus ipse suis trucidabat, abdomen siue pinguedinem extrahebat, quam ad offarum cæterosque culinæ vsus, olei aut butyri loco adhibebat, & venalem proponebat, nullius pinguedinis vsum, & voluptatem ita suauem affirmans.

Monsieur

Mõsieur de Lumey Comes de March habet Castra sua propè Leodiũ. Is ita cõtra Catholicos,& Ecclesiasticos pʃertim, ira, & furore erat inflãmatus,ut si quos habere poterat in manibus,in arcem suam abductos, ieiunio prius enecabat,postea nudos, & ieiunos virgis cædi in sua prę∫entia iubebat, inde in cubiculo ligatos recludebat, canes Anglicos molo∫sos fame enectos immitebat, qui carnes eorum lacerabant, & vorabant: etsi non præfocabantur à canibus,ipse semimortuos,& semianimes animi gratia trucidabat.

Mon∫ur de Doiu Borge∫e,ex Hou propè Leodium hebdomada sancta cũ 600. equitibus Geu∫ijs villas obequitabat, & Sanctissimam Eucharistiam, vbi habere poterat equis suis deuorandam in os ingerebat.

In Aquitania plero∫que Catholicos vi uos in profundis puteis demer∫erunt,paruulos medios dis∫ecarunt, Sacerdotũ vẽtres sciderunt, & intestina lignis intorta glomeratim extraxerunt.

Occupata, & expilata Ruremondensi Ciuitate,duos religio∫os viros, in æneum catinum viuos coniecerunt, & lento igne aqua paulatim incale∫cente coxerunt.

Tres alios verubus acutis transfixos,subiectis ardentibus prunis assos, & torrefactos reddiderunt:pinguedinem collectã ciuitati venalem propo∫uerunt, vna manu, hæderæ loco ad ostium tabernæ expo∫ita,cum hac in∫criptione,Monachorum pinguedo.

Testatur prætereà vir doctissimus Lyndanus, quod sicut templa Flandriæ facta sunt sine aris, & sine Sacrificio nouæ legis proprio, à Deo per Prophetas promisso, ac diuinitus instituto,ac proinde sine vero Dei cultu: ita Respub. facta est sine iustitia. Non iam de iudicijs Ecclesiasticis laboro, quę vna cum censuris omnibus pro ludibrio ducunt hæretici: sed de Ciuili iudicio, siue camera Imperij, hanc enim ita vexarunt,vastarunt,& atflixerũt Euangelici, veteres leges abrogando,nouas præscribendo, causas spoliorum, & sacrilegiorum suspendendo, vt omnis iustitia,teste D. Bruno in exilium videatur esse propulsata,eiusque vestigium in imperio vix appareat ullum. Nam ferro geritur res.

Quid quod per Gallias, Regem suo in Regno oppugnare, Prouincias occupare, tributa eripere, oppida suis coniuratis,licet Regni hostibus,tradere videmus Euãgelicos?

An non & tribunalia etiam Parisijs iustitium agere coacta sunt. An non mensium plurimorum ferię propter sanguinarias Caluinistarum seditiones indictæ?

Talia cum per Germanias,Galliasue non paucis locis ex Lutheri,Caluini,Bezæ,aliorumque Euangelicorum doctrina fiant, an non viuam quandam captiuitatis Turcicæ imaginem plurimis videre videris impositam? An aliud agent hostes illi Christiano nomini infestissimi,rerum aliquando,(quod Deus opt. semper auertat propitius)potiti,quam quod per istius Euangelij hostes Euangelicos,faustissimo vident inchoatum præludio?

Christi crucem Constantinopoli Anno 1453. ludibrijs infandis vexabant Turcæ: Euangelici nostri,templis iectã alicubi,seu captiuam recludunt, alij proculcant,lacerant,illudunt. Angli porro,atq; Nortmanni in Gallia exurunt. An non Christo Domino de cruce pendẽti,vtrinque ex brachio vnum suspenderunt Sacerdotem Caluinistæ?Sacratas Deo virgines Turcæ quidem violant,quam possunt plurimas: at isti si ad suas partes pertrahere nequeunt,affligũt plusquam captiuas, ita vt Cænobia per Sueuiam videre sit in carceres immanissimos esse commutata, vbi nec salutator, nec consolator admittitur vllus, nisi aliena faliat specie. Quod si suam ad perfidiam pelliciunt,aut tandem pertrahunt,perpetuo incestandas Christo deuotas,nefario polluunt adulterio,quod Euangelici dicunt Matrimonium.

Cæterum quantum iuris apud Turcas inueniet Archimandrita, suis de violatis ædibus conquestus,aut fundis ereptis tantundem,& per Germaniã,maximè si Cameræ Imperialis iudicio res veniat decidenda, leges enim priscæ Imperatorum, in quas iudices illi iurare solent,nunc ferè videntur esse sublatę,nouæ introductę, ac si verum dicere fas est, per vim extortæ: immo iudicia omnia Germaniæ,quidam Euangelicorum conabãtur mutare,

aliaque

aliaq; suo pro nouo spiritu constituere, cuius rei libellos fuisse repertos, fide dignissimi affirmant.

De ijsdem patriæ suæ calamitatibus,& miserijs, in hæc,quæ sequuntur verba,ita scribit in sua Christomachia. Infœlicissima nostra tempora, cum subinde mœstus recogito, pia illa menti recurrit Matthatiæ Machabeorum patris oratio. Væ mihi vt quid natus sum videre contritionẽ populi mei, & contritionem Ciuitatis sanctæ, & sedere illic,cum datur in manibus inimicorum, sãcta in manu extraneorum facta sunt. Templum eius,sicut homo ignobilis. Et paulo post. Ecce sancta nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinauerunt ea gentes. Quo ergo nobis adhuc viuere? Luctuosa enim hæc omnia non modo ad litteram in Ecclesijs nostrę Diœcesis ferè vniuersis acciderunt: sed maioribus etiam in Deum, & Christum eius blasphemijs, eheu dolor, sicut his Geuseorum temporibus,intra hoc grassantis intestini belli decennium perpetrata, quam olim à nefarijs illis impij Antichristi administris: Sed quis tantam calamitatem domus Dei,nostro hoc tempore exortam, idoneis elegis, ac threnis deplangat, aut lachrymis defleat?

Equidem vbi hæc mecum reputo,nõ semel illud,cum pio Matthatia ingemisco, vt quid natus sum videre hoc senio contritionem populi nostræ fidei crediti? Cũ oppida minimum octo suis cum suburbanis, pagisq; vicinis plurimis, impij Christianæ fidei hostes Tyrannide plusq̃ Turcica,postquam omnia sunt in templis prophanata, immo grex Dei dispersus, Sacerdotes profligati, Pastoribus ex dimidio obduratum os, ne plenas Deo laudes, & Eucharisticum illud Sacrificiũ immolare,adeoq; vix baptisare, impunè liceat, quo ergo nobis adhuc viuere? Certè nisi pater noster cælestis sua nos foueret clementia, & inãubia solaretur spe, omnia breui in meliorem reditura faciẽ, crux ista mihi foret intolerabilis, quæ Belgium totum cogeret desererere.

EX LIBRO GVILELMI Rossæi, De Iusta Reipub. Christianæ in Reges impios authoritate, in quo partem quandam Geusiaticarum crudelitatum, sic describit, in conclusione libri ad præcipuos ordines Reipub. Gallicanæ.

ET Religioni quidem generaliter,& populo item Catholico, quid factũ sit, in vnica ciuitate Antuerpien. reliquarum ciuitatum,& omnium prouinciarum illarum principe, contemplamini. Illo ipso huius vnionis anno, subornati quidam ab Aurangio hæretici, postulant suis concionibus Ecclesias Antuerpiæ designari, quæ, antè hunc diem omnes solis Catholicis patebant, omnes & singulæ hæreticis cuiuscunque generis erant clausæ, & Caluiniani concionatores, sed alligati ad multas cautiones, de Catholicæ religionis securitate, ne quẽpiam Catholicę religionis securitate, ne quempiam Catholicum in religionis Catholicæ praxi, dicto factoue offenderent. Vt eadem religio instauraretur in Hollãdia, & Zelandia, vbi iam diu fuerat intermissa: si tamen numerus Catholicorum hoc requirentium, ad centenarium ascẽderet. Interim nemini criminosum erit, vel damnosum, quamcumq; religionem in sua priuata domo exercuerit. Nemo, vel in concionibus, aliquid proferet, contra quamcunque religionem, sed ea tantummodo docebit, quę pertinent ad ædificationem auditorũ. Abstinebitur, vbiq; ab operibus manuarijs, illis diebus omnibus, quos Ecclesia Catholica statuit festos, hoc est, præter Dominicos, & Apostolorum, diebus Anunciationis, Assumptio-

ſumptionis, Purificationis, & corporis Chriſti. Ad omnes honores, & officia publica, Academias, Collegia, Hoſpitalia, æqualiter admittentur Belgæ, cuiuſcũq; religionis, modò alias fuerint idonei. Denique Magnanimi, & potentes Principes, Archidux Matthias Belgij gubernator, & Princeps Aurangius, eius Vicarius Generalis, ſcientes, & volentes, eorumque ſinguli, ſeipſos interponunt ſponſores, vades, & obſides, quod hæc integrè, & arctiſſimè ſeruabuntur, quoad Catholicos, & Proteſtantes, hæcque illi promiſerunt, & iurarunt in verbo Principum per fidem, & religionem quam receperũt in baptiſmo: prætereaque adiecerunt, ſe ſingulari cura defendere velle, prælatos, & alios Eccleſiaſticos, quantum eſt poſſibile, nec paſſuros, vt aliqua eis inferatur iniuria, aut moleſtia, vel quoad corpora, vel quoad religionem, vel quoad bona. Poſtquam ergo his conditionibus, & pactis Antuerpiã ingreſſus eſt Caluiniſmus, quandiu hac æquabili cum ſectarijs libertate potiti ſunt Catholici? Nondum annus exierat, quum Coloniæ ad componẽdum tumultus bellicos conueniunt legati Imperatoris, Regis Hiſpaniarum, & ordinum Belgicorum. Ille conuentus, quò Belgicis prouincijs tauſtus, & ſalutaris eſſet, clericis, & presbyteris Antuerpien. omnibus iniungitur, vt generalibus precibus Dei bonitatem implorent. Conueniunt omnes in Eccleſiam Cathedralem, præſente etiam Gubernatore Mathia. Aurangius autem, vel quia Euangelicus, vel quia in futura Tragicomędia præcipuus erat actor, adeſſe non poterat. Dum illic Catholici precibus, & ſupplicationibus ſunt intenti, fit concurſus Caluiniſtarum, Eccleſiam turmis ſuis, tanquam ciuitatẽ hoſtilem circumſident, multos egredi cõnãtes vulnerant, nonnullos interficiunt, & interneciõnem omnibus comminãtur, niſi clerum Antuerpien. dedant, vt de illis pro ſuo arbitratu poſſint diſponere. Mathias timore conſternatus, eos Caluiniſtis permittit, qui eos ignominiosè affectos è ciuitate pellunt, & tribus nauibus Principis Aurangij impoſitos, per dies nouem, aut amplius (quaſi conſilium de eorum capitibus, & fortunis interea caperent) in flumine vicino detinent, tandem probris, & contumelijs oneratos, abire ſinunt, ſed mox eoſdem in fuga conſulentes inſequũtur, & quos potuerũt cõprehendere, verberibus cædũt, & pecunijs oĩbus ipſis etiã veſtibus, rapaciſſimè deſpoliant.

Pauloque poſt, per ciuitatem vniuersã interdicitur, ne quæ Sacramenta, ſacra, aut cultus diuinus Catholico more fieret. Hæc publicè tantum, ſed priuatim quoque Catholicam religionem ſęueriſſimè prohibent, centum aureorum mulcta ei impoſita, qui vel clanculum domi priuatæ Miſſæ intereſſet. Quam mulctam eadem de cauſa, inter alios Antonius Spinola perſoluit. Ita Catholici, quibus ſolis ſuperiore anno, non tantũ priuatæ ſingulorum ędes, ſed omnia, & ſingula vrbis Antuerpiæ ſacella, Eccleſiæq; patebant, nunc iſta ſua pulcherrima cum hæreticis vnione, tantulo tempore in eam ſunt redacti miſeriam, & ſeruitutem, vt ſacellis Eccleſijſque omnibus excluſi, nec in priuatis ſuis ædibus, Chriſtiano ritu Deũ poſſint adorare.

Eodemque tempore, aut paulò antea, Aurangij milites, omnem circũcirca regionem, Louanium vſq; peruagati, incredibilia damna omnibus Catholicis, potiſſimum Eccleſiaſticis faciebant, cremabant, vaſtabant, deſtruebant Monaſteria, Abbatias, Eccleſias, & Hoſpitalia. In publicis vijs vbique cerneres Presbyteros, & religioſos, alios ſuſpenſos ex arboribus, alios traiectos bombardis &c. Denique ut pulchrè annotauit hiſtoricus quidam Francus, tanquã in hac hiſtoria, Francis futuræ ſuæ calamitatis miſeriam certò affuturam voluerit prænunciare. Catholici Flandri, qui libertatem religionis Caluiniſtis procurauerant, ipſi primi ob tantę indulgentię pręmiũ coacti ſunt videre ſuam religionem prophanatã, bona vaſtata, vincula his omnibus inicta, qui aliquo vel leuiſſimo ſigno demonſtrabant, hæc ſibi diſplicere. Gandaueñ. diripiebant Eccleſias, vinciebant, & crudeliter dilaniatos trucidabant, presbyteros, conculcabant, & prædabantur. Nobilitatem Catholicam Nec in hoc Antuerpieñ. quicquã erant Gandaueñ. moderatiores. Neque enim Nobilibus magis

quam

quam plebi parcebant, neque magis à demoliendis nobilium ædibus, quam Monachorũ clauſtris abſtinebant, ſed æquali pœnitus lãce, plebeios, Monachos, nobiles tractabant, & quo ad expoliandas domos, & quoad extorquendas redemptionis ergo pecunias, & quoád turpiſſimam mortem, abſq; redemptione illatam, ſi quando eorum prędones cœperunt, vt monachum, & plebeium, ſic nobilem quẽcunque, qui ab eorum hæreſi putabatur alienior. Vix autem quiſquam etiam eorum, qui Principi Aurangio, ad Monarchiam euehendo maxime tuerunt vtiles, diuturnos tamen, & carceres, & populare ignominiam, & bonorum ſuorum direptionẽ euaſit: atq; ita aliquas pœnas dedit, ab illo ipſo homine caſtigatus, cuius iniuſtam cauſam, Dei ſanctiſſimæ religioni, tam nefarie prętulerat. Areſcoranus enim Dux, qui arcem Antuerpien. munitiſſimũ totius regionis propugnaculum Aurãgio tradiderat, Gandaui, à factioſis quibuſdam Aurangij ſatellitibus captus, vnaq; Epiſcopi Burgen. Iperen. Raſſengemius Duaci, & Inſularum Præfectus, Cardinalis Granuellani frater, & alij plurimi: proximoque mẽſe Groningæ, multi Prælati, & Nobiles, eodem modo accepti, alij breuius, alij diutius carcerum moleſtias pertulerunt. Egmondanus in vili arcis Zelandicæ ergaſtulo, aliquot annos miſerabilem vitam egit. Paulò autẽ poſt non per Antuerpiam, aut Gandauum, aut Groningam ſolum, ſed paſſim per omnes Belgij ciuitates, primum religioſi, deinde Paſtores, Conſiliarij, Nobiles, Magiſtratus, & quotquot Aurãgij inſtituto minus fauere putabantur, eijciuntur in exilium. Et ne ſingula conſecter, quis vnus Catholicus, vel Dux, vel Marchio, vel Comes, vel etiam Baro, etiamſi plurimum ad regnum ei parandum opitulatus eſt, etiamſi contra Hiſpanos cum eo ſemper pertinaciſſimè ſtetit; tamẽ aliquo tempore, poſtquam in regno ſuo tyrannus ille firmatus eſt, veterem apud eũ gratiam, aut Prouinciæ alicuius gubernationem, quamquam omnium patriæ ordinum aſſenſu traditã retinuit? Nonne craſſiſſimis ſuis periurijs, & iniurijs, & mendacijs, totas à ſe prouincias alienauit? Nonne Arteſij, Hannonij, Atrebateñ. & alij Gandaueñ. pacificationi, quam ille ſæpenumero iurauerat ad dictiſſimi, idcircò ab eius ſocietate diſcedebant, quia videbant in illo Caluiniſta, monſtro potius, quam homine, nullũ diſſimulandi, nullum peierandi finem? Nonne clariſſimi viri Marchio Gandaueñ. Philippus Comes Lalenius, Comes Rẽnebergius, Baro Montignius, Richardocius, & alij permulti continẽter ab eo ad Principem Parmeñ. tranſibant, quia magno ſuo malo ſentiebant in illo inexplebilem Catholicorum Nobilium, ſanguinis fundendi cupidinem. Hic eſt fructus unionis Catholicorum cum Caluiniſtis. Sic illi in verbo Principum, & per fidem, & religionem, quam receperũt in Baptiſmo (à qua fide per hæreſim ſuam Caluinianam, planè Apoſtatæ facti ſunt) quæ Catholicis de fide, & ſecuritate promiſerũt, exoluunt.

Et hæc quidem de Belgicis Phalariſmis dicta ſufficiant.

EVANGELICORVM Phalariſmi in Polonia.

EVANGELICI cuiuſdam Miniſtri audaciam, & impudentiam, in Polonia deſcribit vir doctiſſimus & nobis olim amiciſſimus Alanus, in ſuis Dialogis, in hęc verba. Exortus eſt anno 1558. in Polonia nouus Polychronius Concionator, inquam, Euangelicus qui cum Mathæo quodam, & vxore eius conuenit, ſilentij ſtipulatione interpoſita, eoque mercede redẽpto, ut ille quaſi mortuus ad ſepulturã efferretur, vxore de more atrata maritũ elugente, ac funus proſequente, Effertur, itur, & ad Eccleſiam venitur Pagi Biethagę non procul à Cracouia. Ibi nouus iſte Polychronius conſcenſo ſuggeſtu, multis verbis renaſcentis Euangelij gloriã amplificauit, de quo tandem poſt multa tam certum, ac ſecurũ ſe dicebat, vt nihil dubitaret, Deum mox ad illud magis illuſtrandum, vitam mortuo tum præſenti, reſtituturum, & quam prędicabat Euangelij veritatem, tam inſigni miraculo, & in omnem poſteritatem memorabili, confirmaturum. Quare, ut olim Prophetæ Ieſabelis ad ignem cæli.

tus de-

tus demittendum, ita iam ille ad defunctum excitandum exclamat. In nomine Christi, cuius veritati hodierna Concione testimonium dedi, Mathæe surge cum nihil moueret se Mathæus, intendit vocē & clamorem. Et cum ne sic quidem hilum proficeret, acceditur ad feretrum, hominisq; facies detegitur, nec iam in posterum simulatè, sed vere mortuum reperiunt: ita ut vxori cui antea dolus fictas, iam dolor ueras lachrymas, ac lugubrem eiulationem, & vehementem totius Pseudoeuangelici Euāgelij execrationem exprimeret.

Eadē omnia de hoc ipsō miraculo persecutus est, in suo Dubitantio Lyndanus Episcopus.

Pater uero Melchior ex familia S. Dominici, vir in oppugnandis hæreticis, & iuuanda Ecclesia Dei, vsque ad ultimam ætatem, cum laude fructuq; maximo versatus, in Russiam proficiscens illo ipso die ad eam villam diuertit, vbi hęc acta sunt, quæ non longe abest ab oppido, Biecz, & huius impij consilij ab ipso villæ Domino hanc causam, & occasionē fuisse intellexit, nobisq; retulit, quod Coloni ad Ministri Conciones accedere, detrectarunt, dicentes, esse seductorem. Is vero illum ipsum nobilem rogabat, ut pœna interposita cogerentur accedere; quod cū nobilis detrectaret, eo quod diximus miraculo doctrinæ suę veritatem comprobare, & Colonis imponere conatus est.

Templa in priuatis Baronum, & Nobilium oppidis, & villis supra 5000. profana facta audiuimus.

In Lituania ad 300. Parochiales violatæ, eiectæ, imagines, concisæ, comminutæ, combustæ, altaria vastata, Ciboria contracta, SS. Eucharistia proiecta, protrita, in os canum impositā, Oleum sacrum ad vngendos currus, & ocreas adhibitum; pleraque templa in stabula conuersa, Aue na equis super altaria oblata. E conflatis calicibus argenteis torques ad molossorum colla aptati, Sacerdotes quoque loco suo eiecti, beneficijs spoliati, alicubi baculis è templo exturbati, canibus ad dilaniandum obiecti, in tetro carcere inedia enecati.

Testem producimus αὐθέντων, qui hæc omnia oculis ipse suis in Lituania vsurpauit, Petrum Scargam Societatis Iesu Sacerdotem. Sic enim loquitur in appendice conuitiorum Volani. Quod faciunt illi, Volano similes, qui vna cum ipso ita animos hominum incenderunt, vt quidam ex Nobilitate Lituanica, Sacerdotes Domini Parochos, in suis oppidis, & villis carcere enecarent, alios nudatos, & spoliatos rebus omnibus, ex suis bonis expellerent, Templa iam plusquam 300. in Lituania spoliarent, & totidem Sacerdotes Dei mulctarent, bona, & reditus Ecclesiarum sibi vendicarent. Quid faciunt illi, qui populum Catholicum ad sua delubra compellunt: qui nullam in suis bonis, oppidis, & villis libertatem profitendi religionem Catholicam permittunt, qui multis pœnis propositis Catholicos, ad Caluinismum, vel alia Sectarum dogmata amplectenda cogunt? Quid illi faciunt Nobiles Caluinistę, qui Sacerdotes Dei, quocunque loco inuentos contumelijs afficiunt, colaphis, & baculis cedunt, Monachis multa probra, & vulnera inferunt. Quid facit Volanus, qui nos peius cane, & angue odit, & apud omnes præsertim Lituaniæ proceres, inuisos, & odiosos reddere conatur, adeò vt quibusdam nostrum sæpius mortem, & mille contumelias minati fuerint.

Prope Oppidum Grabouo Castellanus Kriuiensi. religioso viro S. Francisci de obseruantia stipem petenti, pudenda amputauit, animi gratia, vt Euāgelicos suos oculos religiosi viri, sanguine eiulatuque satiaret.

Propè Varsauiam Petrus Sacerdos, in obscurum Cellarium, & compedes à nobili quodam hæretico compactus, mucido pane, & accida Cereuisia ad victum oblata, quotidie virgis cæsus est. Ad extremū ad parietes Celarij expansis brachijs crucis inmodum distractus virgis denuo cęsus, adhibitaque lateri lancea vitā uix non amisit, idque nobis cum illius Ciuitatis Decanum ageremus, ille ipse Sacerdos extremum Spiritum deficientis animæ vix trahens recensebat.

In Ciuitate Vilnensi Sacerdos quidam fuste cæsus est, Eucharistia è manibus erepta, in cœnum proiecta, pedibus protrita,

trita, de qua Christi iniuria, Hosius noster, in Epistola, quam edidimus, apud Regem Sigismundum Augusti. grauissimè questus legitur.

In oppido Szamotulij olim Gorkanæ familiæ, propè Posnaniam, vasa Ecclesiæ argentea direpta, aliquot ædiculæ sacræ argenteæ magni ponderis conflatæ, & ex ijs torques parati dicebantur, quos molosi canes collo circundatos Posnaniæ circumferebant, cum insculptis calicis, crucis, ampullarum, libri, campanæ, signis, & reliquis imaginibus sacris, idque vidimus.

Celebrabatur Cracouiæ solemnis processio cum sacratissimo Christi corpore, quod cum per plateas gestaretur, prospexit è fenestra vxor Sutoris cuiusdam, hominis Ariani, clamans. Ecce qualem vrsum Papistæ circumducunt, & adorant. Cæterũ statim, vt in hypocaustum regressa est, ridens, & blasphemans, arrepta à Dæmonio, inque globum contorta, & cõuoluta, sub scamnum angustum compacta est, gemens, & horridos emittens eiu latus. Extracta à viro suo, Confessorem Papistam petiuit, sed is à marito prohibitus est accedere. Illa vero in eiusdem viri manibus, miserè præfocata, miseram reddidit animam. Accidit hoc Anno 1579. Tota testis Craccouia.

Idem Sutor, qui mihi quoque, literis Cracouię operam danti, elegantes parabat calceos, altera accepta vxore, audiẽs in templo SS. Trinitat. Cracou. exorcismos à fratribus Dominicanis celebrari: & ad corpus B. Hyacintij (de cuius nunc Canonizatione, dum hæc, in Vrbe Anno 1588. scribimns, cum Sixto V. Pontif. Regis, & Regni nomine agimus) Dæmonia eijci, spectandi, ridendique gratia, in templum ingressus est. Hunc cum Pater Seuerinus instituti Dominicani Concionator acerrimus, & dissertissimus, vidisset. Tu, inquit, impie, quid in cætu piorum agis. Ille vero, & Sanctorum gloriam & B. Hyacincti nomen, cœpit clara voce conuitijs proscindere, dicens, se libenter in se dæmones oẽs recepturũ quoscũque Hyacinti precibus & virtute eiectos videret. Tum Pater Seuerinus, Fiat tibi secundum uerbum tuum. Ille vero didu cto ore blasphemo, ad sepulchrum conuersus Hac, inquit, ingredimini, si qui istinc egredi emini. Vix domum suam peruenit, cum a Dęmone correptus, miserrimè totis quatuor hebdomadis vexabatur, supra tectum, in Cellarium, per omnes angulos raptabatur, intra dolia, sub scamna compingebatur, eiulans, & vociferans. Sed blasphemas nihilominus in SS. Trinitatem voces emittens. Tandem cum pęna perditi hominis satis multis innotuisset, in vigilia S. Catherinæ per fenestram ab eodem dæmone præcipitat⁹ est, & conquassatus, tertio die descendit ad inferos. Vxor uero pœnæ atrocitate, miraculoque permota, ad Ecclesiam Catholicam redijt. Et hæc quæ diximus, omnia eidem Seuerino aperuit. Ille nobis.

Enangelicus quidam Siccarius, in templo S. Mariæ super Arenam, Sacerdotem religiosũ ex ordine Carmelitano, ad altare Dei sacris operantem gladio in caput ferit, puerum ministrantem occidit, hostiam, & calicem dissecuit, & comminuit. Sed audaciæ quoque suæ, quas merebatur pœnas, iubente iustissimo Principe Sigismund. Rege persoluit, & in foro Cracouiæ concrematus est 1588.

Palatinus quidam Deo, & Reipub. mortuus, ex venatione rediens, & Euangelico spiritu afflatus, cum omnibus canib⁹ in templum irruit, Sacerdotem, Christi corpus in sacrificio eleuantem arripuit. Euchariſtiam eripuit, manibus comminuit, pedibus contriuit, & extrema fragmenta canibus suis deuoranda obiecit (o scelus) vt inquit, sciatis hic non Christi corpus: sed solum tantum panem esse, canes ipsi testimonium perhibebunt. Quod facinus pientissimum Regem Stephanum indignissimè tulisse non ignoramus, sed potestas tenebrarũ vindictam sumere nõ permisit. Accidit 1581.

Alius quidam Nobilis Neoarianus Euangelico furore abreptus in mediam turbam, quę processionem, & gestacionem Christi corporis Lublini sequebatur, stricto gladio irruit, thecam argenteã è Sacerdotis manibus excussit, Sacerdoti alapam impegit, sed prohibente populo Euchariſtiam eripere non potuit.

Posnaniæ Minister quidam Sathanæ Klepka,

Kleka, an Paklepka, an Tlomoczek fuerit, ignoro. Conatus quoq; est Sacerdoti ad ægrotum Eucharist. deferenti, eam è manibus eripere, sed fremitu hominum & mulierum obrutus, pugnas ad extremum edit.

Vilnæ in Ecclesiam S. Spiritus, non ita pridem irruerunt Hæretici, altariaq; demoliti sunt, & alia infanda, suoque digna Euangelio perpetrarũt. Sed egregie Christi iniuriam, tutatus est in Comitijs Illustrissimus Princeps Cardinalis Radziuil, & tuetur.

Alius vir Euangelicus occurrit initine re Franciscano religioso, panem emendicanti, eum arripuit, castrauit, pellem capitis, ad instar coronæ detraxit, ac semiuiuum reliquit. Sed paulo post Stephani Regis mandato, similiter castratus est ipse, & loco caput j thoracem ferreum ignitum, loco coronæ galeam ignitam, per forum in spectaculo, ob facinus gestauit, & postea obtruncatus est.

Est in Prussia pagus nõ inelegãs, cui nomẽ Nittich. In eo Coloni Euãgelici porcum præpinguem cõstrictum in lecto obscurioris cubiculi reposuerunt, & Catholicum Sacerdotem cum sanctiss. Sacramento adduxerunt, cogereque minis, & opprobrijs voluerunt, vt Sacramentum in os porci imponeret. Sed Sacerdos omnia extrema pati maluit, quam facinus designare, vixque vim Lutheromanitarum effugit. Illi vero Marieburgi graui pœna mulctati sunt.

Cum Gedanenses Christo, & vnctoi eius Regi Stephano nepharie rebellasẽt, ne Sanctis quidem Dei parcere voluerũt, in Ecclesiam Dominicanorum irruerunt, aras pleraſque, statuas, & imagines euerterunt. Inter alias S. Stanislai statuam deauratam fune ad pedes alligato per ciuitatem ad omnium contumeliam traxerunt. Ad extremum attritam, & detruncatam ad valuas eiusdem Ecclesiæ reliquerunt, sed pestis grauissima statim cõsecuta, audaciam eorum correxit.

Obseruatum est hoc quoq; in eadem ciuitate à pijs, & religiosis viris, quod in Ecclesiasticę supellectilis direptione, quidam ab altari abstraxerat Antependium, vocant, auro sericoq; interextum, & illud ad vsum tegendi lectuli conuerterat, in quo qui primus decubuit, subitanea morte postridie extinctus est, ac nouem deinceps alij, eadẽ quasi lodice vtẽtes, intra paucos dies perierunt, forte rem eam vndecimus qui domi superebat obseruauit, stragulum ad ædituum templi supplex reportauit: nec aliud deinceps domus illa incommodum experta est.

Cum Elbingæ templum parochiale è manibus Euangelicorum Burgimagistrorum, & Ministrorum multo suo labore Cardinalis Hosius Episcopus Varmiẽs. extorsisset, & in eo veros veri verbi ministros è Societate Iesu Sacerdotes collocasset, omni eos iniuriarum, & persecutionum genere, modestissimi Euangelici diuexarunt: sæpe saxa grandia, quæ vidimus in dorsum, & in caput celebrantis Sacerdotis, illo ipso quo Eucharistiam eleuabat tempore, (vocabatur is Pater Petrus Phae) intorquebant. In alterũ Sacerdotem Assermanum, verbum Dei è suggestu populo annunciantem 5. lapides proiecerant, à quibus tamen in uoluto in pallium capite, læsus non est. Quodam die, Hanus quidam, Euangelico pudore, & modestia plenus, dum Sacerdos celebraret, Ecclesiam pertransibat, & videns eleuatam Eucharistiam fætidas bragas deposuit, & nudos nates ad altare Dei exposuit. Admonitus à deuota fœmina obscœnitatis. Talis, ait, Deus, tali dignus est reuerentia. Sed statim est diuina vltio consecuta. Nam pes vnus, ignẽ, vt vocant, infernalem, concepit, quem coactus est abscindere, è quo dolore perijt. Fenestras cubiculorum, in quibus Dei Sacerdotes habitabant, singulis ferè noctibus proiectis lapidibus effringebãt. Cellarij portam, in quo doliolum cereuisiæ asseruabant deiecerunt, & in dolium fætida ventris onera deposuerunt, quod tamen serui Dei nisi exhausto post multos dies dolio, non obseruarunt. Ad extremum Patri Petro Phae venenũ obiecerunt, è quo brachij vtriusq; vsum amiserat, quem tamen illi postea Dominus restituit.

Anno Domini 1577. Sordidus quidã Pellio Vittembergeñ. cum Lutherano suo Euangelio in Liuoniam Regni Poloniæ

Prouinciam peruenit: plurimoſque in Torpatenſi ciuitate ſeduxit, ita vt quadã Dominica die ſeditioſe, ac magno cum tumultu in Baſilicam D. Virgini ſacrã irruerent, Clerum omnem profligarent, & Pellioni ſordido, in ſuggeſtum vi, & impetu viam patefacerent, Poſtridie Diuorum ſtatuas inuadunt, diruunt, imagines in forum allatas accumulant, & ſubſtructa pyra comburunt.

Pari crudelitate in ædem D. Ioannis ſæuierunt, omni ornatu in forũ comportato, & ignibus flammiſque ſubiecto. Simili audacia Dominicanorum Monaſterium inuadunt, religioſos viros exturbãt. Adeo vt ſaluo corpore difficulter euaderent, nec quicquam ex ampliſſima ſupellectile eſterre potuerint, præter horariarum precum codices. Ipſam autem Eccleſiam aſſeruandis bellicis tormentis deſtinant, & in armamẽtariũ conuertunt.

Aeque ſequitur eſt templum, & Monaſterium Franciſcanorum, Bernardinos vocamus, quod omnibus ornamentis deſpoliatum, ad vſum coquendæ parãdæq; calcis deputarunt.

In Monaſterium quoque Deo ſacratarum virginum irruunt, è quarum capitibus, velis ſacris, & peplis excuſſis, truculentas manus in crines mittunt, è cellis, & latibulis inclementer extrahunt, Monaſterio extrudunt, libidines exſaturant, & alias coniugium amplecti compellũt. Redditus omnes, Torpateñ. Ciues ad ſe trahunt: Templum vbi ſuo more Moſci diuinum cultum peragebant, eodẽ furore inuadunt: & vniuerſam ædificij molem penè à fundamentis euertunt, & in cloacam conuerſum excipiendis ſordibus, fœtoribus, & excrementis humanis mancipant.

Idem Pellio coacta 200. latronum manu, Cathedralem Eccleſiam Torpateñ. oppugnãdam ſuſcepit. In valuas primo ingentibus machinis irruunt, quorum vim, vbi nec clauſtra, nec omnis portarum ſoliditas ferre valeret, labat ariete crebro percuſſa ianua, & emoti procumbũt cardine poſtes, fit via vi, rumpunt aditus, & prima trucidant Diuorum ſimulachra, & ſaxea numina templo diſijciunt. Neque in Diuorum ſtatuas tantum ſæuitum eſt: ſed & Crucifixi imagines gladijs, & lanceis transfigunt, quod olim Iudeos factitaſſe legimus apud Damaſcenum, & ſcriptores Eccleſiaſticæ hiſtoriæ.

Erat in eadem Torpateñ. Baſilica, Baptiſterium ſummo artificio, & magnis impenſis extructum. Inter cætera ornamẽta ſculptæ erant Saluatoris, & duodecim Apoſtolorum imagines. Has magno impetu inuadit ſacrilega Iconoclaſtarum cohors, quippe qui antea ducenti, à tredecim ſtipendiarijs turpiſſimè fugati, ſauciati, ac demũ omnes profligati, latebras quæritabant: nunc confirmato numero, tredecim ſimulachra inuadunt, ne ullam omnino victoriam referrent. Egregiam vero laudem ea meretur fortitudo, cum facile ſit vincere non repugnantem, & debellatis triumphum agere. Sæuiunt igitur in æneos, ſaxeos, & ligneos hoſtes. Alios capite plectunt, alios manibus, naribuſque truncant, ledorijs, & ludibrijs non ſtatuas tantum, ſed & ipſos prototypos, & Sanctos calumniãtes, qui capitis, manuum, nariumque periculo Catholicam fidem aſſeruiſſent.

Hinc in quorũdam Canonicorum (nã hos quia de nobili erant proſapia, metu retracti, nondum ædibus, & vrbe ſubmouerant) ædes procurrunt: omnibuſque eſculentis, & poculentis, per vim conquiſitis, admirabili inuerecundia, & gaſtrimargia, vti in eiuſmodi tumultibus fieri ſolet, famelicam ingluuiem infarciũt.

Ibidem contigit, vt Conſul Ciuitatis Torpateñ. ſacram Euchariſtiæ thecam, è templo abreptam, in cathenam aureã pro vxore, & filia formari curaret, affirmans ſe auri pretium, & æſtimationem pauperibus elargitum. Non multo poſt præcone concionem habente, Conſulis filia templum ingreditur, aurea cathena exornata, quam dum è ſuggeſtu concionator Lutheranus conſpicit, repente exclamans, iubet, vt quot quot eſſent præſentes mulieres, & virgines aſſurgerent, & in genua prouoluerentur. Adferri enim flauam Chriſti tunicam, quam dum Papiſtæ Chriſto ſuo circũdediſſent, eas omnem reuerentiam, & venerationem eidẽ exhibuiſſe, nunc autem Conſulis filiam eadem tunica cathenatam, proinde eadem

dem reuerentia, & honore prosequãtur. Soluta concione, citatur Præco ad Senatum, interrogatur, cur Consulem publica contumelia afficisset, qui Sacrariũ, seu Ciborium præstita ęstimatione legitimè emisset. Respondet se suosque, qui verbum Dei docent, eiusmodi prædarũ participes esse debere, ac tunc demum silentio sacrilegium dissimulare velle.

Ibidem postquam Torpatenſ. in Lutheranam doctrinam secesserant, feria sexta magna, quæ Parasceues dicitur, finita Lutherani Ecclesiasticæ concione, ex ciuibus è templo D. Virginis matris sacræ, reuerentibus, quidam alium conciuem, & familiarem inuitat ad prandium, rogat vna domum comitetur, habere se paratum insignem pethasonem Vuestphalicũ. Alter parum abhorrens, respondit sibi esse gallum oppipare elixum, quem cupiat, in Symbolum ad ferre: dum ad mensam accumbitur, alter os quoddam galli ambedere volens imprudens ipsum pęnè deglutit, quod cum neque transmittere, neque ex mere valeret, eo ipso die suffocatur. Alter postridie Paschæ, malo spiritu correptus, & non multo post rabie, & furore exagitatus, animam vna cum dæmone exhalat.

Equestrium plerique adeò dementati fuerunt, vt quadragesimæ tempore, diebusque ad ieiunium ab Ecclesia indictis, binas mensas instruerent. Vnam Papisticam. Alteram Euangelicam, appellãtes. Priori viliorem, & vulgariorem panem imponebant, quem illi vulgo, panẽ rusticum vocitabant, huic addebant legumina, & cereuisiam tenuissimam. Euãgelicæ mensæ imponebant panẽ selectissimum, & purissimum, quem sua lingua vocabant panem Theuthonicum, cereuisiam præstantem, & carnes assas, & elixas affluenter: faciebant hoc, vt villicos, & agricolas à Catholicismo ad Lutheranismum pellicerent. Illi vero male dulces epulas facile respuebant, villissima edulia exquisitissimis ferculis præferentes, vt in Catholica obseruatione constãtes perseuerarent. Quidã etiam Nobiliũ, cum plebeios, & agricolas à Lutheranismo auersos conspicerent, diebus quibus ieiunium Catholica indicebat Ecclesia, eos accersebant, carnes, & cibos vetitos violenter illis in ora ingerentes.

Anno 1554. Xenodochium leprosorum vna cum delubro demoliuntur, hinc aræ, Simulachra, diuinum cultum, & Sacerdotes: illinc miserabili morbo, & squalore afflictos inopes, & laceros ejciunt: Leprosorium in tabernam, templum in stabulum conuertunt, facinus sanè tali Euangelio dignum.

Anno 1556. diem assumptionis gloriosæ virginis, Catholici celebrabant. Matrona quædam Euangelica in despectum Festiuitatis, mandat pedissequæ, vt balneum apparet, caminum instruat, se cum marito lauari decreuisse. Illa solemnis festi dominam submonere, vtque alium in diem transferat rogare. Matrona repente excandescens. Quid, inquit, de MARIA narras? fuit illa mulier similis mihi, nec vllius potentiæ, aut gratiæ prærogatiuam habet, tu iussa mea exequere. Famula ne Dominam grauius exacerbaret, imperata perficit. Vbi ad caminum ventum est, arida ligna, quæ alioqui haud difficulter flammam excipiunt, nulla ope, nullis nutrimentis accẽdi potuere. Illa vbi sese vndequaq; vertit, laboris frustranei pertæsa tectũ omne ardere conspicit, nec vlla vi flammam restinguere valet, ignis primo, ipsum balneum vastat, mox duas contiguas ædes, ingenti omnium ciuium terrore, populatur. Confluit extemplo vniuersum vulgus, & vix tandem latius serpere incendium prohibent. Postero die lignorum fasciculus camino ingestus omnino incombustus comperitur. Hæc Brendebachius in historia Liuonica.

EVANGELICORVM *Phalarismi in Vngaria.*

IN Vngaria quoq; multi ex Nobilitate, à Christi Euangelio ad Luth. Cacangelium defecerunt, eademq; sunt immanitate, & crudelitate Catholicos, & Ecclesiasticos, & præsertim reli-

gioſos viros perſecuti. Primus autē defectionis author Michael quidam Stary, Melanchtonis diſcipulus fuiſſe exiſtimatur, ſicut in Tranſyluania Mathias Deuay. Templa profanatūt, imagines exuſſerunt, ſacram Euchariſtiam indigniſſimis modis acceperunt, canibus obiecerunt, globis traiecerunt. Oculis ipſi noſtris vidimus. Magnificentiſſimorum tēplorum parietinas, ampliſſimorum Monaſteriorum rudera omni dignitate, maieſtate, ornatu, ſpoliata, & nobiles præterea, pleroſq; ita ab omni mente deſertos, vt licet illorum ceruicibus Turcica tyrannis immineat, non minus tamen adhuc armatum animum gerant in Papā, & omnes Orthodoxos, & religioſos viros, quam in ipſum Turcam armata gerunt, corpora. Singulare exemplum eſt, quod cum Capitaneus Agrienſis Bornamiſſa Ferdinañ. Cæſaris nomine contra Amath Baſſam, ciuitatē Agrienſem fortiſſimè defendiſſet, inſignemq; victoriam reportaſſet, loco gratiarum actionis, religioſos S. Franciſci ciuitate eiecit, templum omni ornatu, & ſuppellectili ſpoliauit, Monaſterium diruit, & in propugnacula conuertit: ſed paulo poſt deinceps iuſto Dei iudicio captus, & Conſtantinopoli laqueo præfocatus, dignas audaciæ ſuæ pœnas luit, Baſſa vero Budenſis eiectos, & pallantes Monachos, Budam euocauit, templum aſſignauit, & exercitium Chriſtianæ religionis liberum eſſe voluit.

Franciſcus quoq; Perenni, Monachos è ſua ditione exturbauit, Monaſterium in priuatam domum conuertit, ſacra omnia profana fecit. Qua re cognita, Solimanus tum in Vngaria viuens, tria loca ad habitandum illis ipſis Religioſis aſſignauit, Giongeos, Beren, & Nagizedhed, in quibus adhuc hodie Chriſtiano ritu Sacramenta adminiſtrare dicuntur.

Hoc quoque ab Illuſtriſſimo Domino Georgio Draskouico, Sacræ Romanę Eccleſiæ Cardinali Collocenſi, non ita pridem in Chriſto defuncto, cum adhuc eſſet Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, in aula Ferdinandi Cæſaris audiuimus, quod in eadem Ciuitate, licet eſſet Turcarum imperio ſubiecta, cum Sacerdos Cathol. in quodam templo, Chriſtiano ritu, Miſſam celebraret, & ſacratiſſimam Euchariſtiam conficeraſſet, atque eleuaſſet, Lutheranus quidam acceſſit, Euchariſtiam è manibus eripuit, in terram proiecit, cōſpuit, fædauit, pedibus conculcauit, & cōtriuit. Qua re ad iudicium Turcici Magiſtratus delata, etſi homo barbarus, fidei Chriſtianæ Miniſteria non caperet, ob hoc ipſum tamen Lutheranum hominē baculis egregiè verberari voluit, quod donum DEI, in alimoniam datum, in terram abieciſſet, & pedibus protriuiſſet, ac cōminuiſſet. Sic & Turcæ contra Lutheranos ſententiam ferunt.

Ibidem contendebant apud Agam Turcicum zelantiſſ. diuini honoris, Euangelici, vt Catholicis templum aliquod eriperet, & ſuę ſectę hominibus concederet. Crepabant omniū Euangelicorū more, Idololatriam à Papiſtis exerceri, ſe vero, veram veri Dei colendi rationem inueniſſe. Ne hæc quidem Turca infidelis capiebat, ſed quęſiuit, Rex Vngariæ Mathias, cuius religionis fuiſſet? & cum Catholici dicerent, Catholicum fuiſſe, & Lutherani negare idipſum non poſſent, omnia templa in Catholicorum poteſtate permiſit, Lutheranis nullum attribuit.

In Tranſyluania quoq; illo ipſo tempore, cum Vngariam vniuerſam ferro, & igne Turca vaſtaret, Petrus Petrouicius Reginæ Iſabellæ Locumtenens, vim primus Ordini Eccleſiaſtico intentare cœpit, vexare omnibus modis Catholicos, in odium hominum calumnijs, & maledictis adducere, & præſertim capitulares Albenſes excruciare, templo prohibere, bona eripere, quidquid auri, argēti, & æris haberent extorquere, minis, tormentis, carcere, ad hæreſim adigere, proprijs ædibus eijcere, omni ſuppellectili cæteriſque bonis, & facultatibus ſpoliare. Quas crudelitates Michael Balaſſi de Lyppa ſatis copioſe in quadam Epiſtola ſua perſequitur. Multi, ait, metu Petrouicinianæ poteſtatis, & audaciæ relictis Eccleſijs, & officijs aufugerunt; multi officijs, & dignitate ſpoliati, ſedibuſque eiecti, pauperem, & inopem vitam in pagis, & villis egerunt, plerique etiā, ne vitæ commoditates, amitterent,

vxores

vxores ducere, quam exulare maluerunt. In Monachos, & in eorum clauſtra acriter Lutherani vbique per ciuitates, & Oppida ſęuierunt; & in primis Coloſſuarij, vbi templa demoliti ſunt, imagines combuſſerunt, Altaria euerterunt, Sacramenta fædiſſimè comſpurcarunt, ſupellectilem Monaſticam diripuerunt: vide re licebat turbam Lutheranorum ad ſonũ tubarum, & tympanarum in templa profanata Miniſtros ſuos introducentem, & blaſphemos hymnos, & Canciunculas oc cinentem, ita vt totam ciuitatem Coloſſuarienſem Petrouicius corrũperet, ibiq; ſedem ſacramentarię perfidiæ conſtitueret, quam publicè prædicari voluit, per quendam Sathanæ miniſtrum, Martinum Chalmanekei.

Agebat eo tẽpore Coloſſuari miniſtrũ Lutheranum Franciſcus Diuidis, ſeq; à Confeſſioniſtarum partib. ſtare gloriabatur. Is Martinum ſacramentarium ad publicam diſputationem prouocauit, & acrem contra illum, & eius doctrinam e ſuggeſtu reſpondente Martino, & magna Magnatum, Nobiliumque turba aſſiſtente orationem inſtituit. Diſputatio eũ exitum poſt aliquot dies habuit, vt omnia ab vtraque parte dicta, diligenter conſcriberentur, & Vittembergam ad Philip. Melanctonem, ſummum, vt aiebant eiuſmodi controuerſiarum iudicem, pro decretò, & propria eius Syngrapha mitteretur, idque etiam Regnicolarum ſententia fuit approbatum, vt quamcunque doctrinam Philippus recipiendam putaret, ea ſola in tota Tranſyluania teneretur, & reliquæ omnes ſectæ proſcriberentur, & eijcerẽtur, ſed antequam Philippus reſponderet, & Franciſcus Dauidis, Sacramentarius factus eſt, & reliqui omnes Confeſſioniſtæ in eorum partes abierunt. Ita factum eſt, vt publica, in omnes Chriſtianos fieret perſecutio.

Pleriſque religioſis ſignum crucis, Turcicis frammeis in fronte inciderunt, pleriſq; tantum cutis de vertice capitis detraxerunt, quantum tonſæ Coronæ circulus ambiebat.

Prope Caſſouiam in deſpectum Baptiſmi, & Sanctiſſimæ Trinitatis, adhibitis omnibus Catholicis cæremonijs porcus præpinguis muſto paptiſatus eſt.

Prope Agriam, religioſus quidã, deiecta Chriſti Crucifixi imagine, diſtractis manibus, in crucem actus, ac ita ſuſpenſus fame perire, permiſſus eſt.

Prope Quinqueecclesias pudenda pleriſque abſciſſa, nonnullis in caput ferueres galeę impoſitæ, plerique tantum vini ſumere compulſi ſunt, vt ſeipſos præfocarent.

Michaeli Balaſſui, quod templum in Coloſuar, Catholicis recuperaſſet, venenum obiectum, ex quo, & amens, & cęcus factus eſt. Sed tamen poſtea Deo auxiliante priſtinæ ſanitati reſtitutus.

Et alia id genus adeò infanda in Chriſti ſeruos admiſſa, vt pleriq; maluerint ſub Turcarum tyrannidem tranſfugere, quam ſub Euangelicorum ditione viuere.

Magna itaq; & Vngariæ, & Tranſyluaniæ parte corrupta, ad extremum ipſe quoque Regulus Tranſyluaniæ Ioannes, Sacramentariorum primò, deinde Arianorum perfidiam complectitur. Et Anno 1562. in ciuitate Segeſuar. vbi Comitia indixerat, illo ipſo die, quo conuentus inchoari debebat, in Sacellum S. Petri, gladio accinctus ingreditur, Franciſcum Dauidis cathedram iubet conſcendere, & publicas blaſphemias non ſolum in Põtificem, & in Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed in ipſam ſanctiſſimam Trinitatẽ iuſſit euomere, Incendente ad omnem blaſphemiam, Doctore Blandrata, & Gregorio Molner, quo Principis exemplo, tota deinceps Tranſyluania horrendis, & obſtupendis blaſphemijs, & à ſæculo inauditis maledictis ſanctiſſimam Trinitatem cœpit proſcindere, ſicut iã à nobis in Atheiſmis dictum eſt.

De Dania, Suetia, Noruegia, quemadmodum in illis quoque Regnis, naſcente Lutheraniſmo ſacramẽta mactata, Tẽpla expilata, donaria ſublata, bona direpta, Monaſteria prophanata, Epiſcopi, & Sacerdotes electi, bonis, vita plerique, ſpoliati, pallantes, & mendicantes extra patriam viſi, ſatis ſit hæc in genere notaſſe. Nam ſi ſingula narrare uellemus, non aliud faceremus, quam hæc ipſa, quæ nunc paucis dicimus, pluribus diceremus; minus ibi crudeliter, propterea fortaſſe

ſæui-

sequitum est, in hominum corpora: quod Reges ipsi primi in illis Regnis fuerunt, qui nemine ad sanguinem resistente animosa sua cæcitate, ruinosam agressi sunt construere nouitatem, legum, & ceremoniarum Ecclesiasticarum incuriam introducentes: manusq; pro libito in omnia sacra injicientes violentas: applaudente. loq; pœana accinnente auida licentię, & nouitatis plebecula, quod ieiunij, quod orationum statæ tempora, quod decimarum solutio, quod Episcoporum, & Præpositorum obedientia, quod matrimoniorum leges circumscriptæ, & his similia abolerentur, & explodererentur: & pro disciplinata, & ordinata fide Christiana, indisciplinata, & inordinata introduceretur perfidia Lutherana.

Et hic esto secundi libri finis, de Phalarismis Euangelicorum, id autem est, de fide, & operibus omnium eorum, qui discesserunt à nobis: quæ eiusmodi esse ostendimus, vt omnes istos Nouatores dicere verius deberes Ethnicos, quam Euangelicos: nisi forte, & Iudæos propterea nolis vocare Idololatras, quod sibi simulachrũ vituli, & non hominis ad adorandum cõflauerunt: sicut isti vitulòs labiorum suorum, & phantasmata noctium, colenda suis auditoribus, adorandaque proponũt.

De spe nil dicimus, scimus scriptũ esse. Est spes nouissimis tuis. Et iterum, Mortuo homine impio, nulla erit vltra spes. Quam etiam nisi de viuis haberemus, in hoc opere nostro non laborassemus. Debet enim, ait Paulus, in spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi. Nec certè fore omnes Grillos puto: liceat cum nugiuendulis Ministris, aliquid etiam fabulari: qui à Circe in porcum mutatus, hominis formam recipere recusauit. Ier. 31. Prou. 11. 1. Cor. 9.

Atque hac etiam nos stimulante spe, Exhortatorijũ adhuc addidimꝰ Sermonẽ, vt sicut in præcedentibus libris vetitas, sic in sequenti oratione, charitas ét à nobis præstetur patriæ charissimę: quo sic & error veritate, & liuor pellatur charitate, quousque de nostra triumphet infirmitate.

LIBRI SECVNDI DE Phalarismis. Finis.

CAPITA

CAPITA SEQVENTIS EPILOGI

Quod omnes duodecim Hæresis notæ, in Euangelicorum dictis, & factis reperiuntur.

Quod vitioso pudore laborat, qui turpe ducit ex Lutherista, Caluinista, Trideista, fieri Papistam, siue Catholicum.

Quod Christi nomen confiteri, & in cultu eius ab Ecclesia dissentire, non prodest ad salutem.

Quod libertati Equitum Polonorum non repugnat Præpositis, & legibus Ecclesiasticis subiacere.

EPILOGVS OPERIS ET PARAENESIS AD EQVITES POLONOS.

STANISLAI RESCII.

Genesis 3.

ECCE Adam quasi vnus factus est, ex nobis, sciens bonum & malũ. Ecce vnus est populus, & vnũ est labium omnium. Ecce sapientior es tu Daniele, & omne secretum non est absconditum a te. Quod olim Dominus Adæ dixit inobedienti. Quod eius posteritati turrim Babylonicam molienti. Quod Tyri Principi de Cathedra Dei, sapientiæq; multitudine præfidenti: id ipsum nos de Pseudoeuangelicorum Protomagistris, & Ministris rectè possumus vsurpare. Ecce facti sunt quasi vnus ex nobis, scientes bonum, & malum. Ecce unus est populus, & vnum est labium omnium. Ecce omne fidei Christianæ secretum non est absconditum ab illis. Addemus & illud, quod Moses, ad Ruben, & Gad, Israelem subuertentes vsurpauit. Ecce vos surrexistis propatribus vestris, incrementa, & alumni hominum peccatorum, vt augeretis furorem Domini contra Israel, idq; illo tempore tanto liberius vsurpabimus, quo perditorum consiliorum, quæ nouorum dogmatũ auctores, sub nomine Christi, contra Ecclesiam Christi nefariè susceperũt, pessimi tandem, funestissimique exitus, ex ijs, quibus occultabantur tenebris, in lucẽ hominum, ita manifestè emerserunt, vt libeat cum Propheta exclamare. Miserere Domini, quia cõsumpti nõ sum⁹; quia non pluit Dominus sulfur, & ignẽ à Domino de cœlo: quia non dirupta est terra sub pedibus nostris, & aperiens os suum deuorauit nos, cũ vniuersa substantia nostra, descendimusque viui in Infernum operti humo. Ita nullum isto quoque tẽpore superbiæ genus, nullum inobedientiæ vestigium, nullum rebellionis, & fornicationis exemplum, ab istis errorum Protoplastis prætermissum est, quod igne de cœlo misso, aut vasto terræ hiatu expiandum non fuisset, nisi Misericordia Domini super exaltaret iudicium.

Ezech. 28.

Euãgelici tã veritatem inuenerũt Luth. monstrante, quã Adam, & Eua Dij facti sũt Diabolo promittente.

Numeri 32.

Threnotum 3.

At illud quidem Sathanas per Amanuenses suos promittebat, initio, forè, scilicet, vt intra paucos annos ijs perpurgatis tenebris, quas (ut aiunt) impia Pontificum tyrannis inuexerat, Ecclesiam nobis repræsentarẽt, ruga, maculaq; carẽtẽ, nouam, de cœlo descendentẽ, tanquã sponsam ornatã viro suo. At patiens, & misericors Dominus, nolẽs mortẽ peccatoris, sed vt cõuertatur, & viuat, non est passus nos tentari supra quã possemus sustinere: ne videlicet cõstãs, & diuturna simulatio pietatis, speciẽ assumeret veritatis. Quæcũq; enim consilia susceperunt, etiãsi pro fide, contra perfidiam, pro veritate, cõtra falsitatẽ, pro Christo contra Antichristũ, suscepta iactarẽt, eoq; nomine omnes sibi laureas, & triumphos debitos putarent: illicò tñ disponẽte Dño, quos ad exitũ negotij Sathanas reseruauerat, consiliorum fructus tàm funesti, tamque venenati apparebant, vt qui viderent, non fugere qui-

Euãgel. aliud promittebant aliud faciebãt.

dem poterant; non horrere, certè, non improbare q; non poterant.

Scripturæ S. vindices videri volebant.

Nil crepabant initio vehementius, quàm purũ putũ verbum Dei, quã Euangelium, quã Prophetas, quãq; Apostolos, & vniuersam scripturã. Hanc solã, hanc vnicã, hãc certissimã, verissimãq; esse volebant, fidei Christianæ normã, formã, regulam, hãc vnicã oĩum in religione cõtrouersiarũ iudicẽ, & indubitatum κριτήριον prædicabant. Has voces pro cõcione, grauib⁹ supercilijs detonabãt; his libros oẽs perluebant, his postes, his ædiũ frõtes, his vestũ finbrias obducebãt, tãta cõfidẽtia, verbũ Dei sibi renelatum iactitãtes, vt ipsi soli nõ in tertiũ, vbi eleuat⁹ fuit Paulus, sed in Empireũ cœlũ, vbi Deo similis esse volunt Diabolus, raptus; summi Dei consiliũ admissi, verba ineffabilia audisse viderentur. Quid aũt consecutũ est? Videte quæso, vos Equites, admirabilia Dei nostri iudicia. Euenit illis quod euenturum Prophæta prædixit. Faciẽtes iniquitatẽ, tanquã fœnũ velociter arescent, & quẽad modũ olera herbarũ citò deficiẽt. Vix. n. anni decẽ abierũt, cũ eandẽ scripturã, quã summo cẽlo locauerãt, ad ima vicissim detruserũt tartara. Aesopiq; fabulis, Aurifabro teste, exæquarũt: Augustanã certè cõfessionẽ, Apologiam Philippi, Cathechismos Lutheri, Articulos Smalcadicos, & alia nescio quę ebriorũ capitũ somnia, pari esse cũ scriptura potestate, & auctoritate, ad oẽs dirimẽdas fidei cõtrouersias voluerũt. Paulò post Ideas nescio quas, & visiones; tum & quotidianas domestici cuiusdã Genij inspirationes, tã scripturæ, quã Apologiæ Philippianæ prætulerunt. Paulò post partẽ scripturarũ a Canone reliquarũ pręciderũt. Nec satis hoc omnẽ in vniuersum sacræ scripturæ auctoritatẽ detraxerunt, vocesq; de cœlo tantũ expectãdas censuerunt, vt ipsa nos virtus superuenientis spiritus ex alto, sine vllo scripturarum magisterio, omnẽ fidei rationẽ perdoceret, essemusq; omnino θεοδίδακτοι & non βιβλιοδίδακτοι. Quid præterea? cũ nec scripturam legerẽt, nec Dominum de cœlo loquentem audirent, facile quoque omne, quod dicitur Deus, contempserunt.

Scripturã Aesopi fabulis exęquant.

Conciliorum Decreta, Pontificũ scita, Patrum scripta, non quidẽ adhuc reijcienda, sed examinanda tantũ initio, atq; ad perpendiculũ sacrarum scripturarũ truti nanda, moderandaq; censuerunt, vtrũ cũ diuinis decretis, Apostolicisq; legibus, conuenirẽt. Quid deinde? Paulò post oĩa reprobarunt, damnauerũt, anathematizauerunt, igne, & flãma in foro publico deleuerunt: ipso tanti facinoris auctore, præcultoreque Luthero. In clero castitatem, modestiã, tẽperantiam, rerumq; omnium contemptũ, & cor sine auaritia requirebãt initio: sed cũ plebis animos, tanquã à discolis auertissent, eundẽ paulo post flãma, ferro, exilio vbi potuerunt deleuerunt, & Ministros è schola Cacodæmonis turpissimos, auarissimos, impudentissimos, falacissimos in theatrũ produxerunt, & ad curam Verbi, & animarũ adhibuerũt, quos ad mensę societatem nemo piorum adhibere dignaretur. In Monasterijs nil initio, quã virã piam, religiosam, Monasticæ disciplinæ consentaneam desiderabant. Quid consecutum est? Monasteria paulò post egregiè expilata, vel solo exæquarũt, vel in lupanaria, armamentaria, prædia, penuaria, cellaria, eq orũ, & armentorũ stabula conuerterunt. Imagines Beatorum tollendas è templis vociferabantur, initio, ne pro Dijs a rudi plebecula ligna fabrefacta colerentur. Hoc quidem eminebat in titulo, sed aliud latebat in pyxide. Euersis enim imaginibus, & testa paulò post omnia, & nomina, & memorias sãctorũ omnium, & omnẽ prorsus honorem amicis Dei debitũ sustulerũt. Inuocationẽ reiecerunt, & sese præterea Petro, Paulo, & ipsi Sanctissimæ Dei Genitrici, cæterisq; sanctis impudẽtissimè exęquarũt; proq; sanctorũ imaginibus, vxorum, & luparum suarũ imagines, quod Lipsiæ, Vittembergæq; vidimus, spectandas populo, & fortasse etiã adorandas in templis proposuerunt.

Progressus Euãgelicæ doctrinę.

Sacramentorum vsum artibus magicis, & anilibus quibusdam superstitionibus, à Papistis inquinatum, sine sale, sputo, oleo, cereo, exorcismo, tonsura, insufflatione, Ecclesiæ Dei se reddituros, ad normã legum Apostolicarum politicebantur. Quid consecutum est? Primò quidem de numero Sacramentorũ paulò post aũt, & de virtute efficaciaq; plurimum detraxerunt.

Sacramenta violarũt

Nec

Nec satis hoc. Ipsum ēt Baptismū ad salutē esse necessariū negauerūt, si modo infantes, baptizatorum essent filij. In cœna portò non satis ad gloriā visum est, si detracta corporis Christi præsentia, panem tantū pistoriū, & vinum de cupa conuiuis suis proponerent, & panē ad extremum, & vinum esse superfluū censuerunt, docentes sola tantum fide cœnā sumi, si quis modò mente in cœlū eleuata, Christum ad dexterā Dei sedentem se comedisse certò sibi persuaderet.

Sed longū esset artes eorū singulas, breuitatis studioso recensere. Iā ostendimus ex ipsissimis illorū monumentis, nullā ab illis non esse religionis Christianæ partē violatā. Scriptura miris modis lacerata, Symbola deartuata, Sacramenta trūcata, Trinitas veneranda, blasphemata, Christi diuinitas circumscripta, Antiquitas damnata, Patres, & Cōcilia reprobata, Tēpla diruta, altaria demolita, hæreses mille, mille Scismata nata. Huc accedunt bella suscitata, Reges oppressi, leges euersæ, Orthodoxorū integræ penè legiones gladio, laqueo, æquuleo, flāmis, vndis, præcipitijs, mille noui generis cladibus, & mortibus laceratæ, deletæ, obtritæ, bestijs terræ, & volatilibus cœli ad escam proiectę, ima summis, in vtraq; Republica paria facta. Misericordiæ Domini, quia nō sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius super nos.

Ac istos quidē tàm funestos consilij fructus, omnibus suis technis, & artibus texit initio Sathanas: sed Dei bonitas nostræ salutis cupidissima, non multò post detexit. Quod in nostram pernitiē malus Dæmon occultauit; bonus paulo post Dominus ad nostram salutem propalauit. Finis aūt coronat opus (ait Ecclesiasticus.) Quę enim sunt dubia in origine, probantur in fine, vel vt vetus verbum habet. Exitus ostendit, quonā principium tendit.

Ac vtinam qui in illa fraudis, & sepārationis initia inciderūt, cū Christianā vniuersam religionēad pristinū decus, & Apostolicā pertectionē se esse reuocaturos vo iferabanē, Euangelicarū fabularū Protoplastæ, qđ nos isto demū tēpore consequente experiētia, id illi statim initio præcedēte didicissent prudētia; nō fidem ab istis, sed ipsissimam propinari perfidiā; nō Christū sed ipsissimū prædicari Antichristū. Vtinā illius tēporis Episcopis, & pastoribus, verbiq; dispensatoribus, eā quā iubente Deo debebant fidē, & obedientiā Christi ouicule præstitissent, cū cōmemorabiles illi Orthodoxæ fidei προδόται, Tomicij, Conarscij, Dzierzgouij, Maczieiouij, Dantiscī, Hosij, Cromeri, Nouicāpiani, Leopolitæ, Melchiores, Picarscij, Sarbini, & alij his similes, glisscentē in patria, surgentemque ostenderent hæresim: cum ab Euangelicis Euangeliū, ex Euangelio euerti, verbum Diaboli pro verbo Dei propinari, cū zizania pro tritico seminari, cū venena tēperari, cū mille litos gladios offerri, cum ignes dolosō oppressos cinere foueri: in tēplo, foro, Senatu, omni congressu oportunè, importunè, præmonere; nō cessarēt: cū eū, quē nos demū ita funestum videmus, rerū exitū pollicerentur: clamātes quotidie cū Propheta. Superbia tantū est. Qui esce: has tantas religionis ruinas, has rerū publicarū parietinas, has Regū, & legū euersiones, quas videmus, nō videremus. Sed postquā tanta fuit potestas tenebrarū, postquā filij huius sęculi, sapientiores apparuerūt filijs lucis, postquā, vt cū Paulo dicamus, hæreses esse oportebat: in laude quoque esse testatur Augustinus. Qui primas non tenuit, secundas saltem tenere prudentiæ partes. Quęque initio mente, & animo non prouidisti incommoda, vel ab ipsa saltem discere rerum magistra experientia, & cauere. Imprudens habetur manum, qui mittit ad ignē; at qui manum vrit, & non retrahit, hominis mente moti nota laborabit. Prorsus ita nos docent Christi Saluatoris cautiones. Multi, ait, Pseudoprophetæ surgent, & seducēt multos. Attendite à falsis Prophetis. Cauete à fermēto Phariseorū, & Saduceorū. Sed si quis pro humana infirmitate, surgentes non vidit, seducentes non cognouit, non cauit, non attendit, abreptus est in errorem, vel ad alteram Domini confugiat cautionem. A fructibus eorum cognoscetis eos. Bona enim arbor, bonos, mala malos fructū facit: quippe rosas nō generāt spinæ, nec tribuli ficū ferūt. Ac ista quidē sola nota, siue tessera ipsū Dñi ore ad miternoscēdos spiritū p-

Esa. 30.

1. Cor 11.

Matt. 24.

Matt.

nuntiata, satis esse certa posset, ex qua liceat iudicium facere, quod eorũ doctrina, qui sibi isto sæculo nomen Euangelicorũ vsurpant, non Apostolorũ, sed Dæmoniorũ sit doctrina: nisi reliquæ etiã oẽs notæ, siue signa hæresis in omnib⁹ istorũ dictis, & factis, æquè vt illa eminerent, quæ nobis sacræ scripturæ in discernendis Prophetis, & Pseudoprophetis, inq; ijs omnibus, qui ex ore, vel non ex ore Domini locuti sunt dijudicandis, notanda, obseruanda, perpendendaq; præscripserunt. Quas nisi ẽt in eorũ, qui discesserũt à nobis doctrina, & moribus oẽs inesse ostẽderimus, causam nõ dicemus, quo minus pro falsita te cõtra veritatẽ stare pronunciemur. Posteaquã enim, ait ille, fidẽ perfidia, & vitia virtutes immitantur, nõ possunt equidem primo aspectu secerni, nisi signa quibus dignoscuntur impresseris.

Nota hę resis Prima, qđ illius authores, ex Catholica exeunt. Act. 20.

Primam itaq; nascentis hæresis notam dicimus, oẽs hæreticorũ Protoplastas ex Catholica exiuisse, idq; à Paulo didicim⁹, qui maioribus natu Ecclesię Ephesinæ Miletũ ad se euocatis, ad eũ finẽ hãc notam seu circũstãtiã adscripsit, vt scirẽt quẽadmodũ lupos rapaces non parcentes gregi, post eius discessum deberẽt internoscere. Scio inquit, quoniã intrabunt, post discessionẽ meã, lupi rapaces in vos, nõ parcẽtes gregi, & ex vobis metipsis exurgẽt viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos

1. Ioan. 2.

post se. Sed & Ioannes Apostolus, vbi de sui temporis Antichristis loquitur. Ex nobis, ait, prodierunt, sed non erãt ex nobis, nã si fuissent ex nobis permansissent vtiq; nobiscum. Et iterũ. Omnis qui recedit, &

1. Io. 4.

nõ permanet in doctrina Christi, Deũ nõ habet. Alio quoque loco. Multi Pseudoprophetæ exierunt in mundũ. Id aũt est, sicut Paulus interpretatur, vbi Philetũ accusat, à veritate exciderunt. Similiter, &

2. Tim. 2.

Timotheo scribens. In nouissimis, ait, tẽporibus discedent quidã à fide. Quidã ex

1. Tom. 4. Act. 15.

nobis exeuntes, turbauerunt vos, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus. Iudas quoque. In nouissimo, ait, tẽpore veniẽt illusores, secũdũ desideria sua ambulantes in impietatibus. hi sunt qui segregãt semetipsos animales, spiritũ non habentes. Quis aũt in rebus Ecclesiasticis est ità infans, & peregrinus? qui ignoret primos istorũ Atheismorum Protoplastas ex nobis exiuisse? Lutherus non solũ fuit Catholic⁹, sed & Sacerdos, & Monachus: Bucerus monachus, Ochinus monachus: Seclucianus monachus: Carolstadius Canonicus: Caluinus Canonicus: Lascus Canonicus, & mille alij, quos quia Sathanas obseruauerat nõ fuisse ex nobis, facilè persuasit, ne permanerẽt nobiscũ. Meminerat quippe hoc artificij genus nimis olim sibi fęliciter successisse, per eos, qui vocabantur Prophętæ, fallendi populi Dei Volẽs. n. Dñs Achab Regẽ perditissimũ, de superficie terræ perdere, interrogabat. Quis decipiet Achab Regẽ Israel? vt ascẽdat, & cadat in Ramoth Galaahr. Egress⁹ aũt Spiritus stetit corã Dño, & ait. Ego decipiam illũ. Cui locutus est Dñs. In quo? Et ille ait. Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore oĩum Prophętarũ eius. Et dixit Dñs. Decipies, & prævalebis. Egredere, & fac ita. Hac eadẽ arte ipsis etiam Apostolorũ tẽporibus vsus Sathanas, multos à fide Christi ad perfidiã auertit, cum non vulgarẽ quẽq; è triuio hominem, sed ex his qui ꝓphętarũ in Ecclesia Dei fungebantur officio, per quos verba mendacij loquereꝛ, eligeret. Ita per Nicolaũ è septẽ Diaconis vnũ; ita per Elimã Hymeneũ, & Phyletũ quorũdã fidẽ, Paulo teste, subuertit; ita per Menãdrũ, Diotrepẽ, Cherintũ, Ebionẽ, Apostolorũ discipulos: ità posteà ꝑ Praxeã, per Ariũ, Nestoriũ, & alios qui diuinæ volũtatis interprętes, & internũcij habebãtur, multos auertit à Christo.

3. Regũ 22.

Vnde de Marchione sic loquitur Tertullianus. Non negabũt discipuli eius primã illi fidẽ nobiscũ fuisse, ipsius literis testib⁹, vt hinc iã destinari possit hęretic⁹, qui deserto, qđ pri⁹ fuerat, id posteà sibi elegit, qđ retro nõ erat. In tantũ. n. hæreses deputabitur, qđ posteà inducitur; in quantũ veritas habebitur, qđ retrò, & à primordio traditũ ẽ. Et alio loco. Hæreses de nostro fructificauerũt, nõ nfæ, degeneres à veritatis grano, & mẽdacio sylueſtres. Difficile quippè iudicabis eũ posse existimari patronũ falsitatis, qui in Ecclesia prędicãdi agere videreꝛ veritatis: quę Prophętã, vt loquit Lirinẽsis, quę Prophætarũ discipulũ, quę Doctorẽ, & assertorẽ veritatis existimas, quem suspicis, quę cultu, & veneratione dignum

Lib. 1. contra Marcionem.

De prę scriptio.

De ueritate fidei Christ.

dignum putas, quē diuina eloquia cū laude tractasse, quē noxios errores refutasse cernis. Homo sacerdos, ait scriptura de semine Aaron venit, non decipiet nos. Istiusmodi, inquā, deceptores, nec ità citò possunt in fraude deprehēdi, nec ità facile, ob eā quā sustinēt personam, vocationēq; reprobari: cū præsertim uetus verbū suadet. In sua cuiq; arte credendū esse. Equidē existimo, cū olim per Hussitas, & Flagellantes patriæ nostræ constantiā Sathanas pertentaret, si quomodo posset ab accepta Christi fide abducere, propterea non profecisse, quod nullū Doctorē, nullū Prophetā, nullū Prophetarū discipulū inuenerit, cuius ore cæteros deciperet, & præualeret. Melius enim multitudo, vt loquitur Curtius, licet alioqui impotens, læua, mutabilis, vbi religione capta cīt, variis bus, quā Ducib. s suis paret: Quippe proximus a Dijs habetur, ait Iustinus, p quē Deorū maiestas vindicatur. Ac utinam ne nūc, quidē inuenisset, minus profectò magnas religionis, & omnū Sanctitatū ruinas edidisset. Libet isto loco cōmemorabilem cōmemorare, tū Sbignei, Olesnicij, Cardinalis, & Episcopi Crac. tū Andreæ Bninski Episcopi Posnanien. in hoc genere reliquis omnibus immitādā vigilātiā. Ille Boemorū ad Regē Casimirū legatos, Hussica labe infectos, promulgato interdicto, vt à sacris cessaretur, Regia exire Ciuitate, ne alios inficerēt, coegit, Bninscius porrò cū ab Abraamo Zbascio receptum in Zbassijno datū, quinq; sectæ Boemicæ Ministris cognouisset, Anathemate prius percussit, & cū ea via, vt habet noster Cromerus nil proficeret, coacto exercitu dedi sibi Ministros coegit, instauratoq; Posnaniæ iudicio, publicè cremauit.

Secundā Hæresis, & hæreticorum notā ab ipso Christo, & Apostolis eius discim⁹. Quod scilicet Pseudopropheræ, siue Pseudoapostoli multi simul surgent. Multi, ait Dominus, venient in nomine meo docētes. Et Ioan. Multi Pseudoprophētæ exierūt in mundū. Et Paulus. Multi. n. ambulant, quos sæpè dicebā vobis, nūc aūt, & flens dico, inimicos crucis Christi. Et apud Math. Attendite à falsis Prophetis, qui veniūt ad vos in vestimētis ouiū. Et iterum. Surgent, Pseudochristi, & Pseudoprophetæ. Et Petrus. Sicut, & in uobis erūt magistri mēdaces. Et in Actis Paulus. Instabūt post discessionē meā lupi rapaces. Nō ait Dominus, veniet Pseudochristus, aut Pseudoapostolus, aut illusor, aut magister mendax, aut lupus rapax: sed erūt multi, venient multi. Surgēt multi. Vnitatis enim vn⁹ debet esse Magister: multitudinis aūt propria ē dissensio. Vnus Deus, & Christus eius, vna fides, vnū Baptisma, vna Ecclesia, vnus pastor, & vnum ouile. Sic primis illis sæculis accidit cū Arrius surrexisset, surrexit simul, & Actius Syrus cognomēto impius, & Eunomius, & Macedoni⁹, & Semiarriani, & Pneumatomachi. Paulò post Photin⁹, paulò post Nouatius, & alij. Donatistæ statim vt surrexerūt, in multas secti sunt sectas, Circūcellionū, Maxiministarū, Parmenistarū, & Rogatistarū. Eutichianos in duodecim sectas diuisos fuisse ait Nicephor⁹ Aegiptios, Schemmaticos, Theodosianos, Monophylitas, Acephalos, Trotinianistas, Tritheitas, Theopaschitas, Borsanianos, Christolitas, Iacobitas, Iulianistas, Seueritas, Armenos, Aphtartodocitas, Contobalditas, Angelitas, Tetraditas, Conenitas, Gainitas, Cazizarios. Hoc quoq; ad salutem nostram Domino disponente, vt multi simul diuersa docentes surgerent, ne si vnus, vnum, idēq;, perpetuo, a reliqua vnitate præcisus prædicaret, ob nomen vnitatis sedere crederetur in Cathedra veritatis. Surrexit in Boemia Ioannes Hus, surrexit simul, & Iacobellus, & Petrus Dresdeñ. & Ioānes Przybran, & alij. Isto quoq, sæculo nō est patsus Dominus solū Lutherū, aut solum Caluinū surgere, nimis enim hæc magna infirmitatis nostræ tentatio fuisset, in quos fines sæculorū deuenerūt, quibus retrixit charitas, & abundauit iniquitas, si vnus tantū toto Septēntrione Doctor, vel, vt ipsi vocāt, vn⁹ solus Reformator Ecclesiæ surrexisse videretur. Nos quidē nono Atheismorū nostrorū capite plures Pseudoprophetas his annis septuaginta surrexisse ostēdimus, veterū errorū restauratores, & nouorū dogmatū auctores, & inuentores, quā ab ipsis Apostolorū tēporibus vsq; ad Luteri tēpora. Sāderus. n. vir doctissimus, per mille quingenta sęcula nō plures quā 181. hæreses enumerat, cū tamē his annis

1. Machab. 7.

Lib. 4.

Iust. lib 8.

Vigilātia pastorum quantū possit.

Crome rus 21. lib. hist.

Nota hæresis secūda, qđ multi simul Pseudoprophe ta surgunt. Philip. 3. Cap. 7.

Ca. 24 2. Petri 1. Ca. 20.

Lib. 18. Ca. 45.

plures quam ducentæ septuaginta numerentur. Multitudo quippe Doctorum, multitudinem secum traxit religionum.

Lib. 1. Multitudo verò religionum (ait Lactantius) nullitas est religionum.

Apud istos vicissim Lutherus esse vult Propheta, siue Papa Germanicus; Caluinus Gallicus; Zuinglius Helueticus, Bucerus, Anglicus; Buchananus, Scoticus; Pomeranus, Danicus; Pellio, Liuonicus; Blandrata Transyluanicus. Suos singuli cætus cogunt, suas Cathedras erigunt, suas confessiones despumant, suos habent Cathechismos, suas scholas, suos post se trahunt discipulos, Pauli præceptorum obliti, qui testatur, quod Dominus in Ecclesia sua quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & Doctores in ædificationē corporis Christi. Notius est, quam vt pluribus verbis probari debeat. Et ego

Non equidem hoc studeo pullatis vt mihi nugis.
Pagina turgescat, dari pondus idonea fumo,
Res potior verbis, prœcellunt sacra ptophanis
Quantum fauillis sydera.

Nota 3. quod in Christi nomine veniũt. Math. 24. Tertiam hęresis, & Pseudoprophetarum notam apud Matheum expressam habemus, vbi dicit Dominus. Multi enim venient in nomine meo, dicētes, Ego sum Christus, & multos seducent. Et iterum. Si quis vobis dixerit Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere, ecce in deserto est, nolitè exire. Ecce in penetralib⁹, nolite credere. Surgent.n. Pseudochristi, & dabũt signa magna, & ꝓdigia, ità vt in errorem inducantur, si fieri potest ét electi.

Ibid.

Luc. 21. Et iterũ. Videte ne seducamini. Multi enim veniēt in nomine meo dicētes, quia ego sum, & tempus appropinquauit, nolite ergo ire post illos. Hoc ipso nomine sui temporis Pseudoprophetas Isaias, & Ieremias Prophetæ accusant. Quod se quoq; in nomine Domini venire, deq; ore Domini verba facere ad populum gloriabantur. Væ, ait Esaias, filij desertores, facitis consilium, & non ex me; ordimini telam, & non per spiritum meum. Ambulastis in Aegiptũ, & os meũ non interrogastis. Ieremias verò. Nolite audire (inqt) verba Prophetarũ, qui prophetant vobis, & decipiũt vos. Visionē cordis sui loquũtur, & non de ore Domini, dicunt his, qui blasphemant me. Locutus est Dñs, nec veniet super vos malũ. Oēs prorsus hæreses, & antea semper, & isto quoque nostro sæculo in Christi nomine venisse, proque Christo se surrexisse glorianť, Christũ in ore, Christũ in calamo, Christũ in foro, Christũ in tēplo, Christum in Cathedra, Christũ in omni sermone se prædicare, ꝓ Christo in acie stare, pro Christo fratres, & ꝓximos trucidare, tēpla spoliare, diruere, pro Christo demoliri altaria, pro Christo Reges reprobare, ꝓ Christo leges euertere, pro Christo Sacramēta minuere, pro Christo nouos introducere cultus, noua facere oīa gloriãtur. Hæc.s. sunt illa ouiũ vestimēta, sub quibus Christus lupos latitaturos p̄dixit, neque.n. posset nuda facies decipere falsitatis, nisi speciem assumeret veritatis, Omne.n. quod falsũ ē, ait Philosophus, nō nisi aſsũpta decipit veri similitudine. Propterea, & Euāgelicorũ sibi nomen assumpserunt, Ecclesiæ desertores, vt sub spetioso Euangelij titulo deciperent, & opinionum suarum merces adulterato nomine ceruſſatas, tanquam suspensa hedera facerent vēdibiliores: neq; certè, vel à nobis isto loco: vel à reliquis Catholicis propterea vocantur Euāgelici, quod illos verũ Euangelij sensum, & germanā eius intelligentiam assecutos arbitremur: sed quod verũ eius sensum, & verā intelligentiā, quā omnis confessa est antiquitas, corruperint, euerterint, pessum dederint, suis fecerint seruire phātasijs, sicut olim Scipio propterea vocatus est Africanus, qđ Africam deleuerit, suisq; fecit seruire Romanis. Pulcherrimè in simili Hæreticorum causa Athanasius. Cum vna quæq; hæresis sui cōmenti parentē habeat eũ (qui ab initio peruetsus, & homicida, & mendax fuit) Diabolũ, ac pudore tā exosi nominis teneatur, pulcherrimũ, & quod super oīa est nomē Saluatoris profitetur, scripturarumq; dictionibus amicitur, & verba quidem profert, veram tamen inde sententiā defuratur, ac deinde intellectu, quem ipse confinxerit dolis inumbrato, erroneorum homicida efficitur.

Esaiæ 30.

Cap. 44

Oratione 1. cōtra Arianos.

Quar-

Nota 4. qđ non vocati veniũt, nõ missi currũt. Roma. 10.

Quartam notam Pseudoprophetarum eam didicimus, Quod non missi currunt nõ iussi loquũtur, nõ vocati veniũt. Quomodo enim inuocabunt, ait Paulus, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quẽ non audierunt? quid autẽ audient sine prædicante? quomodo verò prędicabunt, nisi mittantur? Certè Christus disertis verbis à se missos, discipulos suos profitetur, cũ clausis foribus in mediũ ingressus sterisset dicẽs. Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et iterum. Ego misi vos metere, quod non laborastis. Et apud Matth. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Et apud Lucam. Misit illos binos ante faciem suam in omnẽ ciuitatẽ, & locũ, quo erat ipse vẽturus.

Ioa. 20.

Ioan. 4.

Math. 10.

Lu. 10.

Moses nõ nisi missus ad Pharaonẽ accesit, Aaron nisi vocatus munera Pontificis non obiuit. Ieremias ad Gẽtes, & Regna verbum nisi missus non fecit. Ezechiel ad filios Israel, ad gentes Apostatrices locutus non est, nisi missus. Ionas ad Niniuẽ, idq; vix, nisi missus non ascendit. Nathan non nisi missus Dauidẽ corripit. Semeias vir Dei nõ nisi in sermone Dñi Roboã reprehẽdit. Ipse verò Dñs miras apud Ieremiã querimonias cõtra nõ missos Prophetas, excitat. Nõ mittebã, inqt Prophetas, & ipsi currebãt, nõ loquebar ad eos, & ipsi ꝓphetabãt. Quid Apostoli? nota est oĩum, & singulorũ vocatio, nemo nõ mis⁹ cucurrit: nemo nõ vocatus, mun⁹ Apostolatus arripuit: sed sicut De⁹ Christũ, sicut Christus Petrũ, & alios: sic Petr⁹ vicissim misit Linũ, & Clemẽtẽ, Paulus Timotheũ, & Epaphroditũ, Ioanes Caiũ. Isti alios. Alij vicissim alios, vsq; ad hæc nostra tẽpora, in prædicationis munere sibi succedentes, & acceptam ab Apostolis doctrinam nobis quasi per manus porrigentes. Nemo enim sumit sibi honorẽ, ait Paulus, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron, sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret: sed qui locutus ẽ ad eũ, filius meus, es tu, ego hodie genui te. Quamobrem etiam Paulus diligenter admonet, vt vnusquisq; in qua vocatione vocat⁹ ẽ, in ea permaneat. At isti, de quibus agim⁹, Babylonicæ turris Architecti, de qua terra germinarunt? (sic de Donatistis loquitur Augustinus.) de quo mari emerserunt? de quo cęlo ceciderũt? quis eos misit? quis vocauit? ostendãt, cui vnq̃ per Angelũ, cui de cęlo per se locutus ẽ Dñs? Ad quẽ Petrus? ad quẽ descẽdit Paulus? ostẽdãt miracula: edãt maiorũ suorũ origines. Scio qđ quasdã iactãt extraordinarias vocationes. Interrogatus. n. in Cõuẽtu Posiacẽsi Beza ab Orthodoxis, quibus miraculis hãc suã extraordinariã vocationẽ cõprobaret, ausus est homo flãmis emẽdãdus respondere. Vitæ suæ puritatẽ, morũq; innocentiã haberi debere miraculi loco, in testimoniũ extraordinariæ vocationis. O monstrũ hominis in vltimarũ sola terrarũ deportãdũ. At eadẽ miracula, & fortè maiora faciũt, & Caddi Turcici, & Bõzij Iapponici, & Ioquibes Goenses, & Maurici Cacicij, & alij his similes, idolorum suorũ antistites, quorum vita longè, quam Bezæ castior, & quædã mira prædicatur in seipsos extraordinaria austeritas. At eodem miraculo teste, Seruetus, eodẽ miraculo teste, Gẽtilis extraordinariã suam vocationẽ, & missionẽ astruebat. Prophetas ergo, & quidẽ miraculis claros iugularunt, Caluinus, & Beza. Alterum enim gladio, alterũ ardentibus fasciculis emendandũ curauerunt. Iã verò de Lutheri vocatione respõdeant Sacramentarij. Extat liber Casimirianorum Theologorum de Concordia Bergensi. Pluribus in eo verbis profitentur Lutherũ nulla vnquã miracula, nulla prorsus extraordinarię vocationis argumenta ostendere potuisse. Quamobrẽ etiã vociferãtur, ad magnã id Dei iniuriã pertinere, quod eũ alterũ Eliã, Quintum faciebant Euãgelistã, & summũ Germaniæ Prophetã, quasi nullos, ait Caluinus, ampli⁹ excitare Prophetas, præter istũ vnũ, De⁹ posset; nec omninò aliã eius vocationẽ fuisse contẽdũt, quã quod Professor Ordinari⁹, & lector Theologiæ in Academia Vittẽbergẽn. habebatur. Cuius ministerio, quasi protenso digito, viã cæpit Dominus ostẽdere veritatis, quam ipse tamen non attigit. Sicut nec olim Moises vir Dei promissæ terræ possessionem adijt, pro qua tamen summa contentione laborauit. Equidem, & in lege veteri propterea tribum Leuiticã Dominus designauit, & in lege noua Sacramentũ ordinis propterea instituit, vt hac quasi tessera, qui ad verbi

Hyer. 27.

Heb. 5.

Ps. 2.

1. Cor. 2

Contra Donat.

Beza quomodo suã missionẽ probat.

miniſterium, cęteraque munera Sacerdotalia Deo diſponente miſſi ſunt, ab his, qui non miſſi currunt; qui uocati ſunt ab his qui non vocati ueniunt, internoſcerentur, ne aliter niſi ſecundum eã formam, aut alio modo Deus coleretur, quam ijs præſcripſit, quos miſit, quos vocauit, quos ſuorum miſteriorum diſpenſatores eſſe voluit: prorſus, & vbi cumque Ordinis Sacramentum repudiatum eſt, & cuilibet currenti, prędicandi poteſtas permiſſa, pluſquam Babylonicam inter eos confuſionem videre liceat, ſicut in cap. 2. de Sacramentis oſtendimus. Lutherus certè omnium non miſſorum curſorum præcurſor, tolerare non potuit poſt ſe currentium incredibilem inſolentiam, & temeritatem, quos iubet examinari, repelli, à verbi miniſterio arceri, niſi miſſionis ſuæ proferrent teſtimonia.

Nota 5 nil certo, ſolideque credere 1. Thimo. 6.

Quintam hæreſis notã à Paulò didicimus. Sẽper diſcere, ſemper cõfẽdere, perpetuò diſputare, quotidie ſcribere, & veritatem nihilominus ignorare, Semper diſcentes, ait Paulus, & nũquã ad ſcientiam veritatis peruenientes. Quare id? Prophanas enim vocũ nouitates afferunt, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ. Ex eo porrò cõſequitur, quod illis in ſua Canonica Petr⁹ tribuit, vt ſint indocti, & inſtabiles. Septuaginta anni interceſſerũt, ex quo Euangelici veteri reprobata, nouã fidẽ fingere, nouã laudare, diſcereq; religionẽ cæperũt, neq; tñ hucuſq;, vel de minimo articulo firmã vllã, & ſtabilẽ ſententiã decernere, pronuntiareq; potuerunt. Tribus, ut puto ſolis exceptis capitibus, quæ totius Euangeliſmi ſummã, medullã, neruum, ſuccũ, fundamentũ, immo Sacramẽtum rectè poſſumus appellare. Creſcite, Bibite, & Romanæ Eccleſiæ maledicite. Nota eſt, omniũq; ore trita, perq; omnes tabernas peruulgata, & percellebrata Lutheri canciuncula. (Erhalt vns her bei deinẽ Vuort, Vnd Scurtze des Babſt vnd Turcken mordt &c.) Conſerua nos Dñe in tuo verbo. Et deſtrue Papæ, & Turcæ crudelitatẽ. Et iterũ.) Trinck vnd is, vnd gottes nicht vergis.) Ede, bibe, & Dei ne obliuiſcere. Summa ſanè carni chara, in carnalis hominis aure, ore, inguine, ſupra quam, dici poteſt mellea: mirũ, ut non ſit, quod tam facile rudem ad ſe pertraxerit plebeculam, cum nihil proponeret, quod carni repugnaret, quod libidinem frenaret, quod animi inordinatos impetus reprimeret. Sed mera mulſa, & laſcerculos, vt Plauti verbis vtamur, feſſamumq; papauerem, triticumque proponeret, & fractas nuces. Bachi, Priapique ſacra vocaſſet antiquitas. Et Romani præterea Pontificis authoritatem propterea nullam eſſe voluerunt, ne quis ſit, qui cum authoritate incitatum cupiditatum curſum poſſit vnquã refrenare. Audeo dicere, ſi Lutherus duas horas Ieiunij, duas orationis, & duas ſobrietatis, in ſingulos annos ſuis Saxonibus indixiſſet, non dico ſaxis illi dentes excuſſiſſent, ſed certe minus multos, minuſq; alacres auditores inueniſſet. His tribus exceptis capitibus nec ſciũt qd credãt, nec ſciũt quid nõ credãt. Nihil ẽ apud illos de Eccleſia fixũ, de Sacramentorũ numero nil certũ, de vi, & efficacia, nil non ambiguũ, de cœnæ vſu nil conſtitutum. Tot confeſſiones, vt Iudas loquitur, deſpumarunt, non ſecundũ numerum Ciuitatum, ſed penè ſecundum numerum oppidorum, & villarum: Sexaginta Confeſſiones in Germania recenſentur, Auguſtana Cæſarea, Auguſtana quatuor Ciuitatum, Auguſtana caſtrata, Auguſtana reformata, Auguſtana Ratisboneñ. Auguſtana Spireñ. Hic ſequuntur Saxonicę penè duodecim, hinc totidem penè Vittembergeñ. hinc Ducum Vinarieñ. hinc Geneueñ. Tugurinæ, Baſilienſes, Bernenſes, Saffhauſeñ. Coldnigeñ. Roſtochieñ. & centum aliæ. Hinc mille doctrinæ corpora, Cathechiſmi ſexcenti, ſexcentæ Inſtitutiones, & poſtillæ domeſticæ infinitę. Quid in Gallia? Aliã Confeſſionem Roccella ſequitur. Aliam Pariſienſes, aliam Lugduneñ. aliã Turroneñ. aliam Rothomageñ. aliam Delphinates, aliã Languedoceñ. aliã Metſeñ. aliam tenent Maſſilieñ. Prouinciæ Hugonoti. In Anglia Zuingliani aliam, aliam Caluiniani, aliam ſequuntur Puritani. In Polonia noſtra, aliam ſcripſerunt Cracouieñ. Euangelici, aliam Pinchouieñ. aliã Sãdomirieñ. aliã Lublineñ. aliam Lituanici Rabini, aliã Submõtani.

Sexaginta Cõfeſſiones Euangelicorũ

Mille

Mille prorsus confusissimarum Cõfessionum cõscripserunt genera, semper discẽtes, neq; tamen adhuc quicquã certi habentes, quod affirment. Quare id? An non scriptum est, quod petenti dabitur, pulsanti aperietur, & quærenti inuenietur. Pulchre sane Tertulli. Viderit, qui quærit semper, & non inuenit, ne fortè illic quærat, vbi nõ inuenitur. Viderit qui semper pulsat, & nõ illi aperitur. Illic enim fortè pulsat, vbi nemo est. Viderit qui semper petit, & non auditur. Ab eo enim fortè petit, qui non audit. Quęramus ergo, ait paulo post, in nostro, & à nostris, & de nostro. Nemo quippe inde strui potest vnde destruitur. Nemo ab eo inluminatur, à quo contenebratur.

In De Præscriptionibus.

Quam multas porrò Pseudosynodos coegerint, quas disputationes instituerint, quæ Comitia, Colloquia, Conuenticula Consistoria, Symbleas, & Parlamenta coegerint, vt aliquid tandem certi, exploratiq; haberent, de fidei articulis, plenæ sunt omnium scriptorũ historiæ, nos pene sexaginta recensemus, de quibus aliquid explorati habere potuimus. Nulla omninò colloquia, nullæ disputationes extiterunt, in quibus vnum idemq; saperent, aut in vnam eandemq; sententiam conuenirent, quin potius longè, quam venerãt infestioribus, distractioribusque animis discesserunt. Non aliam profectò ob causã, quam quod prophanas votũ nouitates afferrent, falsã scientiã, falsi nominis sciẽtiæ opponentes. Circa quæstiones, & pugnas verborũ languentes, ex quibus oriũtur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ plenæ spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentiũ mẽdaciũ. An autẽ tibi non videtur, prophana, & vocum, & doctrinæ nouitas, cum quod Christus corpus suum vocauit quod istius modi esse semper omnis confessa est antiquitas; hoc illi signum, tesserã, arrabonẽ, figurã, Metaphorã, Tropũ, Metonymiam, hoc pillulã in ouo, hoc corporis energiã, efficaciam, commemorationẽ, Symbolũ, qualitatẽ, testificationẽ, & id genꝰ nouis, & inauditis verbis, & enuntiationibus appellant? An nõ hæc est doctrinæ nouitas, canales quosdã, siue tubas fingere, p quos è cœlo succus è Christi corpore ad dextrã Patris sedentis, in animos credentium defluat, atq; deriuetur? An nõ est hęc prophana, & vocũ, & doctrinæ nouitas, quam Vbiquistæ profitẽtur, quod humana Christi natura sit vbiq; verè, & realiter. Quod Carni Christi collata sunt multa, attributa diuina, omnipotentia, omnipræsentia, omniscientia? An nõ est hæc profana doctrinæ nouitas, de qua Sturmius Concordiæ Bergen. fabersulos accusat, quod duplex cœlum statuant, scilicet generale, & Cœlũ speciale. Ascensiones porrò Christi triplices. Duas in conceptione, & morte, tertiã imaginariã. Duos albis vestitos, spectra, nõ Angelos fuisse, & ipsã Ascẽsionẽ nõ aliud, quã spectrũ? An nõ hæc est prophana doctrinæ nouitas, filios Christianorũ esse Christianos, etiã sine baptismo? tũ, & illa; Christũ horrendos inferni cruciatus esse perpessum? Corpus non ex virgine accepisse, sed ex patris substantia cælitus attulisse? An nõ hæc est prophana nouitas, ter adorandam Trinitatẽ, vocare Cerberũ tricipitẽ, Augustini Deã, turrim Babel, Deũ ficticiũ, Sathanæ stratagema? An nõ hæc est profanæ doctrinæ nouitas, quã Iordanus Bezæ, & Daneo tribuit, præter tres hypostases, quartã quandã essentiã inducere, cuius participes sint tres illæ, & quæ sit alia, & aliud, quã ipsę personæ, vel in qua tres psonæ subsistãt, & quasi pendeãt, idq; quaternitatẽ appellant? An non hæc est prophana vocũ nouitas, vsu receptũ in Ecclesia Dei transubstãtiationis vocabulũ reprobare, & nouæ doctrinę nouũ nomẽ fingere transcondiciationis? An nõ est hæc prophana vocũ nouitas, cũ Christũ non Deũ ab ęterno, sed Deificatũ illo tpe statuunt, cũ audita super eũ vox est. Hic est filius meus dilectus? Libet cũ Augustino exclamare. Ecce qualibus argumẽtis Omnipotẽtię Dei humana contradicit infirmitas, quã tñ tàm magna possidet vanitas. Mirũ profecto, nisi à Christũ valde peniteat, quod aduentũ suũ in carnẽ, Euangelijq; propagationẽ, ad hæc vsq; Luth. & Caluini tẽpora non distulerit, vt istos emẽdatores, & interpretes ad latus haberet, longè q̃ Petrꝰ, & Paulus intelligẽtiores, & dilucidiores: nisi qđ isti cõuersũ sũt, ait Apostolꝰ in vaniloquiũ, volentes esse legis doctores, non intelligentes

Euãgelici ꝓphanas vocum nouitates afferũt.

Contra Pelagiũ

1. Tim. 1

2. Petri 2. Heb. 13

gentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Sectas quippe, ait Petrus, non metuunt introducere blasphemantes. At aliter Apostolus. Doctrinis, ait, varijs, & peregrinis nolite abduci: non solum autem doctrinam peregrinam prohibet, sed & formam iubet tenere sanorum verborum, quæ à me, inquit, audiuisti, non quæ in tuo capite finxisti, aut in triuio inuenisti, ab Apostolis, & Apostolicis viris tradita, non ab Apostatis excogitata.

Nota 6. quod S. scripturam deprauât. 1. Petri 3. Deuter. 4. Prouer. 30.

Sextam Hæresis notam, ab Apostolorũ principe didicimus, sacram Scripturam deprauare. Sunt, inquit, quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut, & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem, contra præceptum Dei dicẽtis. Non addetis ad verbum, ait Moses, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Et Prouerbiorum, Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se, ne addas quicquam verbis illius, & arguaris inueniarisque mendax. Quare id? Non enim voluntate humana, ait Petrus, allata est aliquando prophætia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. At indocti, & instabiles Euangelici, Scripturas omnes varijs modis insigniter deprauarunt, addendo, minuendo, mutando: idque nos in Atheismis de scriptura, satis copiosè recensemus. Mosen ad patibulũ relegat Lutherus, Legẽ vocat labyrintũ, Iustitiam eius Minotaurum, scripturam librum Hæreticorum, Decem præcepta, fontem hæresum, Genesim ænigma. Iobi historiam, fabulam, Ecclesiasten Talmutum Psalmorum authorem Aesopum, librum Iudith, Tragediam, librum Iobiæ, Comediam, Epistolã ad Hæbreos: Euangelio contrariam Iacobi Epistolam Stramineam. Caluinus vicissim, Baruch reijcit, Ecclesiasticum non vult esse solidæ authoritatis, librũ Sapientiæ, arguit mendacij, Machabeorum historiã fecisse dicit humilẽ. Beza Lucæ Euangelistæ, solæcismos obicit. De historia mulieris adulteræ dubitat. Anglici ministri, totũ Lucæ Euangelium reijciunt. In ijs porrò libris, quos pro Canonicis recipiunt, sexcenta sunt, quæ corruperunt loca. Luther us in salutatione Angelica pro (gratia plena) posuit gratiosa. Beza gratis dilecta. In Epistola Pauli ad Rom. Cap. 3. addidit Luth. verbum (sola) Caluinus pro inferno ponit sepulchrum Gen. 37. Descendam ad filium meum lugens in infernũ. Biblia Gallica Honorati ponit fossam. Luth. illa verba Petri 2. cap. 1. Vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis, prorsus in sua versione omisit, nisi quod actum agimus singula recensendo, quæ cia copiosè in Atheismis ostendimus: Sufficit isto loco, quasi protẽso digito ostendisse, Euãgelicos esse sacrarũ scripturarum indubitatos deprauatores, & eo nomine detestandos hæreticos.

Nota 7. quod in uicem mordẽt Gal. 5. Pro. 13. Esa. 48.

Septimam notam Hæretici fætoris, ex Paulo didicimus. Mutuam doctorum interse discordiam, & dissensionem. Ait enim. Quod si inuicem mordetis, & comedetis, videte ne ab inuicem consumamini. Inter superbos enim semper sunt iurgia. Et Nulla est pax impijs. At Euãgelicorum Prothomagistri isto nostro sęculo, quam acerbo, quã immortali odio, & mordeant, & comedant inuicem, quibus se se maledictorum notis configant? quam alacriter alter in alterum laqueos injiciat, in exilium agat, flammis vltricibus corrigat? in eo Capite, quod Ministromachiam inscripsimus, ostensum est. Bini quotannis indices nouorum librorum, è nundinis Frãcofordien. prodeunt. Aliquot iam annis obseruauimus, longè plures, & acerbiores libros ab Euangelicis contra Euangelicos, quam contra Catholicos, à Ministris contra Ministros Euangelicos, quam contra scriptores Catholicos euulgari. Actum non agemus in ijs commemorandis, quomodo Lutherus Zuinglium, & Oecolam padium, Zuinglius vicissim, & Oecolampadius Lutherum, & eius doctrinam reprobauit, damnauit, anathematizauit. Quemadmodũ Caluinus Vesthphalum, Vesthphalus tractauit Caluinum, Philippus Ohandrum, Osiander excepit Philippum, Stancarus Tygurinos, Tygurini, lacerent Stancarũ. Apud nos quoq; Farnouius Arrianus, Lituanicos Samosatenses Rabinos, vocare non dubitat Antichristos, illusores mundi, Hystriones Machometanos, & id genus.

nus. Ebyonitæ quoq; Lituanici, quorum caput Budneus Arrianos Lublineñ. quorũ caput Czechouicius, ad ima, si possent, vellent detrudere tartara. Legat qui volet Vilkouianæ conuersionis causas. Vera esse quæ dicimus inueniet. Volanus certè Zuingliocaluinisticę cœnæ cocus, videns cætum suũ quotidie ab Arrianis, & Tritheistis euacuari, Regis ad extremũ Stephani auxilium, contra fratres suos, æque vt ipsi Euangelicos implorat, vt è regni finibus facessere iubeantur. Seruetum certè Tritheistã, non Catholicus aliquis Episcopus, sed Caluinus combussit Sacramẽtarius: Gentilem, Bernenses: Fagium, in Anglia, Caluinistæ. Hessusium verbi Lutherani Ministrũ, sex Lutheranæ Ciuitates eiecerunt. Saxonia non ita pridẽ Vulcano tradebat Caluinistas, paulò post Caluinistæ Lutheristas. Nũc post mortẽ Christierni Ducis vicissim dicuntur à Luther stis pelli Caluinistæ. Caluinistæ Puritanos, Puritani in Anglia persequuntur Caluinistas. Prorsus vt verũ dixerit August. quod facilius vnus sanus fert duos ægrotos, quam duo ægroti, se inuicem singulos.

Scitum est illud, & istorum Ministrorum miserrimæ sanè conditioni, non absimile exemplum, quod in Epistola Petri Alcaceræ, de rebus Iapponicis legimus. Singulis, quæ multa colunt Idolis, nocturnæ, per vices, in Regio Palatio mãdãtur excubiæ. Anima porro simulachri illam agere vigiliam creditur: sed si fortè Rex ea nocte minus se habuit commodè, simulachrum e Regia fustibus male mulctatum exterminãt, spatio centum dierũ: quibus exactis, ab exilio vicissim reuocãt suoq; loco locant: qualem certe misericordiam nec Lutheristæ Caluinistis, nec Caluinistæ Lutheristis vnquam præstite. runt, nec certe præstabunt. Sed malent consumi ab inuicem, quã vnus alteri, vel latũ vnguẽ cedere. Et propterea vel hoc solũ verissime Lutherus: Nulli hæretici vi cti sunt vnq̃, vi & astu, sed mutua dissẽsione: nec aliter cũ eis pugnat Christ⁹, quã misso inter eos spiritu vertiginis, & dissensionis. Sicut inter Sichimitas, & inter Babylonicæ turris operarios, & in noua lege inter Arrianos. Donatistas, & Pelagianos.

Luth. in postilla.

Octauam notam ex Apocalypsi didicimus. Nomen ab auctore doctrinæ ducere. Sic Apostolus Nicolaum, & eius discipulos, fidei doctrinæq; desertores, & nouæ perfidiæ authores, Nicolaitas appellat. Id autem quam solemne sit, quamq; vsitatũ, tam apud veteres, quàm istius sæculi hæreticos, quę legimus, queq; quotidie audimus, trecenta propè nomina, & appellationes ostendũt. Nicolaitæ à Nicolao, Symoniani, à Symone, Cherinthiani, à Cherinto, Ebionitæ ab Ebione, Arriani, ab Arrio, Lutheristę vocãtur à Luthero, Caluinistæ à Caluino, Zuingliste à Zuinglio, Mennonistæ à Mennone, Osiandristæ ab Osiandro, alij ab alijs: idq; diuino planè consilio factum existimare debemus, vt hominis doctrina authoris, & conditoris sui nomen, & appellationem accipiat, ne quod hominis est, Dei putetur, aut quod Dei est homini tribuatur. Nam si Nicolai, Lutheri, Caluini doctrina, non Caluiniana, sed Christiana doctrina vocaretur, incautus auditor, nominis maiestate facillimè caperetur. Ecce docuit Athenis Paulus, docuit Romæ Petrus, docuit Hycrosolimæ Iacobus, docuit in Indijs Thomas, in Hispania Iacobus, alij alibi, nunquã tamen legitur, q̃d Petri discipuli, Petriani, Pauli discipuli Pauliani, Thomę discipuli Thomistæ Iacobitæ Iacobi fuerint discipuli appellati. Quare id? quia non suam doctrinam docebant, non quam in suo capite, & cerebro finxerant, sed quam à Christo acceperant, fidem prædicabant. Fides enim, ait Athanasius, non est Dei, quæ ab hominibus nomen accepit. Nam qui ab homine ducit cognomentum, iste se facit mortui hominis monumentum. Dęmonia ait Tertullianus nullum habent nomen singillatim, sed ibi nomen inueniunt vbi, & pignus. Vnde etiam Paulus reprehendit Corinthios, quod alius se Pauli vocaret, alius Cephę, alius Apollo, causam autem reddit ad Rom. scribens, Nescitis, ait, quoniã cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis. Viri quidam Cyprij, & Cyrenei, ait Lucas, in Actis, introeuntes Antiochiam anunciabant Dominum Iesum.

Paulus

Nota 8 quod ab auctore doctrinæ ducũt appellationem. Apoc. 2

De Idolola:

1. Cor. 2.

Rom. 6

Act. 14

Paulus quoq;, & Barnabas annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam. Neque tamen numerus ille credentium, vel à Cyprio, vel à Cyreneis, vel à Paulo, vel à Barnaba nomẽ accepit, vt Cypriani, Pauliani, Barnabitæ vocarentur, sed cognominati sunt, ait Lucas, primum Antiochiæ discipuli Christiani: Christi enim, non suum Euãgelium, Paulus prædicabat, Christi non suam doctrinã Barnabas seminabat. Vicissim autem, statim vt Nicolaus, Christi relicta doctrina, suas cæpit plantare sereq; phantasias, quicumq; illi dicto tuerunt audientes, sicut doctrinam, sic nomẽ simul sui cõditoris, & auctoris acceperũt, & vocati sunt à Ioanne Apostolo Nicolaitæ, hoc est non Christum Deũ, sed hominem sequentes Nicolaum. Sic paulò: post Cerdoniani à Cerdone, Eutichiani ab Eutiche, Ebionitæ ab Ebione, Ariani ab Ario, Pelagiani à Pelagio, sic nostro sæculo, vt dictũ est, Lutherani à Luthero, Caluiniani à Caluino: prorsus vt ea certissima debeat existimari tessera, quo Christi possit, ab hominis doctrina discerni, Gallis nonne prædicauit Dyonisius, Germanis Maternus, & Bonifacius, Anglis Dunstanus, alijs alij, nobis quoque Polonis Adalbertus Christũ primus ãnuntiasse perhibetur. Ostendat aliquis quot in Gallia vocati sunt vnquã Dyonisij discipuli Dyonisiani, in Germania Bonifacij discipuli Bonifaciani, aut in Polonia Adalbertiani. Ecce surrexit Lutherus in Germania, Caluinus in Gallia, & statim eius discipuli vocati sunt Caluiniani, hoc scilicet Dño disponente, vt quod Christi est, Christi esse agnoscatur, & quod hominis, homini tribuatur. Sola quippe hoc sibi reseruauit veritas, vt nomen ducere nisi à veritate non possit. Nunquam, ait Athanasius populi ab Episcopis suis, sed à Domino, in quem creditum est nomen acceperunt. Certe à Beatis Apostolis præceptoribus nostris appellationes, adepti non sumus, sed à Christo, Christiani sumus, & nũcupamur. Illi verò qui aliunde originẽ suæ fidei deducunt, meritò authorum suorum cognomẽta præ se ferũt. Qua propter cũ à Christo oẽs Christiani essemus, & diceremur, explosus est Marcion inuentor hæreseos, reliqui autẽ qui remanserunt, Christianorum titulum retinuerũt, qui verò Marcionẽ secuti sunt, non iam inde Christiani, sed Marcionistę appellati sunt. Et Hyeronimus. Sic vbi audietis eos, qui dicuntur Christiani, non a Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vt Marcionistas, Valentinianos, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. Et Lactantius. Christiani esse deherũt, qui Christi nomine amisso humana, & externa vocabula induerũt. Sed spes est impletum iri, quod Zacharias promisit: Disperdam nomina Idolorum de terra, & Pseudoprophetas, & iam disperdit. Non enim stare diu possunt, quæ hominum sunt, ait Gamaliel. Quod etsi vir ille nunquam vel sensisset, vel dixisset: ipsa nos tamen rerum natura docuisset, Euangelicorũ doctrinam, vel hanc solam ob causam perituram, quod authores doctrinæ habere voluit perituros. Sed hic mihi respõdeãt velim, istorum hominum cultores, nominumq; baiuli, cur istis credendũ præceptoribus putent, qui sibi credi iubent, & non Orthodoxis potius, qui, & sibi, & illis prohibent, sed soli Ecclesiæ iubẽt, cui iussit, & Christus. Equidẽ si nec isti, nec illi scripturas vllas proferrẽt, ait Augustus. sed alij tantum præciperent, vt sibi fides habeatur, alij id vetarent, sed soli Ecclesiæ iuberent, satis posset mens humilis discernere, quid horum de fastu superbiæ, quid de radice humilitatis descenderet, quorumq, esset præponenda authoritas.

Nonam notam Paulus nobis ostendit. Quotidie in peius errando, & blasphemando proficere. Mali homines, ait, & seductores, proficiunt in peius errantes, & in errorem mittentes. Quod Euangelici Magistri, & Ministri proficiãt in peius, inde liquet, quod Lutherus initio suæ ab Ecclesia discessionis, abusum tantum Indulgentiarum, vituperare cæpit, sed paulò post, & vsum damnauit: paulò post Sacramentorum numerum minuit, Sanctorum inuocationem reprobauit, paulò post imagines deiecit: longius progressus Caluinus, Christum ex Eucharistia sustulit: longius Seruetus, Trinitatẽ blasphemauit: longius Gentilis, & Blãdrata Deum dimisit:

Serm. 2. contra Arianos

Contra Lucíferianos.

Lib. 4. cap. 30.

Zacha. 3.

Actor. 5

2. Tim. 3. Nota 9. quod in peius proficiunt.

uiſit, Budneus Chriſtum diuinitate ſpoliauit: longius adhuc liber Anonymus Chriſtum mundi impoſtorem vocauit, longius adhuc Francus, & Paſſaritius, & Gallici Atheiſtæ, fidem vniuerſam Chriſtianam, vt aniles fabulas reprobarunt, & damnarunt. Ecce quantulus ignis, ait Iacobus, quam magnam ſyluam incendit? Lutheriſtæ iniuſtitiam parturierunt, Caluiniſtæ dolorem conceperunt, Iniquitatē Trideiſtæ pepererūt. Edidit in patria noſtra Gregorius Paulus, Gentilis diſcipulus, tabellam templi ædificium repræſentantem. In tecto fingit Lutherum tegulas deijcientem, Caluinum parietes fodientem, ſe & ſui ſimiles Ariomanitas templi fundamenta ſubruentem, hoc eſt doctrinam de Trinitate euertentem. At qui verè Chriſtum amant, qui veram fidem caſtè colunt, nō in peius, ſed in melius quotidie proficiunt, nec ſibi vnquam cùm in amando Deo, tùm in augēdo, & illuſtrādo eius cultu ſatisfaciunt: Cum ſemel fidem receperint, cordeo tradiderint, erigunt & altare. Nec ſatis hoc, auro, & gēmis ornant. Nec ſatis hoc: Templa conſtruūt. Nec ſatis hoc: Integra quandoq; patrimonia attribuunt, ne qua vnquā in prædicādis Dei beneficijs intermiſſio cōſequatur. Hæc eſt quippè vis amoris magis, atq; magis ſe ſe efferre quotidie, nec eorum quidquam prætermittere, in quo poſſit apparere. At odij viciſſim, & neglectus argumentum eſt, quotidie aliquid de beneuolentiæ ſignis detrahere. Sic faciunt Euangelici. Quotidie aliquid de fide, aliquid de cultu Dei, aliquid de ceremonijs detrahunt. Septē habebant Sacramenta Catholici, quinque ſuſtulerūt Euangelici. In operibus bonis laborabāt Catholici, iſti pernitioſa ad ſalutem ſtatuunt. Septies in die Deū in templis laudabant Catholici, iſti vix diebus Dominicis, vnum Pater noſter demurmurant. Ieiunia obſeruabant. Iſti, niſi ventri ſui ſerui, eſſe Miniſtri non poſſunt, Eccleſias extruxerunt Catholici: iſti euerterunt: Altaria erexerūt, iſti demoliuntur: Redditus Dei ſeruis attribuunt, iſti eripiūt. Nec ſatis hoc: & eijciunt. Nec ſatis hoc: & interficiunt. Quod vtrum ſit in peius, an in melius proficere, ipſorum eſto iudicium. Sic olim de Arianis, Euſebianis, Athanaſius. Quid enim tātum dixeris, vt rē ipſam elocutus videare? aut cuius primum mentionem facies, vt non inuenias primis ſecunda, ſecundis tertia, ac deinceps poſteriora quæque efferatiora? Quis igitur eos vel Ethnicos ſimpliciter nominet? tantū abeſt, vt eos Chriſtianos ſimpliciter appellari velit. Futuræ vitæ, vt ipſe eorum Deaſter Lutherus, de illis ipſis teſtatur, rationem habent nullam, ſed ſicut credunt, ita viuunt, ſunt & manent ſues, & ſicut ſues moriuntur. De Euangelio loquuntur, quaſi ſint angeli, ſed ſi opera ſpectes, ſunt meri Diaboli. Et Caluinus. Honeſtum, inquit, euertunt omne, quod etiā apud Gentiles ſemper fuit inuiolabile, & in omni libidinum, etiā belluinarum genere volutantur: prorſus, vt rectius de iſtorū moribus, & temporibus illud Tertull. dictum videatur. Bona iam nec naſci licet, ita corrupta ſunt ſemina, nec erudiri, ita deſerta ſunt ſtudia, nec cogi, ita exarmata ſunt Iura.

Decimam notam è Pauli, Petri, & Iudæ epiſtolis didicimus. Præpoſitis non ſubiacere, Principibus, & poteſtatibus nō obedire, & à Deo conſtitutæ poteſtati reſiſtere. Inſtabunt, inquit Paulus, in nouiſſimis diebus, tēpora periculoſa, & erūt homines ſeipſos amātes (quales ſunt omnes hæretici) cupidi, elati, ſuperbi, ſceleſti, ingrati, ſine affectione, ſine pace, ſine benignitate, immites, proterui, tumidi, criminatores, proditores, voluptatum amatores magis, quàm Dei, ſpeciem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes. Petrus quoq;. Fuerunt, inquit, & Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt, magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis. Et poſt pauca, Dominationem contemnent, audaces ſibi placentes. Iudas quoq; in ſua Canonica, cum dixiſſet ſubintroiſſe homines, ſolum dominatorem, & Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum negātes, Angelos quoq; ſuum Principatum non ſeruaſſe commemoraſſet, Sodomæq; & Gomorræ abeuntis poſt carnem alteram meminiſſet, ſimiliter, ait, & hi carnem quidem maculāt, dominationem ſpernūt, maieſtatem blaſphemant. Væ quoq; ſempiternum denū-

tiant,

Iacob. 3

Veri Cultores ſemper proficiunt.

Vis veri amoris.

Deſerto res ſemper de cultu Dei detrahūt.

Epiſtola ad ſolitariā vitā degentes.

In 1. Corynt. ca. 15.

In Cap. 3. Matt.

In Inſtructione aduerſ⁹ Libertinos.

Cap. 13. De Pudicitia.

Nota 10 Præpoſitis non ſubiacēt

2. Tim. 3.

2. Petri 2.

tiant, tam his qui in via Cain abierunt, qui in errorem Baal mercede effusi sunt, quam his, qui in contradictione Core perierunt. Id autem est tàm his, qui fratrem oderunt, quã his qui Deo rebellarunt, & legittimæ potestati restiterunt, cui toties tam sollicitè obedire, subiacereq; Chri-
Mach. 22. stus, & Paulus præceperũt. Date, inquit, Deo, quæ sunt Dei, & quæ sunt Cæsaris
Mach. 17. Cæsari. Et iterum. Staterem, quem inue-
Heb. vlt. nies dabis pro me, & pro te. Cui honorẽ honorem, cui tributum tributum. Et alio loco obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationẽ reddituri, pro animabus vestris. Et iterũ.
Tim. 3. Admone eos Principibus, & potestatibus subditos esse: dicto obedire, ad omne opus
1. Pet. 2 bonum paratos esse. Et iterũ. Subiecti es tote omni creaturę propter Deũ, siue Regi, quasi præcellenti siue ducibus, tanquã ab eo missis ad vindictam malorum, laudẽ vero bonorum. Petrus quoq; Deum time-
1. Pet. 3 te, ait, Regem honorificate. Et in Paralip. legimus. Et benedixit omnis Eccle-
1. Cap. 29. sia Deo Patrum suorum, & inclinauerunt se, & adorauerunt Deũ, & deinde Regẽ. Quod autẽ cõstitutæ à Deo potestati difficillimè obediant, & facillimè rebellent, quicunq; Deo rebellarunt; quodq; Dominus sibi rebellatum interprætatur, cum Principibus, & potestatibus ab eo constitutis rebellatur, superiorũ sæculorũ notissimis, & decantatissimis exemplis admonemur. Filij Israel, ait scriptura, tẽ-
Exo. 17 tauerunt Dominum dicentes. Est ne Dominus in nobis, an non est? & eodẽ simul tempore iurgati sunt contra Mosen, dicẽtes. Da nobis aquam vt bibamus: Moses quoq; non sibi sed Deo factã iniuriam interprætatur dicens: Quid iurgamini contra me? cur tentatis Deum? Et iterum.
Num. 14. Vociferans omnis turba fleuit nocte illa, & murmurauerunt contra Mosen, & Aaron cuncti filij Israel dicentes. Vtinam mortui essemus in Aegipto. Et tamen Iosue dicit. Nolite rebelles esse Domino,
Num. 26. neq; timeatis populũ terræ huius. Core, Dathan, & Abyron steterũt aduersus Mosen, & Aaron dicentes. Cur eleuamini super populũ Domini? Et tamen, ait Moses, quod eorum globus stabat contra Dominum, & ipse Dominus tanquã accepta in Ministris suis iniuria, terram aperuit, quæ deuorauit eos, & ignis egressus est a Domino, interfecitq; 250. viros, qui offerebant incẽsum. Cõmemorabile quoq; est exemplũ illud rebellionis, contra Deũ simul, & Principes ab eo constitutos, Mosen, & Aaron. Videns, ait scriptura populus quod moram faceret, descendendi de monte Moses, congregatus aduersus Aaron dixit. Surge, fac nobis Deos, qui Exo. 22
nos præcedãt, Moyñ enim huic viro, qui nos eduxit de terra Aegipti nescim⁹ quid acciderit. Ieroboã Rex sceleratus, Deo 3. Reg.
rumq; cultor, sciens quicũq; Deo rebel- 12.
lasset, eum quoq; facile propriæ rebellare potestati, vt Regnum Israelis à Regno Iuda distraheret, suæq; in perpetuum faceret potestatis, nec ad Roboam proprium Regem, & dominum aliquando reuerteretur, à Deo primum abstrahere conatus est Israelem, dicens, in corde suo. Nunc 3. Reg.
reuertetur Regnum ad domum Dauid, si 12.
ascẽderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini in Hierusalem, & conuertatur cor populi huius ad dominũ suũ, Roboam Regem Iuda, interficietq; me, vt reuertatur ad eum. Fecit itaq; vitulos aureos, & dixit. Nolite vltra ascendere in Hierusalem. Ecce Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegipti, posuitque vnum in Bethel, & alterũ in Dan. Eadẽ audacia primis illis religionis Christianę temporibus præpositis Regibusq; suis rebellarunt, quicumq; primã fidẽ Christo datam irritam fecerunt, hæreses introduxerunt, aut scismata fecerunt. Alexan- 2. Tim.
der ærarius, statim vt verbis, & doctrinę 4.
Pauli cæpit resistere, multa simul mala illi cæpit ostendere. Diotrepes non prius cæpit reijcere Ioannem Apostolũ, & præceptorem, verbisq; in eum malignis garrire, quam ipse de Ecclesia exijsset, cæteros q; fratres eiecisset. Arius, & Ariani statim, vt ab Orthodoxa fide discesserunt, Patres, Concilia, Reges, Vrbes, Principes, Occidentem pene, Orientẽ certè totũ cædibus, cladibus, mille infortunijs, mille afflixerunt calamitatibus, nulli ordini, nulli ferui, nulli parcentes ætati, nulli hidem promissam, nulli debitam præstãtes subiectionẽ, ima summis, Scythico sicut, ait ille, barbaricoq; fremitu, & strepitu

omnia

omnia permiscentes. Iulianus Apostata, vt primum fidei Christianæ nuntiũ remisit: Ecclesiarum præpositos, & omnes in vniuersum Orthodoxos grauissimis persecutionibus affixit, penèq; perdidit. Ita nostri tẽporis Euangelici, ipsissima Ariomanitarum soboles, non ferè à Christo, & Ecclesia deficiunt, quin statim etiã sub limioribus potestatibus subditi esse detrectent, & quem gerunt, quemq; illis Paulus tribuit gladium, non solum impediãt, ne sit vindex in iram ei, qui malè agit, sed prorsus etiam eripiant. Plane vt de illis illud dici possit Liuianum. Exercitũ habent ignotum Duci suo, ignorantemq; Ducem. Summatim isto loco attingemus rebellionis, & cõtradictionis susceptа ab illis consilia, quæ fusius in septimo capite Atheismorum, & in Phalarismis recensemus. Turbo ille Germaniæ, Ecclesiasticæq; procella, & tempestas pacis Lutherus: rotundis verbis, Aurifabro teste, cõfitetur, quod quilibet hæreticus, aut sectarius seditiosus est. Nam posteàquam mendacia docuit, & sparsit, ea deinde homicidijs cõfignat. Et iterum. Seditiones, homicidia hæreticorum, immò diaboli, veluti sigillum quoddam sunt, quod naribus ad mendacia sua obsignandum imprimit. Menno porrò Simonis Anabaptisticæ factionis præco: idem planè Luthero, & Lutheranis tribuit, cum ait, Quã crudelitas, & sanguinolentas seditiones, Lutherani etiam ad introducendam, & comprobandam doctrinam suã, annis aliquot cõcitarent, id illis ipsis expendẽdum relinquimus. Nihilominus nos quamquã præter culpam seditiosos hæreticos vocant, ipsi verò pij, iusti, & pacifici Christiani esse volunt. Audiamus quam audax fuit Lutherus, quamq; superbè Romanũ Pontificem, quem Deus in Ecclesia sua, sublimiorem gerere potestatem, & quasi quẽdam Christiani populi præpositũ esse voluit, spernat, contemnat, blasphemet, Verba eius sunt, in libello contra Epitomẽ Syluestri. Mihi videtur si sic pergat PP. & Romanistarum furor, nullum reliquum esse remedium, quam vt Imperator & Principes vi, & armis accincti aggrediantur has pestes orbis terrarum, remq; iam nõ verbis, sed ferro decernãt. Quid enim latrãt perditi homines, etiam cõmuni sensu priuati, quam id, quod Antichristus facturus prædicitur? Si fures furca, si latrones gladio, si hæreticos igne plectimus, cur non magis hos magistros pditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totã istam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Ecclesiã Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus nostras in sanguine istorum lauamus? Audiamus quid & contra Cæsarem, cui Christus ipse tributũ, Paulus honorem habendum censuit, idẽ contradictionis spiritus debachetur. Productis duobus Caroli V. Imperialibus mandatis, in fine ait. Oro cũctos pios Christianos, dignentur simul rogare Deũ, pro huiusmodi miseris excoriatis Principibus, quibus nos Deus proculdubio magno iræ suæ furore corripuit, nec vllo pacto sequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas, quandoquidem Turca decies probior, prudentiorq; est, quã Principes nostri. Quid talibus fatuis contra Turcã prosperè euenier, qui Deum tam altè tentant, ac blasphemãt? Idcirco, ait iterum in præmonitione. Ad Cæsarẽ, sine Principem tuum, ad bellum te vocantem. Sic dicito. Bone Cæsar, bone Princeps, quando seruas iuramentum, promissumq; tuum, quod in Baptismo iurasti, charissimus es mihi Dominus, eroq; tibi obediens ad bellandum, quandocunq; volueris, sin minus alium tibi quære, qui obediat. Quid in Reges, in Principes, Episcopos, ordinem vniuersum Ecclesiasticũ bachetur, breuitatis causa prætereo.

Audiamus alterum maledictionis filium, alterius Euangelici manipuli ducem, & antesignanum, ferrum, & flammã in cõstitutam à Deo potestatem, sine fræno furoris, & pudoris, vomentem. Scribens in Danielem Caluinus. Hodie, ait, vt ne repetamus veteres historias, vt Reges ferè omnes fatui sunt, & bruti, ita etiam sunt quasi equi, & asini brutorum animalium. Quo igitur quisq; audacior est, atq; proteruior, eo plus authoritatis consequitur in aulis. Merirò itaq; deflenda est, hæc ipsorum Regum socordia, qui superbè cõtemnunt Dei dona. Et iterũ. Hodie Monarchæ semper in suis titulis hoc obtendunt, se esse Reges, Duces, & Comites

Dei

Titt. de hæreticis.

Lutheri factus impotens.

Contra duo Cæsaris mandata. Lut. in in Cæsarẽ iniquus.

Caluini seditiosa cõsilia.

Dei gratia, sed quã falso nomen Dei præ texunt, in hunc fine, vt sibi afferant summum Imperium. Quid enim valet sæpè in Regum, & Principum titulis Dei gratia, nempe ne cognoscant superiorem, quemadmodum dicunt. Interea libenter Deum, cuius clypeo se protegunt, calcarent pedibus tantũ abest, vt habere se reputent eius beneficio, vt regnent. Cũ ita sit, facile hinc iudicium fieri potest, quam superbè contemnãt Deũ prophani Reges etiamsi nõ abijciant eius nome fallaciter, quẽadmodũ isti nebulones, qui palã Deũ subiannãt, & ita ꝓphanant nome gratiæ.

Sed & tertiæ Anabaptisticę scilicet cohortis, contemptum, & contradictionem Abyronianam, & Datanianam videamus. Budneus Lithuanicus Ebionita, tribuit hoc Czechouicio, Anabaptistarũ Patriarchæ Lublinen. quod in sua quadam Synodo, quæ hic sequũtur Paradoxa conscripserit, & sanciuerit.

1 Non licere vlli Christiano homini esse Principem, aut vllum magistratum gerere.

2 Nec bona terrestria possidere, nec iura agere, nec debita exigere.

3 Arma domi non alieuare, in via non portare, Prædonibus se non defendere.

4 Non debet quisquam ad immerhonẽ accedere, qui Magistratum gerit.

5 Ne quis libros vllos edat, antequam à Seniorib⁹ examinentur.

Et hæc quidem isti Christi, Regũque perduelles scripserunt. Quid autem opere præstiterint notius est, quam vt isto loco plurib⁹ debeat recenseri. In Germania colonos in Principes, Principes incẽderunt in Cæsarem. In Gallia Duces, in Scotia nobiles armarunt in Reges, in Anglia Orthodoxorum sanguine, nũquã adhuc satiari potuerũt, ita, vt & areæ crucibus, & cruces Christianorum corporib⁹ deesse iam videantur. Daniam, & Suetiam subegerunt, Vngariam Turcis obtulerunt, Flandriam omnibus infortunijs, & calamitatibus penè ad internecionem afflixerunt, nec adhuc affligere, perdereque desinunt. In Gallia certe, & Scotia reprobatis Regibus, nouas gubernandi regni formas, & articulos conscripserunt, Consistoria quędam, & Iudices, cũ limitata potestate instituentes, sicut in Atheismis diximus. Sũma est, quocũq; pedẽ intulit, nouũ hoc Pseudoprophætarũ genus, arma, castra, bella, cædes, clades, faces, seditiones, rebelliones contra legitimam potestatem, aut excitauit, aut excitare voluit. Non enim propterea non armatum gerunt in Catholicos animũ, quia non semper armata gerunt corpora. Aut perdunt, aut perdere volunt omnia, cuius rei lexcenta recensentur in nostris Phalarismis exempla.

Vndecima nota fętoris hæretici. Posteaquam videris à quibus exierunt, vide ad quos accesserunt, quibus se in fidei ratione adiunxerunt. Qui enim se miscuit fornicarijs, ait Ecclesiasticus, erit nequã, putredo, & vermes hæreditabunt eum. Paulus quoq; prohibet iugum ducere cũ infidelibus. Iudas porrò, væ interminatur illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in cõtradictione Core perierunt. Mitto te, inquit, apud Ezechielem Dominus, ad gẽtes Apostatrices, quæ recesserunt à me, Patres eorum præuaricati sunt pactũ meũ & filij dura facie, & indomabili corde sunt, domus exalperans, incredeli, subuersores, irritatores. At in confesso est, omnem eam doctrinam, quam istius sæculi subuersores in medium attulerunt, iã olim ab alijs hæreticis prædicatã, & à scriptura, Patribus, Concilijs, orbis vniuersi iuditio reprobatam, damnatamq; extitisse. Pauca è multis in gratiam veritatis ostendemus. Hæreticorum enim doctrinam ad originem suam reuocasse, ait Tertulianus refutatu est. Et Iræneus. Aduersus eos victoria ẽ, sententiæ eorum manifestatio. Quamobrem etiam Theodosius Imperator ad hæreticos loquens, Examinemus, ait, doctrinam vestram ad illorũ Patrum scripta, etsi cum illis consenserit, teneatur, ne minus abijciatur. Iræneus qui secũdo fidei Christianæ sæculo vixit, testatur Simonem, & Simonianos ipsis ad huc Apostolorum temporibus docuisse, quod homines saluabantur secundũ gratiam Simonis, quem Deum faciebant, & non secundum opera iusta. Idem, & Augustinus confirmat. De Eunomianis quoq; scribit, quod sensérint non posse homini

Nota 11. cũ quib⁹ se cõiunxerunt. Cap. 19 2. Cor. 6

Eze. 1.

Iræn. libro 1. ca. 5.

Zozom libro 7. cap. 12.

Libro 1. cap. 2.

Lib. de hæ. & operib⁹

Cap. 14. mini vlla peccata nocere, modo fidem habeat. At ouum ouo ita simile non est, vt huic doctrinæ, Lutheri doctrina. Verba eius propria, sic habent. Non alia via potest homo cum Deo conuenire, aut agere, quam per fidem, opera ille nil curat. Et iterum. Tam dives est Christianus, vt nō possit perire, etiamsi velit, quantumcūq; malè viuat, nisi nolit credere. A Simone itaq; Lutherus, quod docuit, didicit. Et ab Eunomio quod accepit, tradidit. At Simonem Paulus Apostolus, & reprobauit, & dānauit. Quomodo igitur ista Lutheri doctrina cū Paulo Apostolo cōueniet? aut quomodo cū Simone mago nō cōueniet?

Lib. de hęres cap. 54.

Act. 8.

Docet præterea Luther⁹ oēs Chſianos esse Sacerdotes, & æquè mulieres, vel pueros absoluere posse, atq; Episcopos, & ipsum Papā. Et Angliæ prætēſa Regina vocat se caput Ecclesiæ, arbitratuq; suo statuit, & destituit verbi Ministros. At idem ante annos 1300. Pepuzianos hæreticos docuisse testatur Augustinus, qđ scilicet tātū tribuebant mulieribus principatū, vt sacerdotio quoq; apud illos honorarētur.

Artic. 13. quos Leo dānauit.

Augusti. lib. de hęres cap. 27.

Liberū hominis arbitriū, ait Lutherus, rem esse de solo titulo. Et in assertionibus eiusdē articuli, titulū esse dicit, sine re, omniaq; ex necessitate absoluta euenire. Scribēs quoq; cōtra Erasmū, libro suo, titulū dedit. De seruo arbitrio. At eandē hęresim olim professi sunt Manichei. Manicheorū est, ait Hieronymus, hominū dānare naturā, & liberū auferre arbitriū. Et Augustinus. Peccatorū, inquit, originem, non tribuunt Manichei libero arbitrio.

Art. 36.

In pſat. Dialog. contra Pelag.

Caluinus hoc sęculo docet Deum esse causam peccatorū. Ait. n. Adamū nō solū præuisione, & permissione Dei, sed ēt voluntate in peccatū esse lapsum. Et iterū. Quod aliqui verbū Dei audire cōtēnunt, ipsorū est prauitas, sed in prauitatem hāc à Deo addicti sunt, vt in eis potestatē suā, & sęueritatē ostendat. Et iterū. Nō solū permissu, inquit, sed ēt voluntate Dei, homines peccant, ita vt nil ipsi deliberando agitent, nisi quod Deus apud se decreuerit, & arcana directione cōstituit. Idē docet Lutherus, Martyr, & alij. Nota sunt illa Philippi Paradoxa, in Cōment. Epist. ad Romanos. Ita fuisse opus Dei, Iudæ proditionem, ac Pauli cōuersionē. At hæc eadem doctrina, & opinio Simoni mago à Vincentio Lyrineñ. & ab Ireneo, apud Eusebium Florino tribuitur hæretico, & plusquam hæresis vocatur.

Aug. de hæres c. 46

Cap. 24 Institu.

Institu. lib. 1. cap. 18.

In ca. 8.

Seruetus Hispanus, isto nostro docuit sæculo, vnam tantū esse personā in Deo, nō tres. At idē olim docuit, oīum vbiq; calculis dānatus, & reprobatus Sabellius, Epiphanio teste. Budneus in Lituania, & oēs Neariani, Chſum negant ab æterno Deū, nec vsquā ante Mariā fuisse, sed esse volūt purū hominē, illo primū die deificatum, quo vox è cœlo audita est. Hic est filius me⁹ dilect⁹. At hæc eadē opinio fuit dānatissimorū hæreticorū, Cherinti, & Ebionis, cōtra quā rogatus ab Asiæ Episcopis Ioannes Chſo dilectus Euāgelista, Hieronymo teste, nouissimus omniū suū scripsit Euāgeliū, vt diuinā Chſi assereret natiui tatē, contra pestiferū dogma Ebionitarū, q̄ asserebāt Chſum ante Mariā nō fuisse.

Lib. 5. cap. 20.

Hæresi 57.

In. Catal. script. Ecclesiast.

Tritheitæ nostri tēporis, vt in Protheſibus Valētini Gentilis videre est, filiū Dei docēt esse Patre minorem: at olim idē Arius docebat, Cōcilij Niceni, & tātorū Patrū sententia reprobatus, & damnatus.

Epiph. hære. 69

Lutherani simul, & Caluinistæ docent, hoc sæculo, orationē pro defunctis esse Papistarū cōmenta, expansa ad prædā retia. Ieiuniū Quadragesimale vocant superstitionē Episcoporū, vt ait Caluinus, Præsbyterorū, Pastorū, ac Ministrorū eandem fūctionē, & prouinciā esse. At hęc oīa, ante annos mille ducētos Aeriani dānati hęretici Aug. & Epiphanio testibus docuerūt Orare, ait Augustinus: vel offerre pro mortuis oblationē nō oportere, neq; statuta solēniter celebrāda esse ieiunia, sed cū quisque voluerit ieiunandū, vt non videatur esse sub lege. Deniq; Præsbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni. Epiphanius porrò testatur è contrario cōsueuisse, Aerianos feria sexta, & in Quadragesima, ac præcipuè, in hebdomada sācta vesci carnibus, etsi quādo ieiunare volebāt, poti⁹ die dominico, quā alio die ieiunare solitos. Veterū Patrū, & Cōciliorū scripta, & decreta, oēs in vniuersum contemnunt Euangelici. At idē olim faciebat, & docebat Nestorius hæreticus, qui teste Sotrate, Veterū scripta perdiscere dedignatus est, per quę sicut per riuulū

Lib. 4. cap. 3. Instit.

Augusti. de hæres. cap. 33.

Lib. 7. cap. 32.

Lib. 3. Cap. 27

ad ipsum fontem venitur. Nil enim potest inuestigari quod non per viam suam quæritur, ait Lactantius.

In sermone de Cruce.

Lutherus, & reliqui oēs Augustanæ meretricis amasij, Reliquias sāctorū fideliū, vocāt seductionē, & ideò sub terrā penit⁹ cōdi debere. Prætereà nō maiorē Deo esse curā, ait de sācto sepulchro Dñi, quā de bobus, de quibus Apostolus loquitur. Nūquid Deo est cura de bobus? Docet ēt stultā, & pernitiosam esse Sāctorū inuocationē, Matrimoniū quoq; iure diuino, esse p̄ceptū omnib⁹, etiā Ecclesiasticis, & Monachis, qui donū cōtinētię, se nō sentiūt habere. Donum aūt cōtinētiæ vocat, nō gratiā, qua nō cōsentimus tentationibus carnalibus, sed qua non tētamur, qualē ferè nulli habēt. In libro quoq; de votis Monasticis, ex professo dehortatur à religione, hoc solū permittēs, vt fœminæ nō nisi 60. annorum, uiri aūt nō nisi 80. vel 90. in Monasterijs maneāt. At hos oēs errores Hieronymo teste. Vigilātius olim hęreticus, Anno Christianæ fidei 300. docuit eoq; ēt nomine damnat⁹ est. Suencfeldius asserit hoc sæculo, post Ascēsionē Chri, humanā eius naturā cōuersā esse in diuinā, et iā esse verū Deū, nō creaturā. Petus adhuc Brētius. Docet. n. Christi humanitatē ab ipsa incarnatione semper fuisse vbique. Idē Smidelinus, in disputatione Tubingen. & vniuersa cohors Vbiquitariorū, q hodie totā penè perturbarūt Germaniā. At eadē oīa Eutiches olim, & Eutichiani ante 1000. annos docuerūt, asserētes, ante inhumanationē Chri duas naturas fuisse, diuinitatis, & humanitatis, post humanitatē verò vnā, in Chro naturā factā, sicut vnā personā, idq; refert Theodoretus, & Flauianus. Imagines Sanctorum, oēs ferè Euāgelicorū cohortes, in tēplis proponē das, venerādasq; negāt, & vbi possunt deturbāt, atq; cōminuūt. Caluinus aūt etiā Christi Crucifixi signū, nō vult vllo modo erigi, negatq; primis quingētis annis vllas fuisse imagines, in templis Chanorū. At idē olim docuit Xenaias Persa, vt testatur Nicæphorus, & oīs reliqua Iconoclastarū turba, ante annos 1000. Zuinglius & Caluinus, & vniuersa illorū cohors, negāt esse verā Christi carnē in Eucharistia, sed figurā tātū, seu imaginē corporis. At

In sermon. de abrogan. Missa par. 3

Lib. de Euchar. contra Valden.

Lib. de humanitate Chri.

In sermon. de Ascēsione Dñi.

Lib. 4. de hæreticis fabulis.

Flau. in Epist. ad Leonē Papam.

Lib. 16. cap. 27.

Lib. de Verbis Cænæ Cal. lib. 4.

Teodoret⁹ in Dialogo, q dicitur Impatibilis, ex Ignatio testatur, idē olim quosdam hæreticos docuisse, & ita quoq; refertur, in septima Synodo, actione sexta, Tomo tertio. Donatistæ ante annos 1200. Ex solis iustis cōstare docebāt Ecclesiā, Episcopi Romani sedē, Cathedrā pestilentiæ vocabant, Catholicos crudelissimè trucidabāt, Episcopos, & Monachos, quos Pharisēos vocabāt, mirū in modū oderāt, altaria frangebāt, Ecclesias spoliabāt, sacros calices vendebāt, Eucharistiā canibus vorandā offerebāt, sacrū Chrisma proijciebant, idq; de illis, Augustinus & Optatus testā. tur. At Euāgelici nostri tēporis, nil eorū, quæ vel docuerūt, vel fecerūt Donatistæ, prætermiserūt, quod nō exequendū susciperēt. Verbis nō est opus, quā acerbo odio Rom. Episcopū prosequātur, quā suauiter Monachorū sanguine pascātur, quā liberter Ecclesias spolient, altaria frangant, calices, & sacrā suppellectilem clepent.

Inst. ca. 27.

Aug. de vnit. Eccle. cap. 12.

Lib. 2. contra Petil. cap. 5. Optat. lib. 2. & 6. cōtra Parmē.

Nisi quod multa istiusmodi, in Phalarismis nostris persecuti sumus. Cæterum essemus contra nostrū institutū lōgiores, si singula doctrinæ capita recēsere isto loco vellemus, in quibus nostri tēporis hæretici, cū hæreticis ante mille sęcula, à scriptura, Patribus, Cōcilijs, orbe toto Christiano dānatis, & reprobatis consentiunt. Et quod maius est, illis ipsis quingētis sæculis dānatis, & reprobatis, quibus, & Lutherus, & Caluinus, & alij similes sanctissimā, castissimaq; Ecclesiā Romanā fuisse confitētur. Aut itaq; Arij. Manichæū, Donatū negēt hęreticos fuisse, aut sese veram illorum sobolem confiteantur, nec nobis, cum vt hæreticos damnamus, & reprobamus, irascantur.

Duodecimam, & vltimā notā hæretici fœtoris, spei bonæ plenissimā, ab ijsdē Apostolis didicim⁹. Citò deficere hæreses. Homines, ait Paulus, qui reliquū veritati, reprobi circa fidē, vltra non proficient. Insipientia. n. eorū manifesta erit omnibus. Et Romanis scribens. Deus, inquit, pacis cōteret Sathanā sub pedibus vestris velociter. Et Petrus. Superinducūt, inquit, sibi celerē perditionē, & p̄ditio eorū nō dormitat. Quare id? Exciderūt. n. à propria firmitate. Et cogitauerūt cōsilia, quæ nō potuerūt stabilire, ait Prophæta. Obseruatū

Nota 12 quod ci tò deficiunt. 2. Tim. 3. Rom. 16 2. Petri Ps. 20.

hoc

Hęreſes vltra 80 annum non ferunt.

hoc eſſe legimus à uiris intelligẽtiſſimis, qui iuſta Dei iudicia, & miſericordias Domini multas nimis, cũ animo ſuo quotidie meditari conſueuerunt, quoties in Ecclefia ſua Dñs eſſe hæreſes permiſit, vim eas ſuã circa 80. ab ortu ſuo annũ, vel pdidiſſe, vel certè de feruore, furoreq; ita remiſiſſe, vt nõ procul ab occaſu abeſſe viderentur. Id uidelicet per miſericordiam ſuã, Dño diſponente, cũ eadẽ eſſe longæui hominis ętas, etiã Propheta teſte, ſoleat, ne prius, de huius vitæ ſtatione decedat, quã quæ prædicatur noua doctrina, ex his quos peperit fructibus, pro hæreſi agnoſci, deſeri, eluiq; lacrymis, & pœnitẽtia, & in eiꝰ locũ recipi, veritas. Orthodoxa queat.

1. Regũ 17. Etiã ſuperbus ille Philiſteus certiſſimus hęreticorũ typus nõ niſi 40. diebus mane, & ueſperi ſtabat exprobrans agminibus Iſrael. Mox cecidit, vno ſolo lapidis ictu proſtratus. Et Angelus Dñi rogabat Dominũ, apud Zachariã, ut populi ſui, vel ſaltem anno 70. ſeruitutis miſereatur. Vſq;

Zach. 1. quo, ait, tu nõ miſereberis Ieruſalẽ, & vrbiũ Iuda, quibus iratus es? Iſte iã 70. annus eſt. Sic Arij perfidia, poſt annum Dñi 330. Conſtantini tẽpore ſurrexit, & circa annũ 400. Honorio imperante deferbuit. Sic Donatiſtæ viciſſim, circa eiuſdẽ Honorij tẽpora cęperũt, & ſtatim poſt annũ Dñi 500. Iuſtiniano ſedente deſierũt. Hinc viciſſim cœperunt Neſtoriani, & ſub annum 600. circa Photæ tempora ſubſiderũt. Albingeñ. ſub annum Dñi 1200. emerſerũt, ſub Othone Cæſare, & ſub Adolpho viciſſim, circa annũ Dñi. 1280. deſierũt, etiãſi doctrinæ audacia, armorũq; præſidijs, vt teſtatur Aemilius longè, quã hoc ſæculo Caluiniſtæ eſſent inſtructiores. Viclephitæ Venceſlao imperãte 1370. anno cæperũt, & Sigiſmundi tẽporibus, circa annum 1415. deſierũt. Sit Dñs in ſæcula ſæculorũ benedictus, quod cũ iſto quoq; ſæculo, hæreſes eſſe opportuiſſet, nõ plus eas, quã illas prævalere, non diutius iſtas, quã illas ſeſe pro veritate venditare permiſerit. Quos errores, annus poſt 1000. Sexcenteſimus oriens, orientes aſpexit, eoſdẽ videt occidentes, occidens. Sit Benedictus Dominus, qui nos tentari non permittit, ſupra quã poſſimus ſuſtinere, ſed dat etiam cũ tentatione prouẽtũ, Lutherũ quę peperit Germania deſerit, Gallia deſpexit, Anglia excluſit, Scotia reprobauit. Polonia delumbauit, Vngaria irriſit, Dania, Suetia, Noruegia caſtrauit: nec vt prius Sabæo thure, vituloq; pingui ſacrificat, ſed farre tantũ adhuc minuto, molaq; ſalſa litat. Caluinus enim, vt prodigalis Iuppiter, Luthe rũ patrẽ, vt elumbem Saturnum auitis Regnis, & prouincijs exuit. Caluinum porrò Atheiſmus viciſſim pellit è Gallia. Anabaptiſmus è Flandria, Arianiſmꝰ è Polonia, Trideiſmus ex Vngaria, Trideiſmo Machometiſmus imminet. Anabaptiſmo Iudaiſmꝰ, Arrianiſmo Scytiſmus. Omnibus in vniuerſũ Atheiſmus, illud vbiq; Promethei, apud Aeſchylem occinens.

ἐμοὶ δελαιτῶν Ζήνος οὐ μέλει μέλει

Mihi aũt minꝰ Iuppiter, quã nihil curæ. Planè vt illud veriſſimum oculis ipſi noſtris vſurpemus, quod ab Auguſtino ſcriptũ alicubi legimus, Hæreſes quò magis celeriter creſcũt, vt ſint, eò magis feſtinãt, vt non ſint. Ad hoc enim, ait Athanaſius, multæ fides eſſe cæperunt, ne vlla ſit. Multitudo ſcilicet numinũ Lactantio teſte, nullitas eſt numinũ, & multitudo Deorũ: nullitas ẽ Deorũ. Niſi qđ iſtos, in ſua quoq; ſi cut olim Donatiſtas, paucitate, gloriari, cũ hoc illis objcitur, nõ pudet. Noe ſe dicẽtes ſimiles, q nõ niſi cũ ſeptẽ alijs, dignꝰ fuit liberari à diluuio. Nos verò nec Chriſtianos eos putabimꝰ, nec iuſtos, nec Noe ſimiles, donec ad ſeptẽ redigantur. Amen Sed ne eos quidem, niſi conuertantur.

Quod autem vltra proficere non debuerint, ſed potius celerem accipere perditionem, ipſi etiam iſtorum Primipilares Prophætæ, iam olim de ſuo Cacangelio prædixerunt. Vnum, & alterum exemplũ adducemus: vt ſi reliqua, oĩa, in religione non viderint, ſuum tamen interitum præuidiſſe, vidiſſeq; videãtur: ne nihil omnino de ſpiritu Prophetico habuiſſe exiſtimentur. Vetus verbum eſt, ait Lutherus, & à multis doctoribus repetitum, quod per reuellationem Antichriſti, tam erunt homines feri, quod iam deinceps nolent Deum agnoſcere, nec vllam illius rationem habere, ſed iuxta ſuam quiſq; voluntatẽ, quicquid Diabolus, & caro ſuaſerit faciẽt. Hoc tẽpus iã impletũ videmus.

Hæreſem hæreſis pellit.

Hæreſes citò pereũt. Euãgelici ſui Euãgelij interitũ prædixerunt.

Luthe. Cacangelicos docet nil credere.

l'osteaquã enim admirabili quadã, & singulari gratia Antichristianismi, seu Papatus, horrẽda mendacia, ac doli, deceptionesq; manifestatæ sunt, incipiũt iã homines nil amplius credere, & posteaquam à vinculis Papatus se liberos esse vidẽt, volũt ẽt esse liberi, & soluti ab Euãgelio, & à præceptis Dei, & volũt, vt deinceps rectũ sit, & iustũ, quicquid vnicuiq; uisum fuerit. Citat Spangẽbergius, in fine libelli, de beneficijs per Lutherũ, Germanię p̃stitis, anno 1561. editi. Narrat ẽt Aurifaber, in conuiualibus Lutheri sermonibus. Sępè dixisse suspirãtẽ Lutherũ Germanica lingua. Post reuelatũ Euãgeliũ virtus est occisa, iustitia oppressa, tẽperãtia ligata, veritas à canibus lacerata, fides claudа. nequitia quottidiana, deuotio pulsa, hæresis relicta. Fol vicissim 244. testatur eundẽ Lutherũ dixisse, scholæ suæ discipulos, magna parte Epicureos esse, metiri cõciones ex suo cerebro, & solũ hoc quærere, vt bonos dies habeãt. In Papatu talia nebulonũ portẽta non inueniri, vocari Euãgelicos reformatos, cũ re ipsa potius incarnati dęmones esse videãtur. Decerpere ex Euãgelio, qđ ipsis allubescit, atq; intereà volũtatẽ Dei conculcare pedibus, immò Deũ ipsũ blasphæmare, supbos esse nebulones, & nunc magis auaritiæ deditos, quã vnquã ante fuerit in Papatu: atq; eò rẽ redijsse, vt si cui libeat cætũ aliquẽ nebulonũ, vsurariorũ, dissolutorum, rebelliũ, atq; fraudulẽtorũ hominũ intueri, futurum, vt is ciuitatem aliquam Euangelicam ingressus, eius farinæ cõplures inueniat. Vix inter Paganos, Iudeos, Turcas, aut infideles, alios homines, adeò contumaces reperiri, apud quos omnis honestas, & quicquid est virtutũ penitus interierit, neq; vllius peccati ratio habeatur.

Sarceri⁹ perituram nouã doctrinam p̃dicit.

Idem faciũt Cẽturiatores.

Sarcerius quoq; in Cõfessione Mãsfeldẽ. Hactenus, ait, causas recẽsuim⁹, quãobrẽ floreãt hæretici, ex quib⁹ p̃spicuũ est se potest, quid tãdẽ secuturũ sit, videlicet horribilis interit⁹ purioris doctrinæ, quã subitò p̃ter omnẽ expectationẽ amittem⁹, ignorantes, quo tandẽ modo amissa sit. Centuriatores in Præfatione Cent. 5. Perit iã, aiũt, idq; subito, per Lutherũ reuelata doctrina, Philosophia, Papismus, & aliæ sectæ, longe, lateq; in templo Dei primam cathedram occupant.

Idem Caluinus.

Caluinus porrò, in præfatione Cathec. ad Ministros suos, in Phrisia oriẽtali. De posteritate, inq̃t, ego sic anxius sum, vt tñ vix cogitare audeã. Nisi enim mirabiliter de⁹ è cęlo succurrerit, videre mihi videor, extremã barbariẽ impẽdere orbi: atq; vtinã non paulò post sentiant filij nr̃i, fuisse hoc verũ poti⁹ vaticiniũ, quã coniecturã.

In eãdẽ sẽtẽtiã, alij quoq; multos cõscripserũt, valdè flebiles ęlegos, sed mẽdaciss morũ mittam⁹ testimonia hęreticorũ, ne min⁹ idonea p̃batio videat, ab eis p̃fecta, qbus omnino nõ creditur. Vbi oẽs sordẽt, vni⁹ fætor nõ sẽtitur, vnũ noris, oẽs noris.

Ac rectè quidẽ isti, doctrinæ suæ extremum interitũ imminere metuebant. Non enim Dei, sed hominis erat verbũ, qđ docebãt, cui⁹ dies sicut vmbra super terrã. Si enim ex Deo fuisset cõsiliũ hoc, aut opus, sicut in Actis legim⁹, nõ potuisset dissolui, Act. 5. sed quia ex hominibus, dissoluitur. Ita Scismaticos oẽs testatur Cyprianus semper feruere, incremẽta verò habere nõ posse: sed statim cũ praua sua emulatione deficere. Et Augustinus scribẽs, in illa Psalmi uerba. Ad nihilũ deueniẽt tãquã aqua decurrẽs. Nõ uos terreãt, Fratres, quidã fluuij, qui dicũtur torrẽtes. Decurrit aqua ad tẽpus perstrepit, mox cessabit, diu stare nõ possunt. Multæ hæreses iam emortuæ sunt, cucurrerũt in riuis suis, quãtũ potuerũt. Siccati sunt riui, vix eorũ memoria reperitur, vel quia fuerint. Vbi Ebion? Vbi Arius? vbi Samosatenus? vbi Pelagius? vbi Macedonius? vbi Aetius? vbi alij, ex quorũ isti cadaueribus velut cinifes, & scarabei p̃dierũt? Perijt illorũ memoria cũ sonitu, peribit & istorũ. Currũt quãtũ possunt, ad tẽpus perstrepũt, mox decurrẽt, diu currere nõ possunt, cũ interim veritas, ut in Esdra legimus, manet, & inualescit in ætẽrnũ: & viuit, & obtinet in sæcula sæculorũ. Benedictus Deus veritatis. Sed hæc de Hęresis, & hæreticorum notis, Symbolis, & tesseris isto loco dicta sufficiant. 3. Esdræ 4.

Quòd non est pudor ex Lutheristã fieri Papista.

Cùm itaq; in omnib⁹ Euãgelicorũ studijs, & cõsilijs dictis, & factis, oẽs eas inesse notas, & tesseras videamus, quas sacra scriptura, Pseudochristis, hæreticis, & Scismaticis tribuit: cũ Trinitatẽ blasphemijs appetitam, Christũ diuinitate spoliatum,

Sym-

Symbola corrupta, Sacramẽta diminuta, ſcripturas diſcerptas, leges euerſas, Reges oppreſſos; cũ nil quæri, niſi licẽtia carnis, vt ſine frẽno timoris, & pudoris, imũ ſummis permiſceat vagabunda cupiditas: cũ, vt ſemel oia dicamus, omne quod dicitur Deus, nõ alio ab iſtis loco haberi, quã Iouis Sãdaliũ, aut Veneris (qđ aiũt) crepidã, videatis. Quid eſſe cauſæ poteſt, Equites Nobiliſſimi, qđ aliquos veſtrũ inde pedẽ referre puder, quo pœnitet intuliſſe? pudet relinquere, q̃ tenuiſſe dolet? An forte mẽtis munꝰ generoſæ ſtatutis ꝓgredi, nõ regredi, ꝓterre nõ referre pede, aut ſtare for titer? Iu quidẽ audio pleriſq; eſſe ꝓuahiſi mũ, q̃ nõ vulgaré nobilitati ſuæ leuitatis, & inconſtãtiæ inuſtã iri maculã putãt. ſi ex Euãgelicis Catholici, aut ex Lutheranis, & Caluinianis fierẽt Papiſtæ. In heroicos animos, iſtas nõ cadere leuitates, ſed in omni rerũ, & teporũ varietate ſui eſſe ſimiles cõſueuiſſe, nec de gradu cedere. At hæ quoq; artes, ò viri magnanimi nõ niſi Sathanæ ſunt. Ad Sathanã.n. non pertinet, ait Auguſtinus, quis iſto aut illo modo erret: oẽs errare vult, qui buſlicet erroribus. Quã diuerſæ ſunt hæreſes, quã diuerſi errores? ille in omnibus vult errare homines. Nõ dicit Diabolus. Donatiſtę ſunt (Lutheriſtæ ſunt) & nõ Ariani (& nõ Caluiniani) ſiue illi ſint, ſiue iſti, ad eũ pertinet. Idola inqr, adorat, meus eſt; in Iudæorũ ſuperſtitione remanet, meꝰ eſt: deſerta vnitate in illã, vel in illã hæreſim pergit, meus eſt. Siue ob timorem, ſiue ob pudorẽ, extra Eccleſiam manet, meus eſt. Quos ſcilicet impedire nõ potuiſti, ne tam manifeſtas fraudes, eius videatis, ne hæretici fœtoris notas oẽs ſentiatis, vitioſi pudoris pallio obiecto, impedire cõtẽdit, ne caſtra eius deſeratis, & pedẽ ab errore referatis. Nõ ſatis illi fuit, iura Chriſti violaſſe, iura quoq; naturæ peruertit, & quẽ illa nobis pudore, quaſi animi frænũ, innocentiæq; cuſtodẽ exhibuit, ne qđ in vitæ rationibus inordinatẽ, procaciter, turpiter, inſolẽter agrederemur: eũ ille de gradu, ſtationeq; deturbatum, quaſi quendã vicisſim obijcẽ oppoſuit, ne pedem a flagitio, ſi quod commiſsum eſt, referamus.

Non eſt incõſtãtia ex Euangelico fieri Catholicũ. Lib. de Paſtoribus.

Ingenui pudoris officiũ.

Ingenui pudoris officiũ eſt, innocẽtem præſtare. Ille remediũ cõmutauit in uenẽnũ, ne libeat ob pudorẽ, pœnitentię remediũ vulneribꝰ adhibere: ea prorſus ratione, qua aſtutiã, prudentiã; profuhonẽ, liberalitatẽ, auaritiã, prouidẽtiã, ſuperbiã, vocare ſolitꝰ ẽ, grauitatẽ. Aut certè, ſi pudor ẽ, ex Ethnico Chriſtianũ, & Euãgelico Catholicũ, ex infidele fieri fidelẽ, pudor erit, ex adultero continẽtẽ, ex ebrio, ſobriũ, ex ſuperbo humilẽ, ex auaro euadere liberalẽ. At non eſt hic pudor, ſed pudoris exitiũ, ſed error, ſed obſtinatio, ſed pertinacia, ſed contẽptus, ſed Dei, & ſui obliuio. Prorſus.n. dixerim, & diuinæ bonitatis, & ſuæ infirmitatis oblitos eſſe, eos oẽs, q̃ vel errare ſe poſſe nõ putãt, vel errorẽ confeſſione, & pœnitentia eluere turpẽ ducunt. Cuiuſuis hominis eſt, ait quãuis Ethnicꝰ Cicero, errare, nullius aũt niſi inſipientis in errore perſeuerare. Magnã rẽ, & difficilẽ generi humano optat, ait ille, qui innocentiã optat. Obuia ſunt in ſcripturis Dei noſtri præcepta. Recedite á vijs veſtris peſſimis. Erubeſcite ſuper vijs veſtris. Agite pœnitentiã. Redite ad cor. Conuertimini. Reuertimini. Quare moriemini domus Iſrael? Si Deus reuerti iubet ab errore, & hominem reuerti piget, præ pudore: profectò conſequẽs eſt, vt dicamus, qđ homo erroré ſuũ magis amat, quã Deũ, quẽ nõ metuit offendere, ne de ſuo errore cogatur erubeſcere. At abſit ab heroicis animis iſta abiectio, quicquã vt aliud erubeſcant, quã ne Deũ offendãt. Hic conſtantia, hic grauitas, hic heroicæ mentis altitudo, hic animi generoſi firmitas, hic fixũ, firmũ, ſtabile cõſiliũ, hic mẽs immota quæritur. Eſto firmus, ait Eccleſiaſticus in via Domini, & in veritate ſenſus ſui, & ſcientia, & perſequetur te verbũ pacis, & iuſtitię. At ſi obrepſit error, ſi perrupti pudoris cancelli, Deũ reuocãtẽ ſpernere, & huic, vt ita dicã, impudico pudori indulgere, nominis in Deum teterrimi officium ſtatuo. Amiſiſti peccãdo innocentiã, ſaltẽ pœnitẽdo effuge pœnã, & quęre iuſtitiã. Nil ſecundũ, lõge diſtat a primo. Nil tã proximũ primo, quã ſecũdũ. Quod fit ex primo, aliud quoddãmodo primũ eſt, ait Tertullianus. Si innocens es, age Deo gratias, ſi nocens, & pœnitens, propè es innocens.

Quę vera conſtantia.

Eccleſiaſt. cap. 3.

Lib. de Pudicitia.

Pudor duplex.

Hos duos, vt ita dicamus pudores, ſiue confuſiones expreſſas in ſcriptura, ad no-

ſtram cautionem inuenimus. Alterũ videlicet ingenuum, & alterum vitioſum, quem Græci vocant δυσώπιον. Eſt cõfuſio adducens peccatum. Eſt confuſio adducens gloriam, & gratiam, ait Eccleſiaſticus. Confuſio adducẽs peccatum eſt, cũ admiſſum pudet corrigere, deflereq; peccatum. Confuſio adducens gloriam, cum pudet commiſiſſe patraſseq; peccatum.

Pſ.68. Eſt confuſio propter Deum. Propter te, inquit Propheta ſuſtinui opprobriũ. Operuit confuſio faciem meam. Eſt confuſio propter homines. Aſpiciet, ait Micheas, inimica mea, & operietur confuſione, quæ dicit ad me. Vbi eſt Dominus Deus tuus? Inuitat te amicus ad cædis ſocietatem, pudet operam negare, cædes patratur. Cõfuſio eſt propter homines, pœnam, & peccatum adducens. Aes abs te mutuũ obæratus poſtulat, pudet negare, pudor eſt propter homines, damnum, & dolorẽ adducens. Eſt qui præ confuſione promittit

Eccl.20 amico, ait Eccleſiaſticus, & lucratus eſt eum inimicum gratis. Talẽ pudoré optat

Pſ.24. inimicis ſuis Propheta. Confundantur, ait, & deficiant detrahentes animæ meæ, operiatur confuſione, & pudore, qui quęrunt mala mihi. Et iterum. Confundãtur oẽs iniqua agentes ſuperuacuè. Hie-

Pſ.82. Cap. 6. remias vtrãq; eius ſpeciem ſimul cõpræhendit, cum ait. Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt, quin potius confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt, quamobrem cadent inter ruentes. Et Zophonias. Neſciuit inimicus cõfuſionem. Et iterum. Non audiuit vocẽ, & non ſuſcepit diſciplinam. In Domino

Zoph. 3 Ibidẽ. non eſt confuſa: ad Deum ſuum non appropinquauit. Pulcherrimè ſanè Aug. Frons hæreticorũ non eſt frons, ſi hoc vocabulo non corporis membrum, ſed pudorem intelligamus.

Contra Iul. lib. 1. Incommoda porrò vitioſi pudoris ipſe Saluator manifeſtiſſimè declarauit, cum ait. Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cũ venerit in maieſtate ſua. Talẽ pudorẽ, talẽ confuſionem, quæ non eſt in Deo, quæ peccatũ adducit, quã iniqui neſciũt, quã Pater cęleſtis erubeſcit, auertat ab omnibus ſeruis ſuis Dominus. Super ſurẽ, ait Eccleſiaſticus, ſit talis confuſio, & pœnitẽtia. Pleriq;

Cap. 5. homines, ait quoq; Comicus, quos cũ nihil refert pudet, vbi pudẽdum eſt, ibi eos deſerit pudor, cũ vſus eſt, vt pudeat. Et Diphilus apud Stobeũ. Qui nec erubeſcere ſcit, nec metuere, ille primas vniuerſę tenet impudẽtiæ. Talẽ pudorẽ nõ pietas, ſed infirmitas mouet. Sicut, & pueris accidit, qui tã parẽtibus amiſſis flebunt, quã nucibus. Viciſſim autẽ. Cõfuſio quæ propter Deũ ſuſcipitur, quæ ſe reã agnoſcit, quæ errores cõfitetur, deteſtatur, deſerit. Cõfuſio eſt delens, nõ exaſperãs peccatũ. Ambulabo, ait Domin⁹, & ego cõtra eos, & inducã illos in terrã hoſtilẽ, donec eru

Leuit. 26. beſcat incircũciſa mẽs eorũ, tũc orabunt pro impietatibus ſuis. Et apud Ieremiam.

Cap.22 Oẽs paſtores tuos paſcet vẽtus, & amatores tui in captiuitatẽ ibũt, & tũc cõfunderis, & erubeſces ab omni malitia tua. Et

Cap.36 apud Ezechielẽ. Cõfundimini, & erubeſcite, ſuper vijs veſtris, domus Iſrael. Tali cõfuſione cõfundebatur Rex, & Prophęta, cũ perpetrato peccato dixiſſet ad Prophętã. Peccaui Dño. Et in Pſalmo. Tota

1. Regũ 15. Pſ. 43. die verecundia mea cõtra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. Et iterum Quoniã ꝓpter te ſuſtinui opprobriũ, operuit cõfuſio faciẽ meã. Tali pudore malis

Pſ. 43. ſuis medebatur Paulus, cũ ad Timotheũ

1. Tim. 1 ſcriberet. Gratias ago ei, qui me confortauit, Chriſto Ieſu Domino noſtro, quia fidelẽ me exiſtimauit, ponẽs in miniſterio, qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & cõtumelioſus. Sed miſericordiã Dei cõ ſequutus ſum, quia ignorãs feci, in incredulitate. Et propterea alio in loco fiden

Rom. 1. ter exclamat. Nõ.n erubeſco Euangeliũ: virtus.n. Dei eſt, in ſaluté omni credẽti. Tali cõfuſione erubeſcebant Paulo chariſſimi Romani, quibus dicebat. Quẽ ergo fructũ habuiſtis tunc in illis, in quibus

Rom. 6. nunc erubeſcitis? Tali cõfuſione cõfuſus eſt Petrus, cũ illũ Dominus poſt triną negationẽ reſpexiſſet, ille verò amarè flere cœpiſſet. Tali cõfuſione confuſus eſt Thomas incredulus, cũ poſt manuũ lateriſq; contrectationem de incredulitate erubeſcens, exclamãs dixiſſet. Dominus meus, & Deus meus. Abſq; pudore, ait Clymachus, non potes liberari à pudore. Aperi

Clym. gradu. 4 medico vulnus tuum. Ne erubeſcas dicere. Meum eſt hoc vulnus, mea plaga, à

Plautus in Epidico. udPor ingenu⁹

mea

mea negligentia, & non ab alio profecta: & sanaberis. Erubescere debemus, ait Ambrosius, & condemnare peccatum, nō defendere, quoniam culpa pudore minuitur, defensione cumulatur. Omnis enim confusio, alio loco ait, admodū est bona, quā p Christi nomine subeas, admodūq; gloriosa. Per huius .n. vitæ pudorē, futuri sæculi pudorē, ignominiāq; fugies. Nam hęc quoq; sempiterni illius supplicij pars est, ait Nazianzenus. Bonus quippe pudor, corrector est nostri, & dū incipit nos pudere commissi, ne diutius pudeat, desererе, quæ erubescenda sunt, admonemur. Sicut enim laudabilis est in malo verecūdia, ait Grego. ità repræhensibilis est in bono. Erubescere quippe malum sapiētiæ est, bonum erubescere fatuitatis. Est quædā confusio vtilis, ait Augustinus respiciētis peccata sua, respectione perhorrescentis, horrore erubescentis, erubescētia corrigentis. Hanc confusionem nemo formidet Christianus; immò si hanc non habebit, æternam habebit. Nec verò cui mirū videatur, alio loco ait, quomodo possint pudore pelli, quæ amisso pudore facta sunt, attendat, & intelligat, quod etiam à Sathana venit prima peccati suasio, & qđ ille primus author sit omnium peccatorū Et tñ quidam traduntur Sathanæ, vt discant non blasphemare. Quomodo igitur opus Sathanæ excluditur, opere Sarhanæ: sic opus amisso pudore factum, pudore sanatur. Det Dominus, vt iam tandem pax Christi, in vestro corde vincat, & bona penitentia de mala verecundia, victoriam ferat. Emenda tantum, ait August. Ne timeas, non inde eris minor: immo vero, maioris ingenij est, animositatis flammas: confitendo extinguere, quam falsitatis nebulas intelligendo vitare.

De morte Cain & Abel.

Homil. 10. sup Ezech.

In psal. 30.

De natura, & gratia.

Lib. 2. contra litt. Petil.

An ab his Magistris dissentire fortè pudebit, O nobilissimi Equites, quos à se ipsis dissentire non pudet? An illos relinquere dubitatis, qui maiores vestros optimos, & sapientissimos viros reliquerunt? qui damnarunt? An hos pro hæreticis, Epicureis, hipocrytis, Gnatonibus, Sophistis, Lunaticis, Antichristis, à Dæmone obsessis, Machometanis, Sodomę, Gomorræq; filijs, habere dubitatis? qui se tales vocare, proque talibus habere, proclamareque non dubitant? An ipsis, de ipsis ista dicentibus non credetis? At ista non Erasmus, non Ludouicus, non aliquis è veterum memoria, Lucianus asserit: qui nec dijs, nec hominibus pepercerunt. Sed illi ipsi, de illis ipsis scribūt, qui Lutheri, Caluiniq; laudes cecinerūt. Quibus igitur credemus, si fidem laudantibus, si amicis, si socijs, si Symmistis, si Sinergistis non credemus? Si numen ollis, numen & porris in est, ait Prudentius. Ab his ne vos dissentire pudebit, qui in lucem heri (quod aiunt) emerserunt, & hodie penè perierunt? Ab ea ne doctrina discedere pigebit, quæ eodem quo nata, mortua sæculo est: quæ sedens vnam, stans alteram induit formam: quæ non à Christo Deo, sed ab homine Luthero, & Caluino ducit appellationem? Neque enim plantatus, neq; satus, neq; radicatus est in terra truncus eorum, repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulā auferet eos. Et iterum. In tempore Vesperè, & ecce turbatio, in matutino, & non subsistet.

Merentur deseri desertores.

Dico vobis Equites, & magna voce dico, rem, vt ait illle μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ θύοντα, soli veritati sacrificantem, Deus si vnus non est, non est. Fides si vna non est, non est. Pastor si vnus non est, non est. Quile si vnum non est, non est. Dignius credemus, ait Tertullianus, aliquid non esse, quodcunq; non ita fuerit, vt esse debet. An mauultis præ pudore in errore tabescere, quam ad tempus erubescere? At ita vobis continget. Sicut habet Ezechiel. Coronas habebitis in capitibus vestris, & calciamenta in pedibus vestris, non plangetis, neque flebitis. Sed quid? Tabescetis in iniquitatibus vestris, Vbi enim obtinet eiusmodi pudor inanis, ventosus, ibi est, & tumor, sub quo, quod peius est, & tabes gignitur, & pupilla mētis ad non videndam opulentiam veritatis, vt loquitur August. offunditur. Et alio loco. Non aliter inuenitur requies animæ, nisi in quieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando Deo sana non erat. Non est pudor, ait ille, dediscere benè, quod didicisti non benè. Facilius enim est ab errore cauere, quàm abducere. Errorum enim initia in nostra pote-

Nil verius dicunt Euangelici, quā seipsos cōdemnant.

In Romano martyre.

Isa. 40.

Pastor si vnus nō est, non est.

Cap. 24

Lib. de Virginitate.

stare sunt, vlteriora sua quadam vi, impetuq; rapiunt, nec regressum relinquũt. sicut in præceps datis corporibus, non licet eò non peruenire, quò non ire licuerat.

Ita inquam, ex abominatione, in abominationem deferemur. sicut ij, qui Naruam nauigant, à Narua in Istulã, ab Istula etiam nolentes deferuntur in Balticũ, ni volentes cursum sistant. Vincent nos errores, nisi toti vincantur. Certè August. monstro vult esse simile, cum animo humanus in rebus diuinis, partem vult, & partem non vult, partimq; iam assurgit, veritate subleuatus, partim adhuc iacet consuetudine pergrauatus, partem vnam ob veritatem proponit, alteram ad huc ob familiaritatem non ponit.

Lib. 8. cap. 9. Cõfess.

An fortè sibilos timetis? an opprobria? an conuitia? an digito monstrarier, & dicier, hic Papista est? hic erro, hic transfuga, hic Euangelij perduellis, hic Mamalucus? An extra Synagogam eijci? an à fratrum cœtu, Zboròq; repelli? Id quidem fieri non potest, quin aliquando audeant Euangelicorum Rabini. Non potest enim falsitas non persequi veritatem. Cum enim Euangelici omnium errorum sint amici, non possunt non esse, nisi solis non errantibus inimici. Non Micheas verus propheta, Sedechiam falsum prophetam: sed Sedechias falsus propheta, Micheam verum prophetam percussit, in maxillam dicens, Mene ergo dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi? Amara sunt, ait Lactantius, amatoribus falsitatis, præcepta veritatis, amara luxuriosis verba castitatis, ingrata vitiosis præcepta pietatis. At non est, Equitis Poloni, sibilos timere. Magnus animus, verba de triuio, vel non annotat, vel risu digna putat, ac si anser sibilaret. Nimis enim imbecillis est valetudo, quam aura leuis offendit, nimis affecti oculi, quos candida vestis obturbat, nimijs delicijs diffluit, cuius latus, ad laborem alienum, indoluit. Ita dico, Equites. Nimis leuiter Deum amat, qui ob sibilum negat. Generosæ mentis officium est, non se sentire percussum, valdè enim, inquietam vitam aget, qui risus hominum, linguasq; formidabit. Palam accidit, ait Plutarcus, immodico pudori, vt dum fumum vitat ignominiæ, in ignem se conijciat. Latratibus quidem isti æquiparant Cerberum, at morsu vix culicem. Vmbram timere puerorum est. Iocis offendi, mentis munus, imbecillæ. Altus & excelsus animus, nec conuitium sentit, sed quocumq; tandem perfidiæ, insaniæq; genere, vulgus laborat, ipse semper sui stat similis, nec quid passurus, sed quid facturus sit aspiciet. Inuulnerabilis est Deum timẽtis animus, nulla lædi iniuria, nulla cõtumelia potest. Nil enim difficilè ait Anneus, cum ipsa sibi mens patientiam indixit. Quodcunque imperauit animus, obtinuit. Mille sunt exempla, in quibus pertinacia omne impedimentũ transcendit.

Semper falsitas persequitur veritatem.

3. Regũ 22.

Leuiter Deum amat, q obsibillum negat.

Altus animus cõuitiũ non sentit.

Iustum, & tenacem propositi virum
(ait Horatius)
Non Ciuium ardor, praua iubentium:
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solida: neq; Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ:
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

At aliquando dissimulare licet, temporique cedere, sicut Naaman cessit? Negat, ait Tertullianus, quicumque dissimulat, Vbi nomen Dei ob dissimulationẽ blasphæmatur, & proximus scandalizatur, dissimulare, negare est. Non fidem Naaman simulabat. Non faciet, inquit, ad Elizeum, seruus tuus victimas, & holocausta dijs alienis, nisi Domino soli: sed vt seruus Dominum, vt subditus Regem honorabat, cum inclinante Rege ante Rhemon inclinabat. Deum timere, ait Petrus Regem honorificare. Et iterum. Cui honorem, honorem, cui tributum, tributum. Honorem tribuebat, cui debebat. Deum colebat, quem verum credebat. Prorsus fas non est, vlli de sua religione mẽtiri. Ex eo enim, quod aliud à te coli dicis, quam colis, negas quod colis, & culturam, honoremque in alterum transfers, & transferendo iam non colis, quod negasti. Quod attinet ad honores Regum, & Imperatorum, satis præscriptũ habemus, in omni obsequio esse nos oportere, secundũ Apostoli præceptũ subditos magi-

Religionẽ simulare nefas.

De Idololatria 4. Regũ 5.

1. Petri 2.

magistratib⁹,& Principib⁹, & potestatib⁹: sed intra limites disciplinæ quousque ab Idololatria separemur, ait Tertull.

De Idolatria

An fortè persecutionem, an denique mortem metuis, & ideò Christo mentiri non metuis? Mentiris, ait Athanasius, & moreris, & cum vitas vnam mortem, quâ differre poteras, auferre non poteras: incidis in duas, vt prius in anima, & posteà in corpore moriaris. Contemnant, qui volunt, calumnientur, vt volunt, nihil aliud agunt, ait Nazianzenus, quam guttis nos petunt, auris feriunt, insomnijs ludunt. Nil esse facilius potest, quàm cautio Idololatriæ, ait Tertull. si timor eius in capite sit. Quem quis contemnit non calcat, sed transit. Iacens præteritur, cum stante pugnatur.

De Idolatria

Sed mordent? sed lacerant? sed nocent? Quod nocer, docet, ait ille, Citius frangent, quam viro stabili, dentes imprimient. Robur est non quod non lacessitur, sed quod non vincitur. Quod facit libido, facit,& persecutor homo, surgere nouit, vincere non nouit. Surgendo assiduè sine causa, discit et non surgere. Mordendo quotidie sine fructu, desinit mordere. Non est obnoxia vulneri, Christianæ mentis soliditas. Nil crus sentit in neruo, cum animus est in cœlo, ait ille, Petra est. Quæcunq; tela mittuntur resiliunt, nulli est penetrabilis. Beati eritis, ait Christus, cum vos persecuti fuerint homines propter nomen meum, gaudete, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis. Et iterum. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; talium enim est regnum cœlorum. Et iterum. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Certè Beatus nemo dici potest, extra veritatem proiectus. Quis autem vnquam sine sibilo, conuitio, iniuria, calumnia, vitâ cum virtute agés, ad extremam peruenit senectutem? quis pietatem sine persecutore coluit? Cotes é, hominis Christiani tribulatio, acuitur dũ teritur. Sol ditas eius nesciretur, nisi quateretur. Sicut Silicis durities, nisi ferienti, nota esse nõ potest. Vis fieri Christianus, velis eo modo, quo possis, non quo non possis. Nam si vis eo modo, quo non possis, non vis, non potes autem sine cruce, sine detisore, sine persecutore. Tollat quisq; crucẽ suã, & sequatur me. Iræ furorisq; hoc esse, vult Seneca, non iudicij, in male conceptis perseuerare. Ira enim etiãsi oculis ingeritur veritas, amat tñ, & tuetur errorem, coargui non vult, & in male cõceptis honestior illi pertinacia videtur, quã pœnitentia. Dauid verus Dei seruus à Semei maledicebatur, lapidibus petebatur, vir sanguinũ, & vir Belial vocabatur,& Satrapis non placebat. Elizeũ prophætã, irridebant olim pueri, dicẽtes. Ascende calue, ascende calue. Sed mille alijs prætermissis. Nonne agnum illũ innocentem, peccata mundi tollentem, Saluatorẽ nostrũ, Iudei vini vocabãt potatorem, Samaritanũ, Dœmoniũ habentẽ.

1. Reg. 24.

4. Reg. 2.

Matt. 5.

Ibid.

Coli pietas sine persecutore non potest.

At malus miles est, qui gemens suũ sequitur Imperatorẽ, sicut Paulus, tantum abest, vt in persecutionibus doleat, vt etiã glorietur. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum. Sicut enim vnguenti fragrãtia non sentitur, nisi cum mouetur. Sicut onus non putatur, cum à sedẽte portatur: sed tũ demũ põdus premit, cum assurgit. Ita fidei soliditas nõ nisi in persecutione probatur. Rem difficilem optat, qui sine cruce, vitam viuere desiderat. Nemo im mundis mũdus videri potest, ait Tertull. Socrati cicuta oblata est, Senecæ venæ incisæ, Ciceroni caput, Catoni in foro toga rapta est, & à Rostris, vsq; ad arcũ Fabianum, per manus seditiosæ factionis tractus, voces improbas, & sputa,& reliqua oris purgamenta, & omnes alias in sanæ multitudinis contumelias pertulit. Aristides iustus, ducebatur olim Athenis ad suppliciũ, cui quisquis occurrebat, de ijciebat oculos ingemiscens, non tanquã in hominẽ iustum, sed tanquã in ipsam iustitiã animaduerteretur. Inuentus est tũ, in tam sapienti Rep. qui faciem innocenter condemnati conspueret.

2. Cor. 11.

De Idolatria

An fortè Papistæ nomẽ plenũ cõtumeliæ putatis? Apparet à vobis vim nominis ignorari. Ignoti autẽ nulla cupido est. Exprobrasti mihi probrum honestũ, ait Senex ad Menelaum dicentem, quod heris suis nimis esset fidelis. Quid est Papa? Respondeat pro me melitissimus, & quod mirum est, ab omnium bonorũ,& sanctorum hoste Caluino probatus, & San-

Papistæ nomen glorioſum.

Quid Papa.

Cal.lib. 4. Instit. ca.7.§. 22. De confideratione.

Sanctus vocatus Bernardus. Papa est Sacerdos magnus, summus Pontifex, Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarcatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Sunt quidem, & alij cœli Ianitores, & gregum pastores, habent similiter assignatos greges, singuli singulos. At summo Pontifici vniuersi crediti, vni vnus, nec modo omnium, sed, & pastorum vnus ille omnium est Pastor, vnde etiam Papa dicitur, & quia Pater patrum, & quia Pastor pastorum. Ita ut Papistam esse nil aliud sit, quam Patri patrum, & Pastori pastorũ, in his, quæ sunt ad Deũ, dicto esse audientem. Sicut Cæsaristam rectè dicimus, qui domino suo Cæsari: Registam, qui domino suo Regi: Ducistam, qui domino suo Duci carnaliter obtemperat: Nec propterea Christum, Regem Regum, & dominum dominantium offendimus, etiamsi Sigismundum tertium Regẽ vocamus, eiq; obtemperamus. Sedet Papa, vbi sedit Petrus, apud eos, quos & Petrus docuit, & Paulus, quibus

Romani Paulo charissimi.

gratiam Domini nostri Iesu Christi, ter in eadem Epistola adscripsit. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro Iesu Christo. Gratia dñi nostri Iesu Christi vobiscum. Et iterũ. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus vobis. Quibus pacem precatus est. Deus pacis, sit cum omnibus vobis. Amen. Quos tanti fecit, vt eorum se omnibus diligentissimè commendaret. Obsecro vos fratres, per Domi

Rom.12

num nostrum Iesum Christũ, & per charitatem Spiritus Sancti, vt adiuuetis me,

Rom.15

in orationibus pro me ad Deum. Cum quibus refrigerari voluit veniam ad vos, inquit, in gaudio per voluntatẽ Dei, vt refrigerer vobiscum. Quibus obedientiæ, quæ summa virtus est, laudem tribuit.

Rom.6.

Gratia, ait, Deo, qui fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis. Et iterum. Vestra autem obedientia in omnem locũ diuulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Quos denique suo testimonio orbi commendauit vniuerso, dicens. Fides vestra

Rom.1.

anuntiatur in vniuerso mundo. Plus addo. Quibus solis de omnibus hæreticis victoriam promisit. Conteret Dominus Sathanam sub pedibus vestris velociter. Quem itaq; pudet vocari Papistam, Romanistam; de Sanctorum, & Deo dilectorum hominum societate pudet. Omnibus, ait Paulus, qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis, Sanctis. Prodeant hic Euãgelicorum Rabini, & aliquid, istiusmodi, Vittembergæ promissum ostendant, vbi sedit Lutherus, Geneuæ vbi Caluinus, Pictauiæ vbi Stancarus, Claudiopoli, vbi Blandrata blaterauit. Romanorum hanc esse laudem propriã, Paulus voluit. Gratia, obedientia, charitate, scientia, boni, & mali cognitione abundare.

Romana fides vincit hæreses.

Rom.16

Rom.1.

Romana Eccl. nunquã defecit ab Apostolica doctrina.

At defecerũt, ait, nec nisi p quingẽtos annos à Pauli prædicatione alij volũt per 300. alij per 600. alij per 1000. alij per 1200. nam hic quoq; sibi nõ constant, Sãcti, Deoq; dilecti permanserunt. Id quidem esse verum, Euangelici vellent, vt super hoc fundamento Babylonem suam superædificarent. At fallum Christus dixisset. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quẽ mundus non potest accipere. Falsum esset, quod promisit cum dixit. Portæ inferi

Ioan. 14

Mat. 16

non præualebunt aduersus eam. Parum quoq; esset efficax tanti Apostoli oratio, quam pro illis, vt loquitur sine intermissione faciebat. Parum fructuosa fuisset illis gratia, domini nostri Iesu Christi, quã repetitis vicibus adscripsit, si post quingẽtos statim annos, & gratia Domini esse cũ illis desijsset, & quod Romæ euangelizabat Euangelium perijsset. Quin potius plenos eos esse testatur dilectionis, plenos omni scientia. Certus sum, ait, Fratres mei, & ego de vobis, quoniam, & ipsi pleni estis dilectione repleti omni scientia, ità vt possitis alterutrum monere. Et iterum. Rogo vos vt obseruetis eos, qui

Rom.15

Romani scientia pleni.

Rom.16

dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis. Non solum certum se esse profitetur de scientia, & dilectione Romanorum, sed illos etiam obseruatores, inspectores, iudices, & animaduersores constituit in eos, qui præter doctrinam, quam ab illo didicerant, dissensiones, &

Romani religionis iudices.

offen-

offendicula facerent. An post quingentos annos, dissentiones, & offendicula cessatura prouidit? At præsentis sæculi experientia, Paulum falsum vatem fuisse conuinceret, si id sensisset. In omne itaq; tempus, eius fidei curam, & inspectionem Romanis commisit Paulus, quam in omne tempus duraturam, nec vnquam defecturam promisit Christus: ita, vt non prius Romanorum officium deficere debeat, quam ipsa Christi fides deficiat. Hoc volens nolens, coactus est hostis veritatis confiteri Caluinus. Sic enim loquitur scribens in Isaiam. Promittit propterea

In. cap. 59. inæstimabili hoc bono, Ecclesiam nunquã priuatam iri, quum Spiritu Sancto regatur, & fulciatur cœlesti doctrina. Parũ enim esset nobis semel offerri Euangeliũ, nosque Spiritu donari, nisi apud nos perpetuò resideret. Et paulò post. Promissio eiusmodi est, Dominum sic affuturum Ecclesiæ, sicq; curam habiturum, vt eam, vera priuari doctrina, nũquã sinat.

Sed vnum, & alterum, ad rem præsentem sanctissimorum, & antiquissimorum Patrum, adiungemus testimonium. Vnitatis amatores suauè iudicabunt, de eo loqui, quo vnitas retinetur.

Lib. 3. cap. 3. Ireneus, secũdo post Apostolos vixit sęculo, quo nondum isti lumen extinctum fuisse veritatis confitentur. Sic de Ecclesia Romana loquitur. Maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quã habet ab Apostolis traditionẽ, & anuntiatam omnibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem, vsq; ad nos indicantes, confundimus eos, qui quo quo modo, vel per sui placentiam malã, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam scientiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem cõuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndiq; fideles, in qua sẽper ab his qui sunt vbique, conseruata est ea, quæ ab Apostolis est traditio.

Ireneus de Romana Eccl.

In de p scriptionibus. Eodẽ fere vixit sęculo, magnꝰ ille, magni Cypriani Magister, Tertull. Sic ille quoq; de Romana Ecclesia loquitur. Si autem Italiæ adiaces, habes Romanam Febix Ecclesia, cui totam doctrinam, Apostoli cum sanguine suo, profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus, Ioannis exitu coronatur, vbi Ioann. Apostolus, posteaquã in oleũ igneũ demersus, nil passus est, in Insulam relegatur.

Athanasius Græcus, vixit circa annum Domini 450. Is in Epistola ad Fœlicem Papam. Ob id vos prædecessoresque vestros Apostolicos, videlicet Præsules, in summitatis arce constituit, omniũq; Ecclesiarum curam habere præcepit, vt nobis succurratis.

Athan. de Roman. Ecclesia.

Gregorius Nazianz. Romanam Ecclesiam semper conseruasse verã de Deo sententiam, vt decet vrbem, quæ toti orbi præsidet, affirmat.

Nazianzenꝰ de Romana Eccl. In carmine de vita sua Epist. 1.

Chrisostomus Græcus ad Innocentiũ Papam scribens. Obsecro inquit, vt scribas, quod hæc tam iniqua facta, non habeant robur, illi autem, qui iniquè egerũt (Theophilum Episcopum Alexandrinũ, intelligit) pœnæ Ecclesiasticarum legũ subiaceant. Et iterum ad eundem. Vestrã inquit, oro vigilantiã, vt licet omnia tumultibus impleuerint, si tñ curari morbo voluerint, ne affligãtur, neq; è cetu ejiciantur.

Cyrillus Græcus, Nestorium, ait, deberi ab omnibus, vt excommunicatum, & depositum vitari: nisi intra terminũ à Cęlestino Papa præscriptũ, hæreses suas reuocet. Et in libro Thesauri. Petro, inqt, omnes iure diuino caput inclinant. Et primates mundi, tanquam ipsi Domino Iesu obediunt. Et iterum. Debemus, & nos, vt qui membra sumus, capiti nostro Romano Pontifici, & Apostolicæ Sedi adhærere.

Cyrillꝰ de Roman. Eccl. Epistola 11. ad Clerũ, & populum Constãtinopolitanũ.

Cyprianus Afer, vixit anno 400. Is ad Cornelium Papam scribens, quẽ Nouatiani non agnoscebant. Neq; .n. aliũde (ait) hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt scismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia, ad tempus Sacerdos, & ad tẽpus iudex, vice Christi cogitatur. Cui si secũdum diuina magisteria obtemperaret fraternitas vniuersa: nemo aduersus sacerdotum collegium quicquam moueret. Et Epistola 10. lib. 2. ad eundem, Radicem, & ma-

Cypr. de Romana Eccl.

& matricem vocat. Miseramus, inquit, nuper collegas nostros, vt ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, scissi corporis mẽbra componerent, sed diuersæ partis obstinata, & inflexibilis pertinacia, non tantum radicis, & matricis sinum, atq; complexum recusauit, sed etiam adulterum, & contrarium caput extra Ecclesiam fecit.

Hier. de Ecclesia Romana.

Hieronimus Latinus, vixit circa annũ Domini 400. Is in Epistola ad Damasum, hic de Romano Pontifice loquitur. Quaquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas: a Pastore præsidium ouis peto. Cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatã Ecclesiam, scio. Quicumq; extra hanc domum, agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Et infra. Non noui Vitalem, Meletiũ respuo, ignoro Paulinũ. Quicumq; tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

Aug. de Romana Ecclesia.

Augustinus Afer, illo ipso sęculo vixit. Is in Epistola 162. In Romana, inquit, Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus. Et iterum. Quia te Dominus, gratiæ suæ præcipuo munere, in Sede Apostolica collocauit, talemq; nostris temporibus præstitit, vt nobis potius, ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerẽda sunt, tacuerimus, quam ea tu possis, vel fastidiose, vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorũ Christi, pastoralem diligentiam, quæsumus adhibere digneris.

Ambro. de Romana Eccl.

Ambrosius Mediolanen. vtriusq; contemporaneus. Cùm totus mũdus, inquit, Dei est, tamen domus eius Ecclesia dicitur, cuius hodie rector est Damasus. Itẽ percontatus, inquit, Episcopum est, si cũ Episcopis Catholicis, hoc est. Si cũ Romana Ecclesia conueniret.

Gregorium prętereo, quem Euangelici bonorum vltimum, & malorum primũ appellant. Cæterum si Paulo, si Orienti, Occidenti, Asiæ, Africæ, Europæ, dé Ecclesia Romana non credimus: vel ipsis saltem eius hostibus credamus, per quorũ iugula veritas, etiamsi nolint, erumpit.

Lutherus in Resolutionibus Propositionũ Anno 1519. his, quæ requũtur verbis, Romanũ Pontificem superiorem agnoscit. Primum, quod me mouet, Romanũ Pontificem esse alijs omnibus (quos saltem nouerimus se Pontifices gerere) superiorem, est ipsa voluntas Dei, quam in ipso facto videmus. Neq; enim sine voluntate Dei, in hanc Monarchiam, vnquã venire potuisset Romanꝰ Pontifex. At voluntas Dei quoquomodo nota fuerit, cũ reuerentia suscipienda est: ideoq; non licet temere Romano Pontifici in suo primatu resistere. Hæc autẽ ratio tanta est, vt si etiam nulla scriptura, nulla alia causa esset: hæc tamen satis esset ad compescendam temeritatem resistentium. Sed dices, mutauit postea sententiam, & Romanam Ecclesiam Sodoma, Gomorraq; terpeiorem vocauit. Non mirum. Impius enim, Ecclesiastico teste, mutatur vt Luna. Accidit tamen, quod olim Balaamo, volens maledicere, benedixit. Inimi cum simul agit, vt loquitur Prophæta, & vltorem: veterem dilaudat, recentiorum sæculorum Ecclesiam Romanam ad ima tartara condemnat. Nobis sufficit, quod aliquando tamen fuisse sanctissimam, & ianuam cæli confitetur. Talem enim fuisse Paulus quoque testatur. Si igitur Ecclesia Romana pace, gratia, scientia, charitate, sanctitate, scriptura teste abũdauit: offendant nomen adulteratũ terentes Euangelici, eadem scriptura teste, quãdo talis esse desijt. Sic aũt de eiꝰ defectione, loquitur idẽ Lutherus, in Epistola ad Leonem X. Neq; enim aliud e Roma iam a multis annis in orbem inũdat, quam vastitas rerũ, corporum, animarũ, & omnium pessimarum rerũ, pessima exẽpla. Luce enim, hæc omnibus clariora sunt, & facta est e Romana Ecclesia, quõdam omnium sanctissima, spelunca latronum licentiosissima, lupanar omnium impudentissimum, regnum peccati, mortis, & inferni, vt ad malitiã, quod accedat, cogitari non possit, ne Antichristus quidem si venerit. Et iterum ibidem. Nonne verum est, sub vasto illo cœlo, nil esse Romana Curia corruptius, pestilentius,

Lutherus de Romana Ecclesia.

odio

odiosius. Incomparabiliter enim, Turcarum uincit impietatem, vt re uera, quæ erat olim ianua cœli, nunc sit patēs quoddā os inferni, & tale os, quod vrgente ira Dei, obstrui nō pōt, uno tantū relicto miseris cōsilio, si q̄mus aliquos è Romano, vt dixi, isto hiatu reuocare, & seruare.

Bucerus de Romana Ecclesia.

Alterum testem Bucerū Luthero longè doctrina superiorem audiamus. Sic ait. Ingenuè confitemur, apud veteris Ecclesiæ Patres, Romanam Ecclesiam prę cæteris primatum obtinuisse, vt quæ Cathedrā D. Petri habeat, cuiusque Episcopi, successores Petri, ferè semper habiti sunt.

Caluinus de Romana Ecclesia.

Tertius erit Caluinus in suis Instit. Nō nego, inquit, qui magnū Romanę Ecclesiæ honorē, vbiq; deferāt veteres, reuerēterq; de ea loquātur. Quod tribus maximè de causis fieri arbitror. Opinio. n. illa, quæ nescio quomodo inualuerat, fundatā, & constitutā eā fuisse Petri ministerio, ad cōciliandā gratiā, & authoritatē plurimū valebat. Itaq; in occidēte Sedes Apostolica, honoris causa uocabatur. Deinde cū illic esset, caput imperij, & hac ratione credibile esset, p̄stantiores tū doctrina, tū prudētia, & multarū rerū usu, uiros illic esse, quā alibi vsquā: eius rei merito habebatur ratio, ne & vrbis nobilitas, & alia ēt Dei dona, multò excellētiora cōtēni viderent. Accessit ad hæc, & tertiū, qđ cū Orientales, & Græcę Ecclesię, Africanæ ēt, multis opinionū dissētionibus, inter se tumultuarētur, hęc sedatior omnibus alijs, & min⁹ turbulēta fuerit. Ita factū est, vt pij, & sancti Episcopi, sedib⁹ suis pulsi illuc se, veluti in Asylū, aut portū quendā sępè recipe. rēt. Nā quo min⁹ acuto, & celeri ingenio sunt Occidētales Asiaticis, & Afris, eò ēt sunt rerum nouarum minus cupidi. Hoc ergo Romanę Ecclesiæ plurimum addidit authoritatis, qđ nō ita dubijs illis temporibus tumultuata est, vt reliquę, ac doctrinę semel traditę, fuit alijs oībus tenacior, quēadmodū melius statim explicabimus. Has, inquā, tres ob causas, nō vulgari honore habita fuit, & multis p̄claris veterū testimonijs cōmēdata. Hactenus Caluin⁹.

Ita scilicet par erat, ita in diuino cōsistorio decretum, ita in tabulas æternæ legis relatum, vt sicut in vno Regno, Rex vnus, in vno exercitu Dux vnus, in vna ciuitate Consul vnus, in vna villa Scultetus vnus, in vna naue Nauarchus vnus, in vna domo, Paterfamilias vnus, In vna schola Præceptor vnus, Sic in vna Ecclesia Dei pastor esset vnus. Apes, ait Cyprianus habent Regē, & Ducē pecudes, & fidē seruant Latrones, mancipi, obsequio pleno humilitatis obtemperant. Quanto simpliciores, & meliores vobis sunt brutæ pecudes, & muta animalia, & cruenti licet, ac furentes, inter gladios, atq; inter arma prædones? Præpositus illic agnoscitur, & timetur, quē nō sententia diuina cōstituit, sed in quē factio perdita, & nocens caterua consensit.

Epist. la 69. ad Florēt.

Deinde verò cuius cachinnū, cuius aculeū, cuius metuis conuitiū? Si ad gratiā loquendū est, ait ille, Cæsaris nō liberti loquendū ē. Si Regni primas Carnchoui⁹, Gnesneń. Si Solicouius Leopolień. Archiepiscopi. Si Cardinalis Radziuilus Cracouień. Si Rozrazouius Vuladislauień. Si Koscrzilecius Posnanień. Si Cardinalis Battorius Varmień. Si N. Vilnensis (vacat enim hoc tempore) Si Baranouius Ploceń. Si Goslicius Præmyslień. Si Mazciciouius Luceorień. Si Tilicius Culmeń. Si Gomolinius Chelmeń. Si Gedroicz Samagitień. Si Volucius Camenecen. Si Veresćinius Kyouień. Deo, & orbi notissimi Episcopi, Regniq; Senatores generis claritate vobis pares, dignitate certè, & eruditione superiores, vestræ verò salutis, famæ existimatione, ipsa etiā natura duce cupidissimi. Falsò enim, vt hoc quoq; obiter attingamus, calumniātur ab aduersarijs Antistites Catholici, quod oīa faciūt, vt perdātur Euangelici. Non enim homines, sed hominū p̄ditos cupiūt errores, immò verò tantò magis cupiunt p̄ditos errores, quāto magis ipsos amant homines: peccatis enim non peccantibus irascūtur. Nō inuitos attrahimus nec occidimus inimicos, ait Aug. sed quæcūq; vobiscū agimus, quāquā vobis agamus inuitis, ex charitate tamen agimus, vt volētes vos corrigatis, correctiq; viuatis: nā nemo viuit inuitus, & tñ puer, vt hoc volēs discat, inuitus vapulat, & hoc plerūq; ab homine chariſſimo, idq; vos ipsi videbitis cū ad nos venietis, desinētes esse, qđ odimus, & incipientes esse, qđ amamus.

Regni Polon. Episcopi nobilissimi, & vigilantissimi.

Magnorum virorū reprehensio cauēda.

Meid-

Medicus secat morbũ,& tñ amat ęgrotũ,nec secaret nisi amaret, Pater castigat filiũ, nec castigaret nisi amaret. Non attendas, ait Aug. quam illi,quem castigas sis molestus, sed quam tibi,ille sit dilectus.

Nisi quod hic audire quosdam videor dicentes. Noli secare,& noli amare, facti quisq; sui rationem reddet,in illa die. O
In Ps.18 Equites, Equites. Hoc sanè vult iniquitas, qua diuisi sumus, sed non vult charitas, qua fratres sumus. Improbus nõ essem,ait Augustinus. si quærerem seruũ meũ, & improbus dicor, quia quæro fratrem meum. Sic sapiat, in quo fraterna charitas non est: ego tamen quæram fratrem meum, irascatur dum tamen quæratur, qui inuentus placatur. Quæro,inquã,fratrem meum, & interpello non contra illum, sed pro illo Domino meo, nec dico interpellans,Domine dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. Sed dico. Dic fratri meo, vt teneat mecum hæreditatem. Tanto autem magis quæri debetis, quanto minus soli peritis. Tanto minus negligi, quanto plures, in vestra conuersione cõuertuntur,& in vestra perditione perduntur. Quid putas, Eques cum erras, solus erras? cum peris, solus peris? Fama nobilitatis tuæ, viscus infirmorum est. Sermo tuus numen: aspectus tuus, dux subditorum est. Natus es in exemplum. Quidquid facis,illis loqueris. Quibus autem datum est omnia posse, optima præsumuntur elegisse. Non cogo subditos, ais, Meam mihi satis est regere conscientiam. O Eques, Lingua nõ cogis,exemplo cogis, verbo non doces, facto doces. Plus es illis,quam sacerdos, si per te peruersorum dogmatum alitur sacerdos. Peior est eiusmodi opera, quæ auctoritatem confert, quam quæ violentiam. Tu facis, vt colantur falsa dogmata, qui facis, vt coli possint: cum illis ingenium tuum immolas, illis sudorẽ tuũ libas,illis diligentiã,illis substantiã,illis
De Idolatria prudẽtiã (vt Tertullian⁹ loquitur) tuã accẽdis. Propterea quippè ad ꝑsonas altas vadũt hæretici,ait Arnobius, vt ibi, qua
In Cãt. Greciũ 128. si falces,fęna secantiũ sacerdotũ euadãt.

Magna pœna, Equites,magnũ est Diuini subtracti præsidij argumentum, cum errãte grege pastor tacet,cum Sacerdos, cum Episcopus annuntiare impio desinit, vt à via sua impia conuertatur. Ita Dominus Ezechielem loqui prohibet, cum furorem suum,in domum Israel mittere decreuisset. Ingredere, inquit, & includere in medio domus tuę, & non egredieris in medio eorũ,& linguã tuã adhærere faciam palato tuo,& eris mutus,nec quasi vir obiurgans,quia domus exacerbãs est. Ezech. 3.

Isti inquam, quos legittimos esse constat pastores, & Episcopos animarum vestrarum,si vos Euangelij perduelles, errones, transfugas, Christi hostes, cætu piorum indignos pronuntiarent, moueri certè, dolereq; deberetis. Nam quod olim Hecuba ad Vlyssem,apud Euripidẽ dixerat, verissimum est.

Oratio enim ab inæstimatis veniens
Et ab æstimatis: haud quaquam tantundem valet.

At si Geneueń aliquę Lemmanij lacus ranæ coaxabunt, si Cynoglossi Vittembergeń latrabũt. Si Muscæ Leuartouień. Si Scarabei Vilneń. Si Cinifes Lublineń. Si è triuio ventripotẽtes aliqui Magistri, & Ministri, impigræ linguæ, ignaui animi, ora nocturna, è suis pestilentiæ Cathedris, contra vos perorabunt, detonabunt,fulminabũt. Noli timere,ait Esaias, Cap.45 quia non confunderis, neque erubescès, non enim te pudebit,quia cõfusionis adolescentiæ tuæ obliuiscèris, & opprobrij viduitatis tuæ,non recordaberis amplius. Omne vas,quod fictum est contra te, non dirigetur, & omnem linguã resistentem, tibi in iuditio, iudicabis. Nam qui pro pace Christi omnibus terrenis caruerit. Deum habet, qui autem pro parte Donati (Caluini) vel paucos nummos perdiderit, cor non habet, ait Augustinus. Lib. 2. contra literas Petiliani.

Quos scilicet non ita pridem Moscicæ legiones, quos Ordæ Scythicæ, quos nuper adeò arma, castraq; Turcica, in conspectu Regni posita,non terruerunt? quominus fidei Christianæ Symbola, illa Christi crucifixi veneranda simulachra, castris, armis, vexillis,impressa erigeretis, opponeretis, eaq; re vos esse Christianos testaremini: tenues nescio quorum Cynogloſſorum sibili, de gradu constantiæ, deque vobis propria, mentis altitudine deijcient? qui tamen ad solũ cuiusq; Vilissimorum cõtemnenda.

vestrum

vestrum aspectum (ita sunt mentis inopes, omnes errorũ Ministri) abiurare, abnegare, resorbere, omnino non dubitabũt, quod vomuerunt.

Per vestram vos rogo salutem, per vestrarum amorem animarum, dispicite, cui curam earum committatis. Carnkouius, Maczieiouius, Solikouius, Radziuilus, Rozrazouius, & alij, quos diximus vestri Episcopi, vestri Antistites, vestri Pastores, Ciues, Tribules, populares, fratres, amici, consanguinei, omni reliqua ratione coniunctissimi, à Christi, Vicario electi, declarati, ordinati, vncti, missi, & quod magis est, iuxta Pauli præcepta, sobrij, prudentes, ornati, pudici, hospitales, doctores, bonum testimonium etiam ab his, qui foris sunt, habentes, Dei vos verbum celabunt, & verbum Sathanæ propinabunt? Doctrinas Dæmoniorum docebunt, & Christi doctrinam silebunt? lapidem dabunt, panem negabunt? Serpentẽ pro ouo, venenum pro medicina offerent? At cui hoc bono facerent? Certè a quibus abest studium lucri, abest, & causa fallendi, ait Lactantius. Et Tertullianus. Si cupiditas abscedat, quæ est causa aquirendi, cessante causa acquirendi, non est necessitas negotiãdi. Et nescio quis Ochinus, Srãcarus, Gentilis, Lysmanimus Italus, Seruetus Hispanus, Lutherus Germanus, Caluinus Gallus, Symlerus, Tygurinus, exules, & transfugæ Stigmatici, Bisek, kokotek Gregorek, Glicnerek, Volanek, Biesagà, Vardegà, Paplepkà de nouissimis populi, planè Hieroboami ci Ministri, non missi, non vocati, non electi, fallaces, salaces, mendaces, procaces, nunquam, nisi in libidine viri (Crudelẽ medicum æger intemperans facit) Testis sit mihi Anglia, testis Scotia, testis Flandria, verum esse quod dico, quales in vestris sæpè cætibus, iniecta impexo capiti manu, orisq; atflantes hiatu, vno die, Doctos (vt loquitur Nazianzenus) vna sanctos tacitis hora, cathedraq; donatis, nil ad verbi ministerium, præter velle adferentes. Isti inquam, maledictionis filij, erunt vobis vitæ, sempiternęq; duces, & authores salutis? isti pacis publicæ custodes? Isti ocij, & tranquillitatis propugnatores? Absit ò nobilissimi animi, absit à vobis, tanta Christi Sacerdotum, & fratrum vestrorum contemptio. Absit erga Apostatas, & perduelles, tam indigna, seruilisq; submissio.

1. Tim. 3.

Lib. 1. cap. 3. De Idololatria

Annus vix abiret. Credite mihi Equites, si Rhadamantes isti rerum (quod absit) in patria potirentur, cum ijs libertatibus, quibus penè soli, in orbe Christiano, ista tẽpestate gaudetis, extremã, mortiferam plagam imponerent, cum de fortunis vestris delicias sibi facerent, cum de liberis, & vxoribus, quicquid effrænis libido iuberet, sine fræno timoris, & pudoris statuerent. Quid vxoribus? de capitibus vestris, ludibundi capitales ferre sententias non dubitarent, eademq; in vos crudelitatis, & immanitatis exẽpla omnia ederent, quæ Symmistes eorũ, contra vestri similes ediderunt, vbicumq; potuerunt, in Germania, Anglia, Gallia, Flandria, Scotia, quãdo Euangelicis suis concionibus rusticos, in nobilitatem, & in omnes Principes, Principes armarunt in Reges. Vbi Rex cum Ministris sentit, Regem, vt Deum esse volunt Omnipotẽtem, vitæ, necis, fortunarumq; arbitrũ. Quid dicam? Cœli, Erebiq; Dominum, nec vnum, vt Paulus, sed mille gladios, nec vllis cancellis circumscriptam in capita subditorum potestatem permittunt. Pleni sunt omnium Hugonistarũ, & Machiauelistarum libri, huiusmodi Paradoxis, siue propositionibus, quas Aulicæ Theologiæ capita vocant: quasq; Belloyus, Atheus, ausus est publicè contra iustissimas Parlamentorũ querelas, in Gallia defendere. Omnes bonos subditos, aiunt, debere sibi ob oculos ponere honorem, & obedientiam Regis, primam curã habendam esse status polytici, posteà religionis, hancq; illi penitus subiectam esse. Et vbi ille constitutus fuerit, tum demum a populo assumendam esse fidem, & religionem, qualemcumq; Rex, imperauerit: Regem esse supremum omnium, ad cuius voluntatem, & imperium omnes subditorum actiones conformandæ sunt. Et, in Rege esse supremum ius, & authoritatem, in regno suo, præscribendi quæcunque pertinent, non tantum ad Ciuilẽ statum, verum etiam ad fidem, & religionem, & quicquid Rex præceperit, tam in rebus

Minitrorum impotẽs dominatus.

Ministri Reges secũ consentientes Deos faciunt.

Quãtũ Regib⁹ tribuãt.

rebus ciuilibus, quam sacris: id totum esse ius inuiolabile. Et Regi plenã esse potestatem, in bona omnium subditorũ, siue sint laici, siue Ecclesiastici, ideòque etiam, rectè posse eum tum Abbatias, tũ Episcopatus donare suis aulicis, & militibus. Et Regem nunquam peccare, neque verò peccare posse, quicquid præscripserit subditis, ex sententia suorum consiliariorum. Et Regi fas esse edicta promulgare, & populo suo palam seruanda imperare, eorumq; perpetua conseruatione iurare, & tamen clanculum iubere contrarium, neque verò vbi de statu agitur, & regno, peccatum esse in Rege, fidẽ fallere, peierare, præuaricare, violare, quæuis pacta, & promissa, etiam iuramẽtis, maximè solẽnibus sancita, & constabilita. Exemplo magni Turcæ, debere item Regem Franciæ, quascumq; religiones, vel maximè cõtrarias, in Regno suo permittere liberas, hocq; in primis ad Reip. bonum, & tranquillitatem facere. In eandem sententiam, & in Apologia pro Regibus. Etiamsi Rex, aiunt, oblitus sui degeneret in belluam, & cum incurabili morum, ac naturæ malignitate dominatur, etiamsi stabilimentum authoritatis suæ, in ciuiũ infirmitate collocat, & regnum non procurationem à Deo creditam, sed prædam sibi oblatam putat, etiamsi potestatem cælitus acceptam, ad bonorum exitium, legum euersionem, patriæ ruinam conuertat, & quod dicitur, nauem perforet, in qua ipse nauigaret, hic quanquam omnibus modis impius, & nefarius est, tamen nobis sacrosanctus esse debet, ac sub eo viuendum est ea lege, vt Deum, qui honoris ei author fuit, pœnarum exactorem esse patiamur, à nemine enim iudicari potest, quia est in suo regno, non solum singulis superior, verũ etiam vniuersis, supremamq; ac solidam sine prouocatione potestatem habet, nemini nisi superis obnoxius. Adferunt, & è scriptura. Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est uobis, filios vestros tollet, & faciet sibi præcursores quadrigarum suarum, filias vestras faciet sibi focarias, & panificas, agros vestros, & vineas dabit seruis suis, segetes vestras dabit Eunuchis, & famulis, seruos vestros, & ancillas ponet in opere suo, greges vestros addecimabit, vosq; eritis ei serui. Vbi porrò Rex ab illorum dissentit sententia (videte iterum Equites, istorum Metamorphosim Protheorum) Regem illicò tyrannum, in vltimas terras deportandum faciunt: quem anteà concesserãt gladiũ, viciſſim eripiunt, ereptum regni ordinibus, siue, vt loquũtur, Officiarijs Coronę attribuunt, vt sine fræno timoris, & pudoris, datam illi à Deo potestatem euertant. Hæc sunt illorum verba in commẽtarijs, de statu religionis in Gallia. Doctrinæ nostræ eò redit summa. Supremũ rerum imperium, summaq; auctoritas, ità est penes Reges, vt si leges eas, quibus præstito iuramento se obstrinxerunt, violant, & tyranni manifesti euadant, nec potiori consilio locum dent, licet inferiori Magistratui, potissimum ijs, qui vocantur Officiarij Coronæ, quique ita sunt summo Magistratu inferiores, vt tamẽ ex patriæ institutis, & legibus, summi Magistratus causa, tanquam fræna quædam cõstituantur, illius licet, & sibi, & eis qui ipsorum fidei commendati sunt, prouidere, seq; tyranno illi opponere. Nã quod ad Ordinum conuẽtum attinet, ei non tãtum licet, sed etiam obligatur, vt se tyrãno opponat, resq; instauret, & in pristinum statum restituat, ipsumq; tyrannum coerceat, & plectat, estq; illa detestabilis vox, Regem esse omnibus legibus solutum, vt à Republica non possit coerceri. Et iterum ibidem. Regi ad leges euertendas, sua potestate abutenti, opponere se debet inferior Magistratus, ex iureiurãdo præstito, obligatus ad eorum salutem, & cõseruationem, qui suæ fidei commissi sunt, armis etiam si opus est adhibitis. Et Minister Geneuen. Goodmanus. Si Principes, leges Dei transgrediuntur, & alijs id ipsum præcipiunt, tum perdiderunt eũ honorem, & obedientiã, quam alias subditi eis præstare tenebantur, neque deinceps habendi sunt pro Magistratibus, sed puniendi, tanquam priuati homines. Et istorum Protominister Caluinus. Abdicant se, inquit, potestate terreni Principes, dum insurgunt contra Deum, immò indigni sunt, qui censeantur in hominum numero. Potius ergo cõspuere oportet in illorum

Cap. 29

1. Reg. 8.

Dissentientes ne homines quidem esse volunt..

Part. 2. libro 5. sub anno 73. fol. 601.

Ministri subditos cõtra Reges incendũt.

In cap. 6. Danielis.

illorum capita, quam illis parere, vbi sic proteruiunt, vt velint spoliare Deum iure suo. Et Buchananus Scothiæ Deaster, Deo, ait, & hominibus habendos inimicos Principes, inq; luporum, & reliquorum animalium noxiorum genere, quam hominum numerandos, qui iuris septa relinquunt. Iuberem, ait paulo post, quod Romani in monstris facere solebant, id genus hominũ, in solas terras deportari, aut in alto procul è conspectu terræ demergi, ne contagio mortuorum hominibus officeret: interfectoribus autem præmia decerni, non ab vniuerso tantum populo, sed à singulis. Et alio loco. Nos autem id contendimus, populum, a quo Reges nostri habent quicquid iuris ibi vendicant, Regibus esse potentiorem, iusq; idem in eos habere multitudinem, quod illi in singulos è multitudine habent, &c.

Sed hæc externa: Domestica quæso videamus. Nihilo nostræ gentis Ministri in suos sunt mitiores, nisi quod adhuc numero sunt paucicres. Armatos & ipsi in omnes Papistas gerunt animos: gererent, & corpora, nec iras diutius proferrent, nisi inopiam, & suorum paucitatem malefidæ suæ paterentur impedimentum. Anno Domini 1569. Sigismundo Augusto regnante, habitum fuit Lublini Comitia Regni generalia. Quantum cæteris audacia, & impudentia eminebant. Ariomanitarũ Patroni, publicam cum Caluinistis disputationem instituerunt, vtrum Christus sit Deus. Rem horrendam audiens Rex Orthodoxus, mandauit, ne istiusmodi institueretur disputatio. Ecce vero Minister quidam, ad inflammandos Nobilitatis animos, ausus est in suorum cœtu deblaterare. Non habemus, inquit, Regem, nisi Christum crucifixum, & spinis coronatũ. Visa quoq; est, cuiusdam Sathanæ ministri, Polonica cõcio Craccouiæ Typis impressa 1564. plena sanguinolentorum cõsiliorum: & inter alia. Vt Regni clerus extirpetur, & exemplo Iehu epula omnia in latrinas conuertantur: nisi quod sicut in circumcidendis infantibus, octauum diem censet expectandum, dum quasi recentis adhuc in cunis Euãgelismi sui corpus, solidetur, & armetur.

4. Reg. 10.

Quid vero, vbi Ministri, tam Reges, quam Equites, nacti sunt Euangelio suo obsequẽtes, vt in Anglia, Scotia, Dania: num acquiescunt, num frænum furiosis consilijs imponunt, num modum improbis statuunt cupiditatibus? Minimè omnium, Reges esse Regum volunt, & Domini dominantium. Quid Reges? dicat mores eorũ, Symmistes eorũ Melãchton. Maiorem sibi magisq; intolerabilem (de Gallo, & Illyrico loquitur) & minus excusabilem authoritatem, & potestatẽ arrogant, quam Papa Romanus vnquam, planè morem in hoc patris, & præceptoris sui Sathanæ imitantes, qui æquè Iudam secum sentientem ad laqueum adduxit, atque Iobum à se dissentientem afflixit, immò illum longe isto peius mulctauit. Facta videamus.

Vbi Reges cũ ministris cõsentiũt, cõtemnũtur.

Reges in Gallia, suarum quasi partiũ habuerunt Ministri, omnia permittentes, omnia tollerantes, omnia indulgentes. At istiusmodi indulgentia, seipsis quotidiè eundebant deteriores. Periculum esse vociferabantur, ne Rex Punica secum fide ageret, ne vires interim copiasq; ad Euãgelij augeret exterminationem. Decretum itaque in suis Rochelen & Langedocen. consistorijs irreuocabile, quasi è Tripode tulerunt: Arces & vrbes regias intercipiendas esse, Aureliam, Lugdunũ, Sanserrã, Pictauium, Rhothomagum, Rochellam, mille alias à Regis imperio, & obedientia abstraxerũt, Regios Ministros, aut ad rebellionem, aut ad suspendium coegerũt, & armis suis, præsidijsq; Hugonotcis arces munierunt. Nec satis hoc: Leges nouas, veteribus abrogatis fixerũt, Magistratus nouos, Præsides nouos, Custodes, Prætores, Parlamenta, Consistoria, Fiscum nouum descripserunt. Et omnes vniuerle pro suis inimicis, terra, mariq; habendos censuerunt. (Hæc sunt Consistorij Rochelen. verba, Anno 1572. celebrati) qui aliam religionem quã Rochelen. profiteretur, quocunq; illi statu, vel conditione fuissent, Sumptis itaq; armis oĩa Hispaniæ, Portugaliæ, Flandriæ, Angliæq; littora, ita infestabãt, vt intra quatuor mẽses duos auri milliones pdarẽtur. Quorũ fiducia, ffacti sunt ẽt insolẽtiores. Triennio nãq; post, circa annũ 1575. Monarchiã in Democratiã conuerterunt.

Minis-trificut Reges: ita leges veteres, reprobãt, & nouas scribũt.

Post indictiũ enim ieiunium in quibusdã Delphinatium, & Rocheleñ. Consistorijs, post suam celebratam cænam Euangelicam, Regis sui authoritatem omnes abiurarunt, & perpetuam obseruantiam, nouatũ (quæ sequuntur) legum, pro se, & posteris suis interposito Sacramento promiserunt. 1. Donec Deo, in cuius manu sunt corda Regum, placuerit mutare cor Regis Caroli, & statum Regni in meliorem formam instituere, aut exsuscitare Principem aliquem vicinum, quem per virtutem, & notas insignes cognoscamus esse huius miseri populi liberatorem, in quaque Ciuitate, & Oppido, publicis populi suffragijs, caput unum, vel prętor eligatur, qui reliquis imperet, tàm in bello, quàm in pace. 2. Eligantur 24. Consiliarij, idq; sine acceptione personarum, siue è Nobilitate, siue è plebe, siue è Ciuitate, siue ex agro, modo sint apti ad procurandũ bonũ publicũ. Quam itẽ æquabilitatẽ, in Prętoris, qui erit vigesim⁹ quint⁹, sũmiq; capitis electione sequẽtur. 3. Prætor hos 24. Prætori adiunctos, qui ab illo nunquam discedent, eligantur alij 75. vt in uniuersum efficiant numerum centenarium: qui item promiscue capientur, siue ex ciuibus, siue ex nobilibus, siue ex agrestibus. Coram his omnibus, iudicabuntur in causis criminalibus, hoc est, vbi agitur, de damnatione ad mortem, exiliũ, aut mẽbri alicuius mutilationẽ. 4. Absq; Consilio 24. Prętor nihil poterit statuere de bello, politia, aut rebus grauioris momenti. Neque Concilium 25. sine Cõcilio Centumuirali, quicquam decernere poterit, de legis nouæ latione, aut ueteris abrogatione, neq; de pecunijs colligendis, uel expendendis, de pace, de bello, aut de alijs rebus, pertinentibus ad publicum statum. 5. Singulis autem annis, prima die Ianuarij isti primarij 25. officijs suis decedant, & sint, vt ante priuatæ personæ, &c. Huc accedunt alię, nõ minus inhumanę leges illę, quas armati, ab inermi Rege, regalibus adiunctis minis, ni imperata faceret, in quadam Pacificatione, extorserunt. Vt Caluiniana religio non minus, quàm Catholica, per totam Galliam, sine ullius loci exceptione prædicetur. Vt Rex à Pontifice Rom. & Duce Sabaudiæ, requirat liberam, omnibus fieri eiusdem Caluinismi professionem, in tota ditione Ducis Sabaudiæ, & in regione Auinioneñ. Vt Caluiniani fratres, à Parlamentis Galliæ, & inferioribus quibuscumq; iudicijs immunes sint, nouaque eorum controuersijs audiendis, erigantur Tribunalia. Vt quæ de Admiralio constituta fuerant, ea irrita, & infecta habeantur. Vt Germanis Galliæ vastatoribus præmia, & stipendia quanta cumque essent, Rex persolueret. Vt ad priuata dissoluenda debita, aliquot Centena librarum millia Caluinistis penderet. Vt ab illis occupatę prouinciæ Pictauieñ. Xantoneñ. &c. ab omnibus vectigalibus ad 6. annos immunes essent. Vt arces quas obtinebant, Rex illis relinqueret, & duas prætereà alias, in qualibet regni prouincia eligẽdas traderet, in quibus Caluinistæ, prędidium militare, fratrum suorum imponerent, quibus tamen Rex è suo ærario stipendia numeraret. Vt regia præsidia, è regijs arcibus, & ciuitatibus omnia dimmittantur, & his similia.

O fideles, ò Regis sui obseruantes subditos. Quid, quod Henricus Stephani libellum non ita pridem edidit, cui titulus. Principum monitrix Musa, in quo subditos diuites, & armatos; Reges laudat pauperes, & inermes; Episcopos egentes, populos inobedientes. Risu res dignissima. Post deletos Reges, instruunt Reges. Post euersa Regna, scribunt iura. Post afflictum Clerum, reformant Clerum. Et hæc quidem est Reipub. politicæ Hugonotica formula.

Forma Ecclesiasticæ Reipub. à Ministris excogitata.

Quid Ecclesiasticæ? Absit ut hanc quoque in patria charissima unquam uideamus. Pro Episcopis, Canonicis, Parochis, ejectis, spoliatis, obtruncatis, alibi Rex, alibi Consul, uel Burgimaister, Scultetus alibi impexus, uel quispiam de triuio Magistratus, Sutorum tribus, Sartorum tribus, Laniorum tribus. Pistorum tribus. Fabrorum tribus (isti quippe Iudices, causam religionis inter Sturmium, & Pappium, & Osiandrum Argentorati iudicabant, & Spiritum Sanctũ ad verbi ministeriũ ascriptis distribuebant) manu adincude, & fortè

è suu

è sinu meretricio amota, nescio quos ordinant Superintendentes, Ministros, Seniores, Inspectores, Cooperatores, Scholarchas. Istorum porrò alij sunt Parlamentarij, alij Reginales, alij Consistoriales Prælati, alij qui à statibus, alij qui à militibus, characterem scilicet, prædicandi accipiunt, plures qui non missi currunt.

Pro Synodis Episcoporum, seditiosa quædam tribunalia erigunt, quæ Consistoria vocant, in quibus illa Ministrorum colluuies, Regibus regnandi formulas, Equitibus obtemperandi modos, & cancellos tali cum imperio obtrudunt, vt nisi dicto se præbeant audientes, sceptro, vita, fortunis, illico exuantur. Quamobrem etiam, quoties ad publica munera admittuntur, ad instructas Sathanæ cœnas, coguntur à Ministris, interposito iureiurando profiteri, quod Consistorialibus Ministrorum decretis, sine exceptione, sint obtemperaturi, bellumq; se gerere velle cum Monachis, Sacerdotibus, & vniuerso ordine Ecclesiastico, & vniuerso nomine Papistico, æternum, & irrecõciliabile: ut potè, cum quibus Euangelium eorum Rochelense, nullam prorsus admittat pacificationem: latâ quippe esse in cœlo sententiam de omnium capitibus, se tantum, diuina decreta, vt nouus Elias contra Baaliticos Sacerdotes executioni demandare.

Hugonoti sẽ iactant cælestis Decreti executores contra Papistas.

In Anglia verò numnam in religione, & imperio Elizabethæ suæ, quam tamen caput esse Ecclesiæ Anglicanæ volunt, ac quieuerunt? Nonne potius arma contra eam sumpserunt? Dicant Puritanorum Ministri, & non mentiantur. Certè Vuhitigiftus Caluinianus Superintendens, qui se Archiepiscopum Cantuarien. appellat, de Puritanis queritur, quod plus quam Papalem iurisditionem aucupentur, & ad seipsos transferre nituntur Episcopi, Archiepiscopi, Regis, & Pontificis authoritatem, Principesque, & Nobilitatem redigere volunt in veram seruitutem. Aiunt enim Puritani in Admonitione 2. ad Parlamentum. Secta hanc, quam Regina tenet, errores continere penitus intolerabiles, & manifestam à Christo defectionem, verbum Dei circũcisum esse in Anglia, & alligatum, Sacramenta corrupta, & prophanata, statas in Ecclesia Anglicana, precandi formulas, fœdos continere abusus, varias, & impias battologias, mendacia aperta, stoliditates, uel manu tractabiles, multaque cum scripturis diuinis pugnantia; Pseudoepiscopos, Anglicanos meras esse reliquias seminis Antichristiani: bellũ Christo indicere, ideò sic de illis sentiendum esse omni verè Christiano, vt de iuratis planè Christi, Ecclesięq; suæ hostibus, reliquos reipub. Anglicanæ Rectores, politicos, & atheos, siue Iudeorum, siue Turcarum, siue Hypocritarum Angliæ Protestantium partes tueantur, perinde illis fore in die Domini: quando Sodomæ, & Gomorræ tollerabilius erit, quam ipsis iudicium. Hæc illi. Denique Martinus Marprælatus, cæteriq; Puritani, qui recentissimè quidem, sed omnium longè acerbissimè, inuidiosissimeq; contra præsentem Angliæ sectam, quam Regina vocat Euangelium, scripserunt, hanc generalem propositionem tuentur: nimirum, quod post tot annorum diligentissimam, acerrimãque frumenti huius Euangelici cribrationem, quicquid expressum est bonę, puræque farinę (ut ipsissimis eorum verbis vtar) id totum pęnitus ad se, id est, ad Puritanorum sectam transijsse, reliquis verò Zuinglianis, Lutheranis, vel Protestantibus, Reginę religionem defendentibus furfur tantum, & siliquas remansisse.

Qualis fides Reginę Angliæ.

In Palatinatu porrò Rheni, ipsi scriptores Zuingliani, de quibusdam Zuinglianis Ministris conqueruntur, quod tãta fuerint audacia, vt Consiliarios Electoris, è nido pellere niterentur, ægrè ferentes, quod vt Pontifex eis imperare non potuerint. Non enim, ait Clebicius, Rom. Pontificem propterea oppugnant, ob Apostolicæ doctrinæ recuperationem, sed ob Papalem sedem, illo inde detruso occupandam, uel saltem similem sibi construendam, unde nouus exurgat Papatus Saxonicus.

In libello de Ruina Papatus Saxonici.

In Flandria quoq; etiamsi Rex Philippus, multa furentibus indulsisset, Hispanos milites è præsidijs euocasset; Gandauẽs. pacificationem ratam habuisset; Ioã-

Pagi 3. 4. & 14. pfatio-nis.

nem Austriacum, fratrē suum. penè inermē, inter armatos viuere, sola ipsorum fide nitentem, voluisset: isti tamen Centauri Euangelici tenere se non potuerūt, quin Regem optimum pro concione, immò & scriptis impurissimis editis, vt crudelem tyrannum, omnium maledictorum notis configerent. Nam in edicto quodā anni 1581. declararunt Regem Philippū propter tyrannidem cecidisse dominio, & principatu prouinciarum Belgicarum: eodemque edicto prohibuerunt, vsum insignium suorum in illis prouincijs, Sigilli, atque etiam nominis eius vsurpationem.

Ministrorum in Equites iniquitas.

Multa prętereo, Equites, vt illud quoque ostendam, quid etiam vos, & ordo vester Equestris, ab istis Ministris sperare, expectareq; debeatis. Adeste, quæso, vos animis, uestra res agitur, videbitis omnes Ministros, de libertatibus, de capitibus, de fortunis vestris ludos sibi facere, siue sentiatis, siue dissentiatis ab illis. Iam ostēdimus ex illorum decretis, quemadmodū uos, rusticis omnibus, colonis, & agrestibus exęquarunt: pene dixerim & bobus. Nam hæc fidium, & religionum multitudo, quas uobis propinant, farrago mihi videtur, diuersarum, diuersi generis herbarum & leguminum ad boum pabulum, ciendamq; aluum composita, quā Ocijmū Varrō vocat: ut ex cordibus animisq; vestris, omnem Dei memoriam, tanquam infuso enemate, educant, & expurgent. Non satis hoc: pestem vos & quisquilias Reip. in Synodo sua Cabilloneñ. pronunciarunt. Non satis hoc, & exterminandos censuerunt. Quid dicam? Sicut Monachorum adipem ad impinguanda fercula, & cranium ad prębendum vinum, sic pelles vestras, ad bellica tympana aptissimas iudicarunt. Sic enim pro Concione Ministri quidam, Beza approbante, in eadem Synodo professi sunt. Censemus, aiunt, exterminandas esse, è Repub. Christiana, tres illas orbis terrarum pestes, & quisquilias, Pontificiam Ecclesiam, Nobilitatem, & Iuris prudentiā. Esse equidem alienissimum à uera religione, vt in Repub. isti dignitatum, & personarum gradus, & ordines atq; discrimina ponātur: cum Deus cunctos homines, vno Rege excepto, pares esse voluerit. Et extāt in lucem æditæ quærimonię Gallicorum Procerum, quemadmodum illis, Ministri Montisalbani, Nemausen. Rocheleñ. rusticanos homines exæquarunt, Decretis suis Consistorialibus, obedire sine exceptione coegerunt, de capitibus, de que fortunis pro libidine statuerunt.

Nobilitatem tollunt.

In Scotia testatur Hamiltonus, in festissimos extitisse Ministrorum animos contra totam Nobilitatem; Dum inquit. Nobilitatis viribus, & opibus creuistis, perpetua quadam reuerentia eos coluistis. Nunc verò eorum armis in Maiestatis vestræ solium subuecti, in omnium pariter colla superbissimè insultatis, excommunicationis primùm, tum præscriptionis sententiam, in nobilissimum quemque fulminantes, qui decretis vestris parere recusat &c. vt quum primò nihil postularetis, nisi vt conscientiæ libertate vobis frui liceret, nunc uersa vice, ea minimè contenti, crucem, vincula, mortis mille modos minitamini, si Catholicam fidem quis profiteatur.

Ministri militēs agūt

Ministri in obsidione Rocheleñ. bellum administrabant, leges dabant, acies dirigebant, Ministri consilijs omnibus præsidebant, Ministri nocturnas excubias, Ducibus suis, & Nobilitati diffidentes, agebant. Ministri de fœderibus, indicijs, inuita nobilitate statuebant. Ministri nobilium, Ducum, Principum, & procerum insignia, arma, sepulchra, monumenta eadem audacia, qua Ecclesiæ Sacramenta deturbanda locis omnibus censebant. Ministri Condeum, accerrimum scilicet, suę religionis defensorem, per summā impotentiam in concionibus suis, & circulis militaribus, quod non omnia ad illorum præscriptum moderaretur, insolentissimè lacerare, post pacem Carnoteñ. non dubitabant, vociferantes eiusmodi pacificatorem, qui cum Regina matre colludebat, & præuaricabatur, alij impedire aiebāt, ne aliqd boni ad Euāgeliū promouendū efficeretur, alij meritum affirmabant, vt caput illi propterea amputaretur. Minister fuit improbus ille Beza, qui scribens ad Comministros

Guien-

Guiennæ, & Aquitanię, hortatur eos, vt in vrbibus, quas ipsi suo dominatu tenent, & vbi eorum authoritas est potior, nullos admittant milites à Principibus, Condeo scilicet, & Nauarreo, ad earum præsidiũ missos. Sed Consistorij Ministrorũ, & Synodi in accipiendis militibus præsidiarijs, iudicium tantummodo sequantur. Cauete Duces exercituum, cauete Equites, Calones è Ducibus facient. Ministri, nisi caueritis. Ministri missos, à Duce Andegauen. legatos, tota Nobilitate repugnãte, intra moenia Rochellen. admittendos negabant. Ministri in stipendia Germanorum 80. Francorum millia, à Nobilitate secum sentiente extorquebant. Ministri illorum vectigalium, & tributorum, reparationum, stipendiorum, accretionũ, authores, & inuentores anno 1575. fuerunt, vt tàm populus, quàm vniuersa Nobilitas ad defendendum Euangelium, iura omnia terrarum regalium persolueret, quintas prædarum, quintas bonorum, duplicia tributa mercium, octo, decimas clericorum. Ministri apophtegma illud in ore, perpetuò habebant. Tùm demùm Regem Galliæ verum fore, potentemque Francię Monarcham, quando Ecclesiarũ redditus oẽs, regalib⁹ suis habuerit adiũctos. Ministri nefas non putarunt, publicam pecuniam corrumpere, & ęris, ferriq; scoriam perexiguo admixto argento cooperire. Ministri bona Ecclesiastica venenum Ecclesiæ Gallicanæ vocauerunt. Ministri Nobilitatem, in omni cõflictu, in prima semper acie stare voluerunt, vt citius mactaretur. Ministri libris æditis, qđ Nobilitatem exterminassent, Io Pæana, Heluetijs cecinerunt. Ministri fidẽ Deo, fidem Regi, fidem amico, in Caussę gratiam frangere altæ munus mentis, & indubitatum, ad immortalitatem gradum statuerunt. Ministri Launayo teste fuerunt, qui Principi Condæo, de Euangelio in Galliam, nouis exercitibus inferendo, Basileæ consultanti, cum alij Casimirũ, alij Angliæ Reginam, alij alios ad succurrendum, laboranti Euangelio sollicitandos censerent. Soli inquam Ministri suaserunt Principi, vt se Turcarum Imperatori submitteret, & per Turcas Euangelium Galliæ imponeret; idq; etiam missis Birantium Oratoribus, Bassis Turcicis denuntiari voluerunt, religionem, quam armis in Gallia stabilire conarentur, talẽ esse, quæ sit Turcicæ proxima, nisi quod Euangelici, in ieiunijs, & eleemosynis, non sint ità ad certas obseruationes adstricti. Summa est Equites. Quæcunq; Ministrum, rerum in Repub. potitum videritis, illud etiam simul non tàm oculis vsurpabitis, quam manu tangetis, quemadmodum.

Instat terribilis viuis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obscænus adulter.
Nulla quies oritur, præda cessante libido.
Diuitibusq; dies, & nox metuenda maritis.

Vel vt Hegesipus loquitur, Castrum in templo, bellum in limine, funus in altaribus.

Nisi quod isto loco de Ministrorũ audacia, & impudentia in Deum, Reges, leges, proceres, & Equites, tàm multa, dici verbis non possunt, quàm illi multa factis, re & veritate perpetrarunt, quæ certè eiusmodi sunt, vt ea ipsi quoque videre, & non horrere non possint. Argumẽto est, quod vbicunque in vtraq; Repub. rerum potiuntur, fidem Orthodoxam ferre, tollerareq; non soleant, cum tamen reliquas omnes perfidias, sæpè etiam inuiti tollerent. Sicut in Anglia, & Scotia tolerantur Zuingliani, Caluiniani, Puritani, non tolerantur Christiani, sicut in Hollandia, sub Aurangio, 24. sectæ diuersæ fouebantur, nec ulla pẽnitus fides recusabatur, sola Catholica proscribebatur, damnabatur, exterminabatur. Quare id? quia sicut in speculo faciei maculas, sic ad lucẽ orthodoxę veritatis, perfidiæ suæ turpitudinem, & agnoscere, & erubescere cogerentur. Sed si cæteris omnibus authoritate, & antiquitate orthodoxa veritas prędstat; Cur ab istis illa sola non colitur? Si non præstat, cur iam cadentibus hęresibus, sola penè ab omnibus vera esse creditur? Nunquam certè, ait Augustinus, huius quęstionis vinculis eximi poterunt: qui cum quorumcumque tandem Ministrorum, & Magistrorum doctri-

Ministri vbi possunt calones è Ducibus faciunt.

Vectigalium auctores.

Bonorũ Ecclesiasticorum raptores. Monetarij.

Nobilitatis laniſtæ.

In responsione Christiana lib. 2. cap. 13. Ministri Turcas euocant.

In libello Monachi 1573. impresso Illustria Ecclesiæ Tropheа.

Lib. 5. de Excidio Hyerosol.

Ministri omnes perfidias tolerãt, Cath. fidem nõ tolerãt.

nam, pro puro puto verbo Dei colunt, hanc solam non colunt, quæ iam prævalet omnibus, quas colunt. Si enim a Spiritu Sancto est. Cur existimatur improbanda? Si non est, cur tantum potest improbata, vt cæteris omnibus prævaleat? Si bona, & vera est nostra fides; cur à cæteris, quas bonas, & veras putant sola separatur? Cur ab Euãgelicis non toleratur? Si mala est? cur à tot bonis, vt putãt, fidibus, hæc una mala non superatur? Si uera est, cur eius præcepta reijciuntur? Si mendax, cur in orbe rel quo Christiano, recipiuntur? Sed hęc quoque de vitioso pudore, deq; Ministrorum impudentia, hoc tempore dicta sufficiant.

Credere in Chrũ, & aliter illum, quã ipse vult colere, nõ iuuat.

Alterum adhuc mihi errorem, alterum videlicet uacillantium conscientiarũ vulnus vrendum, secandum, sanandumq; video. Scio plerisq; vestrum persuasum esse, quod in sua quisq; fide, & religione, modo credat in Christum, saluatur, unde fit, vt omni vento doctrinæ circum ferri vos patiamini, & ubicunque aliquis increpuerit. Ecce hic est Christus, ecce illic, Ecce in tectis. Ecce in penetralibus obstupo capite curritis, & sine linea, ac perpendiculo, quidquid docetur, adoratis, dicentes. Hic est Deus meus. Ex hoc quoque dabo operam, vt uos errore eruã. Erroris autem hoc esse proprium, testatur Augustinus, vt quod cuiq; displicet, hoc etiam Deo displicere arbitretur? At libet hic exclamare.

Quò ruitis generosa domus, malè creditis hosti.

Simplex Nobilitas perfida tela caue;

Non postremùm enim, & hoc Sathanæ telum est. Quos videlicet impedire nõ potuit, ne Ministrorum suorum distractionem videant, ne turpitudinem horreant, ne falsitatem intelligant, eos adhuc istius erroris laqueo tenet astrictos, ut se de salute securos arbitrentur, siue cum istis sentiant, siue se ad Catholicos adiungant. Leo prorsus est Sathanas, circuit quęrens quem deuoret. At leones, vrsi, tygres, cæteræque immanes, feræq; belluæ, etiamsi captæ sunt, non tamen adhuc sine periculo possidentur, & de cauca lacerant. Ita prorsus ista bellua etiam capta, quærit tamen adhuc, quomodo suo possessori noceat. Quem scilicet falsitati eripuit ueritas, noua ad se vicissim rapit uanitas. At heu, quales nugæ, ait Epiphanius. O ingentem blasphemiam. Vnde irrępsit in mundum alia rursus noua incredulitas, uel potius dixerim, fidei peruersitas? Deterior est enim fidei peruersitas, incredulitate. Incredulitas enim, fidem accipiens, corrigi poterit, fidei verò peruersitas, incorrigibilis est, & ægrè saluatur, nisi aliqua è superis gratia accesserit. Omnia in lege, & Prophetis improbat, ait Tertullianus de Valentino, dum quædam reprobat. Equidem dici de istis potest. Viuunt non quomodo uolunt, sed quomodo cæperunt. At si satis esset ad salutem, Christum, si nomen Domini satis esset confiteri; cur dicit Christus. Non omnis, qui dicit mihi Domine, domine, intrabit in regnum cœlorum. Cur admonet ne credamus, cum dicetur. Ecce hic est Christus. Ecce illc? Cur decem virgines, suas singulæ portãtes lampades, nõ nisi quinq; sponsi ingressæ sunt thalamũ, aliæ quinque non ingressæ? Cur admonuit Christus, multos uenturos Pseudochristos? Cur Ioannes iam adueniſſe testatus est Antichristos? Non est diuisus Christus, ait Apostolus. Non alia debet ratione coli, quam ipse vult, ait Nazianzenus. Fides Christi, secundũ leges Christi tenenda est. Et Sathanas, Christi nomen confessus est. Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos. Aut certè si Christus erit, quicunque Christi nomen gerit; & Deus erit, quodcunque quis adorauerit. Deum ergo faciemus vitulum, quem coluerunt Iudęi, Deum Astartem, quem Sydonij, Deum Moloch, quem Ammonij, Deum Moab, quem Chananei, Deũ Socotbenot, quem Babylonij; Deum Nergel, quẽ Hutei, Deum Asma, quem Hemattei. Deũ Solem, quem Persæ, Deum Mundum, quem Philosophi? Abit à Christianis animis ista uanitas. Non est ultra Deus absq; me, ait Esaias. Deus iustus, & saluans non est præter me. Et iterum. Qui leuant lignum sculpturæ suæ, rogant Deum non saluantẽ. Sicut ergo fin-

In Ancorato.

Matt. 7.

1. Cor. 1

Matt. 8.

Esa. 45.

Ibid.

guntur

guntur à gentibus Dij non saluantes, ita finguntur ab Hæreticis fides non saluantes. Dedisti eis, ait Neemias iudicia recta, & legē ueritatis, cęremonias, & pcepta bona. Cur autē diceret Dns. Ego sum Dns Deus tuus, fortis Zelotes, visitans inquitatem Patrum in filios? Cur per Esaiam stratum coangustatum testatur, & pallium breue, quod vtrumque operire non potest? nisi vt ostenderet se, nec habere riualem Deum, nec in hominis corde, præter vnam, firmam, stabilem, sine ulla titubatione fidem desiderare, nec in eodem corde, nisi vnam fidem habitare posse. Eundem certè Deum colebant in Samaria Samaritani. Eundem Hyerosolimis Pharisei. Eundem Dauid in Syon, eundem, & in Garizym. Sed isti in perditionem, illi colebant ad salutem. Dabo tibi, inquit Achias, ad Ieroboam, decem tribus, filio autem eius dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid seruo meo, cunctis diebus coram me in Hierusalem ciuitate, quam elegi, vt esset nomen meum ibi. Idem mare fuit, quod Iudæis cessit, & quod Egiptios submersit. Idem ignis de cœlo Sodomitas oppressit, qui Iobi greges combussit. Habet certè Sathanas, & templa, & altaria, & sacrificia sua, in quibus Deum verum coli fingit. Sed quia non eo modo, in illis colitur, quo ipse vult, non proficit ad salutem. Cum Ieroboam Regnum Israelis stabilire, atq; a Regno Iuda in omne tempus segregare cogitaret, non statim sustulit externam Dei memoriam, sed fecit duos vitulos aureos, & dixit filijs Israel, Ecce Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Fecit etiam fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui. Constituit diem solemnem, in similitudinem solemnitatis, quæ celebrabatur in Iuda. Fecit etiam ascare in Bethel, quinta decima mensis Octaui, quem finxerat de corde suo. Ita plane faciunt Hęretici. Christum profitentur, scriptura vtuntur, Sacramenta statuunt, sacrificia fingunt, sed sicut Ieroboam, in similitudine, non in veritate, de corde suo, non de corde, & mente Dei. Non dicunt Euangelici. Nulla est Ecclesia, sed dicunt, occulta est. Non dicunt, nulla Sacramenta, sed duo tantum, non dicunt nulla confessio, sed Deo tantum. Non dicunt nullum sacrificium, sed mentis tantum. Nam & filij, coucubinarum Abraham habuerunt duas dationes, sed hæreditas solius Isaac fuit, ait Augustinus.

Cap. 9. Exod. 20. Cap. 28 3. Regū 11.

Vt autem sit nobis Deus saluans, fides saluans, non vt cuiq; videtur, sed secundum bonam, & certam formam, vt à Paulo docetur, colenda est. Gratias ago Deo, inquit illi, quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis. Et iterum. Non simus, inquit, paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, & circumuentione erroris. Quare id? Alio loco explicat. Discedent quidam à fide, attendentes doctrinis dœmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium. Et paulò post, Bonus, inquit, eris Minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ. Hoc nobis tuba illa cęlestis innuens, non satis esse doctrinam de Christo seruare, quam omnes in vniuersum hæretici, seruare se gloriantur. Sed ait, Doctrinam bonam, doctrinam sanā, eam formam, quam ille tradidit, quæ id ipsum doceat, eundem sensum, eandemq; sciē tiam habeat, ita ut omnia simul omnium fidelium conueniant, eandemque Saluatori laudem, & confessionem reddant, os, lingua, mens, sensus, vigor, eandem confessionem personent, vt canit Hymnus noster Ecclesiasticus. Si quis, ait Augustinus, vnum, uerumque Deum, modo quisq; suo colere se contendat, non ideò peccat, quia nō est colendus, quem colit, sed quia colendum, non vt colendus est, colit. Tam enim nō æquatur Eliæ meritis Lutherus, quia in vnum Deum visus est credere, quam non æquatur Pauli meritis Caluinus, quia non coegit suos sectatores circumcidere. Tunicam si induas inquinatā per se, ait Tertull. poteris forsitan illam non inquinare per te, sed tu per illam mundus esse non poteris.

Fides saluans, & fides non saluans. Rom. 6. Eph. 4. 1. Tim. 4. 1. Tim. 4.

Deinde vero si in sua quisque, modo Dei nomen insonet, fide saluatur; cur nō saluatus est? immò cur horribiliter dānatus perijt, Core, Dathan, & Abyron,

De Idolatria

qui e idem cui Moſes, eidem cui Aaron Deo ſacrificia offerebant? ob hoc ſolùm quod Miniſterij ſui locum prætergreſſi, ait Cyprianus, Sacerdoti Dei non obtemperarunt, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit eos. Tales in ſua Canonica, Iudas Apoſtolus vocat, illuſores ſecundum deſideria ſua, ambulantes in impietatibus. Hodie cum Luthero, cras cum Caluino, poſt cum Volano, deinde cũ Tritheitis, & Ebionitis ſentiendo. Illudere eſt hoc Deo, non colere. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum, ait Paulus. Accidit illis ad extremum, quod Iudæo accidiſſe teſtatur Nicæphorus, qui lucri, nundinationiſq; gratia, ſuſcepto apud pleraſq; ſectas Baptiſmo, ad extremum etiam, apud Paulum Nouatianorũ Epiſcopum baptiſari voluit, cũq; ad fontem acceſſiſſet, aqua ſubitò baptiſmi effluxit, vt ne gutta, qua tingeretur ſupereſſet. Ita erronibus iſtis, ſectárũq; aſſeclis euenit. Fides illorum omnis ad extremum effluet, & iam effluit, ipſis eorum teſtibus Rabbinis, quorum flebiles Elegos iam recitauimus. Nicolaum vnum e ſeptem Diaconis, & Nicolaitas odit valdè, deteſtaturq; Ioannes in Apocal. At Nicolaũ, quẽ ab Apoſtolis didicerat Chriſtum negaſſe non legimus, ſed quia ab illis, in cauſa fornicationis, & vſu Idolothiti diſſentiebat, vt Ireneus, & Epiphanius teſtantur, in odium Apoſtoli Dei incurrit. Angelum quoq;, hoc eſt Epiſcopum Eccleſiæ in Pergamo reprehendit, quod in ſuo Epiſcopatu habeat tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter, & Angelo Tyatyræ vitio vertit, quod permittat mulierẽ Ieſabel docere, & ſeducere ſeruos fornicari librum, & ſignacula eius. Noui inquit, opera tua, fidem, charitatem, miniſterium, & pacientiam tuam, & opera tua nouiſſima peiora priorib⁹. Hoc tamen ſolo nomine aduerſarium ſe illis profitetur, quod contra quam Apoſtoli docerent, de fornicatione ſentiret. Diotrepen quoq; in ſua Canonica reprobat, & imitari tanquam malum prohibet, nõ quia Chriſtum negauit, ſed quia inter fideles primatũ gerere amauit, quia verbis malignis in Apoſtolũ garriuit, & nec ipſum, nec fratres ſuſcepit, & ſuſcipientes ex Eccleſia eiecit. Paulus quoq; Apoſtolus Hymeneum, & Philetum à veritate excidiſſe teſtatur, non quia Chriſtũ negauerunt, aut fidem prorſus reiecerunt, ſed quia non plenè fidem totam tenuerunt. Planè, vt ex his Apoſtolorum teſtimonijs, & exemplis argumẽtari nobis licet; non hos ſolum à veritate excidere, qui Chriſti nomen abnegant, ſed qui nomen eius non ita colunt, vt ipſe vult, hoc eſt, cum ab omni eius doctrina, vel in minima re, diſſentiunt. Et propterea Iacobus. Quicunq; ait, totã legẽ ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit. Non mœchaberis, dixit, & non occides. Non oportet, ait poſteà, hæc ita fieri. Nunquid enim fons de eodẽ foramine emanat, dulcẽ, & amaram aquam? Pulcherrimè ſanè Tertull. Dominus quæ noluit reiecit, quæ reiecit, damnauit, quæ damnauit in pompa Diaboli deputauit. Non enim damnaſſet, niſi non ſua. Alterius autem eſſe non poſſunt niſi Diaboli quæ Dei non ſunt.

Certè confiteri Chriſtum in carne veniſſe, & non confiteri carnem nobis ſuam in cæna dediſſe, eſt eſſe animo duplicẽ, de eodemq; foramine dulcẽ, & amarã aquã petere. Confiteri ſaluum fore neminem, niſi baptiſatũ, & infantes à baptiſmo prohibere, quid eſt, quam reliquorũ omniũ reum eſſe? Confiteri Chriſtũ Deum, ſed non ab æterno, verũ in tempore factum, quid eſt, quam ab omni prorſus excidere veritate? Confiteri Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, & non confiteri Eccleſiam eſſe corpus eius, quid eſt, quam Chriſtum diuidere? Chriſtus enim caput eſt Eccleſiæ, ait Paulus. Et iterũ. Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. Et Eccleſia viciſſim eſt corpus Chriſti. Adimpleo, inquit, ea quę deſunt, paſſionũ Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Qui ergo credit omnia, quæ de Chriſto ſpõſo, & capite Eccleſię dicuntur, & non credit, quæ de Eccleſia ſpõſa, & corpore Chriſti docentur: huic fides non proficit ad ſalutem, factus eſt omniũ reus, & à veritate excidit. Sicut Chriſto ſpõſo credimus in ſcriptura loquenti, ita debemus ſponſæ Eccleſiæ credere, de ſcriptura decernẽti.

Catholicus, & Euãgelicus nemo ſimul eſſe põt.

1. Cor. 10.

Lib. 14. Cap. 17

Apo. 2.

Epl. 3.

1. Tim. 1.

Iaco. 2.

De Idolola.

Vnũ fidei articulum credere, alterum reprobare, non eſt Chriſtianũ eſſe.

Coloſ. 1

Pror-

Prorsus enim nescimus, quid Christus docuit, si Ecclesia non docuerit, vbi, & per quos docuit. Propterea enim sponsa relicta est in terris, vt de sui sponsi voluntate nos doceat, sedentis in cælis. Totus Christus, ait Augustinus, caput, & corpus est. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Ecclesia, sponsus, & sponsa duo in carne vna. Quicunq; de ipso capite scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus. Quicunq; de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiũt. Et alio loco; Christus est qui docet, cathedram in cælo habet, schola ipsius in terra est, & schola ipsius, corpus ipsius est, quod est Ecclesia. Idem in libro de hæresibus, hæresim nimium mirabilis vanitatis appellat, quæ omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere affirmat, quod ita est absurdum, vt mihi incredibile videatur.

De vnitate Ecclesiæ.

De vnitate Ecclesię.

In dedisci pl. Christiana.

Libet similitudine rem facere clariorẽ. Fingite animo, Equites, liberæ enim sunt cogitationes vestrę. Sit aliquis ex ordine vestro equestri, Regis Polonię subdit', Regni Senator, Prouinciæ cuiuspiam Præfectus, & Iudex, qui in dicendis sententijs, aut diiudicandis inter Tribules suos controuersijs, non ex Regni Poloniæ statutis, non ex antiquis consuetudinibus, non maiorum moribus, non ex Comitiorum Senatusconsultis, velit regere, seruareq; Remp. sed vel ordinem Equestrẽ plebi similem faceret, quod faciunt Heluetij, vel quempiam Equitem, non conuictum compingi in carcerem, indèq; causam dicere iuberet, quod faciũt Itali: vel non eligi, sed nasci in patria sua Regem vellet, quod volunt Galli: vel fœminam Regni hæredẽ faceret, quod faciunt Angli: vel omnes omnium fortunas Principis esse duceret, quod faciunt Mosci: vel ad solius Regis nutum colla ciuium truncaret, quod faciunt Turcæ: vel ordinem Ecclesiasticum à Senatu arceret, quod faciunt Veneti: si quis inquam particularia probet, generalia Comitia improbet,

Nõ Cuius sed hostis qui leges, & mores patrię peruertit.

Equites ad bellum paratos velit, à tributis liberos nolit. Palatinos in Prouincijs necessarios, in Comitijs superfluos arbitretur. Hunc tu Equitem etiamsi millies patriam suam Poloniam, & Regem Poloniæ Principem, & Dominum proclamaret: etiamsi Regni stẽmata foribus, & vestibus appingeret. Etiamsi communem cultum corporis, patriumq; sermonẽ haberet, audere snè, verum patriæ ciuem, verum Regis subditum vocare? Regni præmijs, & prærogatiuis, fortunis, & opibus dignum ducere? Id quidem non arbitror. Quare id? Quia in Regno Poloniæ non secundum leges Regni Polonię de regenda Repub. Regni Poloniæ iudicat. Polonum se profitetur, & Polonorum leges præuaricatur. Demus, & aliam magis domesticam, nobisq; familiarem similitudinem. Sit aliquis Paterfamilias, qui in agris suis non nisi vites, ficus, mala punica, oliueta, nuces, castaneas, serere, plantareque moliatur; quia, & in Italia, plantantur. Agros nolit stercorare, quia nec in Latio stercorantur, siliginem seminare, quia nec ibi seminatur. Ceruisiam parare, quia nec in Hispania paratur. Armenta iubeat sub dio hyemare, quia, & in Lusitania nunquã tectis subeunt. Is profectò nimis, cæli, nimis soli, suiq; oblitus videretur: si rem suam Oeconomicã, non secundum patrij soli, cæliq; temperamentum, & conditionem, aut reliquorum agricolarum leges, & inueteratas prouinciæ consuetudines: sed nouo, & exterarum gentium more augendam, administrandamq; putaret. Ita profectò existimare par est, nec fideles Christi subditos, nec bonos esse Christianæ Reipub. Ciues eos omnes, qui in Christi ciuitatẽ adscripti, nomenq; eius, & imperium professi, non ea illud, qua vult ipse, quæque mos est Ecclesiæ Catholicæ ratione profitentur, sed quam ipsi in capite suo fingunt, aut quam illis spes, res, casus, locus, tempus, conditio, societas, rerumque præsens status obtrudit, & offert, obuijs amplectuntur vlnis, statimq; vestigia ponunt. Hodie Lutheranis cras Arianis, viciſſim Caluinianis, iterum Zuinglianis, & alijs his similibus. Regum, & Rerumpub. pestibus adhærendo.

Ager iuxta suũ solem, & morem colendus.

Pul-

De vtilitate Iejunij.

Pulcherrimè sanè Augustinus. Quid vilius in corpore tuo capillis tuis, quid cõtemptius, quid abiectius? Et tamen si male te tondeat, irasceris tonsori, quia in capillis tuis nec ordinem seruat, nec æqualitatem. Et tu in membris Christi non tenes vnitatem? Huius generis Iani bifrontes, & Sphynges ipsis etiam Turcis dicuntur esse detestabiles. Tales autem hodie in Alcairo, siue Memphi, Christiani quidam recensentur circũcisi, qui vulgo Præcincturæ vocantur, quasi cingulo tenus Christiani, quia & Christi nomẽ profitentur, propter conscientiam, & cũ Iudæis circunciduntur propter Turcarũ gratiam. Nihil potest esse, ait Augustinus. infœlicius homine, cui sui capitis figmenta dominantur: cùm sit facilius fieri, figmẽta colendo, quæ fecit, ne ipse sit homo, quàm vt per eius fantasiam vera esse possint, quæ excogitauit homo. Citius enim fit, vt homo in honore positus, pecoribus non intelligens comparetur, quã vt operi Dei, ad eius imaginẽ facto, hoc est ipsi homini, opus hominis præferatur. Cor vnum credentium, vnius labij esse debet, & sermonum eorundem vnus panis, vnũ corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus, ait Paulus: & Corynthios prætereà repræhendit, non quod in Christum non crederent, sed quod credentes, & in Ecclesiam conuenientes, vnusquisq; suam cænam præsumeret ad manducandum; quod alius quidem esuriret, & alius ebrius esset. Ideò fratres mei, ait, cum conuenitis ad manducandum, inuicem, expectate. Si quis esurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis. Iudicium comminatur, non quod sumere cænam intermittant, sed quod non simul non inuicem, non eo ordine, quem ipse præscripsit, manducent. Hinc illa nata sunt præcepta. Cum conuenitis, vnusquisq; vestrum, psalmũ habet, doctrinã habet, Apocalipsim habet, linguam habet, interprætationem habet, omnia ad ædificationem fiant. Et si quis lingua loquitur, secundum duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interprætetur. Si autem non fuerit interpres taceat: & in Ecclesia Prophetæ duo, aut tres dicant, cæteri dijudicent. Et si alij fuerit reuelatum sedenti, prior taceat. Et mulieres in Ecclesia taceant. Si quid volunt discere domi viros interrogent. Turpè enim est mulieri loqui in Ecclesia. Et omnis vir orans, aut prophætans, non velato capite, deturpat caput suum. Mulierem autem decet nè non velatam orare Deum, vos ipsi iudicate. Et Timotheo Scribens Dignus, ait, est mercenarius mercede sua, vt qui altari seruit; ex altari viuat. Accusationẽ aduersus præsbyteros non iubet recipere. Peccantes coram omnibus arguere. Manus nemini citò imponere. Infinita sunt eiusmodi Pauli præcepta, quæ seruari vult ab his, qui Christi nomen confitentur, ne scilicet eum aliter colant, ne in Ecclesia, ne in reliqua vitæ ratione, aliter se gerant, quam ipse vult, sed vt omnia honestè, vt ait, & secundum ordinem fiant in vobis. Ordo est, quem nisi tenuerimus in vita, non perueniemus ad Deum, ait Augustus.

Vacillãtes Præcicturis similes.

Lib. 8. cap. 23. De Ciu. Dei.

1. Cor. 10.

1. Cor. 11.

Paulus vult certo ordine Christũ coli.

Ibid.

1. Tim. 5.

Ordo vbique necessarius.

Hinc, & illud. Denũtiamus vobis Fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre, ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Et iterum. Obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Et iterũ Videte, quomodo cautè ambuletis. Et iterum. Quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, sic & ambuletis. Et scribẽs ad Colossen. Ordinem, quo vtebantur vocare non dubitauit fidei firmamentum. Nam, & si corpore, ait, absens sum, sed spiritu vobiscum sum gaudens, & videns ordinem vestrũ, firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei vestræ, Honestè, scilicet, cautè, ordinatè, secundum acceptam traditionem, secundum ordinem, & formam Apostolicam, secundum, quod accepimus ab illis, versari, viuerè q; in domo Dei, eo illi ordine, ea forma seruire, vt ipse præcepit, & eius Apostoli tradiderunt, credentem oportet. Aut certè nil nobis Christus proderit,. Sicut Sophonias comminatur, cum ait. Disperdet Dominus eos, qui adorant, & iurant in nomine Domini, & iurant in Melchon. Adorant autẽ in nomine Domini, qui in corde seruant fidem Christi Domini. Adorat autem in Idolo

Teſſa. 2.

Phil. 3.

Eph. 5.

Cap. 2.

Ordinatè Deo seruiẽdum

Soph. 1.

Idolo Melchon, qui Christum quidem in lingua, in corde porrò fidem portat Idoli sui Caluini, qualem fidē Hypocētaurum potius dixeris, nec equum perfectū, nec hominem.

Inæstimabile bonum est, ait ille, mentis in tuto collocatæ. Grande gaudiū ex possessione veri. Omni verò doctrinæ vēto circumferri, & in vtrumq; pedē claudicare, atq; vt arundinem huc, & illuc agitari, Deo est illudere, Christum diuidere, fidem irridere, partem sui Deo, partem Diabolo tradere. Qui sapit, ait Ethnicus ille, mauult profectò carere, quam malam vxorem habere, mauult sine equo esse, qnam claudum tenere, mauult à nucibus abstinere, quam vermibus plenas comedere. Sicut melius est, ait aureus Chrisostomus, vt non sit arbor, quam vt sit quidem, & secundum genus suum fructum non faciat. Sic melius est, vt nec sit homo Dei, quam vt sit quidem, & conuersationem non habeat secundū Deum. Quid prodest esse, quod esse non prodest? Malo nullum bonum, quam vanum, ait Tertullianus. Melius est, ait ex Ethnicis vnus, vt ne sit quidem Ciuis: quam vt in Ciuitate non secnndum leges ciuitatis viuat. Qui enim errauerit in vno, ait Iacobus, factus est omnium reus.

Lib. de Pudicitia.

Iaco. 2.

At indignum fortè vestra libertate ducitis, legum Ecclesiasticarum cancellis constringi: esseq; nonnulla, quæ velle, & alia quæ deberetis, & nolle. O Patria, Patria. O Nobilissimi Equites, o nobis in Christo dulcissima charissimaq; capita, Nolite iam altum sapere, nolite in altum tollere cornu vestrum. Fœlix necessitas, quæ compellit ad meliora, fœlix fuga, quæ currit ad vitam. Vbi humilitas, ibi charitas, vbi charitas, ibi vnitas, vbi vnitas, ibi veritas. Vis veritatem? tene humilitatem. Per viam humilitatis, ad regnum itur veritatis. Scire desideras, ait Augustinus, vtrum hoc, an non illo modo coli velit Deus? Fias amicus Deo, per humilitatem, charitatem, obedientiam. Humilitas te docebit, tibi nō fidere, charitas in orbis cōmunione permanere, obedientia, nunquam eam patietur deserere. Et alio loco, Seruum te charitas faciat, qa liberū te veritas fecit.

Lib. de Pudicitia.

Iaco. 2.

Libertati Polonicę nō est contrarium Deo, & Ecclesiæ obedire.

Augu. Epi. 45.

De Genesi cōtra Manichę.

Scio quod pro libertate, ista quæ fertis, arma fertis: pro libertate ferrum stringitis, pro libertate vestra capita extremis obijcere periculis non dubitatis. Libertatem in lingua, libertatem in vultu, frōte, oculis, omni actione præ se fertis. Cor ipsum si possetis ostendere, puto magis imbutum desiderio libertatis, quam sanguine monstraretis. Dulce nomen libertatis. Res omnium dignissima, quæ tota mēte quæratur; toto conatu defendatur. Cui nulla debent auri præferri pondera: quam si non habet, nullam vita hominis fœlicitatem habet. Omnium quippe affectionum charissima, ait Ananus apud Iosephum, & maximè naturalis est, cupiditas libertatis. Seruitutis autem, ac dominorum amantes, ij, fere soli sunt, qui subiugari à maioribus didicerunt.

Nobilitas Polonica libertatis tenacissima.

Lib. 4.

At duplicem libertatem in scripturis legimus; Libertatem Spiritus, & libertatem carnis, vbi spiritus Domini, ait Apostolus, ibi libertas. Et iterùm. Subintroierunt explorare libertatem nostram, quā habemus in Christo Iesu. Et iterū. Qua libertate Christus nos liberauit. Et ad Corynthios. Qui in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini. De libertate carnis loquitur Petrus, cum ait, Non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Et alio loco, libertatem ipsis promittentes, cum sint ipsi serui corruptionis. Et Dominus apud Hieremiam omnium clarissimè. Vos non audistis me, vt prædicaretis libertatem vnusquisq; fratri suo, & vnusquisq; amico suo. Ecce ego prædico vobis libertatem ad gladium, & pestem, & ad famem, & dabo vos in cōmotionem cunctis Regibus terræ.

Duplex libertas.

2. Co. 3

Gal. 2.

Gal. 4.

1. Co. 5

1. Pet. 2

2. Pet. 2

Hiere. 34.

Talem libertatem prædicabat Lutherus, talem Munzerus, talem Caluinus, talem omnes Euangelici, de quibus illud Taciti rectè vsurpari potest. Vt imperiū euertant, libertatem præ se ferunt, si euerterint ipsam aggrediuntur.

Aurē pbete Equites, immò oculos aperite, immò manu tāgite. De corio vestro luditur. Ad sonū dulcissimę libertatis, euocarunt vos, ex Ecclesia Dei, Euangelici Ministri, Iugum Rom. Pont. de collo vestro detrahere promiserunt. Exiuistis, iugum abiecistis, imperium excussistis, dixistis.

xistis. Non seruiam. Quid illi. Ipsam aggrediuntur libertatem. Pro ligneo Papæ iugo, ferreum, ut ipse loquitur Philippus, vobis imposuerunt: Pontificijs exemerunt, suarum legum, & decretorum uinculis, colla nobilia constrinxerunt, Orthodoxis exemerunt, & ad nescio quas confessiones Augustanas, Geneuenses, Vittembergenses, Ienenses, Pinczouienses, Sendomirien. alligarunt: ad nescio quos ineptissimorum Scholarcharum Cathechismos, ad Institutiones, Postillas, ad Corpora, Locos communes, ad impexorum Burgemagistrorũ Kurchenordnũgos, ad tria Sacramenta, ad panem pistorium, ad vinum de taberna, & his similia: longèque facilius damnant, excommunicant, ejciunt, proscribunt; nisi dicta proni adoretis, utq; sputa lambetis: quam olim in Papatu. Nil verbis opus est. Rerum adsunt testimonia, Nobilissimi Galliæ Equites, rem indignam sua libertate putauerunt, Nobilissimorum esse discipulos Episcoporum: facti sunt, vt diximus, ignobilissimorum serui Ministrorũ. Equidem rectè vocauit, qui fenestram ad omne scelestum facinus audendum, talem libertatem vocauit, & quasi quoddã pallium, quo sceleratè facta, quasi essent iure facta, conteguntur. Ipse Beza Martis, & Bellonæ Signifer: quid de tali libertate sentiat audite. Libertatem, ait, conscientijs permittere, sinereq; vnumquemque si velit perire, mere Diabolicum est: & hęc illa est Diabolica libertas, quæ Poloniam, & Transiluaniam hodie, tot pestibus impleuit, quas nullę alioquin sub sole regiones tolerarent. Vir vanus ait scriptura in superbiam erigitur. Et tanquam pullum Onagri, se liberum natum putat. Istorum vanitas, vel ut ipsi vocant quid uis credendi libertas, eo processit, vt nil sub Sole sacrum inueniri possit, quod non sacrilegæ manus violauerint, nihil in cęlo diuinum, quod non blasphemijs appetierit impunita audacia. Quid vultis? iam diximus, Deum negant omnipotentem; Christum ab æterno Deum; Spiritũ Sanctum creaturam faciunt: Trinitatem SS. (horrendũ dictu) notis omnibus turpissimorum confrixerunt maledictorum, Beatorumque animas scæleratis hominibus exæquarunt.

Libertatis Euangelicæ fructus.

In Epistolis Theologicis.

Iob. 11.

At libertas spiritus non est libertas ex lex, habet suos circumscriptos cancellos: nil eorum permittit, quod Deo displicet, & proximo nocet: nil eorum prohibet, quod Deo placet, & proximo prodest. Habet ipsa quoque quãdam suam legem. Sic loquimini, ait Iacobus, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Certè nos Paulus in libertatem vocatos, liberosq; filios profitetur, libertatem quoque suam, clara uoce prædicat: & tamen se Christi seruum in omnibus Epistolis, non solùm appellat, sed etiam impensius gloriatur. Paulus seruus Iesu Christi, Paulus seruus Dei. Apostolus Iesu Christi: Et Apostolorũ Coriphæus. Simon Petrus, seruus & Apostolus. Et Iudas in Canonica. Iudas Iesu Christi seruus. Sunt ergo, & liberi serui, & serui liberi. Est seruitus libera, & est libertas seruilis. Seruient Regi Sisach, ait Semeias ad Roboam, vt sciant distantiam seruitutis meę, & seruitutis Regni terrarum. Pulchra sanè, & expetenda seruitus, diuinæ voluntatis, legumq; sacrarum cathenis cõstringi, Libera nãq; semper est, ait Augustinus seruitus apud Deum, cui non necessitas seruit, sed charitas, longeq; melior est status hominis, qui famulatur homini, quam qui suæ seruit cupiditati. Quid seruum? Iumentum se Dei Rex, & Prophæta Dauid profiteri, non erubescit. Vt iumentum, inquit, factus sum apud te, & ego semper tecum. Iumentum Dei est, qui portat præcepta Dei. Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Iumentum Dei. Rex est sæculi. Vis vera gaudere libertate. Fias iumentum Christi, porta mandata Christi, per præceptiones ambulato, ait Nazianzenus. Nulla maior, nulla libertas tali est seruitute liberior. Fac quod iubet Christus; non fac quod prohibet Christus, & liber es; prorsus enim nihil esse potest in fœlicius, fælicitate peccantium.

Libertas Spiritus.

Rom. 1.

Tit. 1.

Philen.

2. Paralip. 12.

Psal. 72

Epistola 45.

His terminis circumscripta libertate maiores illi vestri gaudebant, nec aliam sanè vobis relinquere potuerunt, quam qualem ipsi habuerunt: quos si propterea liberos fuisse negaueritis, quod non omnia sibi

nia sibi, sicut in Politica sic in Ecclesiastica Repub. esse libera putauerunt: negare certè vos ex seruis, seruos natos non poteritis.

Liber. tas Eq. te digna Christo & Eccle sięserui re.

Maiores illi vestri, vim veræ pernoscentes libertatis, in Repub. liberi, in Ecclesia serui esse voluerũt. Non puduit eos in templo esse auditores: cum in Senatu præstantissimi essent Oratores: In acie imperabant, in Ecclesia obtemperabant: & hanc demum veram, Equiteq; dignam libertatem reputabant, si non solũ Christi, sed & minimorum seruorum serui essent Christi, Sacerdotes ad altare initiũ S. Euangelij decantabant, & magnanimi Equites gladios euaginabant, tanquam dicerent. Qui Christi Euangelio, qui sacerdotis restiterit Imperio, morte moriatur. Inde nata est diuina illa Corczinẽsis Confœderatio, contra omnes Regni incolas, qui errores hæreticales seminabant, hoc est, spurias, quas à maioribus suis non acceperunt, fides propagabant.

Zelus Nobilitatis Polonicę.

Vt filij Spurij sic fides spuria hæreditatẽ nõ adit.

Res admiratione digna. Spurios filios ab hæreditate remouetis, & spuriam fidem hæreditate donatis? Si maiorum libertatem accipitis, si etiam defenditis, cur nõ & fidem maiorum, in qua illi defendenda libertatem meruerunt? Vt paterna tua rura, salua tibi maneant, omnia audes: cur non, vt & paterna fides? Filiam tuam, fidem Christianam puta, dotem eius, villam tuam. Si quis sponsus dotem vellet, filiam nollet, nonnè mente motum, diceres? Vera quippe religio, ait Augustinus, non à terrena aliqua ciuitate instituta est, sed planè cœlestem ipsa constituit ciuitatem. Hic, ais Auus, Abauus, Atauusq; meus natus est: in hoc templo baptizatus est: hanc mihi hæreditatem, hoc conseruatæ fidei, hoc defensæ patriæ reliquit testimonium. Cur itaq; villam relictam accipis, fidem relictam non accipis? prædium charum, templum habes inuisum, agros laudas: & auita sacramenta damnas? Ensem fortè Aui tui, loricã, scutum, galeam, & reliqua bellicæ virtutis testimonia asseruas, charissimisque tuis ostendis, & auitæ in Deum, & Ecclesiam pietatis restimonia, cruces, calices, thecas, capsas, aurea, & argentea vasa, Deo, & templo donata conflas, commi-

Sicut villa ita fides à maioribus relicta seruanda.

nuis, indèq; infaustum coniugi tuæ cingulum, vel cani fortè tuo torquem detestandum paras? Domum verò Dei, quod de tua nõ faceres, in Armamentariũ, aut in sordidum fortè stabulum cõuertis? Interroga de diebus antiquis, ait scriptura qui fuerunt ante te. Interrogã patrẽ tuũ, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi. Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam, & ipsi docebunt te. Interrogate de semitis antiquis, quæ fuit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiẽ animabus vestris. Quid interrogabo? de villa, de prædio, de piscina, de Granitijs, de latifundijs? Vbi fortè, vt nostri loquũtur, kopcze? vbi, Naroznik, vbi Vystreth, vbi Oduror (hæc enim sola verba, ex omni Oeconomia didici inter homines bonis Ecclesiasticis inhiantes) vbi, defossus thesaurus. Vbi sylua cædua? Vbi runcanda pascua? O Domini misericordiam, nunquid de bobus, cura est Deo? nunquid in istis requies inuenitur animarum? Interroga, ait Dominus, quid Patres tui crediderunt, quomodo Deo seruierunt, quomodo sacrificauerunt, quomodo coluerunt, quæ præmia reportauerunt? ipsi dicent, ipsi tibi annuntiabunt, quod non est alius Deus, quam Patrum nostrorum Deus: non est alia fides, quam Patrum nostrorum fides. Commemorabile est illud in scriptura Nabot responsum, cum ab eo Rex Achab paternam extorquere villam conaretur. Propitius, ait, mihi sit Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi, Vineam ille paternam, piaculum prodere putauit: tu fidem prodis? At in quo Statuto de villæ tuæ libertate, in eodem de fidei templique cauetur indemnitate; Vbi legis, neminem, nisi iure victum, captiuabimus: ibidem legis. Qui hæreticales fouerit errores, ad eius destructionem omnes insurgemus. Sed quo tibi arma? quo ensis? quo galea? Iam ipse debellasti; quod his armis defendere debuisti. Arma illa contra Paganos, contra Crucis Christi stringenda sunt inimicos. Tu hostis, tu Paganus, qui crucis cõminuis simulachra, Sanctorũ iuris imagines: Sacra vasa clepas, Sacraméta prophanas, Eucharistiã globu-

Deut. 4.

Deut. 32.

Iac. 8.

Hier. 6.

3. Reg. 21.

Quo arma si fides eueršа.

lis tra-

lis traycis: canibus obijcis, & sacro fœtidas vngis oleo ocreas: fortè & ex euersi templi ruderibus, mali plenam ominis inque caput tuũ ruituram domum paras, maiora etiã audere, euertereq; paratus: si quid in Christi hæreditare, quod euerti potest, maius inuenires. Quid aliud hostis, quid trux Scytha, quid iam post te potẽs poterit vastare Saracenus? O Equites, Equites. Hæc si Deus impunita relinquit, credite mihi, tunc indignatur grauius. Putatisne quem sic offendistis, belli auxilio futurum? Putatisne Rempub. aut suscepta consilia promoturum, cuius fidem prodidistis, quem omni cultu, & religione spoliastis, quem in cœlo sedentẽ blasphemijs appetiuistis? putatis illum ensem, quo seruorum Dei capita truncastis, illam bipennim, qua Christi communistis imagines, hostis Christi iugulum petituram? In caput potius tuum reuertetur, & siue tardò, siue citò, siue hoc, siue illo modo diuina te vltio, ne dubites consequetur.

Cur quãdoque pax inter Euãgelicos videatur.

Sed multæ, ais, Ciuitates, & Prouinciæ, permissa quidùis credendi libertate, pace optata fruuntur. Ego verò dico, Sathanam patrem earum sic cum illis agere, sicut cum ægrotis filijs piæ matres agunt, quę tantò magis somnum, & quietem filiorũ procurant: quantò magis egrotos, afflictosq; vident. Iam in gremijs positos, brachijs amplectuntur, iam ad se constringunt, iam tunica faciem, & oculos operiunt: vt obscurior eis aer redditus, somnum per quietem inuitet, doloriſq; adducat obliuionem: iterum exper. turi cum euigilauerint. Ecce vos omnes, ait scriptura, accedentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis, de manu mea factum est hoc vobis. In doloribus dormietis.

Esaiæ 50.

Pace huiusmodi permissa, bello quodã muto, neque nomen habẽte, Regna pereunt. Nil enim est aliud hæresim permittere, quam ignibus incendium extinguere. Putas hæreticos in Regis, & legis potestate, propterea futuros? erras, in sua nunquam fuerunt. Velim meminisses argumentum morientis libertatis esse, libere peccare; neque id aliud esse, quam in Regno, omnia bona habere velle: præter seipsos.

Verum nos, omnia in patria nostra meliora non solùm speramus, sed etiam expectamus. Quid enim à Christi Ministris, quid ab Episcopis, quid ab Orthodoxis scriptoribus, & Doctoribus prætermissum est, vt lucem Catholicæ videretis veritatis? quid non dictum, quid non scriptum est, vt tetras tenebras Euangelicæ palparetis vanitatis: vt ab ouib⁹ lupos, coruos à columbis, discerneretis? Eò errores, eò etiam Euangelicorum processerunt, & furores intra hos 70. vel 80. annos, intra quos etiam antiquas hæreses efflorescere consueuisse iam diximus, vt iã non oporteat dicere. Si est ex hominibus consiliũ hoc, aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud: ne fortè, & Deo repugnare inueniamini. Sed iam clara voce dicere non solùm possimus, sed etiam debeamus. Quia non ex Deo, sed ex hominibus fuit cõsilium hoc, dissolutum est, disiectum est, dissipatum est. Deo repugnare inuenietur, quicunq; illud promouere conabitur. Sicut in ligno, ait Augustinus: etiam antequam frangatur, inest fragilitas: quæ nisi inesset, frãgi non posset Ita Euangelicorum doctrina si ex Deo fuisset, deficere non potuisset. Ois aũt defectus, exordium est pereundi.

Vigilãtia Pastorũ in Polonia

Euang. doctrina efflorescit. Act. 10.

Vos appello, Illustrissimæ Regni familiæ, (iam enim sit tibi Christe gloria, per familias, non per capita, conuersionem errantium numeramus) vos ò sagaces, castæ veritatis venatrices animæ, quæ conuersione vestra choros angelorũ letificastis: cum vobis in religione, omnia licerent, quæ liberent, cur desertis Euangelicorum cœtibus, & partibus, ad communionẽ Catholicorum reuertistis? Nonne ex fructibus eorũ cognouistis eos? Nonne hæc omnia antequam nos scripsimus, & oculis ipsi vestris apud Euangelicos vsurpastis, & manibus palpastis? Scripturam corruptam, Sacramenta diminuta, Symbola deprauata, Trinitatem blasphematam: Reges, cum legibus oppressos, Patres reprobatos, hæreses multiplicatas, ab inuicem damnatas Nouas quęsitas, sed non inuẽtas fides, & ex magna parte nouatores istos, factos omnes Atheos,

Epilog⁹ Atheismorum

pacem

pacem appellantes, & quietũ Regni ſtatum, cum Deum religione, Reges Regnis, Regna Ciuibus, Ciues legibus, fora iudicibus, templa Sacerdotibus, ſpoliauerint, cum in agris, vicis, vrbibus, Arcibus vaſtam effecerint ſolitudinem, cædem cæde, ſanguinem ſanguine expiantes prorſus, vt nullo apud ipſos careret exemplo nefas. Hos tàm deteſtandos noui huius Cacangelij fructus, vt etiam ijs, quæ ſu perſunt adhuc in patria Euangelicorum reliquijs, apud quas plus fortè adhuc, ſicut, ait Auguſtinus, valet deterius inolitum, quam melius inſolitum, ob oculos poneremus, à nobis in hoc opere noſtro, Chriſtiana ſtimulante charitate laboratum eſt. Multum adiuuat cor fidele, noſſe quid credendum non ſit, ſi diſputandi facultate id refutare non poſſit. Sciet autẽ qui modo ſe veritati cõmendare ſciet. Veritatem quæris, ait Auguſti: veritati te commenda.

Res ita claræ ſunt, ita appoſitæ Euangelicorum Protoplaſtis, omnes hæreſum notæ, & circumſtantiæ, ex omni ſcriptura competunt, vt videri poſſit, nimis Dei, nimis oblitus & ſui, qui ita velit vitioſo pudori indulgere, vt tàm vaſtam videns errorum, & periculorum voraginem, in ea ſe malit immergere, quam pedem, præ pudore referre, aut Regni cœleſtis coronam propterea ſibi debitã exiſtimet, quod Chriſti nomen, lingua carnis ingeminet, aut carnalis amore libertatis cæcus, omnia quæ lubet, quæq; audet, ſemper impunita putet. Quin potius ſperamus in Domino futurum, vt refractis vitioſi pudoris repagulis, per eorum, quos diximus, quoſq; non diximus veſtigia, ad vnum, & ipſi reccurrant Chriſti ouile, vnamq; ſuã matrem recognoſcant Catholicã, & Apoſtolicam Eccleſiam, Angelumq; Dei cõ
Gen. 16 ſulentem audiant. Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu illius.
Oſeæ 2. Et ipſi viciſſim cum Oſea reſpondeant. Vadã, & reuertar ad virũ meũ prio rem, quia benè mihi tunc erat, magis quã nũc.

Quid autem in patria noſtra, non fuit melius tunc, quam nunc? Fidem omnes vnam tunc habebant. In nido Eccleſiæ, vt loquitur Auguſt. tuti ſecurique plumeſcebant, Religionem, &, Ne quid nimis, nimis ſemper amabãt. Regi debitũ honorem, & obedientiam præſtabant, Chriſti Miniſtros, vt Angelos honorabãt, Deo templa, proximo Xenodochia excitabãt, Magiſtratus obſeruabant. Ius ex æquo dicebant, Gloriam ingentem, diuitias honeſtas volebant: virtute honores, nõ ambitione quærebant, libertatis auidi, pæcuniæ liberales erant: ærarium opulentum, res priuatas tenues malebant; odia priuata Reip. donabant: domi induſtriam, iuſtum foris Imperium exercebant: Luxum, viri venenum putabant: cupiditates non tam legum cancellis, quam Dei timore frænabant: legum erat apud illos ſæueritas temperata. Iudicum integritas incorrupta: Libertas in dicendo impunita, Verborum lenocinia ſuſpecta: Ambitionis ſtudia tepida, Pecuniæ ſitis moderata, Coniurationis, proditionis, veneni nomina ignota: ſimultates remiſſæ; voluptates languidæ, amicitiæ immortales, inimicitiæ mortales. Fortiter bella, ſed non niſi iuſta gerebant, nec prouocabant, nec timebant: Fœdera ob lucrum, & ità nunquam rumpebant. Militem auro, argentoq; celatum, galeatum leporem putabant. Quibus dura corpora, ſtricti artus, minax vultus, maior animo vigor, cœlo ſuo, ſoloq; par, vt Martis pullos legebãt. Filios aſperè: ſed vt viri fierent educabant. Si propius accederes, laborem, ſudorem, virum olebant. Sũma eſt duarũ rerum pluſquam dici poteſt, amiciſſimi, appetẽtiſſimiq; fuerũt, Libertatis, & ſimplicis veritatis: Hanc ardentiſſimè dilexerunt. In hac ſola viuere voluerunt, pro hac ſola mori non dubitauerunt, huius vnius ingenti cupiditate, cæteras cupiditates preſſerunt. Vnde factum eſt, vt à minimis initijs, ad hanc, quam videmus amplitudinem Regni fines armis dilatauerint: omniaq; in Rep. ſumma prudentia, ſummoq; conſilio, ita prouiderint, vt ſeruire quidem ſibi multos fecerint, nullã tamen ipſi vnquam, cuiquam ſeruierint ſeruitutem.

Regni Poloniæ ſtat⁹ optim⁹, integro Papatu.

Si illam pacẽ, illã ita florentẽ Remp. illa aurea ſæcula deſideratis nunc, quæ erant tunc; illam fidem, illoſq; mores reſumite nunc, qui erant tunc, & videbitis, vt ait Prophetã. Domum Dei in gloria
Agg. 2. ſua

ſua prima. Qualem, vt viciſſim in patria noſtra chariſſima videamus. Chriſte Deꝰ, quem cõtra omnes inferi portas, ab æterno, Deum de Deo genitum, patri conſubſtantialem, viſibilium, & inuiſibilium creatorem, & in humana carne humani generis redemptorem, verum Deum, & verum hominem confitemur: per uiſcera miſericordiæ, in quibus viſitaſti nos ex alto, per amariſſimam crucem, & paſſionẽ, per ſputa, clauos, lanceam, per quinque vulnera humiliter, & deuotè ſupplicamꝰ, vt ſicut olim de Pauli cæci facti, ſic iam tandem ab iſtorum, qui diſceſſerunt à nobis, oculis, iubeas cadere ſquammas proprij amoris, eo modo, quo tu ſcis, & illis expedit: vt viſu recepto videant, tangant, intelligant, quod vnum nõ poſſunt eſſe tecum, qui vnum non ſunt ſecũ: quod ibi non poſſit eſſe amor tui, vbi eſt amor ſui; quod ibi ſpiritus ſanctus non loquitur, vbi propria præſumptio loquitur. Hoc autem cum viderint, ſtatim tu illis aliam leges lectionem, O bone Præceptor, & docebis, quod ibi tantum eſt veritas, vbi eſt vnitas, ibi tui nominis vera confeſſio, vbi omnium credentium plena conſenſio; ibi grex tuus, vbi paſtor vnus; ibi via bona, vbi maiorum fides antiqua: ibi Apoſtolica traditio, vbi legitima ſucceſſio, ibi demum ſedes veritatis, vbi Cathedra vnitatis. Da illis Domine ſpiritum humilitatis, & ſufficit.

Mihi quoq; O diuiſor gratiarum Spiritus, ſi quid in his libris dictũ eſt de meo, & tu ignoſce, & mei: Si quid de tuo, & tu ſis benedictus, & tui. In ſæcula ſæculorum. Amen Amen.

FINIS PARAENESIS.

Laus Deo Virginique Matri Mariæ.

Lucæ 19.

De ore tuo te iudico ſerue nequam.

Matt. 7.

A fructibus eorum cognoſcetis eos.

Inv. 14.5.Volk
Opac. 10.6.16 MM
Bestand
Inv. 30.6.Volk

×KSIĘGARNIA×
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
DOM
E 520109

13

XVI,8°
93